LIBER SECVNDVS

DE

HOMINE OCCIDENTE.

Ad

LECTOREM.

SEcundum jam hominem summa perfectione constitutum omnibusque numeris absolutum in scenam produco, Candide Lector, tristem & fatalem acturus tragœdiam, miseriam scilicet humanam & corruptibilitatem inevitabilem ostensurus: Nunquam enim in eodum statu, ut Jobus ait, homo permanet, sed velut umbra fugiens, aut flos campi egrediens in cineres ruit & interitum. Ascendit quidem hactenus ex infimis principiis, materia nimirum turpi, informi omnisq; corruptibilitatis fundamento, jam verò in throno suæ perfectionis excubias agens mortalitatem præstolatur. Et mirum certè, hominem, pro cujus decore & ornamento tantoperè ludit natura, & quem inter res sublunares eminere Deus voluit, adeoq; non tantum Angelorum socium, sed etiam imaginem, similitudinem & filium suæ divinæ majestatis fecit, tam facilè labi & in pulverem resolvi. Nimirùm est id ęternum ipsius velut justissimi vindicis decretum, quod pôst lapsum primorum parentum toti eorum posteritati dedit; ut videlicet omnis caro post amissum tam turpiter innocentiæ candorem accrescat & deficiat, oriatur & moriatur, suamq; inevitabilem frustrà ingemiscendo sentiat corruptibilitatem; sed & materia intrinsecū est principium corruptionis, cujus qualitates inter se ita pugnant, ut intestinis bellorū vicibus alteram altera supprimat & ipsa dominatu superior interitum supposito intendat. Quis ortus hominis hactenus fuerit, & quomodo ex vilissima materia ad tantum fastigium, dignitatem & nobilitatem ascenderit, constat ex dictis; quis autem sit ejusdem interitus, & quomodo ex actionibus purè naturalibus in eadem denuò principia resolvatur, ex quibus compactus erat, constabit ex dicendis, proindeq; inverso ordine, licet eâdem methodo, agetur impostetum, ut orbi & homini constet, quemadmodum is ipse mortalis ex materia subjecta & varijs rerum naturalium actionibus ascendit, & ex debita primarum qualitatum harmonia summam perfectionem obtinuit, ita quoq; ex iisdem principiis eorumq; actionibus contrariis denuò descendere, & ex turbata qualitatum temperatione ad interitum, ad cineres & bustum deflectere: Boni itaq; consule, Amice Lector, & si defectuosa, superflua, inordinata, erronea vel gustui tuo minus sapida legas, cogita, vel non omnibus omnia posse placere, vel certè totius materiæ tantam esse difficultatem, cui non ego, cujus tantùm est stylus, ordo & dispositio; sed nemo alius ubique facilè par esse possit, & in qua maxima sæpè ingenia hæserint, suamq; imbecillitatem contestata fuerint.

DISPVTATIO PRIMA.

De Statu perfecto hominis

ARist.1.Rhetor.ad Theodect.c.6. numerat inter virtutes animi Justitiam, fortitudinem, modestiam, magnanimitatem &c. Corporis autem sanitatem & formam. Nec immeritò. quia hominem quoad statum corporeum, & de quo hic in præsenti sermone, nihil magis decet quam optima corporis constitutio & valetudo, quæ est summa rerum viventium felicitas, & ut idem ait Arist.1. Ethic. ad Eud. res præstantissima: Et hac fruitur homo dum in statu perfecto sibique connaturali collocatus est, cumque post tot emensos labores, sudores, alterationes & generationes terminum consecutus, qui hactenus dictorum finis existit: profectò magnam sapientiam & virtutem constitit homo, dum in utero ex tam vili subjecto conderetur; multas curas & sollicitudines, dum in eodē utero nomine stre spatium detentus conservaretur, aurâque tandem liberiori mancipatus inter mortales numeraretur; multas deniq; alterationes & transmutationes, dū ulteriori decursu nutritus & augmentatus in justissimi hominis formam evaderet, & actiones, quæ liberalissimo & munificentissimo Deo, ejusque festivissimæ filiolæ naturæ debentur, eliceret. Et hic est homo, qui toto libro præcedente in scenam primam productus ad summam ascendit perfectionem, in qua cum brevi mortalitatem censurus perennitatem nesciat, hic denuò & quidem in scenam secundam producitur, ut quemadmodum ibi inter res sublunares eminentissimus ascendit, ita hic inter mortales miserrimus rursum descendat, & sicut ibi ad fastigium summæ perfectionis exercuit, ita hic ad tristissimum ultimæ infelicitatis & miseriæ terminum, qui interitus est, decrescat. Ut itaque rem tanti momenti altius ordiamur, & à statu summæ perfectionis humanæ, à quo felicitas deflectit, initium faciamus, sit

DIFFICULTAS I.

In quo consistat perfectio status hominis.

ACturus hac disputatione de perfectissimo statu hominis, non quæro, an ad hunc statum, qui nec solius est animi nec corporis, sed totius suppositi, requirantur bona corporis formatio, dominium caloris, qualitatum primarum contemperatio & similia, de quibus infrà; Sed sensus difficultatis est, in quo consistat formalis ratio hujus perfectionis.

Notà tripliciter inesse homini statum perfectum: 1. in esse hominis simpliciter, 2. in esse Viventis, 3. in esse Viventis & operantis. Jam

DICO 1. status perfectus, qui debetur homini in esse hominis, consistit in unitione Formæ cum Materia; probatur, omnia composita physica constituuntur in esse Entium naturalium perfectorum à forma & Materia inter se unitis, ergò & homo in esse hominis; Anteced. patet ex disput.1.lib.1. consequentia est manifesta, quia homo non est alterius conditionis quàm sint cætera composita physica, fitque per animam rationalem Materiæ rectè congruenterque dispositæ infusam.

DICO 2. Status perfectus, qui est hominis in esse viventis, consistit in operationibus vitalibus. Probatur, ab operationibus vitalibus habet homo quod vivat & quod dicatur vivens, ergò ab iis habet suam perfectionem in esse viventis. Et hæc perfectio est homini communis cum omnibus alijs rebus viventibus in esse viventis.

DICES 1. Embryo primis statim diebus homo est & vivit, quia habet animam rationalem, & tamen nullas elicit operationes vitales: Imò multa sunt, quæ vivunt, suntque composita perfecta in esse viventis absque exercitio vitalium operationum, ergò falsum est quod perfectio hominis in esse viventis consistat in operationibus vitalibus. Resp. nego Anteced. quia imprimis Embryo in utero non vivit, nec ullam habet animam, nisi cum primùm factæ sunt ultimæ dispositiones; accedente autem anima rationali statim incipiunt operationes vitales, & sunt attractio alimenti, ejusdemque concoctio & distributio, nutritio, accretio, &c. Deinde implicat aliquid vivere & non operari vitaliter, quia ex operatione desumitur vita, & ex ea constat vitam adesse: Nam ideò videmus res inanimatas carere vita, quia in illis nullas deprehendimus operationes: Et hinc etiam nemo me convincet si dicam lapidi inesse animam & vitam, etiamsi nullas eliciat operationes vitales. Sed de his alibi satis.

DICES 2. Non potest concipi alius status, qui debeatur homini qua homo est & qua vivens, ergo frustra fingitur. Antecedens

patet, nam qui dicit Petrum esse hominem, dicit etiam Petrum esse viventem, cum implicet hæc duo non esse conjuncta, ergò unus & idem status debetur homini quà homo & quà vivens. Resp. neg. antec. quia potest solùm concipi homo excluso eo quod sit vivens; Et sic dum abstrahitur ratio viventis, benè dicitur hominem constitui per materiam & formam, quæ duo principia faciant eum compositum physicum perfectum.

DICO 3. Status ultimus, qui in homine perfectus est, eique inesse viventis & adæquatè operantis debetur, consistit in corpore organico benè formato, tùm in omnibus operationibus ei connaturalibus. Probatur; corpus benè formatum animatum est principium formale licet inadæquatum perfectæ constitutionis, & actus elicitivus operationum perfectarum est ratio formalis quare homo in esse operantia dicatur in statu perfectissimo esse positus, ergò quod homo in esse viventis & operantis existat in statu perfectissimo, id habet à corpore benè organizato, tùm ab operationibus vitalibus. Dixi tamen in omnibus operationibus, ne quis putet hunc perfectionis statum esse eundem cum priori, in quo etiam sunt operationes; Nam ad hominem in esse viventis pertinent tantùm operationes vitales, quæ sunt animæ vegetantis, ad hominem verò in esse viventis & adæquatè operantis pertinent omnes operationes, quæ sunt etiam animæ sensitivæ & rationalis; hoe infrà patebit, ubi dicetur quod in statu perfecto elicientur omnes operationes animales perfectè. Dixi etiam in operationibus ei connaturalibus, ad differentiam eorum actuum, quos aliquando homines per gratiam divinam peculiariter eliciunt, quique non debentur homini connaturaliter, ut sunt actus fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, amoris Divini, præcognitionis rerum futurarum, &c.

DICES 1. Homo grillus constat corpore perfecto, elicitque operationes omnes perfectas, & tamen non dicendus est unquam existere in statu aut vigore perfecto, ergò falsum, est, perfectionem status consistere in toto corpore benè formato, tùm in operationibus: Et hoc idem intellige de gibboso, & quibus inest partium aut membrorum deformitas. Resp. 1. licet verùm sit hominem grillum constare corpore perfecto, eò quod possit habere membra omnia benè & laudabiliter formata, falsum tamen est, elicere omnes actiones perfectè, quæ reperiantur in specie humana. Resp. 2. Si de statu perfecto, prout est in hoc aut in illo individuo, loquamur, verum est, etiam grillum aliquando existere in statu perfecto; qui suæ naturæ individuali debetur. Si autem sermo sit de statu per se, & prout convenit toti speciei humanæ, falsum est grillum unquam fieri participem hujus status, multò minus gibbosum, aut quovis modo monstrosum, esto eliciant omnes operationes congruenter, quia omnes hujusmodi homines sunt in corpore defectuosi, quod sufficit ad impediendam hanc perfectionem; Vocamus autem hominem illum in statu perfectissimo positum, cujus non tantum omnia membra & viscera, adeoque totum corpus, sed etiam omnes actiones vitales, naturales & animales existant in ea perfectione, quæ debentur toti speciei humanæ.

DICES 2. Consistit status perfectus etiam in colore bono cæterisque omnibus affectionibus, quæ sanitatem sequuntur, ergò non tantùm in operationibus. Resp. hæc omnia concomitari tantùm statum perfectum, & non spectare præcisè ad hominem operantem.

Colligitur, perfectionem primi & secundi status consistere in indivisibili, ultimam autem habere suam latitudinem, ut in sequentibus dicetur; Et de hoc, quem tota hæc tractat disputatio, sequitur

DIFFICULTAS II.

Quænam requirantur ad statum perfectum ejusq; operationes.

Controversia est, quæ sine conditiones & quæ causæ, quod operationes hominis nō sint defectuosæ, sed humano statui in sua perfectione convenientes.

Suppono, statum hominis bonum & laudabilem, de quo hic agitur, esse habitum corporis ut habet Aristoteles lib. 1. Magn. Moral. cap. 8. lib. 2. Ethic. ad Nicom. cap. 5. & 2. Ethic. ad Eudemum.

DICO primò, ut actiones corporis benè & laudabiliter administrentur, requiritur corpus benè formatum, nullaque compositionis aut solutionis vitio defectuosum. Probatur, anima non potest vitaliter operari, nisi per corpus organicum ejusq; singula membra benè disposita, ergò ad operationes perfectas requiritur corpus perfectè formatum; ad imperfectas verò defectuosum: Hoc totum confirmatur experientia, quà constat semper hominem in eliciendis actionibus impediri; quando organum, quod est animæ instrumentum, ut cujus beneficio administrantur illæ actiones, aliquo modo vitiosum est, ut patet in oculo, in quo anima vel nihil vel debiliter videt, si aliqua ejus pars vitio laboret. Quot autem modis partes organicæ corrumpantur, videre est apud Medicos de affectuum organicorum causis.

DICES 1. Status perfectus consistit in corpore benè formato, tanquam principio formali, ut patet ex dictis, ergò hoc idem corpus non potest se habere ut causa vel conditio ad statum perfectum. R. negando consequentiam; sive enim dicas corpus organicum requiri ad operationes exercendas ut causam & conditionem sive constituere statum perfectum ut principium formale, idem dices; Nam utroque modo instrumentum est, quo anima intimè præsens elicit operationes.

DICES 2. Etiam gibbosus habet omnes operationes perfectas, & tamen non habet corpus bene formatū. R. neg. Anteced. quia mini-

bimũ deficiunt illæ actiones quæ dependent ab ijs partibus, quas gibbosus habet vitiosas, v. g. motus; Deinde deficit vera accretio, quia semper observabimus in gibbosis partes aliquas supra modum augmentatas, plures autem præternaturaliter imminutas.

DICO 2. Etiam calor nativus ejusq; connaturale Dominiũ requiritur ad operationes perfectè eliciendas; Probatur 1. vita in calido consistit, ergò etiam vitales actiones. 2. calor est perpetuum animę instrumentum ad operandũ, ut habet Arist. 2. de part. anim. cap. 3. & alibi sæpiùs, ergò. 3. animalia quo sunt frigidiora, cò habent actiones imperfectiores, & animalium homo perfectissimas edit operationes, quia est calidissimus, ut habet idem Aristoteles libro citato, cap. 7. ergò caloris Dominium pertinet ad præstantiam operationum. Intellige tamen Dominium caloris naturalis, & non ejus qui est excessivus & præternaturalis.

DICES 1. Etiam animalia in quibus nullus est calor, edunt operationes perfectas, ut nutritionem, accretionem, motum, &c. Ergò falsum est ad operationes semper necessarium esse caloris Dominium; Antecedens patet in piscibus, Salamandra, imò in omni genere vegetabilium. Resp. 1. quando dicitur Dominium caloris requiri ad operationes eliciendas, non intelliguntur tantum operationes animæ vegetativæ, sed etiam sensitivæ & intellectivæ, quales non sunt in vegetabilibus, piscibus, &c. 2. Etiamsi nullus calor deprehendatur in piscibus, arboribus, plantis, &c. est tamen, qui non tantùm concurrit in ratione constituendi mixti, sed etiam qui sufficit ad eliciendas illas operationes; Nam anima in piscibus, Salamandra, serpentibus, plantis & similibus, non eget multo calore, sed exiguo, nobisque etiam insensibili perficit suas operationes.

DICES 2. In pueris est Dominium caloris nativi, & tamen non eliciunt actiones perfectè, ergò, Resp. id est per accidens, nimirum propter exuperantiã humidi, quòd cùm non tantùm in ipsa primarum qualitatum temperatione excedat, sed etiam in constitutione organorum, impedit quo minus actiones ab anima in ea perfectione, quæ virum decet, eliciantur; Et hinc

DICO 3. Ad statum perfectum hominis ejusque operationes requiritur etiam organorũ soliditas, & justa primarum qualitatum contemperatio, id est temperamentum ad justitiam. Probatur. 1. tunc elicit anima operationes suas perfectissimè, quando organa sunt perfectissimè constituta; Sed hoc fit, cum firmata sunt, id est, moderato humido & calido perfusa, non nimis mollia, ut in adolescentia, nec nimis sicca ut in senio; ergò hujusmodi soliditas requiritur ad actiones perfectè eliciendas. Probatur 2. solum temperamentum ad justitiam habet connaturale dominium caloris; sed ab hoc solo dependent operationes debitæ, ergò etiam ab illo. Et patet hoc ab experientia, qua sentimus in quovis excessu vel defectu primarum qualitatum infringi sanitatem, ideoque actiones omnes langvescere, verb. gr. in febribus, in cachexia & similibus affectibus. Sed hæc fusius petenda sunt ex morborum causis.

DICES 1. Etiam in defectuosis reperitur Dominium caloris nativi & præstantissima primarum qualitatum temperatio, ergò etiam in his reperitur status perfectus secundum se spectatus. Resp. neg. consequentiam, quia Dominium & temperatio caloris non est causa adæquata, ut patet ex dictis: Deinde falsum est quod in defectuosis sit ubique præstantissima primarum qualitatum contemperatio, ut patet in membris vitiosis.

DICES 2. Etiam excreta & retenta multum faciunt ad demonstrandum hominis statum; Similiter color, odor, habit⁹ corporis crassus, macilentus, & similia; ergò non tantũ corpus benè formatum, caloris nativi Dominium & bona complexio. Resp. hic non agi de signis demonstrativis, sed de causis & principijs; Deinde excreta, retenta, color, odor, alijq; effectus simplices non habent se hic ut conditiones & causæ, sed ut signa & symptomata.

DIFFICULTAS III.

An in statu perfecto semper cum corpore benè formato possint elici omnes operationes perfectè.

SEnsus quæstionis est, an quando totum corpus quoad membrorũ omnium soliditatem & eorundem complexionẽ perfectissimè constitutum est, etiam eandem habet dignitatem & præstantiam in administrandis omnibus functionibus; v. g. sit status hominis perfectissimus anno trigesimo, an tunc etiam omnes potentiæ eliciant suas actiones perfectissimè, ut nutritionem, accretionem, motum, sensum, appetitum, Intellectum, &c.

Adverte, dum quæritur, an in statu perfecto seu vigore actiones sint perfectissimę, nõ intelligi, an in hoc solo statu sint perfectissimæ; quia possunt etiam in alijs ætatibus esse similes, ut nutritio in adolescentia. Quæritur itaque an simpliciter in hoc statu sint perfectissimæ, sive in alijs ætatibus sint æquè perfectæ, sive non.

Suppono autem actiones hominis vel esse naturales, vel vitales, vel animales, vel quod melius, alias actiones esse vegetativas, alias sensitivas, alias denique intellectivas. Jam

DICO primò, actiones vegetantes, ut concoctio, nutritio, &c. in vigore corporis sunt perfectissimæ. Probatur, actiones vegetantes fiunt ab anima & calore, præsente optima organorum constitutione; sed in vigore seu statu perfecto corporis totus homo ejusque singulæ partes sunt optimè constitutæ; ergò & actiones: Nam toties hæ depravantur, quoties internus organorum status corrumpitur, ut patet in ventre, pectore, oculo, alijsque partibus, in quibus actiones ob depravatam tempe-

riem vel quamvis aliam causam præter naturalem corrumpuntur.

DICES, nutritio, accretio & c. perfectius administrantur in pueris quàm in juvenibus & viris, ergò sunt perfectiores; Antecedens probatur, quia plus crescunt pueri quàm juvenes. Resp. negatur Antecedens; ad probationem dico ex majori augmentatione in pueris nō esse commensurandam perfectionem actionū vegetabilium, quia aliàs sequeretur, quod etiam in arboribus essent perfectiores, qui plus crescunt quā pueri & juvenes. Quod autē pueri juvenibus & viris plus crescant, ideò fit, quia abundant humido, habentque corpora delicatiora, in quorum singulis partibus, quæ ex natura sua adhùc tendunt ad majorem augmentationem, facilè recipitur nutrimentum; & juvenes contrario modo se habent, quique jam ad terminum suæ magnitudinis devenerunt, proinde per accidens est quod minus crescant: Interim tamen perfectè decoquunt cibos, convertuntque nutrimentum in substantiam aliti, & restaurant id quod per calorem ferventissimum prius fuerat deperditum.

DICO 2. Etiam actiones vitales in statu sunt perfectissimæ; Probatur, actiones vitales sunt motus cordis & arteriarum, tum generatio spirituum vitalium; sed tales maximè vigent in statu, ergò; Major communis est, minor probatur, quia hoc tempore & hâc ætate calor nativus & vitalis, à quo hæc fiunt, est ferventissimus & perfectissimus: Et confirmatur teste experientia, quia in hoc statu homo validissimas habet vires, quæ sunt à facultate & calore vitali.

DICO 3. Actiones denique animales, quæque sunt animæ intelligentis, eo tempore, quo status & vigor hominis est in summo, sunt perfectissimæ; Probatur 1. hoc tempore sunt spiritus animales lucidissimi, quia sunt purissimi & maximè defecati, ut patet apud Medicos, ergò ad ejusmodi actiones maximè connaturales. Probatur 2. Non possunt esse perfectissimæ in prima ætate, nec in ultima; Ergò in media. Quod non possint esse in prima, ratio est, quia hæc habet organa nimis humida vel propter calorem nimis æstuantia, quod utrumque non valet ad eliciendas operationes perfectas. Quod etiam non possint tales esse in ultima; ratio est siccitas & spiritum animalium defectus, ergò reliquum est ut sint perfectissimæ in ætate media, in qua status & vigor hominis est perfectissimus; nam in hac ætate organa sunt in summo vigore, calor velut perpetuum animæ instrumentum est temperatissimus, sensus communis maximè dispositus ad formanda phantasmata, sicut & intellectus ad producendas species intelligibiles, estque maximus consensus in præcipuis visceribus ad suppeditandum calorem & spiritus.

DICES, 1. Ad actiones intelligentis requiruntur spiritus defecati & calor temperatus, nec humidus nimis, nec adeò siccus; Sed in juventute dum corpus in summa perfectione consistit spiritus sunt calidissimi, ideoque actiones turbatæ & inconstantes, ergò. Resp. juventutem non uno aut altero, sed pluribus annis circumscribi, proindeque magnam habere sui initij, medij & finis latitudinem. Quamvis itaque primis annis juventutis calor sit fervens & spiritus igneus, uterque tamen sequentibus annis temperatur, quibus & corpus & singulæ ipsius actiones præstant: Et eadem res est cum anni temporibus, quorum singula inter se talem proportionem habent, ut partim secundum initium, partim secundum finem inter se conveniant: Sic ver ad initium frigidum est & humidum ut hyems, ad medium temperatum, ad finem denique humidum & calidum ut æstas.

DICES 2. Nunquam minus homo potest refrenare suas actiones quam in statu consistentiæ; ergò. Resp. ad initium juventutis verum esse, circa finem verò falsum, quo tempore & ipse calor magis temperatur, organaque melius consolidantur.

DICES 3. Seniores sunt prudentiores, plus intelligunt, melius discurrunt, altiora magis penetrant &c. ergò minimum actiones animæ intelligentis sunt in senectute perfectiores. Resp. quod senes sint prudentiores, id est propter calorem temperatum magis, & jam ad siccum descendentem; quod plus intelligant, est propter majorem experientiam & lectionem, longiora studia & sæpius ingestas species. Senes itaque sunt prudentiores & excellentiores in penetrandis rebus sublimioribus, valentque plus judicio in dandis consilijs formandoque discursu non per se, sed per accidens, nimirum vel propter temperatissimum calorem, vel propter magnam in rebus experientiam, longa studia, copiam specierum haustarum, actus sæpè repetitos, &c. Quod si autem ab his omnibus circumstantijs & differentijs individuantibus abstrahamus, inveniemus hominem in vigore statuq; corporis perfectiss. positū esse pro singulis actionibus eliciendis maximè accommodatum, adeoq; ab hoc fieri posse meliorem nutrimenti decoctionem; & adglutinationem, generari meliores spiritus vitales, res intelligibiles melius apprehendi, formari meliorem discursum, judicari singula exactiùs, faciliùs altiora penetrari, perfectius cognosci res naturales cum suis causis, &c. Hæc tamen intellige de vigore, qui etiam cum primis annis senectutis connectitur, à quo proinde senectus ultima excluditur.

DIF-

DIFFICULTAS IV.

Quando & quomodo deveniat homo ad hunc statum.

SUppono in singulis humanæ speciei individuis magnam esse varietatem principiorum & causarum, à quibus totus hic status ejusq; perfectio dependeat; Et hinc

DICO 1. Non omnes æquè citò attingunt terminum perfectionis. Probatur; ubi diversitas est circà primas qualitates, ex quibus resultat temperamentum, circà humores qui constituunt complexionem, circa copiam humidi nativi, sexum, formationem viscerum, soliditatem organorum & similes differentias individuales, ibi non potest esse idem terminus status, sed hæc reperiuntur in omnibus hominibus, ergo. Intellige tamen nec tam exactè commensurari vel initium vel finem status ad quascunque temperamentorum & aliarum circumstantiarum differentias, quia aliàs in singulis individuis forent alii termini, cùm in singulis fermè sint aliæ complexiones, aliæq; dispositiones. Major patet in diversis nationibus, ex quibus aliæ brevius vivunt, ingenio & judicio præstant, fortitudine valent, &c. Et hoc confirmatur ex animalium naturis, tum ex ipsis vegetabilibus; Nam citiùs suam perfectionem attingit canis, tardiùs equus, tardissimè Elephas; Similiter breve habet incrementum cerasus, longum verò quercus, cupressus, palma, ut videre est apud Aristotelem lib. de long. & brevit vitæ, lib. 8. de histor. animalium cap. 9. libr. 5. ejusdem operis cap. 14. alijsque in locis.

DICO 2. Hic status non debetur pueritiæ aut adolescentiæ, sed nec senectuti. Probatur 1. quia in his ætatibus nec habet homo corpus perfectè consolidatum, nec exercet operationes omnes perfectè, ergò non vivit in statu perfecto cùm hujusmodi subjacet ætatibus. Antecedens patet ad sensum & experientiam; quia præterquam quod pueri & adolescentes adhuc molles sint ac debiles, nec valent judicio nec discursu, & insuper in senibus deficit vis vegetatrix propter siccitatem & defectum caloris, ergo. Probatur 2. Ideò crescit homo, transitque pueritiam & adolescentiam, quia festinat ad suam perfectionem; Et rursùm, ideò celeriùs senes tendunt ad interitum & corruptionem, quia declinant à consistentia sua & vigore; ergo in hujusmodi ætatibus nulla reperitur perfectio humanæ conditionis.

DICO 3. In limine juventutis non est status homini perfectus. Ratio est, quia calor cordis hic nimiùm intensus est, gignitque spiritus vehementer acres & quasi igneos, quorum beneficio nescit homo moderari suas actiones, sed velut in incertum se ut plurimùm præcipitat; Et hoc videmus in plerisq; juvenibus, qui operationes suas refrenare nesciunt, sed suis præcordiorum incensivis quaquaversum absq; ratione ducuntur.

DICES, calor præcipuum, imò perpetuum animæ est instrumentum ad omnes operationes eliciendas. sed calore abundant pueri & juvenes, ut est axioma apud Medicos, ergo utriq; sunt aptissimi ad operandum. Resp. non quemvis calorem esse connaturale Instrumentum animæ, sed naturalem tantùm, neq; animam per hunc semper & ubiq; æqualiter agere, sed uniformiter difformiter positis dispositionibus, aliter scil. in corpore molli & humido, aliter in temperato, aliter deniq; in sicco, & ad frigidum declinante.

DICO 4. Consistit homo in statu perfectissimo partim in ætate juvenili, partim in virili. Ratio est, quia hoc tempore calor homini est vegatissimus & temperatissimus, neque nimis humidus, neque nimis siccus, neque nimis æstuosus qualis est in pueris, juvenibus & Senibus: adest præterea robur corporis validissimum; vires constantissimæ, & operationes perfectissimæ, ergo etiam status perfectissimus. Antecedens liquet non aliter quàm experientia, quâ videmus hominem in hac ætate optimè esse constitutum, elicere omnes actiones perfectissimè, nec unquàm ultrà hanc ætatem progredi; sed in ea aliquamdiu subsistere & quiescere velut in summa perfectione sua, tum verò paulatim ad terminum ultimum, qui est communis corruptio, descendere, & in ea principia, ex quibus coagmentatus fuerat, resolvi.

DICO 5. Ascendit homo ad summam perfectionem per intrinsecam corruptibilitatem & exercitium actionum vitalium. Hæc conclusio constat ex modo, quo primæ qualitates in se invicem agunt, & intrinsecùs subjectum corrumpunt. Nam dum calor velut agens liberùm & necessarium in humidum agit; subjectum alterat & exsiccat, partesque solidas, quæ primis annis fuerant molles, magis magisque indies firmat & roborat, & ad actiones eliciendas facit habiliores; Dum etiam substantiam viventis deperdit, fit ut novum alimentum appetatur, idque decoctum & varijs alterationibus subactum in novam formam abeat, atque adeò vivens per continuas nutritiones, & Materiæ adglutinationes in justam debitamque extollatur quantitatem & magnitudinem, quousque tandem in summo subsistat vigore, ubi actiones omnes perfectissimè eliciantur.

Colligitur: licet senes propter calorem moderatum in succo melancholico fundatum; longam rerum experientiam; &c. optimè eliciant actiones quasdam animæ rationalis, deficere tamen in reliquis actionibus vitalibus, sensitivis & motivis, quæ omnes in ætate virili & juvenili habent æqualem, moderatam & perfectam proportionem inter se ad consistentiam.

DIFFICULTAS V.

Quando incipiat & quamdiu duret hic status.

REpetendæ ſunt hic ſingulæ hominum ætates, earumque termini, ut conſtet tota juvenilis & virilis ætatis latitudo, tum à quo anno incipiant,& quouſque ſeſe extendant; Communiter tamen & regulâ ordinariâ extenditur adoleſcentia, ſub qua infantia & pueritia comprehenditur, ad annum ætatis 25. juventus ab hoc ad 35. virilis ad 50. & ſenectus denique ad cineres & buſtum: Nam ita variant naturæ hominum, ut non apud omnes poſſimus eoſdem inceptionis & deſitionis terminos metiri, ſed aliquando maturius incipiendo, aliquando tardius finiendo, prout principia vitæ & corporum diſpoſitiones in ſingulis ab intrinſeco conſtituta ſunt, Itaque

DICO primò: ſumma perfectio ſtatus in humano corpore non conſiſtit in indiviſibili: Ratio eſt, quia principia quæ conſtituunt hunc ſtatum, latitudine terminorum circumſcribuntur, ut patet in puero, qui multo tempore manet puer, etiam ſi ejus vita in continuo fluxu & perpetuis actionum contrariarum qualitatibus verſetur, quæ eadem juventutis, virilitatis & ſenectutis eſt ratio; Et confirmatur à ſimili, quia ſicut nunquam hominem vocamus ægrum, niſi cum manifeſtè ſanitatis terminum exceſſiſſe advertimus; ita etiam nō dicimus hominem exuiſſe pueritiam, adoleſcentiam, juventutem, &c. niſi prius videamus eum terminos pueritiæ, adoleſcentiæ & juventutis manifeſtè jam tranſiiſſe. Itaque integris decem annis, ab anno videlicet 25. uſque ad 35. ſed & amplius exiſtit homo in juventute, & ſic de reliquis etiam ſi interea nonnihil immutetur.

DICO 2. Probabile eſt hominem in ſumma ſua perfectione vivere & exiſtere ab anno 30. uſque ad 50. Probatur 1. Intra hoc annorum ſpatium quilibet hominum vir eſſe judicatur, ergò. 2. his annis calor eſt maximè vegetus, omneſque actiones perfectiſſimè eliciuntur; ergò. Nam ſicut ante annum 30. calor eſt [illegible] ventior, & poſt 50. depreſſior, ita etiam actiones vehementiores tum ſunt aut languidiores, & in medio temperatiores. 3. probatur ab experientia quæ docet omnes fermè homines intra hos annor. decurſus, ingenio, prudentia, cognitione & ſapientia in adminiſtrandis Magiſtratibus, in regendis populis & gentibus, in gubernanda militia & in evulgandis laudatiſſimis ſcientijs claruiſſe. Et hoc eſt quod Ariſtoteles l. 2. Rhetor. cap. 14. dicit. conſtantis ætatis mores inter juventutem & ſenectutem verſari, & juvenes eſſe fortiores cum immodeſtia, ſenes modeſtos cum timore; viros verò utrorumque fugientes exceſſum aut defectum eſſe fortes cum modeſtia, & modeſtos cum fortitudine, &c. Quod denique confirmatur in ætate Chriſti, quæ fuit regula & exemplar ætatis noſtræ. Nam ut oſtenderet, quæ ætas virum deceret, incepit ipſe anno ætatis ſuæ 30. elicere actus viriles, ſive aliqui ex ijs humanæ conditionis eſſent, ut docere, prædicare, &c. ſive divinæ, ut mutare aquam in vinum, reſtituere viſum, excitare mortuum, &c.

DICO 3. Status perfectus aliquando poteſt incipere ante annum trigeſimum & deſinere poſt 50. 1. docet experientia in ijs, quibus præmaturum eſt judicium & ingenium; hi enim ideò ad perfectionem citò deveniunt, quia calor & ſpiritus in ijs à melancholia plurimū temperantur, unde etiam omnes eorum actiones ſunt modeſtæ, conſtantes, animus etiam præſens & ſpeculabundus, qualem in melancholicis quotidiè obſervamus. Secundū liquet à contrario, quia eorum vita propter humidi & calidi dominium longior eſt, illi etiam ſerius evadunt in viros tardiuſque pueriles mores & juveniles motus deponunt, ut proinde non mirum, ſi hujuſmodi mortales ultra annum 50. adhuc conſiſtant: Et hinc in ætatum diviſionibus maxima deprehenditur varietas, tum imprimis principiorum, ex quibus vita brevior & longior, tandemq; naturalis interitus dependent.

DIFFICULTAS VI.

An hic ſtatus apud omnes ſit æqualis.

ADverte ſtatum perfectionis poſſe dupliciter conſiderari, 1. ſecundum ſe, & quatenus eum ſingula individua ſecundum proprias ſuas naturas participant, nullo habito reſpectu, vel facta comparatione unius individui ad aliud individuum. 2. quatenus diſpoſitio corporis & operationes unius individui comparantur cum temperamento, ſanitate & conſtitutione alterius individui.

Suppono hunc ſtatum in homine eſſe qualitatem non minus quam temperamentum, ingenium, &c. & ſpectare ad primam ſpeciem, id eſt, ad naturalem diſpoſitionem. Jam

DICO Primò: ſi ſtatus primo modo conſideretur, omnia individua eū æqualiter participant; Ratio eſt, quia quodlibet Individuū quāvis imperfectum & defectuoſum attingit ſuum vigorem & conſtitutionem perfectam, ultrà quā progredi non poteſt, & à quo denuò naturaliter in deterius deflectit; ergò æqualiter participant omnes homines ſtatum perfectum. Deinde juxta hunc modum perfectio ſtatus conſiſtit in indiviſibili; ergò non poteſt is inæqualiter ineſſe ſingulis Individuis; Antecedens patet ex dictis, & ratio eſt, quia ſtatus ita ſumptus conſiſtit in illo puncto, quod quilibet hominū tandem attingit, & à quo, cum nec ultrò poſſit, nec in eo perpetuò conſiſtere, relabitur.

DICES reperiri homines, qui tota ſua vita varijs affectibus & paſſionibus affliguntur, adeoque nullam ſui corporis naturalem conſtitutionem ſentiunt, ergò falſum eſt omnia individua attingere ſtatum perfectum. Reſp. id eſſe per accidens, ſicut & illud ſi quis moriatur ante ſtatum: Hic autem ſermo

mo fit de individuis, quatenus ipsis jure naturæ competit sanitas. Deinde licet quis tota vita sit indispositus, cum tamen attingit terminum, qui corpori naturaliter est perfectissimus, & à quo denuò in deteriorem delabitur.

DICO 2. Perfectio status secundo modo acceptus non est in omnibus Individuis æqualis. Probatur, hæc perfectio, ut patet ex dictis, consistit in corpore benè exactéq; formato, in optimo temperamento, debita distributione calidi & humidi, & quod ex his velut principijs sequitur, in perfectissima operatione; sed hæc omnia unum Individuum longè exquisitius habet & perfectius; ergò in uno status quoque erit perfectior quàm in altero. Major vera est; minor verissima; Nam præterquam quod constet diversarum formarum diversas quoque esse dispositiones, etiam videmus magnam esse discrepantiam hominum, non tantum in adolescentia aut juventute, sed etiam in ætate virili quoad complexionem humorũ, contemperationem qualitatum, habitũ corporis, sensuumque & intellectus constitutionem: Et quid dicemus de statu virili primorum parentũ, Christi, & aliorum? Certè his ipsis inter cætera naturę dona temperamentum præcipua quadã dignitate & excellentia tum corpus nobilissimis formis & organis coagmentatum à primæva origine fuit attributum; Nec aliter de cunctis operationibus animæ argumentari licet, quæ in Christo, primis parentibus, beatissima Virgine & fortè paucis alijs perfectissimæ & supra alto-rum hominum præstantiam fuerunt.

DICO 3. In singulis hominibus status perfectionis eum terminum attingit, ultrà quem naturaliter progredi non potest. Probatur 1. Quævis res vivens tendit ad eum finem, qui sibi à natura præscriptus est, id est, ad suam perfectionem & ultrà hanc non progreditur; ergò & homo, quia hic est rerum naturalium in sublunaribus nobilissimus Antedens est Axioma Physicum, quod videlicet natura tendat ad perfectum, ut habet Aristoteles, lib. de incessu animalium; Nam conatus naturæ semper ad hoc tendit, ut quævis res in suo genere ad proportionatam sibi perfectionem perducatur, nisi aliunde quid obstet, quod est per accidens. Probatur 2. si natura in homine progrederetur ultrà statum & perfectionem debitam, jam abundaret in superfluis contra aliud Philosophorum Axioma ex Aristotele 3. de anima. cap. 9; operaretur ultrà sphæram activitatis, & faceret id quod est turpe; sed hoc est falsum; ergò & illud.

DICES, Sæpè fit ut homines ultrà debitam magnitudinem excrescant; ergo natura tũ ultrà debitũ terminum progreditur. Resp. verum esse; quod natura in multis sępè soleat errare, producere monstra, non tamen ultrà vires proprias proindeque falsum est, quod homo unquam excrescat in eam magnitudinem, quæ sit ultrà vires naturæ: Qamvis enim species humana certis terminis circumscribi soleat, fieri tamen potest ut aliqua individua hujusmodi terminos propter causas alibi explicatas prætergrediantur: Licet autem speciei humanæ magnitudo gigantæa lege ordinaria sit præternaturalis, non tamen excedit absolutè terminum ejus magnitudinis.

DIFFICULTAS VII.

An hic status habeat aliquam convenientiam cum statu Morborum.

HAbet morbus 4. tempora ex communi Medicorum consensu, v. gr. Principium, Augmentum, statum & declinationem; Et hæc eadem tempora observamus in totius vitæ humanæ decursu: Nam in primis principium hujus est infantia & pueritia; Incrementum adolescentia & juventus; Status virilis ætas, in qua homo vir est, habetque suam humanæ conditionis perfectionem & statum, ultrà quem non progreditur; Declinatio tandem senectus, cujus finis est iners & interitus: Jam quæritur; in quo hic uterque status conveniant, & in quo discrepent.

DICO primò: Conveniunt hi status primò in hoc, quod uterq; sit summus vigor & perfectio novissima, in quam natura tendit; Nam etjam vigor morbi est ejus summa perfectio, licet in ordine ad hominem sit malum, imperfectum & viventi præternaturale quid. 2. Vterque sequitur post principium & augmentum, habetque ex natura intrinseca terminum, à quo fit descensus in interitum; Nam & morbus post vigorem & statum frangitur, deprimitur & per defitionem in subjecto corrumpitur. 3. vterque est qualitas afficiens subjectum, esto fiat id vel bene vel malè. 4. In utroque sunt termini vel breviores vel longiores prout totu[illegible]ũ decursus est. Nam si vita naturaliter sit brevior, etiã proximior est status, minusq; durat, quod idem de morbo intellige. Contra verò si vita sit longior; status etiam & virilis ætas erit extensior longiusque durabilis. quod similiter de morbo capiendum. Dixi si vita naturaliter sit brevior; Nam si ideò sit brevior, quod violenter à morbo corrumpatur, de statu tum nihil concludendum est; ut infrà patebit, nisi tamen in senectute id accidat. 5. uterque fit ab ijsdem causis & principijs; ut paulò post dicetur. 6. In utroque est concoctio & maturatio, in morbo quidem; quia ita ejus fert natura, ut videlicet ante declinationem non secus ad concoctionem perducatur; quàm fructus terræ & arborum, nisi tamen in perniciem ducat ægrum; in ætate autem virili; quia in eum statum à qualitatibus inter se variè pugnantibus deventum est, ut temperamento exactissimè in partibus constituto & organis perfectissimè dispositis anima nobilissimas eliciat operationes.

DICO 2. In multis etiam discrepat status morbi et hominis perfecti; Nam 1. status morbi est præternaturalis; hominis autem in ætate virili constituti naturalis, cum ille sit hominis ægri, hic verò optimæ se habentis, unde etiam hic amicus est, & ille hostilis. 2. status mor-

morboſus accidit homini quocunque tempore etiam in extrema ſenectute, ſtatus autem perfectionis ſolùm in ætate virili. 3. Status morbi periculo plenus eſt, quia agitur tum fatalis pugna cum homine, qua vel morbus definit, vel homo occidit; ſtatus autem perfectus vigore ſuo reficit, quia robore abundat: Nam meliùs nunquam & corpore & animo ſentit homo, proindeque ſicut ille vires deprimit, ita hic illas erigit, & conſervat. 4 Ille eſt in motu continuo, hic in quiete; Nam dum morbus eſt, omnes humores ſunt commoti, & pro aris ſociſque pugnat natura; In ætate autem virili omnia ſunt quieta, & ſecundum naturam laudabiliter conſtituta. 5. In ſtatu morboſo naturà operatur depràvatè, in perfecto autem & virili ex debito & juxtà condecentiam operantis. 6. denique ſtatus unus ex intrinſeco pugnat cum altero, eſtque illi immediate contrarius, adeò ut cum illo ſe compati non poſſit. Nam ſi morbus in ætatem virilem incidat, jam ſtatus perfectio deſinit, quia temperamentum & operationes patiuntur.

DIFFICULTAS. VIII.

An homo per morbum verè à perfectione ſtatus deficiat.

Videtur id de factò fieri, quoties homo in ſtatum morboſum incidit; nam hic immediatè priori contrarius eſt, cumque non ſecus ac frigus calorem, nigredo albedinem expellit; cum uterque in eodem ſubjecto ſimul exiſtere non poſſit.

Nota, ſ[illegible]m perfectum hominis, ſi non formaliter ſaltem cauſaliter duplici modo expelli. 1. naturaliter, cùm videlicet homo, qui ex ſe corruptibilis eſt ab Intrinſecis principijs in ſenium ruit; 2. Violenter, cum ab extrinſeco ſanitas corrumpitur.

DICO primò verè & propriè ſtatus perfectus hominis in ætate virilis conſiſtentiæ corrumpitur ab extrinſeco, id eſt, à morbo. Probatur 1. Morbus verè & propriè corrumpit ea, à quibus dependet ſtatus perfectus, ergò etiam corrumpit ipſum ſtatum, qui eſt optima & perfectiſſima conſtitutio hominis juxta illud quicquid eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati remotè. Antecedens patet in temperamento, viribus, operationibus, calido nativo, & ſimilib⁹; quæ omnia læduntur à morbo. Probatur. 2. ſive dicas morbum expellere ſanitatem efficienter, ſive formaliter, ut multis placet, hoc ipſo quod nobiliſſimã hanc conſtitutionem expellit, verè & propriè ſtatum hominis offendit; ergò eum propriè dicitur corrumpere: Et patet res ad ſenſum, quia dum homo morboſus eſt, à naturali ſua conſtitutione deflectit; ſed hoc accidit vi morbi; ergò is vere eſt propriè hanc conſtitutionem corrumpit.

DICES, Morbus non deſtruit conſtitutionem organicam in cujus perfectione etiam conſiſtit perfectio ſtatus, ut patet in febribus quibus evaneſcentibus organa in eadem remanent bonitate & præſtantia, ergò ſtatus perfectus non corrumpitur ſemper à morbo. Reſp. præſtantiam organi non conſiſtere tantum in Materiali quadam conſtitutione, v. gr. in figura, ſitu, connexione & ſimilibus quæ extrinſecus & ad ſenſum illud condecorant, ſed inſuper in bono temperamento, humido radicali, ſpiritibus vitalibus undique laudabiliter diffuſis, potentijs connaturaliter debitis & illæſis, &c. Quamvis itaque morbus non corrumpat primam organi conſtitutionem, corrumpit tamen ſecundam, & quidem hanc per ſe & primariò, illam ſecundariò & conſecutivè.

DICO 2. Etiam verè & propriè perfecta conſtitutio hominis in ætate virili conſiſtentis corrumpitur ab intrinſecò. Probatur 1. quia homo tranſit naturaliter ab uno ſtatu in alium v. gr. ab adoleſcentia in juventutem, & ab ætate virili in ſenectutem, ergò ab intrinſeco, id eſt, à cauſis intrinſecè & ordine naturali corrumpentibus, ergò ſtatus & vigor corrumpitur ab intrinſeco. 2. Probatur, impoſſibile eſt hominem ſemper manere in eodem ſtatu propter primarum qualitatum actiones mutuò corruptivas, quia hæ intrinſecè corpori inhærent, ſuntque omnis corruptionis principia; ergò etiam ab intrinſeco corpus humanum patietur detrimentum quoad ſtatum & vigorem; Et hoc eſt quod Jacobus intellexit, dum ait: homo natus de muliere brevi vivens tempore, &c. qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Erit tamen alia ratio cum homine in cœlis glorificato, quia temperamenta corporum glorioſorum tota æternitate, eadem prorſus abſque ullà mutatione permanebunt, eò quod talia conſervabit dos illa impaſſibilitatis, quæ ſecundum probabiliorem ſententam Theologorum & imprimis D. Thomæ 1. p. 9. 97. a. 1. erit qualitas corporis inhærens, ea ſuper vim naturæ ab omni noxa defendens & impediens, ne qua in eis varietas circa primas qualitates accidere poſſit, ut ajunt Conn.

DICO 3. Hoc diſcriminis eſt inter cauſam intrinſecam & extrinſecam, quod licet utraque corrumpatur perfectiſſima conſtitutio hominis, hæc à prima nunquam ſit reducibilis ſicut à ſecunda. Pobatur, Nam homo, qui à morbo convaleſcit, recuperat vires nuper collapſas temperamentum & humidum nativum eâ bonitate & copia, quâ amiſſum fuerat, contra Fernel. & alios: Qui verò ab uno ſtatu in alium tranſit, non minus perdit heſternam conſtitutionem corporis, quàm tempus jam ſemel elapſum & per nullam vim naturalem revocabile; Extratio bujus dari ſolet apud Philoſophos, quod à privatione ad habitum nullus detur regreſſus ex Ariſtot. in poſt prædicam: cap. de oppoſitis poſt medium, præſertim hic in ſubiecto, quod incapax eſt in ſe recipere eandem ſpecie effectum, ſicut eſt capax quando poſt evictum morbum poteſt recipere novum

hu-

humidum & calidum novas vires, &c. Et hinc liquet, ad quosdam habitus dari naturaliter regressum, ad quosdam nunquam; supernaturaliter verò ad omnes.

Ad quosd. habitus datur regressus, ad alios nunquam.

DIFFICULTAS IX.

Quæ sint principia non tantum destructiva, sed etiam conservativa hujus status.

DICO 1. Principia destructiva extrinseca status & constitutionis perfectissimæ sunt eadem quæ sanitatis, videlicet morbus, omnesque causæ morbosæ extrinsecus advenientes. Probatur, status perfectus est constitutio & affectus corporis naturalis includens laudabiles dispositiones organorum & viscerum, tum operationes omnes perfectissimas; sed Morbus omnesque causæ morbosæ sunt principia destructiva sanitatis & affectus naturalis; ergò & status perfecti. Probatur 2. eversa sanitate & constitutione naturali evertitur quoque status perfectus hominis & contra, ergò quidquid est corruptivum unius, est etiam corruptivum alterius.

A quibus destruatur status perfectus.

DICES 1. Existit homo in vigore & statu perfecto, etiamsi morbidus sit, ergò falsum est quod morbus & causæ morbosæ corrumpant statum hominis perfectum. Resp. non sufficere ad perfectum hominis statum & vigorem quod in ætate juvenili vel virili existat, sed requiri insuper omnes conditiones & circumstantias quæ hunc statum nobilitant; ut salubris omnium organorum dispositio & constitutio, temperamenti bonitas & similia, de quibus suprà: Existit itaque in vigore homo etiam morbidus, si per vigorem intelligatur tempus illud, in quo homo solet habere summam perfectionem, contrà verò, si intelligatur status perfectus cum conditionibus requisitis, proinde negatur antecedens.

DICES 2. Sæpè manere in homine morboso omnes aut plerasque operationes animales; ergò etiam statum perfectum. Resp. neg. consequentiam, quia non consistit perfectio hujus status in solis operationibus animalibus, sed insuper in vegetativis, vitalibus, bono temperamento, laudabili organorum dispositione, &c.

DICO 2. Principia intrinseca destructiva status hujus sunt qualitates primæ; patet ex supradictis & probatur, quia solæ hæ qualitates sunt activæ, id est, agunt in se mutuo corruptivè, & quicquid corporum est corruptibilium, ab his velut ejusmodi principiis dependet, in quorum efficacia & potestate stat omnis dispositio ad formas corruptibiles. Et confirmatur ab inductione omnium corporum sublunarium, sive sint simplicia ut Elementa, sive mixta, ut reliqua composita omnia; Nam Elementa agunt in se mutuò & convertuntur per qualitates tangibiles; Mixta inanimata gignuntur & excoquuntur per has easdem qualitates, per quas etiã vegetabilia nutriuntur & crescunt; Animalium deniq; generatio & formatio, perfectio, consistentia & declinatio ad corruptionem etiam ab his ipsis velut principiis instrumentalibus efficientibus.

Principia intrinseca destructiva status perfecti quæ.

DICO 3. Statum perfectum hominis tuentur ab intrinseco & conservant aër salubris & clementia cœli, bonum alimentum, cæteraque omnia quæ sanitati conferunt. Probatur, ab iisdem conservatur perfecta constitutio corporis, à quibus conservatur calor nativus, humidum radicale, temperamentum innatum, omnisque salubris membrorum internorum dispositio, sed hæc omnia conservantur à rebus illis naturalibus, ergò & status hominis perfectus; Hanc Minorem fusè probant Medici, ubi de sanitate tuendâ, de aëre, de cibo & potu, motu & quiete, somno & vigilia, cæterisq; rebus, quas partim naturales vocant, partim non naturales, scribunt.

DICO 4. Hunc eundem statum ab intrinseco conservant justa debitaq; symmetria quatuor primarum qualitatum, id est, temperamentum à singulis partibus ad justitiam, bona corporis totius conformatio, tum caloris & humidi radicalis proportionata diffusio. Probatur, quia his ipsis immediatè conservatur Unio inter animam & formam, corporisque totius sanitas; ergò etiam perfecta constitutio, quæ homini accidit in ætate virili. Adverte tamen, non ad eundem modum conservari sanitatem & statum perfectum hominis, quia sicut illa semper debetur homini excepto fortè summo senio, ubi corpus ex defectu humidi & calidi languescit, ita etiam semper & æquè perfecta conservari potest; status autem & vigor summus, qui homini in juventute & virilitate accidit, non nisi tum conservari potest, & ita quidem; ut ab illa semper aliquid decedat, quantum videlicet deperditur ab humido & calido, cæterisq; dispositionibus internis, &c.

Statum perfectum quid conservet.

DIFFICULTAS X.

An & quamdiu possit hæc constitutio ab homine conservari?

COincidit hæc difficultas cum ea, quã alibi quæsitum fuit, an vita humana per artem aliquam possit in æternum prorogari: Et quia de hac ex professo tum actum fuit, sic paucis, quod ad rem videbitur, præsentem quæstionem hic attingemus. Constat autem multos esse inter Medicos Chymicos, qui per vim alicujus panaceæ, spiritus Lunæ, essentiæ solis aut Magisterii restitutionem humidi virēq; durationem aliàs jam penè collapsæ non minus promittant, quam Aurifices ex lapide Philosophorum purum sincerumq; aurum vulgò promittere soleant; Et de his quid dicendum, aut quomodo iis credendum, brevibus hîc dicetur.

Suppono quæstionem esse de arte secundum

dum ſe ſpectata, & prout eſt in intellectu creato: Nam certum eſt poſſe Deum conſervarē hominem ſemper in eo ſtatu in quo eſt perfectiſſimus. Jam

DICO primò: Non poteſt naturaliter aut per artem humanam fieri, ut homo ſemper vel ad aliquod tempus notabile ultrà terminum à natura præſcriptum in ſtatu ſuo perfectiſſimo conſervetur. Probatur, per nullam artem naturalem poſſunt impediri qualitates primæ tangibiles, quæ ſunt principia hujus ſtatus deſtructiva, quo minus agant tum inter ſe, tum in humidum omneſque partes viventes corporis, eſto removeantur omnes cauſæ & injuriæ extrinſecæ, ergò nec poteſt conſervari corpus humanum in ſummo vigore ſuo, quia primæ qualitates, & imprimis calor naturalis, qui primas obtinet, agendo in humidum depaſcit illud tanquam commune vitæ ſubjectum.

Virtus qualitatum primarum an poſſit impediri.

Quod autem virtus ejuſmodi qualitatum non poſſit in agendo impediri, probatur, quia effectus earum formalis & primarius non poteſt cohiberi niſi per contrarium ſive formale ſive virtuale, quod non tantum efficientiam, ſed & naturam tollet contra ſenſum concluſionis: Nam frigus v. gr. non poteſt aliter prohibere, quominus calor calefaciat, niſi hunc deſtruat & corrumpat: Dixi ad aliquod tempus notabile, quia imprimis accidit ſæpè, ut homo longiſſimo tempore in optimo & perfectiſſimo ſtatu duret non tantum propter abundantiam humidi & præſtantiam naturalis temperamenti, ſed etiam quia nullis curis alijſque injurijs extrinſecis impetitur: Deinde eſto hoc tempus ſit notabile, non eſt tamen ultrà terminum à natura præſcriptum, quia hæc eſt quorundam hominum natura intrinſeca, ut naturaliter longius vitam protrahant, ſaniuſque toto vitæ ſuæ tempore degant. Tandem licet multa fieri poſſint opera ſpirituum, quorum virtus & efficacia nobis incognita eſt; nihilominus tamen ad notabile tempus non poſſunt impedire vim & ordinem communem agentium naturalium, quia ex ſe nihil poſſunt, niſi applicatione agentium naturalium.

DICES, Si Deus crearet plantam aut arborem perpetuò virentem, cujus fructus haberent vim conſervandi hominem in ſtatu ſuo & vigore perfectiſſimo, fructua hic naturaliter conſervaret hominem, quia virtus hujus fructus eſſet naturalis, ergò per vim aliquā naturalem conſervaretur homo in ſtatu ſuo perfecto. Quod autem Deus hujuſmodi fructum & plantam create poſſit, negabit nemo, cum id jam olim in paradiſo cum arbore vitæ feciſſe conſtet. Reſp. concedendo totum; quia non negatur Deum non poſſe aliquod agens producere, cujus virtus naturaliter ſemper conſervet hominem in ſuo vigore, ſed negatur id hominem aut intellectum creatum poſſe, eſto virtus hæc ſit naturalis; Nec male ſequitur, virtutem hujuſmodi fructus ſuperare virtutem humanam aut angelicam, quia Deum habet productorem non creaturam, in cujus etiam poteſtate operatur, quicquid operatur: Et eadem res fuit cum arbore vitæ ejuſque fructu.

Chymica an poſſint impedire naturam in agendo.

DICO 2. Nec tantum valent Chymicorum extracta, magiſteria, olea, ſpiritus eſſentiæ, panaceæ, ut poſſint concurſum naturæ in agendo remorari. Probatur ut ſupra, & confirmatur, quia omnia hujuſmodi vel nutrimēta vel medicamenta aut alterāt, aut movent, aut nutriunt & corroborant; ſed neutro horum modorum cōſervant vigorem hominis ultrâ terminum naturalem; ergò fruſtrà effinguntur. Nam imprimis non alterando, quia hoc ipſo corpus in alium ſtatum deducunt; & ſi frigus aut ſiccitatem producant, producunt qualitates mortis: ſi calorem intendant, faciunt, ut is validius depaſcat humidum; ſi conſervent, non cohibent ejus vim in agendo; ſi humorem augeant, is calorem ejusque efficaciam obtundet, &c. Nec etiam movendo, quia omnis motus intrinſecus eſt corpori periculoſus, intendit corruptionem, adeoque plus nocumenti affert quàm commodi, præſertim in vigore & ſtatu corporis perfecto, qui hic ſupponitur; Nec etiam nutriendo, quia imprimis hæ validæ & ut plurimum calidæ Medicinæ ad nutriendum ſunt inhabiles, & ſi nutriendo tantū præſtarent, plus adhuc præſtarent cibi & alimenta præſtantiſſima, quod tamen falſum eſt, & contrà cōmunem experientiā; Et eſto nutriant gignantq; ſanguinem & ſpiritum aliquem vitalem, qui uterq; in ſubſtantiam corporis tranſeat, quia nec ſpiritus hi ſufficiunt ad vigorem & ſtatum hominis conſervandum, ne novum humidum & calidum innatum, quamvis ſit ejuſdem bonitatis & præſtantiæ cum eo quod in primæva orgine partibus ingeneratum fuit; nec denique corroborando, quia quicquid per decoctionem & converſionem addunt, id fluxile eſt, & in auras facile diſſipatur.

Aurum potabile quid præſtet.

DICES, Sæpè per aurum potabile aliaſque Chymicorum medicinas conſervari vitam eorum, qui jam exhalaturi ſunt animam, in multos dies; ergo ſi id fieri poteſt viribus exhauſtis & in corpore morti jam proximo, multò magis fieri probabile eſt, ut videlicet vigor hominis ſaniſſimi tempore aliquo notabili conſervetur, & à cauſis etiam internis depaſcentibus præmuniatur. Reſp. hæc ſpecioſa eſſe Chymicorum dicteria, nemini niſi qui ſunt ſimilis farinæ probata; Quis enim bonus vir & rerum naturalium expertus credat, tantum ineſſe virium liquori aut cineri, quem in furno uſtulario indoctiſſimus aliquis Carbonarius excoquit, ut vel mortem è faucibus agoniſantis abigat, vel cordi tantum virium addat, ut relictis antiquis induvijs in virum denuò vel juvenem evadat? Scio quid aliquando in magnis deliquijs & animam quaſi agentibus præſtent res etiam leviſſime, ut aqua in faciem conſperſa, odor gratus, hauſtus vel aer frigidus, &c. ſed hæc vera ſunt non fucata, & non tam experientia quam ratione comprobata, quia mirè reducunt & recreant ſpiritus & vitalia corroborant; vera ſunt, quia agentia naturalia ſunt, quorum eſſe non ſuperat operari, & quorum vim agendi non excedit effectus; Vera ſunt quia commune eſt influxum ſpirituum vitalium aliquando deficere, & per efflatum aliquem benignioris auræ redire;

Secus

Secus illa quæ tum alii, tum Alex. Sedemontanus sub medicinæ pallio, Philosophiæ non probata, passim inspergit, ut quod lib. 1. non solum aquam aut succum promittat, quâ homines semper venusti, sani, robustiq; conserventur, sed & senectus ipsa impediatur, quæ omnia cùm mendacissima sint circulatorum præstigia, cachinnis potiùs quàm argumentis refutanda censentur: Nam si iis fides habeatur, poterit & haberi fabulis in quibus Medæa Aesonem recoquit, ut est apud Ovidium, vel Bacchi nutrices rejuvenescunt, ut est apud Aeschylum. Quod si Strozius Cicogna, p. 1. l. 4. c. 7. & ante eum Torquemada, & Petr. Maffeius multa de senum canis in meliorem formam mutatis, dentibus renatis, rugis oculorum atq; antiû abstersis, cæterisq; sensibus renovatis scribant, vel peculiaria Dei sunt opera, vel dæmonis fallaciæ, proindeque nihil naturæ præscribunt. Unde meritò Gal. lib. 6. de sanitate tuenda cap. 3. audaciam cujusdam explosit, qui vitam hominibus immortalem pollicebatur, quia tum ibi tum in aliis locis illius Tractatus cum Aristotele lib. 2. de gen. cap. 10. ostendit, cujusque viventis vitam habere determinatam durationis periodum, tandemque omnia viventia ad senium mortemque venire oportere, quod videlicet eorum corpora continenter exsiccentur, humorque & calor, quibus nititur vita, horis omnibus exhauriantur.

DIFFICULTAS XI.

An homini sit naturale ab hoc statu deflectere.

NOTA, nomen hoc naturale variè sumi posse; nam 1. potest opponi supernaturali; 2. violento; 3. Artificioso; 4. sumi potest pro eo, ad quod aliquid inclinat tanquam ad id, quod sibi perfectum est. 5. quod sequitur naturam rei. Deinde advertendum est, hunc recessum à vigore & statu vel habere respectum ad Materiam, vel ad formam & compositum. Jam

DICO 1. Si naturale sumatur, prout aut supernaturali aut artificiato opponitur, recessus à statu perfecto & ætate virili omninò naturalis est, sive habeatur respectus ad materiam, sive ad formas partiales; Ratio est; quia non tantum competit hic recessus & hæc alteratio materiæ secundum naturam, sed etiam formis partialibus. Nam materia commune est subjectum, quod per naturalem corruptionem indifferens est ad hanc aut illam formam suscipiendam: Deinde etiam formæ materiales ab intrinseco sunt corruptibiles, ut constat.

DICO 2. si naturale sumatur, prout res aliqua dicit inclinationem ad aliquid tanquam ad suam perfectionem, recessus ille non est naturalis respectu formæ aut compositi, quia utrumque ex se habet quandam propensionem ut se in statu optimo conservet, proinde ipsis omninò contrarium est & præternaturale deflectere ab eo quod est conveniens & tendere in viam corruptionis. Nam recessus ille ab ætate virili, in qua homo perfectissimus censetur, in senectutem fluxus est & tendentia ad corruptionem, quam toto conatu forma & compositum refugit. Quòd tamen ille recessus respectu materiæ non sit præternaturalis, hinc manifestum est, quia materia indifferens est ad quamcunque formam tanquam ad suam perfectionem, atque ita senectus aliæque affectiones corpori periculosæ & præternaturales censeatur.

DICO 3. Si naturale denique sumatur prout sequitur naturam intrinsecam, declinatio & recessus est naturalis tâ respectu materiæ quàm respectu formæ & compositi. De materia imprimis patet, quia tametsi illa sit ingenerabilis & incorruptibilis, ideò tamen dicitur pati alterationem & recessum à statu & constitutione perfectissima, quia est commune subjectum, in quo fiunt tot alterationes, generationes & corruptiones, totque formarû ejectiones & novarum introductiones. De forma & composito similiter manifestum est, quia omnes formæ mortales & omnia composita physica habent intrinsecam quandam potentiam & aptitudinem ad corruptionem, quo modo omnis mors & interitus est purè naturalis.

Materia quomodo alterabilis.

DICO 4. Quod si recessus à statu consistentiæ fiat à causis & injuriis extrinsecis, non est naturalis sed violentus. Probatur: Ideò dividitur mors in violentam & naturalem, quod hæc fiat à causis & principijs naturalibus & intrinsecis; illa autem ab extrinsecis & violentis; ergò etiam recessus & declinatio à statu consistentiæ erit naturalis, si fiat à causis naturalibus, & violentus, si à violentis, quia utrobique est par ratio. Et confirmatur, quia principia extrinseca, ut omnes affectiones morbosæ, aër malignus & inclementia Cœli, nimius calor solis & aëris, omnesque reliquæ injuriæ extrinsecùs accedentes non agunt ad exigentiam & debitum viventis ejusq; status connaturalis, ergò agunt violenter & præter naturam, proindeq; recessus à statu perfecto dicendus est violentus.

DIFFICULTAS XII.

An hic status reperiatur in omnibus solisque viventibus.

DE mixtis inanimatis, ut metallis, lapidib⁹; quæq; in visceribus terræ, aut etiam per artem perficiuntur & excoquuntur, dubium est; Et de his omnibus

DICO primò, in mixtis inanimatis, ut metallis, lapidibus, Unionibus, corallis &c. non requiritur status aut vigor summus, à quo rursum declinent. Probatur 1. mixta inanimata non corrumpuntur ab intrinseco sicut animata; ergò carent summo vigore; Probatur antecedens, quia res inanimatæ non egent calore depascente, non egent etiam nutritione,

nec accretione alijsque alterationib⁹, sed innato suo temperamento se multis seculis conservant, aut quousq; à causis extrinsecis dissolvantur. Probatur 2. mixta inanimata non habent quatuor tempora, quibus ad suam perfectionem ascendant, & denuò ad corruptionem descendant; ergo nec habent statum consistentiæ; Antecedens patet quia in mixtis nullæ reperiuntur actiones vitales, quibus solis hujusmodi perfectio acquiritur & rursum deperditur, ut patet, sed eo in statu permanent, in quo primū à causis naturalibus producuntur, ergò hic status & vigor, à quo naturalis fit recessus, fluxus, & tendentia ad corruptionem, non reperitur in rebus mixtis & inanimatis.

DICES 1. Videmus multas res inanimatas verè senescere, & vigorem illum, quem olim habuerant, amittere, tandemque etiam corrumpi & dissolvi, ergò. Resp. id in aliquibus verum esse, præsertim quæ non adeò sunt solidæ, nec bene perfecteq; mixtæ, ut sunt lapides & res terreæ, quæq; parū habent humidi pingvis, quod imperfectè cum substantia terrea coagmentatum est; Et hæc omnia facilè dissolvuntur & corrumpuntur ab extrinseco, unde etiam improprie & metaphoricè dicuntur senescere, quia non habent causam intrinsecam, per quam maturius & facilius non tendant ad interitum; Contra verò quorum coagmentatio & mixtio est perfectissima & solidissima; ut videmus in auro, crystallo, Adamante & aliis, quia in his omnib⁹ corruptio difficillimè inducitur ab extrinseco; & intrinsecus nullam habent causam dissolutionis, nisi materiam primam, quæ contrariarum qualitatum serie affecta commune est corruptionis subjectum.

DICES 2. Multa metalla, lapides, uniones, succi, &c. successu temporis magis magisque excoquuntur & perficiuntur donec veniant ad vigorem & statum suum perfectissimum; ergò hic status etiam in rebus inanimatis admittendus est. Resp. neg. consequentiam, quia quando metalla, lapides, uniones, &c. ad summam perfectionem deveniunt, in ea semper durabiles sunt, nec facilè ab ea unquam intrinsecus deficiunt propter carentiam caloris formalis & actionum vitalium: Neque fit eorum perfectio & concoctio, quæ successiva est, ab intrinseco, sed ab extrinseco, ut patet apud eos, qui ex professo de hujusmodi rerum inanimatarum productione scripserunt; vel certè, si fiant concurrentibus efficienter calore & frigore ipsis metallis & lapidibus intrinsecis, ita in generatione & productione ipsis commiscentur & coniunguntur, ut, cùm in statu naturali nullius sint effectus productivi, facilè etiam in multa secula perennent.

DICO 2. Vegetabilibus solis convenit hæc perfectio, antequam rursum deficiant; sub vegetabilibus etiam animalia & hominem, ut in quibus sunt actiones vegetativæ, intellige. Ratio hujus conclusionis est, quia sunt res quæ tendunt ad naturalem suam perfectionem nutritione, accretione, alijsque actionibus vegetabilibus, ad quam cum perveniunt, & in ea propter qualitatum tangibilium mutuas alterationes diutius persistere non possint, paulatim deficiunt, & propter defectum humidi non secus ac in animalibus corrumpuntur. Quo tempore autem quælibet arbor aut planta ad suam perfectionem deveniat, & quamdiu in ea persistat, non est facilè definire propter earum imperfectionem & multiplices species infimas; senescere tamen, valetudinem incurrere, interire & marcescere dicit Aristoteles lib. 1. de plantis, ubi ait in omni plantarū specie calorem esse & humorem naturalem, qui ubi absumtus fuerit (absumitur autem citius aqueus quā pinguis & gummosus) senescere & interire. De singularum itaque ætatibus & vita sive brevi sive longæva vide tum ipsum Aristotelem, tum alios, qui de plantis & arboribus scripserunt, ut Mizaldum, Plinium, Theophrastum; Card. Scalig. Gretserum in sua eruditissima disputatione, Anno 1591. de plantis edita, tum plerosque Recentiores, quorum omnium unanimis opinio est, plantas illas, quæ humido magis lento & viscoso constant minusque aqueo, diutius vivere, ut pinum, cedrum, oleam, palmam, quercum, &c.

Quænam plantæ aut arbores diutius durent.

DICO 3. Vigorem manifestissimum & statum perfectissimum à quo ad corruptionem deflectant, habent animalia, & inter ea perfectiss. homo; patet ex dictis, & ratio est, quia de horum singulis ætatibus & vitæ conditione maximè constat, minus autem de animalibus & præsertim de imperfectis, de quibus similiter videri potest Aristoteles in libris suis, quos accuratissimè de historia animalium inscripsit.

DIFFICULTAS XIII

Quem statum totius vitæ longius aut brevius decurrat homo.

QUidquid alij dividant, omninò videtur humanam vitam commodissimè in quatuor ætates distribui posse, ita ut prima comprehendat pueritiam & adolescentiam, 2. juventutem, 3. virilitatem, 4. denique senectutem, adeoque esse quatuor has ætates quatuor temporibus morborum & annorum proportionatas, ut patet ex lib. 1. disput. 10. difficul. ultima. Si itaque quæratur, quod tempus ex his quatuor ætatibus brevius aut longius immoretur homo, qui naturali morte extinguitur,

DICO primò, ætas prima, quæ adolescentiam & sub hac ortum, infantiam & pueritiam comprehendit, absolvitur ferè usque ad annum vigesimum; Dico ferè, quia terminus hic magnam habet latitudinem; Quod autem circa annum 20. terminetur, patet ex Hipp. qui lib. de carnibus hunc terminum usq; ad annum vigesimum primū extendit; Et ratiò est, quia intra hoc annorum spatium facultas nutriens propter vim caloris insiti firmior est ac vegetior; plusque alimenti versus omnem dimensionem reponit, quàm è corporis substantia decedat, adeoque membra in omnes partes funduntur & accrescunt, nisi tamen ob defectum alimen-

ti,

ti, affectû notabilem corporis similesq; causas aliud quidpiã accidat: nam videmus sæpè quosdã homines usq; ad hos annos & ultrà pygmæos manere, tum verò subito incrementum sumere, & in justam magnitudinem excrescere, nullam aliam ob causam, quàm quod vitium aliquod internam corpus toto tempore antecedente sustinuerit, ob quam virtus nutriens non potuerit membra extendere.

DICO 2. Ætas 2. sub qua Juventus est, extendit se communiter ad annum 25. Patet ex dictis & comuni sensu cùm Philosophorum, tum Medicorum; Confirmatur etiàm ratione, quia corpus suscipit omne incrementum intra hoc spatium, inest membris singulis maximum robur, incipitq; calor, qui hactenus aut sub copioso humido nonnihil fractus delituit, aut acrior & intensior factus igneos quasi spiritus in corde genuit, nonnihil ad quandam mediocritatem reduci, præsertim post annum 30. Hinc enim est, quod motus & actiones vehementissimas in juvenibus semper advertamus, quia propter igneum calorem & spiritus, quibus abundant, omnia cæco furore faciunt.

DICES, Aristoteles 3. de anima, cap 12. statim ad initium dividit totum vitæ decursum in 3. ætates: Ait enim, quidquid, ortum est habere accretionem, statum; & decretionem, id quod etiam Gal. lib. de optima constitutione c.4. docet; Et hanc cũ multis alijs sententiam sequuntur etiam Conn. 1. de gen. cap. 5. q. 14. a. 1. ubi accretionem, in qua omnes partes ad justam magnitudinem & consistentiã deveniunt, ad annum 25. extendunt; tum sequi floridam ætatem, in qua calore ad quandã mediocritatem temperato facultas nutriens velut consistentiam & statum ita obtineat, ut defluentis materiæ jacturam ex æquo resarciat; nec verò tum ossa, nervos, membranas, &c. ulterius protendi, sed incrementum omne cessare; Tandem succedere ætatem extremam, in qua arefacto corpore calor & virtus nutriens contabescat, ac minus, quã quod deperditum est, ex alimento restituat, donec tandem calore & humiditate, quæ eo usq; mutuas operas contulerant, omnino consumptis mors sequatur, nisi tamen eam ante casus aliquis aut morbus, uti ferè contingit, acceleraverit. Et ex his sequitur totum vitæ humanæ decursum non 4. sed 3. ætatibus & mutationibus comprehendi. Resp. parum est, sive 3. hominis ætates sive 4. metiaris. Nam si principium & augmentum cum Aristotele & alijs confundas, hujus utriusque decursum velut totum accretionis tempus ad annum 25. vel etiam ad 30. extendes, & in eo nihil aliud, nisi juveniles motus & mores deprehendes, reliquos verò annos usq; ad interitum ætati floridæ & senectuti dabis, si verò principium vel adolescentiam, & incrementum vel juventutem inter se distinxeris; idem re ipsa cum Aristotele & Galeno feceris, modo adolescentia suos & juventus suos habeat annos.

Ætates 3. vel 4.

DICO 3. Ætas constans & virilis ut plurimum viginti clauditur annis. Hæc conclusio rationem habet & experientiam; illam quidẽ, quia dum vivens secundum omnes partes justa debitâque & connaturali magnitudine excrevit, etiam calor humidumq; radicale per omnia membra ita diffusum est, ut nec ossa nec aliæ partes ulterius protendantur, omneque incrementum sistatur; atque ita in hac caloris moderatione constantia & status obtineatur, non propterea in pejus statim notabiliter ruit, sed ita sese aliquamdiu conservat, ut tantum per nutrimentum resarciat, quantum per intrinsecas causas deperditur: Et hoc docet experientia qua videbimus hominem multis annis quasi semper sibi æqualem, aut non multum in viribus, robore & vigore sensuum discrepantem in eodem statu aut eadem vitæ conditione versari, quousq; tandem successivè deficiat, aliquando citiùs, aliquando seriùs, prout juxta nativam constitutionem vel maturius vel rarius annos juventutis egreditur.

DICO 4. Omnium longissimè sese extendit senectus. Probatur, omne tempus vitæ post statum virilem debetur senectuti; sed hoc superat omnes reliquas ætates; ergò longissimè protenditur; major verissima est, minor probatur; quia senectus omnium judicio, imò communi experientia incipit post annum 50. Et esto non deficiat intellectus & facultas animalis, deficiũt tamen quidam sensuum externorum, deficit etiam robur membrorum & vigor totius corporis, extenditque se ad annum 80. & ultra, nisi violenter casus aliquis aut mors accidat: sed hoc tempus longius protenditur, quã adolescentia, Juventus, & status virilis, ergò. Quod autem senectus naturaliter in majus annorum spatium protendatur, videtur hæc ratio omninò convincere, quia imprimis viri senes sunt prudentes, mortisque timidi, ut proinde vitam moderatam agant; caveantque errores & excessus in victu cæterisque rebus non naturalibus, quas Juniores negligentiùs æstimant, ideoque sibi suoque statui magis indulgent: Deinde calorem intrinsecum habent mediocritate temperatum, qui non tam validè depascat humidum, quo absumpto mors & interitus, cum aliud de novo non substituatur; ex necessitate naturæ sequatur. Hæc tamen omnia non sint in rigore dicta; quia sæpè juxta subjectorum varietatem aliter atq; aliter se habent.

DICES, non conveniunt inter se 4. ætates hominis, & 4. anni tempora; ergò mala est divisio. Antecedens patet in virili ætate & senectute; quarum illa non correspondet autumno; qui frigidus est & siccus, nec hæc hyemi, quæ est frigida & humida, cũ senectus sit sicca & virilis ætas nec humida nec sicca, sed media &c. Resp; cum de sicco autumni & ætatis virilis, & rursum de humido hyemis & senectutis ratio dubitandi sit, etiam in sicco cõvenire imprimis ætatem virilem cum autumno; quia utrumque moderatum est; deinde etiam senectutem esse humidam, humido videlicet seroso & excrementitio ob defectum calidi, siccam verò quia absumptum est humidum radicale &c.

DIFFICULTAS XIV.

Quamdiu conservasset homo hunc statum extra reatum.

SEnsus quæstionis est, si primi nostri parentes non peccassent, sed mansissent in statu innocentiæ, in quo à Deo fuerant producti, quamdiu se conservassent in vigore & perfectione status virilis, esto fuissent mutabiles ex natura: Et hæc quæstio non tam concernit primos parentes quàm etiam eorum posteros, si mansissent innocentes.

Nota, primos parentes eorumque posteros considerari posse secundum se & in statu innocentiæ, vel quoad qualitatem aliquam eorpori corruptibili divinitus superadditam, Jam

DICO primò, si primi parentes secundum se considerentur, & ut constabant corporibus ex contrarijs elementorum qualitatibus coagmentatis, etiam extra reatum & in statu innocentiæ non conservassent vigorem & statum suum proportionaliter longius, quam nostris seculis & temporibus eum mortales conservant. Ita docent Theologi Sholastici; & ratio tota in hoc fundata est, quia primi parentes eorumque posteri etiam in statu innocentiæ natura sua erant mixta animata, quæ ex se propter contrariorum pugnas, & continuas actiones corruptioni subjacebant; ergò etiam in statu innocentiæ secundum se spectati erant mortales; & consequenter conservassent se in suo vigore proportionaliter, prout nunc mortales id facere solet. Dico proportionaliter, quia primi parentes, esto in statu innocentiæ interijssent morte naturali, longè diutius tamen retinuissent vigorem propter vitam & ætates in annos centenos etiam protractas, de quarum causis & principijs alibi satis.

DICO 2. Si primi parentes considerentur quoad qualitatem ipsis à Deo superadditam; conservassent suum vigorem & statum consistentiæ in æternum; Ita rursum docent ijdem Theologi cum Concilio Milevitano Can. 1. Et Tridentino sess. 5. cum Divo Augustino lib. 13. de Civ. Dei, cap. 20. & lib. 1. de peccator. merit. & remiss. & alijs. Probatur, primi parentes conditi fuerunt à Deo cum dono immortalitatis supra ipsorum naturam, ergò cum hoc dono si innocentiam retinuissent & non peccassent, fuissent immortales, & consequenter retinuissent suum vigorem in æternum. Nam ad senium non descendissent quia hoc fuisset contra donum immortalitatis; In infantia aut adolescentia etiam non mansissent, quia in se egissent mutuò qualitates patibiles; ergò in statu, qui debetur homini, dum est perfectissimus, id est, in vigore.

Quare primi parentes in statu innocentiæ essent immortales.

DICES 1. Ex dictis sequitur primos parentes fuisse mortales etiam cum dote illa & qualitate supernaturali, quia alias non fuisset opus comedere de fructu arboris vitæ, qui eos à senio & interitu liberasset, & ad statum virilem vel juventutis reduxisset. Resp. per dotē illam & qualitatem supernaturalem non intelligi ejusmodi qualitatem, per quam omninò fuissent incompatibiles & incorruptibiles, qualē constat Deum daturū corporibus gloriosis in cœlo post extremum judicium, sed capacitatem & habilitatē. quâ primi parentes ex e fu arboris vitæ sese à senio conservassent, vel certè in senio constituti reduxissent ad juventutem. Neque dices quævis viventia ex esu hujus arboris restituisse se juventuti non propter aliquod sui intrinsecum, sed præcisè propter virtutem illam arbori divinitus datam; ergò dos illa non fuit capacitas in corporibus primorum parentum reducendi se à senio ad juventutem, cum etiā id absque hac dote ex solo arbore esu obtinuissent: Nam respondetur, sufficere quod propter primos parentes Deus arborem illam produxerit & ex eorum facto reatu denuò desinere voluerit. Nam hæc fuit dos & qualitas nobilissima parentum, ut cū vellent & opus haberent, se per aliquod medium morti eriperent, quod non poterant, cum peccato obnoxii jam fuissent.

Dos immortalitatis.

DICES 2. Docent SS. Patres & cum ijs communiter Theologi, hominem, etiam si mansisset in statu innocentiæ, nihilominus non mansisse semper in paradiso, sed à Deo ad Cœlos immutato prius ejus corpore transumptum fuisse; ergò etiam in statu innocentiæ & cum dono immortalitatis non retinuisset semper vigorem & statum virilem. Resp. verum esse primos parentes in statu etiam innocentiæ non semper retinuisse statum seu vigorem, neque hic sensus elt conclusionis; semper tamen hunc ex esu arboris fuissent consecuti, ac proinde in hoc semper se conservassent: De transumptione ad cœlos opinio est SS. Patrum, si primi parentes retinuissent suam innocentiam, etiam tum ad Cœlos fuisse transumtos, sed non in alio statu quàm in perfectissimo, quia hic solus decebat cælestem gloriam.

In quo statu primi parentes fuissent transl[ati] ad cœlos.

Colligitur in hoc statu & vigore diurissimè conservatum fuisse Christum Servatorem nostrum, quia constabat nobilissimo & perfectissimò temperamento, quod non tam facilè à causis externis jacturam fecisset; incurrisset tamen mortem naturalem, & senium deficiente paulatim calido & humido, si vitam mortalem continuasset.

DIFFICULTAS XV.

In quo statu producti fuerint primi parentes.

NOn fuerunt primi parentes creati, quia fuerunt producti ex præjacente materia, Adamus quidem ex luto terræ, ut habetur Genes. 1. Eva autem ex costa Adami: Creati tamen impropriè dicuntur, quia producti fuerunt absque cōcursu causarum materialium, sed virtute soli Deo competente. Jam si quæratur, in quo statu fuerint producti, an in infantia, juventute vel senectute; æquè enim facilè erat Divinæ Majestati eos in uno quàm in altero statu producere.

DICO primò: Primi parentes non fuerunt producti in statu infantiæ; Probatur 1. quia immediatè post productionem fuerunt capaces congnoscendi bonum ac malum, quod non cōvenit infantiæ, ergò. 2. non decebat primos parentes aliquando infantes esse, ut quibus dabatur potestas & Dominium supra omnes Creaturas hujus terræ &c. ergò non fuerunt producti in hoc statu aut in hac ætate; Et eadem res est cum pueritia & adolescentia, quæ utraque ætas valdè imperfecta est.

DICO 2. Nec creati fuerunt primi parentes in statu senectutis; ratio prima est, quia non fuisset tantum contra Divinam Majestatem, sed etiam contra dignitatem & præstantiam naturæ humanæ primos parentes in tali statu & conditione corporis condere, qui imperfectus esset & jam ad corruptionem descenderet; 2. Non erat hic status pro administrando Imperio terræ, pro gignendis liberis & multiplicanda specie. 3. non potuissent tot annis naturaliter supervixisse, quot necessū erat eos vivere. 4. Denique, quia convenientissimum erat condere primos parentes in statu perfectissimo, qualis nec infantia fuit, nec senectus; Et hinc

Primi parentes fuerunt producti in statu virili.

DICO 3. Fuerunt producti primi parentes in ætate virili & perfecta: Est communis Theologorum hæc sententia, & probatur 1. producti sunt primi parentes in ea ætate in qua corpus solet esse perfectissimè constitutum; sed talis est juventus & virilitas; ergò. Hæc Minor est ex dictis certa; Probatur Major ex bonitate & Majestate Divina, quam non decebat producere hominem in aliquo defectuosum; tum ex reliquis circumstantijs, quia videlicet hæc ætas ad procreandam sobolem erat aptissima, conveniebat homini jam totum orbem dominanti, singulaque pro ratione & voluntate disponenti; Et hinc probatur 2. Dixit Deus primis parentibus jam noviter productis, crescite & multiplicamini; ergò in eo statu eos produxit, in quo crescere poterant, seque invicem multiplicare; quis enim inquit Salianus Infantulo id dixerit, qui nec præceptum intelligere possit nec exequi; confirmatur ex Pererio l. 4. num. 97. ubi existimat comparatione & proportione longitudinis vitæ, quæ longiorem pueritiam & adolescentiam requirebat, juvenilem illam ætatem, in qua conditus est, non ante annum 50. contingere potuisse, quos annos si placet ad illos 930. quos vixit, adjungere, inveniemus, inquit Salianus, eum plures annos suos quam ullum mortabum numerare potuisse.

In primis parentibus productū est simul corpus & anima.

DICO 4. In productione primorum parentum non productum est 1. corpus, tum anima, sed utrumque simul & semel. Ita docent omnes Theologi cum D. Thoma 1. p. q. 91. a. 4. ad 3. contra Platonem, Origenem & alios, qui absurdè putarunt omnes animas à principio fuisse conditas, tū suo tempore in certa corpora distribui. Ratio hujus conclusionis, quia Adamus eo instanti, quo productus fuit, erat totum suppositum constans corpore & anima, ergò primo instanti & simul & semel habuit corpus animæ unitum, quia utrumque est pars humanæ naturæ. Et hoc confirmat Gregorius Nyssenus lib. de homin. opific. cap. 28. ubi contra Origenem & alios disputabat; Nostra inquit tota in hac re est sententia, utrumque videlicet corpus & animam simul productum esse: Et hoc probat paulò post cap. 29. sed cum unus, inquit, & idem sit homo, qui corpore & anima constat, unum esse communeque tribuendum ei dicimus existendi principium, ne parte hac seipso prior, altera junior sit & posterior: Et mox, quocirca alterum alteri præponi non debere, quasi singularum partium in creatione, vel animus sit ante corpus conditus, vel è contra corpus ante animum, idque hanc potissimum ob causam, ne secum ipse dissidere videatur homo, tanquam diversas in partes divisus ob temporis & horum ortus discrimen. Hæc Nyssenus apud Salianum.

DIFFICULTAS XVI.

An vigor post morbum rediens sit idem numero vel specie cum priori.

SI contingat hominem in vigore & statu perfectissimo corporis constitutum incidere in morbum, à quo & temperamentum & sanitas notabiliter infringatur, redeat autem evicto morbo ad pristinam sanitatem & statum florentem, Quæritur an hic status idem sit, qui prior, antequam morbus invasisset.

Non est autem hic quæstio, an Deus absolutè possit eundem numero vigorem morbo deperditum producere, quia hoc fieri posse extra cōtroversiam est; sed sensus est, quisnam sit ille vigor post morbum ordine & lege naturæ rediens, an diversus à priori non tantùm numero, sed etiam specie.

DICO primò, vigor & status post evictum morbum rediens non est idem numero cum eo qui fuerat ante invasionem morbi: Ita docent Philosophi, & desumitur ab ijs quæ habentur apud Conn. 2. de gen. cap. 11. q. 1. a. 2. & 3. & probatur 1. Si status perfectus qui morbo deperditur, semel post morbum profligatum idem numero producatur, sequitur quod sæpiùs possit adhuc eundem modū reproduci; sed hoc falsū est, ergò & illud; Probatur sequela majoris, quia non est ratio, quare semel & nō centies id fiat. Prob. 2. Deus non decrevit sæpiùs concurrere ad effectū eundem cum causis secundis lege ordinaria: ergo non potest idem numero naturalis reproduci. 3. quilibet effectus singularis pendet ab eodē numero agente unà cum materia, tempore ac reliquis circumstantijs, quæ necessariò concurrunt ad ejus productionem; sed in reproductione status seu vigoris perfectissimi hęc deficiunt; ergò non potest hic idem numero reproduci; Hæc minor certa est, quia non est eadem causa, quæ ante morbum ad vigorem, & quæ post morbum ad eundem determinabat, ut videre est fusius in fine hujus libri disp. de corruptione, ubi quæritur an idem effectus semel corruptus bis possit reproduci.

Quare eadē res non possit separata produci.

DICO 2. Idem eſt ſpecie vigor & idem ſtatus perfectiſſimus humani corporis, qui à cauſis naturalibus poſt morbum evaneſcentem producitur. Eſt communiſſima hæc doctrina, nec ſunt qui auſint eam negare; Nihilominus tamen Probatur 1. idem ſpecie temperamentum remanet in homine poſt morbum abeuntem, eadem redit ſanitas & diſpoſitio corporis, eadem etiam ſunt organa quæ fuerant prius; ergò idem etiam vigor, qui eſt quædam qualitas ex temperamento, ſanitate & diſpoſitione corporis reſultans. 2. eædem ſunt utriuſque proprietates, ijdemque effectus; ergò ſunt ejuſdem ſpeciei. Nam adſunt operationes perfectiſſimæ, & corpus optimè ad ſanitatem ejuſque munia exercenda diſpoſitum; Deinde nihil reperitur in vigore poſt morbum quod non etiam reperiebatur prius. 3. ſtatus ſeu vigor in diſtinctis hominibus non deſtinguitur ſpecie; ergo multo minus in eodem homine ante & poſt morbum; Antecedens patet, quia vigor conſiſtit in perfectiſſima conſtitutione corporis humani, quæ ut ſic undique eſt æqualis & indiviſibilis. 4. Eodem modo conſtitutus eſt homo ante & poſt morbum, & habet ſe ad omnes functiones æqualiter; ergò ſtatus poſt morbum rediens eſt ejuſdem ſpeciei cum priori.

DICES 1. Juventus deſtinguitur ſpecie à vigore, ergò etiam vigor & ſtatus ante & poſt morbum. Reſp. quicquid ſit de Antecedente, negatur conſequentia, quia aliæ ſunt qualitates & alij qualitatum gradus ſive connexus, tum aliæ operationes in juventute; omnia autem ſunt eadem in utroque ſtatu; An tamen juventus diſtinguatur ſpecie a vigore & vigor à ſenectute, dubium eſt, quia aliàs etiam complexio & temperamentum juventutis diſtinguetenter ab ijs quæ ſunt ſenectutis contrà omnẽ doctrinam: Dicendum, tamen non eſſe eandem prorſus rationem cum temperamentorum & ætatum mutationibus, quia ætas non eſt idem quod temperamentum, eſto varietur juxta ejus variationem: Nam plus comprehendit ætas quam temperamentum, hoc videlicet tantum primarum qualitatum contemperationem & mixtionem, illa verò præter has etiam diverſum corporis ſtatum, habitum & figurationem, tum alias & longè diſtinctas animæ operationes.

DICES 2. Etiam hæc omnia reperiuntur in vigore ante & poſt morbum, v. gr. alius habitus, alia figuratio & organorum diſpoſitio, ergò deſtinguentur ſpecie. Reſp. neg. Antecedens, Quod ſi tamen alia compareat qualitatum contemperatio, aliuſque corporis totius habitus naturalis, jam ſtatum omninò mutatum eſſe cognoſcitur, vel minimum eo modo quo conſtat principium vigoris diſtare ab ejus fine. Nam certum eſt alium eſſe habitum corporis & alias organorum diſpoſitiones circa annum 30. quàm circa 50. ubi terminus eſt & finis vigoris, licet uterque terminus ad eundem ſtatum pertineat, ne opus ſit ad quamcunq; licet minimam immutationem corporis facere alias atque alias ætatum diviſiones.

DIFFICULTAS XVII.

An detur ſtatus in homine quoad magnitudinem.

Etiam legitima & connaturalis magnitudo ad perfectum ſtatum hominis requiritur; Et hinc quæritur, an homo, ſicut aliquando ſtatum & vigorem corporis perfectiſſimum, ita etiam debitam & juſtam omnium membrorum magnitudinem acquirat.

Suppono quatuor eſſe terminos quibus res naturales definiri ſoleant; duos ſcilicet magnitudinis, & duos parvitatis, de quibus vide lib 1. diſput. de augment. Diffic. 17. jam ſi quæratur; an homo ſemper habeat eum terminum magnitudinis, ultrà quem naturaliter non progreditur,

DICO primò, nulla res naturalis ſive animata ſive inanimata ſecundum ordinem univerſi poteſt eſſe quantæcunq; magnitudinis, ſed omnis habet ſuam limitatam. Probatur, vel corpus exiſtet extra cœlos, vel infra lunam; ſi primum, jam conſtat nullum ibi gigni poſſe niſi prius creet Deus novam materiam, vel certè illud ex machinis cœleſtibus coagmentet. Si ſecundum, nemo eſt qui neſciat quod omnia corpora ſublunaria ſint limitatæ magnitudinis, & quod ejusmodi corpus ex tota inferiorum corporum materia oporteat concreſcere.

DICO 2 Omnia viventia tam quoad generationem, quàm quoad conſervationem habent aliquem terminum ſuæ magnitudinis. Eſt hæc concluſio Ariſtotelis, 1. Phyſ. cap. 4. ubi docet neque ſtirpes neque animalia vel horum partes ſub quacunque magnitudine aut parvitate poſſe eſſe. Et hoc idem affirmat lib. 4. de gen. animal. cap. 4. & rurſum 2. de anima cap. 4. ubi habet, quod ignis quidem accretio in Infinitum poſſit progredi & eò uſque fieri quouſque aliquid ſit combuſtibile, eorum verò quæ naturâ conſtant, id eſt, quæ animam habent, eſſe finem tam magnitudinis quàm accretionis. Et confirmatur ab experientia: nam qui ſingulas rerum viventium ſpecies percurrit, videt ſingulas habere aliquem terminum ſuæ magnitudinis vel parvitatis, nec hominem unquam excreſcere ad magnitudinem montis, nec murem attingere magnitudinem equi, nec Elephantem exiguitatem paſſeris, &c.

Omnia viventia habent certum terminum ſuæ magnit.

DICO 3. quælibet ſpecies viventium quoad generationem habet certum & præfinitum terminum intrinſecum magnitudinis & parvitatis: Eſt communis doctrina Philoſophorum & intelligenda eſt hoc modo, quod in qualibet ſpecie terminus magnitudinis (idem de termino parvitatis intellige) ita ſit præſcriptus, ut nullum ſingulare illius ſpeciei gigni poſſit ſub quantitate quæ exuperet illum terminum magnitudinis, v. gr. ſi maxima quantitas, in qua homo generari poſſit, ſit duorum palmorum, & minima digiti unius, nullus ſuprà hanc aut in-

Omnes viventium ſpecies certũ habent certum terminum.

fra

fra illam gigni poterit, sed vel in alterutra harum vel intermedia producendus est, quia sicut non omnia individua ejusdem speciei ad eandem magnitudinem deveniunt, ita neque omnia in eadem magnitudine gignuntur. Probatur autem hæc conclusio ad eundem modum quo prior cōclusio probata fuit, quia videl. docet experientia in certa magnitudine gigni Elephantem, hominem, ursum, &c.

DICO 4. Res viventes quoad suam conservationem vendicant in sua constitutione naturali sibi certum & limitatum terminum magnitudinis, ultrà quem non progrediuntur. Adverte, eam quantitatem & magnitudinem humani competere rei viventi secundum naturalem dispositionem, quam potest habere beneficio & ministerio facultatis nutrientis rectè se habentis. Nam si ex collectione humoris noxij excrescat in ventre vel alibi tumor magnus; nec hunc viventi naturalem esse, nec vivens ipsi secundum naturam se habere dicendum est. Probatur jam Conclusio; quia sicut anima intrinsecus definitam essentiam & perfectionem habet, ita etiam vis nutricandi, quæ ab illa dimanat, certo præfixoque termino circumscripta est, unde poterit certa quantitas designari, ad quam vivens per potentiam nutrientem possit devenire & nō ad majorem. Eodem modō intelligi fieri cum parvitate, quia cùm anima sit actus corporis organici, adeoque ad vitæ functiones obeundas certa organa requirat, necessariò requiret quantitatem secundum parvitatem determinatam, sicut ipsa secundū neandem determinata est. Quod autem de partibus dissimilaribus & organicis rerum viventium idem dicendum sit, convincit ratio, quia horum quantitas coagmentatur ex partium quantitate; Et confirmat. Aristoteles lib. 1. Physicorum, cap. 4. ubi ait, nec os, nec carnem, nec aliud quicquam quacunque mole præditum esse.

DICES, 1. Vis nutritiva non terminatur in homine intrinsecè versus maximum, ergò neq; homo quoad conservationem in sua naturali constitutione intrinseco magnitudinis termino definietur. Antecedens probatur, quia vis nutriens aliquando hominem extrà statum naturæ congruentem educit, v. gr. cum ad gigantis molem & magnitudinem exerescit; ergo hæc moles, quæ est vitium errantis naturæ, est extra statum & dispositionem naturalem. Resp. 1. etiam dum homo in gigantis molem excrescit, non excedere terminos magnitudinis in sua specie, quod idem intellige, si pygmæus maneat: nam hæc quantitas debetur potentiæ nutritivæ. Et juxtà hanc responsionem gigantes aut pygmæi non proveniunt vitio naturæ, nec simpliciter monstra dicenda sunt. Sed quia multorum est opinio, Gigantes simpliciter monstra dicenda esse, adeoque existere extrà naturalem constitutionem speciei humanæ, sive extrà quantitatem competentem humanæ naturæ ordinatè se habenti, esto ea quantitas non excedat molem, in qua homo absolutè conservari possit, ideo respondetur 2. vim nutritivam bene & naturaliter constitutam nunquam hominem extra statum sibi suæque naturæ & speciei congruentem constituere; Contra verò si aliqua exsuperante & vitiosa qualitate utatur, quia tunc prætergreditur debitum & consuetum naturæ ordinem, atque ita interdum hominem ejusque membra extrà prædictos fines in immodicam & monstrosam quantitatem protrudit.

DICES 2. Constituatur homo in sua maxima quantitate, quæ ei naturaliter debetur, si sumpserit bonū & copiosum alimentum, quod calor vicerit & decoxerit, hoc in se converterit & majorem quantitatem acquiret, ergò tunc ultrà statū naturalem magnitudinis augebitur. Resp. suppositum hoc falsum esse; nam si homo ad justam magnitudinem devenerit, non convertet potentia nutritiva plus, nisi quantum ex alia parte vi caloris humidum cōtinenter absumentis effluxerit, ideoque non fiet ut corpus in molem maxima majorem excrescat.

DICES 3. Crocodilus dicitur nullum habere finem crescendi quamdiu vivit; ergò non habet certum terminum magnitudinis. Resp. Antecedens falsum esse, quia cum vita consistat in humido & calido, à quibus viventia augentur, necessarium est horum decrescentia Crocodilum mori, unde non crescet ante mortem, quia facultas concoctrix deficit, & non potest plus resarcire quam deffluat quia aliàs Crocodilus nunquam morte naturali succumberet; & tandem Crocodilum semper crescere, quid tum? habebit enim nihilominus finem suæ magnitudinis, quia videlicet habet terminum & finem vitæ: sed de his videque l. pr. d. 15. de accret. diffic. 10. dicta sunt.

DIFFICULTAS XVIII.

Quando vivens acquirat terminum justæ magnitudinis.

CUm hæc eadem lib. 1. disput. 15. de facultate augmentativa acta sint, ideò paucis hic non tam repetam, quam nonnulla quæ ad rem esse videntur, adjiciam; Dum itaque quæritur, quo tempore vivens hunc terminum magnitudinis acquirat, et an ab eo etiam aliquando deflectat,

Suppono 1. hominem primo quinquennio acquirere mediam magnitudinem, quam usq; ad statum consistentiæ acquirit, ut habet Aristoteles t. de gen. animal. cap. 18. quamvis alij id intra triennium fieri putent; 2. longitudinem corporis humani à vertice usque ad calcem sexies tantum habere quantum latitudo, quæ est ab uno latere ad aliud. 3. optimam proportionem staturæ corporis humani 4. cubitis vel 6. pedibus definiri. Jam

DICO primo, Non crescit homo tota vita, quam vivit naturaliter. Probatur 1. in sene-

ctute non augmentatur homo, sed decrescit; ergò non accrescit tota vita; Antecedens manifestum est, quia in senectute plus humidi consumitur quàm accedat, ergò. Probatur 2. quando partes ita obdurescunt & exsiccantur, utamplius extendi non possint, nulla fit accretio; sed hoc constat fieri in senectute, ergò in ea non accrescit homo, & consequenter nec tota vita. Dixi, quam vivit naturaliter, quia fieri potest ut ante senectutem extremam violenter homo moriatur, adeoque tota vita, qua nutritur, simul etiam augeatur, cum videlicet partes adhuc aptitudinem & extensionem localem habent.

DICES 1. Nutritur homo tota vita, ergò etiam augmentatur, quia non potest esse nutritio absque accretione & materiæ adglutinatione. Resp. si per augmentationem intelligatur materiæ tantum adglutinatio, verum est hanc fieri tota vita, & consequenter etiam in extremo senio; Si verò intelligatur plus accedere materiæ quam deperdatur, falsum est, quia videmus in senibus si non solidas saltem humidas ac carneas partes deficere; Et quamvis hoc idem in alijs quoque fiat ætatibus, id tamen à calore nimis acri, tum alijs causarum violentijs & incursibus fieri credendum est citra corporis inhabilitatem.

DICES 2. Si homo deficit in senectute, humidique plus consumitur quàm adglutinatur, ergò toto corpore decrescit, fitque minor contra experientiam. Resp. neg. consequentiam, quia deficit & decrescit quoad partes humidas & carneas, verum est; quoad solidas & spermaticas, falsum.

DICO 2. Capit homo & quodvis vivens suum incrementum usque ad ætatem consistentiæ, id est, usque ad juventutem, ejusque aliquando principium, aliquando medium & finem. Patet hoc inprimis experientia, quæ docet huc usq; partes in hominib' extendi. Accedit quod tamdiu homo crescat & quodlibet vivens, quàdiu temperamentum est calidum & humidum, partesq; omnes ita molles ut extendi sufficienter possint, id quod toto juventutis decursu fieri consuevit, unde etiam hæc ætas florida nuncupatur. Denique cum vivens certum & limitatum suæ magnitudinis terminum habeat, & ad hunc ab intrinseco deducatur, necessum est id fieri circa id tempus ubi natura vegetior adhuc sit & vim in corpus extendendum habeat.

DICES, homo ut plurimum ultra hunc terminum fit pinguior, ergò crescit. Resp. neg. consequentiam, quia nemo dicitur propriè crescere nisi in longitudinem augeatur, quod fieri non potest nisi ossa quoque sumant incrementum, id est, usque ad ætatem consistentiæ. Quod autem ut plurimum homines post exactos excrescentiæ annos pinguescant, & ad latera extendantur, id referendum est in calorem benignum & moderatum, tum sanguinem & humorem aereum pingvem partibus carneis adglutinandum.

DICO 3. Nunquam homo deficit, postquam justam acquisivit magnitudinem, intellige defectum quoad partes solidas, in quarum extensione consistit magnitudo. Est experientiæ, quia in ea longitudine moritur homo, quam semel acquisivit; Et ratio hujus est, quia partes spermaticæ, ut sunt ossa, nervi, ligamenta, venæ, &c. & in quotum extensione est magnitudo viventis, ita solidæ sunt & induratæ, ut nunquam per calorem ad aliquem notabilem defectum consumantur, sicut fieri solet in partibus carnosis & sangvineis, quæ sicut in juventute facilè à calore consumuntur, ita etiam in senio ob defectum novæ materiæ alimentosæ deficiunt. Sed de his vide lib. 1. Disput. 15. de incremento corporis humani.

Unde pinguescant homines.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Sanitate.

HÆc prima & optima est affectio corporis humani naturaliter constituti, adeò communis & necessaria; ut illud vel inter reliquas vitæ felicitates speciosius attollat, vel inter fatales insidias turpius deprimat; Animatus namque mortalium homo nescit mortalitatem, dum salubri membrorum compage & delectabili qualitatum harmonia fruitur, corruptibilitatem verò & naturæ suæ fragilitatem sentit; ubi morborum tristi impetu conculcari & à felicissimo sanitatis statu ad interitum incipit deflectere: Hoc nimirum est immutabile decretum Dei, ut omnis caro morti subijciatur & severissimam simulque justissimam divinæ majestatis legem non evadat, quisquis primorum parentum sapit originem. Ortus est hacten' homo è vilissimis principijs, animatus autem & in vitam datus à forma longè nobilissima, quam æternus Conditor ex omnipotenti suæ divinitatis penu deprompsit, & in ejus formatum corpus non secus ac olim in protoplastum inspiravit; Et ortus non tantum intra matris viscera, sed natus, etiam augmentatus, omnibusque dotibus absolutissimus non ita pridem in scenam prodijt, nescius cor-

fortè[que] quæ sub amico sydere fata laterent, & an post incrementa tam pulchra tamque favorabilia interitus ultimique cineres sequerentur. Verum antequam ad ipsa descendatur quæ ad corruptionem faciunt, videndum prius est, quid sit sanitas gratissima corporis naturaliter constituti affectio; Nam qui sanitatem nescit, nec morbi, qui illius est hostis infensissimus, cogitationem habere necessũ est; Et si pulchrũ est & utile homini sentire sanitatem, et jucundũ erit scire, quibus principijs innitatur, & quibus ex causis tam nobilis thesaurus deperdatur, qui cum ex natura sua perennis non sit, sed fluxilis & periturus, facit quotidiè meminisse, quod labilis sit vita nostra, & quod miser sit status humanæ conditionis, quem etiam aliquando vix crastinum experiamur. Ut itaque post absolutum & perfectum hominis statum pauca quædam de sanitate dicantur, sit

DIFFICULTAS I.

An homini in statu perfecto debeatur sanitas ex lege naturæ.

Sistitur hic animal, & imprimis animalium perfectissimus homo, qui non ita pridem ad statum perfectum & absolutum emersit, & jam denuò vix paucis annis duraturus viam & tendentiam ad interitum meditatur. Sequitur itaq; ante omnia sanitas, ut constet aliquando hominem fuisse beatum antequam senserit mortalitatem, & ut quisq; sciat nihil homini magis decere cum perfectus est, quam sanitatem, de qua proinde quæritur, an & quomodo debeatur homini, an jure necessitatis vel naturæ.

Suppono primò sanitatem non esse idem cum vigore seu statu perfecto, quia vigor resultat ex certa & determinata temperie corporis & peculiari membrorum constitutione; sanitas autem ex quacunq; dispositione naturali; Et hinc sanitas non tantum juventuti & senectuti sed etiam vigori debetur, in quantum, videl. is naturaliter se habet, vigor autem non nisi paucis medijsque totius decursus vitæ annis.

Suppono 2. Non esse hic quæstionem, an sanitas debeatur homini ut est rationalis, quia hoc modo cõstat materiâ & formâ intellectivâ; nec ut est integrum suppositum, quia hoc constituitur etiam per formam & materiam unitas; nec ut est corpus mixtum aut vivens, quia ut sic homo constituitur in esse mixti & viventis etiam dum morbosus existit. Hinc

DICO primò, Non debetur homini ut sic sanitas jure necessitatis. Ratio est, quia etiam ille qui morbidus est, homo manet, quod tamen falsum esset si necessitas involveretur; nam morbus etiam minimus tolleret existentiam hominis; Deinde sanitas non est talis affectio aut homo tale suppositum; ut vel illa non possit in gradu remisso se compati cum suo contrario, vel hic existere cum dispositione aliqua præternaturali, quia hæc latitudinem habet in agendo, & ille suam in patiendo & resistendo.

DICO 2. Homini ut constat partibus heterogeneis & multiplici organorum apparatu, adeoque non tantum in statu perfecto, sed etiam in connaturali positus est, ad eliciendas operationes vitales, debetur sanitas ex lege naturæ & necessitatis. Probatur 1. homini lege naturæ debetur id quod est optimum; sed optimum & felicissimum est hominem esse sanum, ergo sanitas debetur ipsi lege naturæ. 2. id quod pertinet ad integritatem & perfectionem corporis animati ejusque statum perfectum, pertinet etiam ad ipsum animal ex debito; sed ita se habet sanitas, ergò jure naturæ debetur animali vel homini. 3. sanitas apud omnes cum Philosophos tum Medicos dicitur affectus secundum naturam, ergò convenit homini naturaliter. 4. formam in materia sequuntur naturaliter ea quæ ad complementum & perfectionem totius suppositi spectant; sed inter hoc potissimum est sanitas, ergò. 5. Ut homo perfectè & laudabiliter eliciat operationes vitales; oportet ut sit sanus, ergò sanitas debetur ei jure necessitatis. Accidit ultimo auctoritas Aristotelis qui lib. 1. rhet. c. 7. vocat sanitatem virtutem corporis, & rem præstantissimam lib. 1. Ethic. ad Eudem. intellige corporis naturaliter constituti.

DICES primo: Sunt homines qui tota vita sunt morbidi, ergò falsum est quod sanitas debeatur homini lege naturæ. Resp. neg. conseq. quia status morbidus est homini præternaturalis; Deinde sanitas debetur homini naturaliter in ordine ad benè operandum, seu quatenus in statu perfecto is positus est.

DICES 2. Etiam homo in extremo senio positus est in suo statu naturali, & tamen sanitas non convenit ei naturaliter, ergo falsum est quod homini juxta constitutionem naturalem corporis debeatur sanitas jure naturæ. Resp. sanitas in extremo senio est homini ut sic, non absolutè naturalis, sed tantum homini seni. Deinde homo in extrema senectute constitutus ex multorum judicio est morbosus, tantumque à statu & conditione naturali recessit, quantum ex viribus calore & humido radicali actionumque vitalium exercitio deperdidit.

DICES 3. Sanitas est accidens, ergò non debetur homini juxta exigentiam & debitum. Resp. accidentia esse varia; Nam quædam sunt perfectiva ut potentiæ & proprietates; quædam corruptiva ut morbus; quædam generantur cum supposito ut complexio; quædam superveniunt ut color, cicatrix &c. sanitas itaque refertur ad accidens perfectivum, quia juvat suppositum in eliciendis operationibus & proinde negatur consequentia, quia producitur simul cum forma seu composito.

DI-

DICES 4. Ea tantum debentur homini lege naturæ, quæ sunt ipsius proprietates; sed sanitas non est proprietas animalis, ergò. Respond. neg. imprimis majorem, quia multa debentur homini secundum naturam, licet non sint proprietates, ut nutritio, accretio, complexio cholerica, quæ jure naturæ debentur homini, & tamen non sunt ipsius, imò nec absolutè corporis proprietates: similiter negatur minor, quia potest sanitas dici proprietas hominis, si non in ordine ad ejus essentiam, saltem in ordine ad operationes naturales & vitales; Nam animal non potest absque sanitate perfectè vitaliter operari & laudabiliter administrare omnes suas operationes.

DICES 5. Corpus neutrum non debetur animali secundum naturam; sed sub corpore neutro continetur etiam sanitas, ergò nec hæc est animali naturalis. Resp. 1. neg. min. quia sermo est de sanitate perfecta vel minimùm de tali, ubi actiones sive functiones non læduntur manifestè. 2. Respond. nec talem sanitatem quæ sub corpore neutro continetur, esse animali naturalem, proinde conceditur totùm: Nam animali secundùm naturam & in statu naturali constituto debetur perfectissima primarum qualitatum contemperatio, & consequenter sanitas absoluta, non autem qualis sub constitutione neutra comprehenditur, quia licet in hac non lædantur manifestè operationes, non est tamen corpori omninò naturalis, sed à statu perfecto nonnihil jam defecit.

DIFFICULTAS II.

An sanitas sit qualitas & cujus speciei.

QUomodo definienda sit sanitas, infrà dicetur; hic tantùm quæritur, an sit qualitas & cujus ordinis seu speciei.

DICO 1. Sanitas est vera & propriè dicenda qualitas. Probatur 1. morbus est qualitas, ut patet apud Medicos ex Gal. 1. de medic rat. c. 7. ergò & sanitas quæ morbo opponitur. 2. Sanitas suscipit magis & minus. 3. A sanitate denominatur & dicitur homo sanus. 4. Sanitas dicit temperiem quandã ad justitiam seu permistionem & proportionem qualitatum singulis viventib. secundum suam speciem & naturam cõvenientem, quę sit aptum principium operandi ea quæ sunt animæ vegetantis & ad vitam spectant; sed hæc temperies est qualitas, ergò & sanitas; plura patebunt ex definitione inferius danda.

Sanitas est qualitas complexa.

DICO 2. Sanitas non est una simplex qualitas. Probatur 1. sanitas consistit in concursu caloris & frigoris cum quadam mediocritate primarũ qualitatum, ergò non potest esse qualitas simplex. 2. si sanitas esset una simplex qualitas, sequeretur quod esset intensissima, quia non haberet sibi aliam permixtam; sed hoc falsum esse docet experientia, ergò. 3. animal ideò est corruptibile, quia habet 4. contrarias & inter se pugnantes qualitates; sed si sanitas esset una simplex qualitas, aut consisteret in qualitate simplici, non haberet animal illas contrarias qualitates, & consequenter non esset corruptibile, quia non haberet in se principia corruptionis, eadem autem qualitas non est sibi contraria nec agit in seipsam.

DICES, Si sanitas tantùm consisteret in debita primarum qualitatum harmonia, sequeretur, quod qui laborat calculo, obstructione &c. dici posset sanus, quia nullum patitur excessum aut defectũ in primis qualitatibus; sed hoc falsũ est, ergo & illud. Resp. 1. quãdo dicitur sanitatem consistere in bona qualitatũ temperie intelligenda est sanitas partium similarium ut sic, & hoc ex sententia medicorum, qui in his partibus solam temperiem considerant. 2. negatur sequel. majoris, quia sanitas non tantum consistit in temperie primarum qualitatum, sed etiam in bona habitudine aliarum dispositionum, quæ ad eliciendas operationes spectant. 3. bona & debita qualitatum temperies non potest adæquatè reperiri nisi in corpore benè formato, & cujus partes omnes in situ, numero, magnitudine, cavitate & connexione sunt laudabiliter constitutæ.

Sanitas ad quam speciem qualitatis spectet.

DICO 3. Sanitas revocari potest ad diversas qualitatum species. Probatur inductione; Nam imprimis pertinet ad habitum, quatenus est affectus corporis permanens & non facilè mobilis; ad dispositionem verò, quatenus per modum causæ vel conditionis necessariò requisitæ animal suas functiones & operationes optimè administrat. Ad potentiam naturalem non spectat, quia hæc supponit sanitatem & est quid eam consequens, imò etiam ablatâ sanitate permanet, ut patet in cæco qui semper habet potentiam videndi. Pertinet tamen ad tertiam speciem, quia consistit sanitas in optima contemperatione primarum qualitatum, intenditur, habet contrarium &c. Sed & ad figuram revocari potest, quia sicut in bona temperie, ita etiam in debitâ formatione, partiumque unitate consistit.

DICO 4. Sanitas in suâ natura nihil habet positivi superadditum laudabili 4. primarum qualitatum harmonię totique partium naturali conformationi; sed est ipsa qualitatum & humorum connaturalis complexio & tota corporis in conformatione, compositione, situ, ordine, connexione, numero, magnitudine &c. laudabilis constitutio; quod idem de morbo in contrarium intellige. Quod sanitas sit qualitas positiva, patet ex conclusione 1. & rursum ex 2. quod ad diversas species qualitatum revocetur: Quod autem non sit qualitas distincta à temperie primarum qualitatum cæterâq; conformi constitutione corporis, constat ex definitione infrà dicenda, quia nihil aliud est, quam ipsa naturalis constitutio corporis tã quoad legitimam partium compositionem, quam quoad justam qualitatum contemperationem &c. quod confirmatur exemplo decoris v. g. faciei, qui ante omnẽ operationem intellectus est aliquid reale, nõ tamen nova qualitas resultans

vel

vel superaddita partib. faciei ritè deceterq; dispositis, sed ipsa partium in colore & figura concinna dispositio; et hoc idem de morbo intellige, qui similiter nihil est aliud quàm depravata partiũ constitutio, sive vitiosa qualitatũ temperatio, ut patet in febre, quę morbus est, ipsissim' a. calor p.n. in corde accensus, & non qualitas aliqua inde resultans; Ex hoc idem intellige de mala conformatione & solutione continui, quę utraque ipse morbus est & nihil inde resultans, quia sunt velut modi & formalitates corporis; quæ non indigent aliquo superaddito.

DICES, Sanitas est legitima constitutio corporis, ut seq. difficultate dicetur, sed hæc non est ipsa temperies bona &c. ergò nec sanitas, prob. minor, quia constitutio sequitur temperiem & laudabilem formationẽ corporis à quibus resultat, ergò & sanitas. Et confirm. exemplo temperamenti quod resultat ex 4. primis qualitatibus, & à quo etiam resultant aliæ qualitates, utrinq; verò par est ratió. R. neg. absolutè minorem, quia in bona temperie cæterisq; legitima corporis formatione & partiũ unitate consistit formalis ratio sanitatis debitæque constitutionis corporis. Et hoc in contrarium de Intemperie &c. intellige. Exemplum & similitudo de temperamento allata claudicat, quia imprimis ante omnem operationem intellectus distinctum est totum à suis partibus separatim sumptis, contrà verò idem est, neq; ex ijs resultat; Deinde qualitates virtuales oriuntur cum secundis à primis eo modo qui paulò post patebit, at differunt ab illis tàm in modo essendi quam operandi. Qui tamen voluerit entia multiplicare sine necessitate, & pertinacius tueri, sanitatem esse quid consequens dispositionem sive constitutionem corporis, minus errabit, quàm qui eam animali benè operanti negat, aut qui de vulnere, luxatione, febre ardente, tumorib. præternaturalibus, calculi, obstructionibus &c. idem dicit; Hi enim omnes affectus sunt ipsa corporis mala constitutio, & nequaquam aliquid resultans.

DIFFICULTAS III.

Quomodo definienda sit sanitas.

QUando temperatio primarum qualitatum omnisque constitutio aut dispositio partium in animali talis est, ut functiones omnes secundum naturam fiant, tunc animal sanum æstimandum est aliquando secundum partem, si temperatio sit particularis, aliquando secundum totum & adæquatè, si temperatio sit totius. Nam si animal juxta partis alicujus bonã temperiem laudabiliter operetur, ea pars dicenda est sana, quia ex functionibus naturalibus sanitas desumitur ex Gal. in constit. artis medic. c. 7. & l. 1. de san. tuenda.

Sunt autem plurimæ hinc inde apud Medicos & Philosophos partim definitiones, partim descriptiones sanitatis, ut incertum sit quæ inter omnes sit eligenda. Nam Hipp. l. de nat. hominis dicit, sanitatem esse elementorum & humorum mediocritatem. Arist. s. 1. prob. 3. dicit sanitatem esse mediocritatem quandam & l. 7. Physi. c. 3. ait esse calidorũ & humidorum commensurationem. Gal. l. 1. de sympt. diff. c. 1. definit sanitatem esse affectum quendam secundum naturam functionis authorem. l. de diff. morb. c. 2. vult esse naturalem constitutionem omniũ partiũ corporis: l. de atra bile c. 5. & l. 5. de Hip. & plat. decretis c. 2. & 3. esse moderationem quandam & symmetriam qualitatum. Conn. 2. de gen. c. 8. q. 1. a. 1. dicunt esse affectum secundum naturam. Senn. suarum Instit. medic. l. 1. c. 3. de sanitate ait, hanc esse potentiam exercendi actiones naturales, à partium omnium naturali constitutione provenientem. Alij volunt esse integritatem omnium partium in corpore vivente, & hanc integritatem consistere partim in debita temperie, partim in bona conformatione & continuitate membrorũ &c. Nam tot modis sanum est corpus, quot modis est vitiosum; videlicet, bona temperie, cui respondet intemperies, bona cõformatione, cui adversatur vitiosa membrorum constitutio; & continuata denique unione, cui opponitur soluta, facitque morbosum corpus. Jam.

Sanitas an sit potentia operandi vitalis.

DICO, Sanitas est affectus secundum naturam, ita sentiunt communiter medici & philosophi, inter quos sunt Conn. citati. Dicitur primò affectus, id est, qualitas, à qua animal dicitur sanum; Ut autem sanitatis natura propriè cognoscatur, & in quo præcisè consistat, distinguenda sunt 4. in quib. affectus continetur duplex, quorũ alter sanitas est, alter sanitatem sequitur: primum enim est quod secundum naturam afficit corpora nostra, ut est causa omnia naturalis, alterum affectus ipse ex hac causa profectus, ut sanitas; tertium est operatio, quæ à corpore ita affecto proficiscitur, ut actiones omnes naturales: quartum denique affectus hujusmodi operationem comitãs, ut accidens sanitati adjunctum, v. gr. color vividus, habitus toto corpore gratiosus &c. Dicitur 2. secundum naturam, id est, juxta debitam & connaturalem exigentiam corporis, quod integritatem omnium partium appetit, ut benè & congruè operaretur. Itaque sanitas nõn cõsistit in actu & operatione, sed ut Gal. in arte ad Thrasybul. interpretatur, in habitu & affectu corporis permanente, qui sit veluti fundamentũ & principium operandi, vel id quod actiones primo & per se efficit, ut habet Plemb. suarum instit. l. 4. c. 1. sect. 1. unde etiam potius habitu quàm operatione definienda est, ut apparet ex Gal. l. 1. m. m. ubi multis contrà methodicos disputat, an in affectu corporis, an verò in actione sanitatis propria notio consistat.

Sanitas quid.

Sanitas consistit in habitu permanente, non in operatione.

DIFFICULTAS IV.

An ad omnes actiones exercendas requiratur sanitas.

DIco primo ad actiones naturales seu vegetantes, cujusmodi sunt nutritio, accretio &c. requiritur sanitas. Ratio est; quia ab

hac

hac effectivè administrantur omnes actiones quæ sunt animæ vegetantis, ergò ut homo sive animal laudabiliter nutriatur, augmentetur, &c. necessum est ut sit sanum, id est, ut habeat debitum temperamentum cum omnium membrorum optima compositione conjunctum.

DICES, etiam nutriri & augmentari ægros, imo aliquando plus quam qui sani sunt, ergò nō requiritur sanitas absoluta ad actus vegetantes. Resp. neg. conseq. Nam imprimis eliciuntur hi actus in ęgris etiam corporib. & quamdiu anima pręsens est & informat; Deinde pręter nutritionem & accretionem sunt plures actus animæ vegetantis quæ naturalem corporis constitutionem desiderant, ut degestio ciborum, Confectio sanguinis, attractio alimenti, secretio humorum, concoctio spirituum vitalium &c. qui omnes ægrè & imperfectè in ægris corporibus, laudabiliter autem & perfectè, de quo sermo hic est, in sanis administrantur: Quod aliqui præsertim adolescentes & juvenes in febrib. non rarò videantur plus quam in statu sano augmentari, extensio potius est, quę fit in ossium articulationibus, quàm vera accretio, quæ immediate nutritionem sequitur. *Vnde quidā in febribus [illegible].*

DICO 2. Etiam ad operationes animæ sensitivæ requiritur sanitas, licet non æquè semper. Ratio est, quia omnes hi actus postulant integritatem organorum sensitivorum, ergò sanitatem quæ nequit esse absque naturali constitutione eorum: quod patet experientiâ in oculo, quia cum primum hic aliquo vitio laborat, jam visus deficit; similiter quando cerebrum vel inflammatur, vel nimijs humoribus oppletur, sensus communis patitur, & corrumpitur aliquando phantasia, aliquando memoria, aliquando alius sensus. Dixi tamen, non æque semper, quia aliquando toto corpore ægrotante viget unus vel alter sensuum, v. gr. visus, auditus, memoria &c. prout vel magis vel minus cæteris partibus consentiunt totiusque malum sustinent.

DICO 3. Etiam homini intelligenti convenit sanitas. Ratio, quia operationes animæ intelligentis, ut intellectio & volitio, non possunt benè & perfectè administrari nisi in corpore sano, ergo etiam sanitas convenit homini intelligenti. Intellige tamen non absolutè sed in ordine ad perfectè operandum; Quamvis enim omnes actiones administrentur in homine dum morbosus est, id tamen non fit ea integritate, qua in statu sano & perfecto.

DICES, Intellectio & volitio sunt potentiæ inorganicæ, & exercentur etiam in separatione animæ à corpore, ergò sanitas non convenit homini præcisè intelligenti. Resp. neg. conseq. quia ut intellectio & volitio eliciantur ab homine in hoc statu, necessarius est sensus communis ejusque naturalis constitutio; Quare licet intellectio per se non dependeat à corpore, quia tamen dum huic conjuncta est, non potest fieri absque sensu communi & phantasmate sic etiam convenit, ut homo qua intelligens sit particeps sanitatis.

DICO 4. Non semper quælibet facultas ad quemcunque morbum patitur, neque dum actiones v. gr. vegetantes læduntur, etiam læduntur vitales, motrices, sentientes &c. Ratio est quia non est tanta cujusvis affectus efficacia, ut omnia organa & eorum potentias afficiat præsertim si non sit universalis; nec etiam est tantus inter omnes facultates consensus tantaq; connexio, ut unâ depravatâ necessariò omnes reliquę corrūpantur, ergò non semper quævis ad quemlibet morbū patitur. Antecedens patet inductione; qui enim calculo v. gr. obstructione, hydrope, exulceratione pulmonum, ruptura &c. laborant, non destituūtur visu, gustu aut sensu communi, retinent appetitum, vigent intellectu &c. quia videl. non habent peculiarem consensum cum ijs organis in quibus fit visus, gustus &c. nec ea est vis bujusmodi morborum, ut omnes aut præcipuas partes corporis afficiant: In ijs itaque partibus corrumpitur sanitas vitianturq; actiones, in quibus accidit consensus cum ea parte, quæ malè affecta est. vel certè si morbus sit universalis aut tantæ efficaciæ ut totum corpus, adeoq; omnes & singulas partes vel minimùm vitæ principium afficiat. *Non laduntur omnes semper actiones ad quē cunq; morbum.* [illegible]

DIFFICULTAS V.

Quodnam sit subjectum sanitatis.

SUppono primò, aliud esse subjectum denominationis & aliud inhæsionis. 2. varias esse partium divisiones in animalibus ut patet ex l. 1. disput. 4. & de his omnibus si quæratur an & quomodo insit sanitas,

DICO primò, subjectum denominationis est totus homo & totum animal, imo & partes seperatim sumptæ. Probatur 1. sanitas nō debetur soli formæ aut soli materiæ, sed utriq; conjunctæ, id est toti composito, ergò hoc est subjectum denominativum sanitatis; Antecedens patet, quia sanitas prædicatur de toto, v. gr. homo est sanus, &c. Deinde principia sanitatis, ut sunt complexio, temperamentum, organorum laudabilis apparatus &c. non competunt soli formæ aut materiæ, ergò nec sanitas. Probatur secundū, quia eadem est ratio denominationis in parte, quæ est in toto, ergò sicut totum denominatur sanū, ita & pars, quod confirmatur ex doctrina & communi modo loquendi apud Medicos, qui norunt ex cognitione morborum & symptomatum, quæ viscera sint sana, & quæ morbosa.

DICO 2. Subjectum inhæsionis non sunt partes inanimatæ, ut sunt sangvis, humores, spiritus, adeps. &c. Probatur 1. in partibus inanimatis nullæ fiunt operationes vitales, imo non potest anima in ijs exercere actum vitalem quia non informat eas, ergò non possunt esse subjectum inhæsivum sanitatis. 2. partes inanimatæ sunt fluidæ, inorganicæ & reliquo corpori non conjunctæ, ergo sanitas non potest in

in ijs subjectari. 3. idem est subjectum sanitatis quod morbi; sed hujus non sunt partes inanimatæ, ergò nec illius. 4. sanitas consistit nō tantum in bona qualitatum harmonia & debita humidi radicalis diffusione, sed etiam in justa formatione & unitate, quorum omnium excessus aut defectus est morbus, sed hæc omnia desunt in partibus inanimatis, ergò.

DICES 1. Etiam humoribus, sanguini, semini, spiritibus, &c. insunt qualitates connaturales, suæ item bonæ & malæ seu vitiosæ constitutiones, ergò etiam inhæret iis sanitas. Resp. neg. conseq. quia deest anima & organorum apparatus, qui ad præsentiam animæ requiritur; Non enim ea omnia sunt dicenda sana, quæ bono constant temperamento, nec aliquo vitio contaminata sunt, quia aliàs metalla, lapides dicerentur sana, cum optimam habeant qualitatum temperaturam & commistionem, ut constat in auro & lapidibus pretiosis. Est itaque sanitas sicut & morbus in sanguine, humoribus & spiritibus tantum causaliter sive naturaliter, non formaliter.

Sanitas & morbus quo modo sint in humoribus & spirit.

DICES 2. Etiam in humore crystallino ex sententia Medicorum & plurimorum Philosophorum fit operatio vitalis, videl. visio, licet ipse non sit animatus, ergò etiam in sangvine, humoribus alijsque rebus inanimatis potest anima vitaliter operari, & consequenter sanitas subjectari. Resp. neg. antecedens, quia visio non fit in humoribus; Et licet multum conferat humor crystallinus ad visionem, non tamen propterea dicendus est animatus, quia etiam spiritus, sangvis & humores suas habent actiones conservativas corporis, etiam si vitam non habeant. Et hinc si

DICAS 3. Anima dicitur esse in sangvine, ergo eidem etiam inhærebit sanitas. Resp. animam esse in sangvine conservativè, id est, ut eo mediante conservet vitam & corpus, non autem subjectivè.

DICES 4. Plerique morbi non tolluntur prius quàm humores vitiosi per debita & congruentia remedia expellantur, ergò in humoribus subjectantur morbi. Resp. Anteced. verum esse de morbis qui dependent ab humoribus corruptis immediatè, consequentiam autem falsam. Nam vitiosæ qualitates quæ insunt humoribus, corrumpunt bonam temperiem in partibus viventibus, adeoque tanquam veræ & positivæ causæ efficientes producunt & conservant immediatè intemperiem præternaturalem in qua morbus consistit. Quando itaque humores hi vitiosi expelluntur, natura paulatim absentibus qualitatibus vitiosis se per quandam animæ potentiam conservativam restituit; Et hoc idem de alijs causis intellige, à quibus immediatè morbi conservantur.

DICES 5. Humores corrupti & putrefacti v. gr. in febribus sunt causa materialis febrium; ergò inhærebit iis morbus, quia causa materialis est ea, quæ in eo genere concurrit & è qua forma educitur, vel subst. vel accidentalis ut hic. Resp. humores corruptos vocari materiam vel causam materialem non proximam in qua immediatè recipiatur morbus, sed remotam & extrinsecam, quæ foveat & conservet morbum.

DICO 3. Partes omnes animatæ sive sint similares ut vena, sive dissimilares ut musculus, subjectum sunt sanitatis inhæsivum. Ratio est, quia in his solis anima per naturalem temperiem, debitam conformationem & connexionem cum toto vitaliter operatur; In dissimilaribus quidem, quia sensu talia sunt; in similaribus autem, quia reverà etiam sunt organa & exercent operationes organicas ut habet Gal. l. de differ. morbor. c. 4. Consideratur autem in partibus similaribus qualitatum contemperatio & proportio, & in dissimilaribus bona compositio ex similarib. justa quantitas & magnitudo, debitus in corpore situs, cōveniens figura, raritas, densitas, lenitas, asperitas, meatus aliaque id genus conditiones quæ pertinent ad fabricam optimi instrumenti. An tamen omnes actiones asscribendæ sint partib. similaribus, ut Gal. l. de constit. artis medicæ c. 4. l. de curandæ ratione per sanguinis missionem c. 4. alijsque in locis docet, quem etiam plerique Medicorum sequuntur, incerta est; Nam visio v. gr. non fit ab una parte similari oculi, sed ab omnibus prout constituunt totum oculum, esto fiat ab una principaliter; sic per musculos moventur membra, non per solos tendines aut nervos, qui licet sint præcipuæ partes motus, hunc tamen nō efficiunt nisi cum alijs conjungantur. Dicendum itaque videtur, omnem actionem fieri à partibus similarib. vel separatim vel cōjunctim sumptis; illud quidem in actionibus quę debentur parti similari, hoc autem in ijs quę debentur organicæ & dissimilari.

Actiones an debeantur partibus, simil. an dissim.

DIFFICULTAS VI.

An sanitas consistat in indivisibili.

SUppono, sanitatem formaliter nihil aliud esse præter constitutionem quandam singulis viventibus secundum suam speciem & naturam convenientem; hoc posito status & difficultas quæstionis hæc est, an si hominis vel alicujus animalis sanitas consistat in 5. gradibus caloris & tribus frigoris v. gr. successivè autem fiat mutatio in his qualitatibus, ut 5. gradibus caloris decedat gradus medius, tribus autem frigoris hic medius accidat, an inquam hic homo adhuc sanus sicut prius, an verò æger existat; si enim consistit sanitas in indivisibili quodam termino, jam hoc deperdito succedit immediatè morbus.

Nota, sanitatem (idem intellige de temperamento) dupliciter posse sumi, semel metaphysicè seu mathematicè & rursum physicè seu medicè; prima acceptio stricta est, & significat essentiam alicujus rei esse planè immutabilem, nec suscipere magis & minus, Hinc

Sanitas consistit in indivisibili.

DICO 1. Si sanitas primo modo accipiatur, constat eam consistere in indivisibili. Ratio, quia terminus ejus, qualis est strictissima primarum qualitatũ positio & combinatio, est indivisibilis adeo, ut cum minima hujus mutatione sanitas ipsa quoque immutetur.

DICES, Si sanitas consistit in indivisibili, sequitur omniũ animaliũ sanitates esse æquales contrà omnem experientiam. Resp. si sanitas secundum se & prout convenit homini abstractivè sumpto, consideretur, verum esse quod omnia individua eam æqualiter participent; si verò habito respectu ad aliud, conferendo v. gr. sanitatem unius cum sanitate alterius, falsum. Nam primo modo consideratur prout competit toti speciei, juxta quam considerationem debetur æqualiter cuique individuo; secundo modo convenit singulis individuis, quæ propter certas circumstantias & conditiones individuantes eam inæqualiter participant.

Sanitas non consistit in indivisibili.

DICO 2. Si sanitas secundo modo accipiatur divisibilis est. Ratio, quia non statim animal ægrotat, quamprimum à debita & connaturali temperie deflectit, sed adhuc benè & laudabiliter operatur, quo usque insignis aliqua mutatio accedat propter quam etiam actiones & functiones cessent; Imò multorum opinio est, tamdiu censendum esse animal sanum, quamdiu non fiat aliqua in corde immutatio, quia inquiunt, tamdiu non mutatur naturale temperamentum. Sed hoc verum esset, si omnes morbi forent totius corporis sicut febres; vel conjungerentur cum temperamento adæquato; Certum est autem quod dentur & temperamenta partialia & veri affectus, qui nec corde, nec temperamento totius immutato affligant, ut patet in calculo vesicæ; retentione urinæ; doloribus cholicis, arthriticis &c. Jam ad

Argumentum initio positum Resp. sanitatem vel temperiem dupliciter sumi, nimirùm pro temperie exactissima vel pro minus exacta; rursum exactissimam sanitatem consistere in indivisibili, minus autem exactam habere latitudinem, intrà quam possit membrum ad majorem vel minorem qualitatis intensionem alterari, & tamen adhuc sanum dici & alteratum: Fieri enim potest ut exactissima temperies requirat 3. gradus frigoris & 5. caloris ad amussim, minus verò exacta sit contenta 4. gradibus caloris & medio, tum tribus frigoris cum medio; ita ut, cum subjectum movetur, à tertio gradu frigoris usque ad medietatem alterius gradus frigoris, vel à quarto & medio caloris usque ad alteram medietatem ejusdem gradus; adhuc subjectum hoc intra terminos sanitatis & temperamenti existat. Idem proportionaliter intellige de morbis solutæ unitatis & vitiosæ conformationis.

DIFFICULTAS VII.

Quibus viventibus conveniat sanitas.

SAnitas quantum ex dictis constat, nihil est aliud quam constitutio quædam naturalis in corpore sive affectus f. n. & hanc constitutionem cum non habeant tantum animalia perfecta, sed etiam imperfecta & vegetabilia, imò & reliqua mixta inanimata, quæritur an ijs omnibus conveniat sanitas.

Nota, sanitatem dupliciter hic spectari posse; semel propriè pro affectione naturali eorum viventium, quæ vel cognitionem habent vel sensum; semel impropriè & metaphoricè pro affectione naturali, quæ rebus omnibus mixtis attribui potest. Quod autem sanitas propriè dicta conveniat homini & animalibus perfectis, extra controversiam est, hinc ijs sepositis

Sanitas convenit solis animalibus.

DICO 1. Omnibus animalibus quantumvis imperfectis, exceptis fortè plantaanimalibus, inest sanitas. Probatur, omnia hujusmodi viventia habent animam sensitivam & debitum temperamentum, cujus beneficio vitaliter operantur, ergò etiam habent sanitatem; Antec. verum est, quia habent aliquem appetitum, quo convenientia attrahant, habent et aliquam licet valdè imperfectam cognitionem, in quo à vegetabiliũ genere differunt; Deinde habent potentias & operationes, quæ in exercendo requirũt sui corporis affectionem, ergò sanitatem habent, id est constitutionem naturalẽ & causam, quare congruè operentur & administrent omnes suas functiones naturales. *Dixi*, fortè plantaanimalia posse excipi, quia sunt hæc nimis imperfecta, carentque omni cognitione & motu quasi, licet non sensu, ut habet Arist. lib. 1 de plantis, quia habent mediam inter plantaa & animalia naturam, unde etiam plantaanimalia ab eod. Arist. loco cit. appellantur, quibus proinde impropriè attribuenda est sanitas.

DICES, Ijs viventibus tantum competit sanitas, quæ habent partes organicas & proportionem qualitatum inter hanc partium varietatem, sed insecta quædam, ut vermes, &c. non habent partes organicas, ergò. Major est vera, quia actiones vitales necessario requirunt varietatem organorum; Minor ex hoc patet, quia nonnulla ex insectis sunt penitus homogenea & sine apparatu organorum. Resp. negat. n. min: quia nullum est animal quantumvis imperfectum, quod non habeat corpus organicum; & per illud varias operationes exerceat, ut motum, nutritionem, &c. Imò & arboribus & plantis hoc à natura concessum est, ut habeant suas radices, venas, fibras, ramos, truncũ, folia, semina, flores, fructum, &c. quibus alimentum attrahant, in propriã substantiam convertant; sese moveant, augeant, &c.

DICO 2. Impropriè convenit vegetabilibus sanitas: ratio est, quia carent omni cognitione, sensu & motu, esto non minus dependeant eorum operationes à bonitate temperamenti & stru-

ſtructura organorum, per quod utrumque ſuum attrahant alimentum, digerant, ſecernant, quia ſunt hæc opera animæ vegetativę, non ſenſitivæ, quæ altioris eſt dignitatis & gradus perfectioris.

DICES, Etiam plautis & animalibus ſui ſunt morbi, ergò etiam ſuæ ſanitates, quia par eſt utriuſque contrarij ratio. Antecedens probatur, plantæ & arbores laborant ſyderatione, carbunculatione, rubigine, tabe, formicatione, obeſitate, eroſione, vermiculatione, &c. Et hi omnes morbi oriuntur vel à ſoli vitio, vel cœli inclementia, vel coloni imperitia, vel aliunde; ſcabies etiam eſt communis arborum affect⁹, & languent quando ictu injurioſo ſive ab hominib. ſive à beſtijs verberantur, aut intempeſtivè cęduntur, vel inepiè defrondantur, vel quando olitor imprudens radices nimium laxat, vel corpus deſquamat, vel quando deſloreſcentem arborem grando, validus ventus, frigida nebula aut pruina percutit: Araneas, culices, ſcarabæos, erucas, cantharides, limaces, &c. taceo, quorum eſt natura, ut detonſam, corroſam & calvam plantã relinquant. Ad hæc breviter reſpondeo & dico, impropriè hos morbos vegetabilium vocaſi, facta tantum ſimilitudine ab animalibus ad vegetabilia, non ſecus ac cum prata ridere dicuntur, idque metaphoricè; aut cum fructum vel cibum dicimus eſſe ſanum; licet uterque non in ordine ad ſe, ſed ad hominem ſit ſanus & integer.

Metaphoricè dicuntur plantæ morboſa, ſicut & mineralia.

DICO 3. Multò minus mixta inanimata dicuntur habere ſanitatem, qualia ſunt lapides, uniones, metalla, quæque in viſceribus terræ gignuntur, niſi impropriè & metaphoricè. Ratio eſt, quia præterquam quod careant omni anima, à qua potentiæ cognoſcitivæ & ſenſitivæ fiunt, nullas etiam habent operationes vitales, & quicquid agunt, agunt actione tranſeunte in aliud. Quod ſi dicas, rhabarbarum carere vita & anima, & tamen operari vitaliter, dum intra corpus ſumptum purgat. Reſp. 1. rhabarbarum eſſe tantum cauſam inſtrumentalem & minus principalem. 2. agere in aliud actione tranſeunte, quia non eſt actio vitalis. 3. non purgare niſi indirectè ut alibi de vi purgante dicetur. Ad

Argumentum initio motum, quod videl. etiam res inanimatæ habeant ſuam conſtitutionem naturalem, id eſt bonum temperamentum, & perfectam humidi cum ſicco commixtionem. Reſp. non quamvis conſtitutionẽ naturalem eſſe ſanitatem, ſed eam tantum, quæ eſt corporis viventis dicitque reſpectum & ordinẽ ad operationes vitales: Nam ſanitas ijs tantum eſt propria, quæ vel cognoſcunt vel ſentiunt ſuas affectiones naturales, reliquis autem impropriè & metaphoricè attribuitur: ſic homo cognoſcit ſuam conſtitutionem eamque ſentit; ſic muſca, vermis, leo, bos, lucius, &c. ſentiunt frigus aliaſque injurias & hoſtiles qualitates ſibi infligi; arbor autem imperfectior eſt, caretque omni cognitione & ſenſu; Imperfectiſſimus denique lapis, aurum, gemma, &c. quæ nobilitatem ſuam, præſtantiam & perfectionem habent à debita quantitatum proportione; ab exactiſſima miſtione, à puritate materiæ & à forma denique, à qua ſicut rerum omnium, ita & inanimatorum dignitas & ſplendor.

DIFFICULTAS VIII.

Unde conſtet animal eſſe ſanum.

QUod ſanitas ſubjectetur tantum in partibus viventibus animalium, patet ex hactenus dictis: Jam ſequitur difficultas; unde conſtet animal eſſe ſanum; certum enim eſt ſanitatem deberi animali ex debito, magnamque ejus eſſe latitudinem, &c.

Suppono autem, principia ex quibus petitur ſanitas, alia eſſe proxima & immediata, alia remota & mediata, licet prima & radicalia; inſuper alia eſſe quæ ſanitatem efficiunt, alia quæ eam demonſtrant.

DICO 1. Sanitas imprimis ſumitur ab habitu corporis; ſub habitu intellige compoſitionem & conſtitutionem omnium partium, colorem, odorem, craſſitiem, tenuitatem, raritatem, &c. Probatur, habitus corporis oritur ex primarum qualitatum temperatura & reliqua corporis conſtitutione, imò habitus corporis nihil aliud eſt niſi ipſa partiũ & qualitatũ conſtitutio: ſed ab his deſumitur ſanitas, quæ ijs etiam indentificatur, ergò & habitus. Hoc oſtenditur imprimis ex colore, qui ſi vividus ſit & rubeus candore mixtus, ſanitatem & benignum temperatumque calorem indicat; ſimiliter ſi animal odorem ſpirat facilè ferendum, non gravem aut putrilaginoſum, ſignum bonæ conſtitutionis eſſe indicamus. De cæteris qualitatibus tactilibus ſumitur judicium partim ex viſu, ut dum faciem, manus totumque corpus inſpicimus tumidum, craſſum, pallidum, macilentum, exanimum, &c. Partim ex tactu, ut cum tangimus corpus molle, durum, aſperum, frigidum, calidum, &c.

DICO 2. Etiam ex retentis & excretis venimus in cognitionem ſanitatis. Ratio eſt, quia quamdiu animal in ſtatu ſanitatis poſitũ eſt, excreta non tantũ facilè feruntur, ſed ſunt inſuper benè cõcocta, nec excedũt in ſubſtãtia aut qualitatib. ergò quę excernuntur, demonſtrant cõſtitutionem internam animalis; ſimiliter ſi retineantur intrà corpus ea quæ retineri debent, ceduntq; in ejuſd. reſtaurationẽ & non excernuntur per ſudorem, urinam, alvum, tuſſim, &c. ut fit quando ſangvis & humores intempeſtivè per inſuetas vias & modos præternaturales profluunt, hominem & animal ſanũ dicimus, ergò nõ tantum excretorum, ſed etiam retentorum ratio in dijudicanda ſanitate haberi debet.

DICO 3. Etiam multũ facit ad dignoſcendã ſanitatẽ, ſi conſiderem⁹, quomodo ſe habeat homo ad cibum & potum, ſomnũ & vigiliam, &c. Probatur, quia ex his cognoſcimus morbum, ergò & ſanitatẽ; Deinde ex hujuſmodi actionibus ſemper venimus in cognitionem conſtitutionis ſive naturalis ſive præternaturalis.

DICO 4. Nihil deducit nos magis in cognitionem ſanitatis,

quàm

quàm actionum vitalium recta & connaturalis administratio. Probatur: ex actionibus nunquam fallimur circa dignoscendam constitutionem hominis, ergò ex ijs cognoscimus sanitatem, si rectè administrentur; Antec. probatur, quia actiones sunt effectus corporis benè habentis; adeoque prima cognita, ex quibus sanitatem haurimus; Et confirmatur, quia nequit ventriculus benè constitutus malè digerere aut coquere cibos, oculus sanus malam elicere visionem, nisi tamen aliunde per partium consensum fiat aliquod impedimentum. Advertetamen, aliam sanitatem esse partis, aliam totius; Illa cognoscitur ex ea tantum actione quæ partis est, ut dum oculus benè videt, esto laboret homo exulceratione pulmonum, renû, calculo. &c. Illa autem ex actionibus totius, ut in febre maligna omnia viscera afficiuntur, eorumque singulæ actiones langvent.

DIFFICULTAS IX.

Quænam viventia sint sanissima.

NOTA I. Sanitatem vel spectari posse quatenus juxta naturalem exigentiam debetur animali, vel quatenus habet respectû & ordinem ad integritatem, partium temperamenta & reliqua principia, à quibus in esse & conservari dependet. 2. sensum quæstionis esse vel de integris speciebus, vel de singulis specierum individuis, v. gr. quæ species animalium sint sanissima, an homo vel brutum; & si brutum, an leo, bos, equus, &c. an verò inter homines Petrus, Andreas, Paulus, inter leones hic vel ille masculus an fœmina, & sic de reliquis. Jam

DICO 1. Si sanitas spectetur ex eo, quod animali naturaliter debeatur, nullum erit altero sanius. Ratio, quia hoc modo sanitas consistit in indivisibili termino qualitatum, quæ ex justitia pertinet ad animal: Et habet unumquodque sanitatem ita exactam suæque naturę convenientem, ut eam exactiorem, aut intensiorem naturaliter habere non possit; Et sic nec sanitas ursi erit exactior sanitate leonis; nec hujus perfectior eâ quam habet lepus, canis, esto discrepent inter se totis naturis ; quia habet quodvis vivens id, quod sibi suæque naturæ debetur, eliciitque operationes in suo genere perfectissimas. Quod si tamen

DICAS unû animal alio perfectius operari, diutius etiam vivere, ergò propter perfectiorem sanitatem, quæ cuivis peculiaris est & propria. Resp. neg. cons. quia perfectior operatio & vita longior non desumitur à sanitate præcisè spectata, sed vel ab anima, ab organorum dispositione, vel à qualitatum prim. temperie, id est, à natura totius speciei vel suppositi. Si urgeas, sanitatem ab his causis semper desumti, ergò quoties variabunt illæ, variabit etiam sanitas, id est. in singulis speciebus & specierum individuis. Resp. &

DICO 2. Si sanitas spectetur ratione integritatis partium & innatæ complexionis, unum animal habet perfectiorem & meliorem sanitatê quam habeat alterû. Prob. 1. ratione, sanitas commensuratur vel identificatur cum temperie qualitatum & fabrica organorum; sed hæc utraque in animalium uno melior est & perfectior quam sit in alio, ergò etiam sanitas. Probatur 2. experientia, quia videmus multa animalia in eadem specie esse debilissimi temperamenti & sanitatis, quæ à quavis injuria facilè offendatur, & rursum alia in diversis speciebus tam vitæ longitudine quam præstantia sanitatis & functionû naturalium dignitate præ alijs excellere, nullam aliam ob causam quam quod præstent temperamenti bonitate, laudabili formatione singularû partiû, firma membrorum compage, cæterisq; differentijs ultimis & cuivis speciei convenientibus. Et hinc

Unde quædam animalia facilius contrahant morbum, tenacius vivant difficilius moriantur.

DICO 3. Ad optimam & exactissimam sanitatem multum facit complexio sangvinea, plurimû verò temperata unà cum debita organorû dispositione. Primum patet ex ijs quæ l. 1. de temperamentis & de præstantia complexionis sanguineæ dicta sunt; hæc enim est in qua vita potissimum consistit, & quæ ad vitam longissimam maximè conducit; secundum in eo consistit, ut singula organa ad singulas actiones ità disponantur, ut mutuò non impediant, nec ipsa internum aliquod impedimentum habeant, quò minùs rectè & laudabiliter operentur; Sic venæ facilè transudant sangvinem, si imbecillas habeant tunicas vel oscula hiantia; Sic faciles fiunt obstructiones, si meatus sint angustiores & humores frigidi, viscosi; Sic côcoctio impeditur, si calor sit debilis, aut aliunde copiosum phlegma in ventriculo colligatur, &c. Advertetamen, quando dicitur complexionê sangvineam esse optimam pro sanitate exactissima, nô esse sensû quasi cum alia complexione vivens non sit etiam perfectè sanum, sed quod alijs ideo præstet in hoc genere, quia videl. in hac dominium habet calor & humor quæ sunt ambæ qualitates vitæ.

DICES 1. Plerumque sangvinei non diu vivunt, aut certè crebris infirmitatib. affliguntur, ergò signum est quod eorum sanitas non sit exactissima. Resp. antecedens falsum esse, quod si autem fiat, id per accidens est, quia sc. immoderatius vivunt, nec ullam observant rationem in victu, potu cæterisque rebus ad vitę sanitatisque conservationem spectantibus, unde etiam sangvinis putrefactione & morbum & mortem incurrunt.

DICES 2. Sunt bruta quæ complexionis melancholicæ & aqueæ existunt, & nihilominus sanissimè vivunt, & diutiùs quam quæ sunt sangvineę, ergò falsum est quod complexio sanguinea præstet; Antecedens patet in cervis, cetaceo piscium genere, quę ætate hominem longè superant. Resp. non tantum sangvineos frui exacta sanitate, sed etiam posse id competere naturis melancholicis, & siccis dummodo calor temperatus adsit, qui non valde depascat humidam substantiam: Hinc multa animalia quæ tamdiu vivunt, temperatissimam habent côplexionem; Quare autem majora semper diutius vivant, & inter cætera etiam aquatilia, quæ tantum non sunt naturæ frigidæ & aqueæ, patet ex disp. de vita l. 1.

DIF-

DIFFICULTAS X.

An & quæ sanitas sit exactissima.

SUppositâ sanitatis latitudine quæritur; quænã sanitas io tota hac latitudine sit exactissima & in qua ætate; & rursum, an aliqua sanitas ita sit exacta & perfecta, ut exactior & perfectior dari non possit, intellige in eodem individuo; Nam constat quod unius animalis sanitas sit perfectior quam alterius etiam perfectissima.

DICO 1. Licet homo tota vita habeat sanitatem vel magis vel minus perfectam, potest tamen in quavis habere perfectissimam. Probatur 1. quia principia quæ constituunt sanitatem, variant per ætates secundum magis & minus; ergo & ipsa sanitas. Probatur secundum, quia potest homo in quavis ętate perfectissimè constitutus esse & habere id quod corpori naturalissimum est, ergò sanitatem absolutam. Quod si

DICAS, Animal non habere in quavis ætate actiones sanitati proportionatas, ut in infantia & senio manifestum est, ergò nec ubique sanitatem. Resp. neg. antecedens, quia sanitas non desumitur præcisè à robore actionum, sed ab actionibus, quæ conveniunt ætati ejusque temperamento partiali. Sed & de extremo senio id verum quoque est, quia naturalis in hoc reperitur temperica, cui ejusmodi actiones cum sanitate naturalter competunt.

DICO 2. Datur in homine & quovis animali sanitas ita exacta, ut in majori perfectione dari non possit. Probatur 1. nunquam datur majus maximo, ne detur processus in infinitũ, habetq; omnia qualitas terminũ maximi & minimi, quẽ non excedit, ne sit contradictio in re ipsa, ergò nunquam dabitur sanitas quæ sit perfectissimâ major, in eodem scil. individuo, quia quantumvis leo v. gr. habeat sanitatem perfectissimam, perfectiorem tamẽ potest habere vel hic leo vel bos, cervus & animalium perfectissimus homo, in ordine omnirùm ad causas à quibus dependet sanitas, & ad robur actionum. Probatur 2. Datur exactissimum temperamentum, ad justitiam scil. & constitutio perfectissima, ergò etiam sanitas exactissima. Antecedens manifestum est, quia illud temperamentum est perfectissimum, quod animali secundum naturalem exigentiam debetur; Conseq. similiter vera est, quia sanitas vel resultat ex temperamento vel nihil est aliud nisi constitutio exactissima, proinde si unum detur, dabitur & alterum.

Datur exactissima sanitas.

DICES, Temperamentum perfectissimum quod constat v. gr. 5. gradibus caloris & 3. frigoris, adhuc mutari potest in melius, si præsertim aliquid vel frigori decedat & addatur calor vel contrà, ergò etiam sanitas perfectissima mutari poterit in meliorem. Resp. hoc ipso temperamentum & sanitatem non amplius fore exactam sed deflectere à bonitate, si præsertim sub 5. gradibus caloris & 3. frigoris fuerint perfectissima.

DICO 3. Ea sanitas in individuis animaliũ est perfectissima, quæ resultat ex temperamento ad justitiam dicto, id est, quæ animali est affectus secundũ naturam. Probatur, ea sanitas est perfectissima, quâ præsente animal nobilissimas operationes exercet; sed hoc facit in temperamento ad justitiam & constitutione quæ animali est secundum naturam, ergò. Deinde nullum temperamentum est homini connaturalius quàm quod ad justitiam dicitur, ergò etiam cum hoc solo datis cæteris in corpore perfectionibus poterit subsistere sanitas perfectissima. Quod si

DICAS 1. dari adhuc temperamentum perfectius eo, quod ad justitiam dicitur, ergò etiam adhuc perfectior sanitas. Antecedens probatur, quia temperamentum ad pondus est perfectius quam illud ad justitiam. Resp. non dari temperamentum adæquatum ad pondus in animalib' perfectis de quo hic sermo est, quia datur hoc tantum in homogeneis. 2. hoc temperamentum esse quidem perfectius io essendo; quia non potest infringi nisi ab extrinseco; non autem in operando vitaliter; Necessarium enim est, ut animal per qualitates contrarias & organa, quæ sunt in corpore heterogeneo, adæquatè operetur.

Temper. ad pondus non datur nisi in homogeneis

DICES 2. In pueris est sanitas perfectissima; sed in his noo est temperamentum ad justitiam; quia dominatur humiditas, quæ impedit proportionem temperamentorum in partibus, ergò in pueria non dependet sanitas perfectiss. à temperamento ad justitiam. Resp. neg. minorem; ad probationem dico temperamentum ad justitiam nec esse nec vocari tum, quando partes omnes habent invicem aliquam proportionem; sed quando illud convenit animali lege & jure naturæ; Et sic convenit pueris temperamentum humidum ex natura, senibus siccum, juvenibus calidum; viris temperatum; homini calidissimum respectu aliorum animalium, frigidum & humidum piscibus, &c.

DIFFICULTAS XI.

An cum perfectissima sanitate semper sit vita longa.

DE animali optimè temperato, omnibus membris & organis bene fabricato quæritur, an semper diu vivat naturaliter.

Adverte, Rursum hanc quæstionem ad speciem vel individua referri posse; Ad speciem quidem, quia non est omnibus speciebus idem terminus vitæ à natura datus, ut videre est apud Arist. passim in libris suis de hist. animal. Ad individua verò, quia constat in eadem specie multa individua diutius aliis naturaliter vivere, ut potissimũ in hominibus est videre; Est autem accidens animali, si ante præfinitum terminum, quem constituit illi Deus & natura, morbo pereat. Jam

DICO 1. Multæ sunt species animalium, quæ exiguo tempore etiam cum perfectissima

sanitate vivunt. Probatur ex Arist. tum lib. 5. de hist. anim. tum alijs in locis, & constat communi experientia, quam singulis annis in insectis quæque ex putri nascuntur, advertimus; Neque tamen hæc sola sunt, quæ brevem vitam ducunt, quia sunt etiam inter perfectiora animalia, quorum vita non adeò est longæva, ut constat ex disp. lib. 1. de vita: solipedum & cervorum genus, quia felle caret, ut habet Arist. l. 4. de part. animal. diutius vivit, & diutissimè animalium dominator homo, quia abundat humido & calido quæ sunt principia vitæ.

DICO 2. cum exactissima sanitate semper coincidit vita longa, cujuscunque etiam speciei sint individua. Prob. ad vitã longam facit temperamentum optimum, copia humidi radicalis, & integritas omnium corporis membrorum; sed in his omnibus cõsistit sanitas exactissima & perfectissima, ergo cum hac coincidit vita longa: Quæ autem ratio militat pro individuis unius speciei, militat etiam pro ijs quæ sunt alterius speciei, quia eodem modo & ab ijsdem principijs pendet vitæ diuturnitas & sanitatis constitutio in universo animalium genere.

DICES primo, Insecta cum optima & perfectissima sanitate brevissimam habent vitam, ergò conclusio falla est. Resp. quamvis insecta ei quævis aliæ viventiũ species brevem habent vitam, habent tamen longam respectu individuorum ejusdem speciei, si perfecta sanitate gaudeant: Et hine longitudo vitæ non simpliciter talis est, sed tantum in ordine ad suam speciem.

DICES 2. Si cum exacta sanitate semper diuturnitas vitæ coincideret, sequeretur eos nunquam vitam longam protrahere, qui à nativitate imbecillo sunt corpore, interque in orbum quasi & sanitatem versantur; è contra verò qui firmam habent corporis compagem & complexionem validam, semper in multos annos vivere; sed hoc falsum est, ergò & illud. Ad hoc resp. &

DICO 3. per accidens fit, eos qui valido firmoque sunt corpore, citius perire quam qui contrario modo se habent. Probatur 1. tam morbus quam interitus in homine habent rationem accidentis quocunque tempore & modo accidant, ergò non competunt illi per se, adeoque contingens est, si citius robustus pereat, tardius autem debilis. 2. ad naturam hominis & integritatem nec morbus pertinet nec interitus, ergò accidens est, sive quis serius sive citius occidat. Quare autem frequenter contingat, quod viri robusti, lacertosi, quique optima semper fruuntur valetudine, citius emoriantur ijs qui imbecillo suot corpore & vitiosis dispositionibus præditi, variæ à medicis assignãtur causæ, præsertim verò excessus & errores in rebus sex non naturalibus, quę tamen alibi de causis membrorum videri possunt.

Fortes & robusti per accidens citius moriuntur quam debiles.

DICES 1. Etiam per accidens esse si infirmus & debilis intereat, ergò eadem ratio est sive debilis sive robustus citò pereat, cum in utroque sit accidens. Resp. quando dicitur per accidens fieri, si robustus & sanissimus citius debili & infirmo pereat, fieri comparationem inter utrumq; cui utrique licet interitus per se spectatus sit accidens, naturalis tamen est maturior interitus debili; Et hinc non idem est, accidens esse interire debilem & per accidens fieri si hic robusto citius intereat.

DICES 2. Si casu animal sanum ægrotat, etiam casu moritur; sed hoc falsum est, ergò & illud. Probatur hæc minor, quia ex intrinseco debetur mors homini & cuivis animali utpote ex se corruptibili. Resp. duplicem esse mortem; unam naturalem, alteram violentam: prior quamvis sit accidens, per se tamen competit animali ut quod necessariò corrumpendum est: mors autem violenta casu accidit, quia est à principio extrinseco, ipso animali per se nihil ad ejusmodi actionem conferente; Et huic violentiæ magis resistit corpus sanum: vel certè non incõmodè respõderi potest, etiam mortem naturę esse animali accidẽs, esto sit inevitabilis & à Deo per decretum imposita, quia est extrinsecum quid & non pertinet ad essentialem constitutionem hominis. Denique etiam si homo naturaliter moriatur, casus tamen est eum hoc morbo & tempore & cum his alijs ve circumstantijs mori.

Quavis mors homini accidens est.

DIFFICULTAS XII.

Quæ sint causæ sanitatis.

SI causas omnes spectes, quæ ad generandam & conservandam sanitatem conferunt, totidem videntur esse quot sunt morborum constitutivæ, in hoc differentes quot contrario modo se habeant. Et hinc

DICO 1. Causa materialis sanitatis sunt omnes illæ partes, quæ informantur anima, & quibus subjectivè inhæret sanitas, ut sunt venæ, arteriæ, nervi, fibræ, musculi, caro, viscera &c. Similiter alimentum omne sive remotum sive proximum quod in locum substantiæ deperdita convertitur, & humidum benignissimum quod toto corpore diffusum unà cũ spiritibus naturalem temperiem conservat, humidum radicale reparat, membrorum substantiam auget, calorem labascentem restituit &c. Ab his enim omnibus materialiter conservatur & sustentatur sanitas.

DICO 2. Causa formalis sanitatis est justa temperies, debita corporis formatio ejusdemque tota naturalis constitutio. Ratio est, quia in his omnibus consistit formaliter sanitas, ut ex dictis patet.

DICO 3. Causæ efficientes sanitatis multæ sunt & variæ Quædam n. producunt eam ut genitores, vis formatrix &c. Aliæ præservant à quibusvis injurijs & erroribus, ut virtus regitiva corporis. Aliæ conservant, ut anima tanquam causa principalis, tum aer salubris, cibus & potus quo utroq; corpus nutritur, somnus & vigiliæ, motus & quies, & si quæ sunt plura.

DI-

DICO 4. Causa finalis sanitatis est, ut vivens in esse suo perfecto cõservetur, & actiones omnes vitales benè & laudabiliter administrentur. Nam ideò remanet anima sive forma in vivente, quia hoc in omnibus se naturaliter babet, & ideò corpus naturaliter constitutum est, ut omnes actiones perfectè eliciat, ergo operationes sunt in bonum & commodum corporis sani & naturaliter constituti; Et hinc plerique Medicorum addunt definitioni sanitatis particulam actiones ritè perficiens, non tantũ quod affectus secundum naturam sit causa efficiens hujusmodi operationis, sed etiam quòd hæc sit finis illius constitutionis. Neq;

DICAS, non esse necessum, ut vivens integrè & perfectè constitutum operetur, cum satis sit esse, ut patet in seminibus, quæ etiam extra matrem suam vivunt, in arboribus quæ hyeme non nutriuntur, & in animalib' quæ in latibulis degentia nequicquã vitaliter operantur; Nã respondetur, nullũ esse vivens, cuiuscunq; demũ speciei, quod non operationes vitales exerceat dum vivit, esto non semper manifestè aut ad sensum. Quę imprimis de seminib. dicuntur, vide t. 1. disp. 19. diff. 15. Arbores suas quoq; vitales habent actiones in hyeme, licet extrinsecus non florescant, virescant aut fructum ferant, quia hoc impedit frigus circumstans. Animalia in latibulia per hyemem degentia suam habent quoq; sanguinis confectionem ex humore quodam lento frigido, quo abundant, nutriuntur etiam & crescunt, ut experientia manifestè docet.

DIFFICULTAS XIII.

An & quomodo animal possit tota vita esse & mori sanum.

SUPPONO 1. interitum alium esse violentum; alium naturalem. 2. per totam vitam intelligi vel totum ejus spatium ad punctum usque ipsius mortis & interitus, ex quacunque causa hic accidat, vel quousque dispositiones violentæ & morbosæ corpus occupant mortemque intendunt. Quod si itaq; mortales omnes naturaliter tandem decederent, atq; ita certum fati sui terminum haberent, quem transgredi non possent, sed eo finito velut dormientes absq; corporis passione sensibili diem clauderent, facilis fortè ad hanc difficultatem foret responsio; sed cum plerunq; mors violenter etiam in summo senio constitutis accidat, ita ut terminus vitæ prolongari adhuc naturaliter potuisset, & non satis constet, an extrema senectus ad morbum vel ad sanitatem spectet, ideò ratione & judicio lis decernenda est.

DICO 1. Animal quod violenter perit, ægritudine perit, adeoque sanitatem in hac vita adhuc deperdit: Est hæc conclusio plus quam manifesta, quia quisquis raptu violento decedit, ideò perit quia naturalis constitutio corporis, quæ ad vitam conservandam requirebatur, corrumpitur, ergò sanitatem quoq; periisse ante interitum & mortem necessum est.

DICES, etiam qui gladio, igne, aqua & suspendio moriuntur, intereunt violenter, & tamen nulla ægritudine præcedente affliguntur, ergò etiam ad mortem violentam non requiritur semper ægritudo. Resp. 1. hujusmodi casus esse extremè violentes, nec fieri secundum ordinem & cursum naturalem; quo corpora naturalia corrumpuntur. 2. etiam in his casibus violentis præcedere constitutionem morbosam similem illi quæ fit juxta ordinem naturalem qualitatum primarum in se mutuò agentium, si non in modo, saltem in re ipsa. Nam pe. 'gnem fit eadem in animali alteratio quæ fit per medicinas virtualiter calidas, solùm impetu velocissimo. Similiter qui gladio pereunt, solutionem continui patiuntur, quæ saltem naturâ præcedit interitum. Strangulatio quæ fit aqua, fumo, fune &c. sublatâ respiratione calorem vitalem supprimit; & spiritus in corde suffocat; De apoplexia, convulsione, deliquio aliisq; affectibus extremis nulla difficultas est, quia sunt accidentia, quæ causas & dispositiones morbosas communemque cursum agentium præternaturalium sequuntur.

Etiam qui gladio vel igne perit, habet morbosam constitutionem.

DICO 2. Si tota vita animalis absq; ultimis dispositionibus, quæ violenter mortem intendũt & interitum, spectetur, non est de absoluta necessitate, ut animal unquam ægrotet. Probatur 1. morbus est accidens homini, non innatum sed adventitium, ergò non est necessum ut unquam illi accidat, nisi dum violenter eum perdit. 2. Totâ vitâ potest animal habere integritatem organorum; & justam debitamque cuivis ætati temperiem & complexionem, ergò & sanitatem; Antecedens patet, quia integritas organorum & debita temperies animali naturalis est, eiq; debetur ut perfectio & complementum. 3. morbus accidit homini à causis violentis & extrinsecis quæ non pertinent ad naturalem ejus constitutionem, ergô. Et confirmatur experientiâ quâ constat, non rarò reperiri homines qui ad summum usq; senium semper integrâ sanitate vixerunt.

DICO 3. Animal quod morte naturali perit, citrà morbum & affectum propriè morbosum perit: Ratio est; quia senio quod non habet rationem morbi propriè dicti, perit. Nam homo & quodvis animal in extrema senectute habet constitutionem connaturalem; ergò eam sanitatem, quæ sibi suæque ætati jure & lege naturæ debetur, ergò eum extinguitur, citrà morbum extinguitur; Imò si homo vel animal in summo senio constitutum haberet aliam temperamenti & corporis constitutionem, jam aliquid sibi suæq; naturæ repugnans haberet. 1. Moritur itaq; senex deficientibus vitæ principiis & causis quæ conservabant unionem inter materiam & formam nulla præcedente ægritudine.

Etiam senex habet naturalem constitutionem.

DICES 1. Deficientibus causis & principiis vitę deficit, etiam sanitas, ergò morbus incipit. Resp. Si principia vitæ violenter deficiant, verum est antecedens, si autem naturaliter, fal-

sum; Nam ideò hic sequitur interitus, quia corpus fit inhabile ad sustentanda ea, ex quibus vita dependet, & non ideò, quod morbus sanitatem expellat.

DICES 2. Implicat hominem vel animal extingui præsente adhuc temperie naturali & organorum integritate, ergò falsum est, hominem vel animal perire morte naturali absq; ægritudine præcedente. Antecedens patet, quia mors & interitus est quasi effectus temperamenti deperditi, ergò implicat cum hoc non perire sanitatem. Resp. cum distinctione; Nam impossibile est, hominem extingui morte naturali per præsentem eam temperiem, quæ ad vitam sustentandam sufficiat, conceditur, quæ ætati & organis competat, negatur: Est enim in extremo senio & in ijs qui morte naturali pereunt, debitâ & connaturalis constitutio, nō tamen sufficiens quæ vitam tueatur.

In extremo senio est naturalis constitutio, non tamen sufficiens ad vitam tuendam.

Colligitur, temperiem illam quæ extremæ senectuti jungitur, impropriè morbosam esse, & vocari talem ex communi modo loquendi, vel certè ob defectum virium, quæ in tali ætate non sufficiunt elicere perfectè operationes vitales.

DIFFICULTAS XIV.

An primi parentes tota vita fuerint sani.

Mortuos esse primos nostros parentes post longævam vitam habetur ex sacris litteris & ex communi eorum cum rebus alijs corruptibilitate, quam post lapsum nullo remedio vel evitare vel impedire potuerunt: An autem unquam in vita ægrotaverint, vel an semper integra sanitate extiterint, quousq; tandem consumptis naturaliter vitæ principijs dissoluti fuerint, incertum est.

Suppono, primos parentes eorumq; posteros, si in statu innocentiæ permansissent, nunquam ullo morborum genere tentatos fuisse, proindeq; hoc ijs post lapsum in pœnam peccati mortisq; prænuncium accidisse.

DICO breviter, tametsi non constet primos parentes unquam ægrotasse, probabile tamen est, eos subinde leviores alterationes sensisse. Hoc constat ex eorum corruptibilitate & perpetua qualitatum activarum mutuâque inter se actione, tum quod potissimum est, ex incursu causarū externarum, quæ morbos invehunt, & quibus illi non poterant perpetuò resistere, ut semper incolumitatem servarent: Et quamvis certum sit, eos imprimis habuisse temperamentum nobilissimum, membrorumq; omnium compagem formatissimam & firmissimam; 2. vixisse vitam temperatissimam. 3. corpora simplicia & mixta fuisse longè puriora quam nunc sint. 4. Cognitas iis fuisse rerum omnium virtutes, ut facilè nociva deflectere & bona amplecti potuerint, &c. Nihilominus tamen non convincitur, eos tota sua vita fuisse planè immunes ab omni alteratio-

An primi parentes unquam ægrotaverint.

num incursu & causarum externarum injurijs, quia hæc est natura & conditio corporis corruptibilis, ut perpetuo subsit mutationibus & alterationibus, etiam dum est optimo temperamento imbutum, & hoc in pœnam peccati, ut videl. nostram fragilitatem agnoscamus, & sciamus nobis aliquando corruptibilitatem mortemque incumbere. Si

QUÆRAS, An Christus Servator noster semper sano corpore fuerit. Respondendum est cum sanctis Patribus, D. Thoma 3. p. q. 14. a. 4. alijsq; Doctoribus, Christi temperamentum nullo morbo fuisse violatum ideò; quia non conveniens erat hunc defectum ab eo assumi; Non etiam divinam personam decebat, aut nobis necessarium vel utile erat; Et licet illius qualitates & humores ejusdem fuerint naturæ & speciei cum nostris, finitamq; habuerint resistentiam, adeoq; ab externis causis & injurijs vehementioribus ad ægritudinem inflecti potuerint; Nihilominus tamen credendum est, has semper cùm propria virtute, tum Angelorum cura & solertia fuisse impeditas; Et si nobis mortalibus non difficilè accidit ut sæpè causas morbosas earumq; effectus evitemus, atque ita in summam usque senectutem absque notabili ægritudine vivamus; quantò magis credendum est, Christo Deo & homini id non fuisse difficilè, ut scil. hanc imperfectionem perfectissimus ipse & corpore & natura pulcherrimus & formosissimus evitaret, ut ajunt Connimbricenses.

Christus ægritudinem nullā sensit.

DIFFICULTAS XV.

Quomodo differat sanitas à morbo & statu neutro.

SUppono 1. Corpus sanum esse illud, quod in ordine ad vitam omnesq; actiones vitales animali & homini in statu naturali competit; morbosum quod contrario modo se habet, & neutrum quod à perfectè sano decedit & ad morbosum ita deflectit, ut nec perfectè sanum nec perfectè ægrum sit dicendum, sed inter utrumque velut medius quidam terminus & status consistat.

Suppono 2. Duplicem esse sanitatem, unam perfectissimam quæ debetur animali, cum juxta totius corporis incolumitatem in optimo statu constitutum est; alteram minus perfectam, quæ à priori deflectit & ad morbi initium usque se extendit, quo videl. plus minus læduntur actiones. Cum itaque tres sanitatis & morbi reperiantur termini, primus qui sanitatem perfectam comprehendat; secundus qui morbum absolutum & cum sanitate è diametro pugnantem; tertius deniq; intermedius qui sanitatem minus perfectam & ad morbi initiū sese extendentem; quæritur quomodo à se invicem differant, & quod caput difficultatis est, an status neuter æqualiter distet à sano & morboso, quod ideò probabiliter verum esse evincitur,

citur, quia est medium inter utrumque, & juxta Medicorum doctrinam tantum de uno quantum de altero participat.

DICO 1. Morbus & sanitas differunt inter se specie; Est universalis & omnium communis hæc conclusio, quia 1. sunt duo extremè opposita quæ se ex eodem subjecto & formaliter & effectivè expellunt; 2. quia sunt distinctissimæ formę accidentales, habent affectus & proprietates extremè diversos; 3. quia sunt incompatibiles simul in eodem subjecto; 4. quia habent distinctas definitiones; ergò etiam tales essentias, ac proinde differunt specie.

DICES; calor febrilis non differt specie à naturali, ergò nec morbus à sanitate. Resp. calorem febrilem ut sic non differre ab altero, sed ut est homini præternaturalis facitque eum morbosum. Deinde; quando dicitur sanitatem differre specie à morbo, non sumitur sanitas aut morbus pro aliqua simplici qualitate, cuj⁹modi est calor vel naturalis vel præternaturalis, sed pro tota constitutione hominis, quæ est complexum quid, & quę, quia convenit homini in ordine ad actiones naturales & vitales administrandas; dicitur distincta specie ab altera morbosa;

DICO 2. Sanitas perfecta differt ab ea quæ est minus perfecta, id est, à statu neutro. Probatur 1. status neuter includit aliquid, quod sanitas perfecta non includit, v. gr. dispositionem seu qualitatem morbosam sanitati repugnantem, ergò differt à sano perfecto. 2. sanitas perfecta debetur animali juxta debitam & naturalem exigentiam; constitutio autem neutra repugnat illi; estque præternaturalis; ergò. 3. temperamentū corporis sanissimi differt ab eo quod in morbum propendet, ergò & sanitas perfecta à statu neutro. Anteced. patet, quia sunt dispositiones contrariæ & in eodem subjecto simul incompatibiles. Sed qualis distinctio inter sanitatem perfectam & statum neutrum, an specifica? Resp. &

DICO 3. Sanitas perfecta differt à statu neutro tantum secundum magis & minus. Probatur 1. Sanitas perfecta differt tantum secundum magis & minus à sanitate ex decidentia, ergò etiam à statu neutro, qui identificatur illi. 2. sanitas min⁹ perfecta est extra latitudinem morbi, ergò non est opus fingere majorem distinctionem quam secundum quid. Anteced. patet ex dictis, quia in sanitate ex decidentia non est adhuc facta notabilis & manifesta mutatio temperamenti vel discessus à sanitate perfecta simpliciter; ergò sufficit distinctio secundum quid.

DICES 1. Temperamentum in corpore perfectè sano differt à temperamento corporis sani ex decidentia, ergò sanitas perfecta differt à statu neutro. Resp. hanc distinctionem esse tantum secundum magis & minus, præsertim cum hoc temperamentum non consideretur solum in ordine ad se, sed etiam in ordine ad corpus & actiones vitales, quæ adhuc sub statu sano & extra latitudinem morbi, si non metaphysicè seu mathematicè, saltem physicè & medicè comprehenduntur.

DICES 2. Si status neuter non differt à sano perfecto, nisi tantum secundū magis & minus, ergò non differt aliter à morboso, ergò nec sanitas differt à morbo, quæ tamen utraque sequela est falsa; Nam status neuter consistit medius inter sanitatem & morbum, tantumque participat de uno quantum de altero, ergò necessum est ut quantum ab uno, tantum etiam ab altero discrepet, juxta illud philosophorum, quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, id est, quæcunque distant æqualiter ab uno tertio, ut hic, æqualiter etiam ab eo differunt. Resp. neg. utramque sequelam, quia status neuter comprehenditur adhuc sub sanitate; & est extra latitudinem morbi, ad cujus primum terminum sese extendit; neq; enim habendus est respectus hic duorum extremorum, scil. sanitatis & morbi, inter quę medium tenet locum status neuter, sed actionum, quæ juxta acceptionem medicam ad statum sanitatis adhuc spectant: Nam tamdiu animal sanum censetur, quamdiu non ægrotat manifestè, ergò etiam in statu neutro, qui à morbo excluditur, adhuc sanum censetur. Quando autem & quomodò morbus incipiat; infrà disp. de morbo in genere dicetur.

DICO 4. Sanitas imperfecta sive ex decidentia secundum magis & minus differt à statu neutro: Ratio constat ex dictis, quia sanitas ex decidentia identificatur cum statu neutro, habetq; eandem constitutionem corporis & eosdem effectus, videlicet actiones nonnihil deficientes.

DICES, Hinc sequi, multos esse qui tota vita in statu neutro existant, quod tamen non videtur esse dicendum; sequelam docet experientia apud eos, qui semper imbecillo sunt corpore, ac proinde medii velut inter sanos & ægros vivunt. Resp. hanc sequelam non esse absurdā, quia sicut possibile est, hominem semper esse sanum & robustum, ita etiam fieri potest, eundem esse semper aut ægrum aut imperfectè sanum; Et hinc adverte, imbecillitatem vel oriri ab intrinseco vel ab extrinseco; Illud est à prima formatione corporis organici, hoc à causis morbosis, videl. ab aëre, cibo & potu, somno & vigilia, motu & quiete, &c. quocunque autem modo imbecillitas accidat, cum statu neutro sive sanitate ex decidentia toto vitæ decursu vivere homo potest. *Imbecillitas corporis unde.*

DICO 5. Etiam declinatio post evictum morbum, spectat ad statum neutrum, estque idem cum eo qui antecedit morbosum, si non quoad modum, saltem quoad rem. prob. primum, in declinatione morbi corpus nec perfectè sanum est, nec ægrum ut constat ratione, experientia & consensu omnium Medicorum, ergo neutrum, id est, in tali statu positum, in quo nonnihil quidem à sano & morboso distat, ad illum tamen propriè spectat. Prob. secundum, quia in utroque statu, qui morbum antecedit, & sequitur, est debilitas virium, habitus

bitus corporis vitiosus, &c. & in hoc distinctus, quod ille sitâ præsentia causarum morbosarum, hic autem ab ijs jam virtute & robore corporis evictis, ergò in re conveniunt, in modo dissentiunt, quo alter in morbum ruit, alter ab eo fugit & recedit: Et ad hunc statum spectat multorum mortalium conditio quæ tota vita fragilis est & valetudinaria, &c, de qua jam prius.

Colligitur, differentiam inter morbum, sanitatem & statum neutrum non tam desumi ab ipsa corporis complexione & constitutione, quam ab actionibus vel plus vel minus offensis.

DISPVTATIO TERTIA.

De Agentibus & actionibus naturalibus,

AGentium naturalium munus est, vires suas & potentias in omnibus, quæ sub cœlo sunt, corporibus exercere, & illa tam per actiones perfectivas in statu connaturali conservare, quam per corruptivas in interitum devolvere: his ipsis enim universum per continuas corruptiones novasque productiones perpetuatur, manetque ea pulchritudine & specierum ornamentis, quibus olim à conditore Deo productum fuit. Et hinc non incongruum videtur, si ante corporis solutionem hæc agentia paucis in genere tractentur, quia principia sunt per quæ omnes operationes eliciuntur, annisque successivis homini mortalitas ob oculos ponitur: præstant etiam dignitate & perfectione quod formæ sint, substantiæ, & cùm entia tum composita physica quibus inest natura & vera potestas conservandi & corrumpendi, immutandi & producendi; unde etiam non tam sibi quam aliis in ruinam & conservationem data sunt, quia suis dotibus licet etiam vilissimis aliquando contenta quibusvis externis resistunt injurijs, ut quod bonum est ijs maximum, maneant id quod sunt, nec fiant contrà naturalem inclinationem id quod non sunt. Hoc nimirùm agitur aliquamdiu, vivitur que in crastinum sine sollicitudine, quousque virtus altioris Agentis in contrarium agat, & meminisse faciat ejus fallacissimæ corruptibilitatis, quam in sinu nocentes gerimus; Mirum certè, quam varia sit vis agentium naturalium, & quam multiplex eorum effectus; His enim utrisque tota rerum omnium vicissitudo peragitur, & quicquid omnibus annorum revolutionibus succrescit aut in interitum ruit, exoritur & emoritur. Hinc ut agentium naturalium virtus & potestas cuivis facilè constet, unàque cum actionibus suis ab illegitimis vindicetur, paulò altiùs ab ipsa natura, quæ intrinsecum est rerum & agentium naturalium principium, juxta Physicorum placita sumere initium placuit; Sequitur itaque

DIFFICULTAS I.

Quid sit natura.

NOTA, naturam aliquando sumi pro complexione, ut cum homo dicitur naturâ biliosus, iracundus, &c. aliquando pro eo quod non fit per artem, sive illud sit contingens, ut cum homo ebrius vomitu morbum præcavet, sive necessarium, ut cum ignis stipulam accendit; rursum sumitur pro rei alicujus essentia, ut cum dicitur homo rationalis: Denique propriissimè pro principio generationis seu motus & quietis. Sicut autem natura, ita & naturale variè sumitur; Nam 1. significat quod est rei essentiale. 2. quod opponitur violento. 3. quod opponitur libero. 4. quod opponitur supernaturali. 5. quod opponitur fortuito & monstroso. 6. quod habet naturam conflatam ex materia & forma, estq; principium motus & quietis, scil. corpus physicum & naturale. 7. quod est rei necessariò conjunctum, ut sunt proprietates, & quo modo utplurimum sumimus naturam.

Suppono, dari naturam, quia datur motus, ut patet experientia, ergò etiam datur natura, quæ est principium motus. His positis

DICO, Natura communiter dici solet principium & causa movendi & quiescendi; ideoq; definitur ab Arist. 2. phys. cap. 1. quod sit principium quoddam & causa motus & quietis, in quo primò per se & non per accidens inest: Explicatur hæc definitio à Philosophis hoc modo. Primò ponitur principium loco generis. 2. additur causa, ut excludatur privatio, quæ licet sit principium, non est tamen causa, quia non influit concursu physico; Natura verò est causa motus non ut quod, sed ut quo: hinc per motum 3. intelligitur quælibet mutatio, sive instantanea, sive successiva, sive naturalis, sive præternaturalis, ut quando ignis vertitur in gyrum, sive contranaturalis, ut quando ignis idem fertur deorsum. Quod si ēt intelligatur hic motus localis, tunc cœlum non erit natura juxta eos, qui illi negant princip. intrinsecum *Natura quid.*

cum

Quies accipitur dupliciter.

cum motus: 4. dicitur quietis, quæ dupliciter accipitur; 1. pro vera privatione motus; 2. pro permanentia poſitiva ſeu poſſeſſione termini per motum acquiſiti; ſic ſtomachus & animal appetit cibum, ad quem obtinendum movetur, eoq; acquiſito acquieſcit; in definitione ſumitur quies ſecundo modo, ut ſit ſenſus, natura eſt cauſa qua res naturalis quieſcit & movetur. 5. particula, &:, non accipitur copulativè nec diſtributivè ſimpliciter, ſed potius ut faciat hunc ſeoſum, natura eſt principium non tantum motus ſed etiam quietis, non in omnibus ſed io iis quorum ſubjectũ requirit quietem ſemper, ut terrà, quia cœli non quieſcunt: Et hoc eſt, quod alij dicunt, accipi copulativè quoad motum & quietem, diſtinctivè autem quoad ſubjectum, ſicut eſt ſenſus hic, anima eſt id quo vivimus, ſentimus, movemur, intelligimus, non quod anima hæc omnia ubiq; efficiat ubi ipſa eſt, ſed ubicunq; hæc ſunt, etiam ibi ſit anima, & illa ab anima ibidem procedunt: Itaque non eſt ſenſus, quod ubicunq; eſt natura, ibi etiam ſit motus & quies, ſed quod in omnibus, in quibus vel eſt utrumque vel alterutrum illorum, ibi etiam ſit natura, conſequenter quod omne corpus naturale tam illud quod ex ſe movetur, quam quod ex ſe quieſcit, habeat in ſe naturam. Dicitur 6. in quo, ut excludatur ars & quodlibet aliud principium extrinſecum, quia non efficit operaoonem in eo in quo non eſt, unde vinum, piper, producit in ſe calorem eſſentialiter, in ſtomacho per accidens; Artifex verò, ut ſtatuarius, efficit motum in alio, ut in ſtatua per accidens. Dicitur 7. primò, ut intelligatur, naturam eſſe princ. radicale & remotum, non proximum & immediatum ſeu inſtrumentale, cujuſmodi ſunt potentiæ & accidentia. Dicitur 8. per ſe & non ſecundum accidens, id eſt, principium ſubſtantiale & non accidentiale, ut eſt Muſica in muſico, ad differentiam artis & accidenoum, quæ à natura ſeparari poſſunt; quia etiam ars eſt interdum principium motus in eo in quo eſt, v.gr. ſi Medicus ſeipſum curet; ſed hoc non eſt per ſe, ſed per accidens, quia accidit eund. hominem eſſe ægrum & Medicum; Ultima pars, non ſecundum accidens, additur explicationis gratia: Hæc definitio eſt tantum per proprietates quæ ſequuntur naturam, per quas utpote notiores explicatur eſſentia naturæ: Totius autem definitionis ſenſus eſt, quod natura ſit princ. activum vel paſſivum motus vel quietis ſucceſſivè & in eodem ſubjecto, ſi utrumque illi conveniat, vel alterius tantum, ſi alterutrum illi tantum convenerit, & tale quidem quod ita inſit, ut nihil illo ſit prius. Si

Senſus definitionis.

DICAS 1. Cœlos nunquam quieſcere, nec terram loco moveri, & tamen utrumque corpus eſſe & conſtare naturâ, ergò malè dicitur hæc eſſe principium motus & quietis, hujus quidem in cœlis, illius autem in terra. Reſp. moveri & quieſcere, ut ex definitionis ſenſu & explicatione patet, partim disjunctim, partim copulatim accipiendum eſſe, ita ut natura ſit principium & cauſa aut motus tantum, ut in corporibus cœleſtibus, aut motus ſimul & quietis ut in cæteris corporibus, aut quietis denique ut in globo terreno, cui tamen nihilominus attribui poſſit natura velut principium ooo tantum quietis ſed etiam motus; quia imprimis ratione partium ſaltem movetur; deinde habet naturalem propenſiooem & potentiam, ut ſi totus eſſet extra locum ſuum naturalem, totus etiam deorſum ferretur, & quidem à propria forma ſubſtantiali, tum innata gravitate. Quod autem de terra ratione motus, id etiam de cœlis ratione quietis dici poteſt; Nam licet ex ſententia Ariſt. ſphæris cœleſtib⁹ noo inſit quietis principium, ut patet ex 9. metaph. c. 9. ubi habet nõ eſſe pertimeſcendum cœlos quieſcere; communis tamen eſt inter modernos philoſophos opinio, cœlum non tantum ad motum, ſed etiam ad quietem ex ſe habere inclinationem, licet hoc rerum ordine qui nunc eſt, non niſi miraculosè quieturum ſit, proindeque naturam cœlorum ex ſe non tantum motus, ſed etiam quietis eſſe princip & cauſam; ut videre eſt apud Conn. 1. cœl. c. 2. q. 3. a. 4.

Quomodo natura in cœlo ſit principium quietis, &c.

DICES 2. Cœlum movetur ab extrinſeco, ut conſtat ex Ariſtot. & qui eum ſequuntur; Nam hi ſentiunt cœlos moveri ab Intelligentijs, ergò horum natura non eſt princ. motus & quietis: Nam cum natura ſit principium intrinſecum, & cœli moveantur extrinſecè, ſequitur eorum naturam hic noo definiri & explicari. Ad hoc argumentum reſpondebitur infrà, ubi dicetur etiam formam cœli eſſe naturam.

DICES 3. Elementa moventur à Generante, ergò non moventur à principio intrinſeco, quia omne quod movetur, ab alio movetur. Reſp. elementa quidem moveri à Generante quatenus ab eo accipiunt ſuum eſſe, non tamen quatenus ſurſum vel deorſum moventur. cum motus hic fiat à forma intrinſeca, tum gravitate & levitate, ut patet ex lib. 2. diſp. 5. de Elem. diffic. 20.

Elementa quomodo moveantur à Generãte

DICES 4. Vapores dicuntur naturaliter aſcendere ſurſum, & tamen ille motus non poteſt eſſe à principio intrinſeco, quia forma ejus eſt aqua, cui potius competit eſſe infrà aërem, ergò motus ille provenit ab alio principio; Et ſimile quid intellige de ſanguine, qui ex pede naturaliter movetur ad caput. Reſp. poſito vaporem eſſe ſubſtantialiter aquam, & ab ea tantum diſcrepare accidentaliter quoad raritatem & levitatem, iſte tamen motus non eſt naturalis, quia non fit elicitivè à principio intrinſeco, ſed a raritate & levitate tanquam à cauſis inſtrumentalibus, quas Agens calidum io aqua produxit; poteſt tamen ideò dici naturalis, quia fit juxta exigentiam cauſarum univerſi, qua reſolvitur poſteà in pluviam. Quod ſi tamen vapor diſtinguatur eſſentialiter ab aqua, tunc motus erit à cauſa intrinſeca; motus autem ſanguinis fit à principio extrinſeco, videl. ab anima propter bonum corporis.

DICES 5. Hanc definitionem convenire etiam Angelis qui non ſunt natura; quia ſunt ſubſtantiæ ſimplices, & tamen ſunt cauſa intrin-

Motus Angelorum non est physicus. trinseca motus & quietis. Resp. motum localem Angelorum non esse physicum de quo hic agitur, & cujus subjectum est quantum & compositum, proinde negatur assumptum.

DIFFICULTAS II.

Quibus rebus conveniat natura.

PRoprietates, officia & conditiones naturæ sunt, quod propter finem operetur; quod nihil faciat frustra aut temerè, sed optimum quod facere potest; *Proprietates naturæ* quod non deficiat in necessarijs nec abundet in superfluis; quod nihil patiatur otiosũ; quod sit causa ordinis; quod nobiliora nobiliori collocet loco; quod inutilia secernat ab utilibus; quod determinetur ad unum; quod delectetur paucissimis; quod uno ad plura utatur; quod refugiat imperfectum, &c. quæ videri possunt tum apud alios tum apud Picolom. gradu 1. moral. cap. 29. Jamdum quæritur quibus rebus conveniat natura, respondeo &

DICO, Natura multis rebus convenit; Nam primò causa efficiens quà in se aliquid efficit & non in alio, est natura; sic ignis quatenus in seipso calorem producit, natura est, non quatenus in ligno. 2. compositum ex materia, & forma non est natura hic definita, quia ens naturale non est natura, sed habens naturam: Neque dicas compositum esse principium motus & quietis; quia est principium ut Quod, non ut Quo; compositum enim non est in alio sicut natura: Quod si tamen aliquando vocetur natura, tunc sumitur hæc amplè pro tota essentia. 3. materia etiam non est propriè natura, sed tantum metaphoricè, quatenus est susceptiva formæ, quia sumitur natura pro principio effectivo motus & quietis non pro passivo; Deinde materiæ non convenit violentum, ergò nec naturale illius oppositum & consequenter nec natura; Cui enim convenit unum ex oppositis, etiam debet convenire aliud, quia opposita sunt circà idem, ut album & nigrum circà corpus, sanitas & morbus circà hominem. 4. forma est propriè natura, quia ab hac omnis res naturalis habet suum esse. 5. etiam forma cœli est propriè natura, quia numeratur inter corpora naturalia; *Mixta unde moveantur.* de alijs formis mixtorum inanimatorum nulla est controversia: Neque dicas mixta moveri à prædominante elemento, ergò non à propria forma; ergò formæ mixtorum non erunt natura; similiter cœlum moveri à principio extrinseco, videl. ab intelligentijs. Quia respondetur ad primum mixta moveri à forma mixti, quæ participat magis qualitatem hujus quã illius elementi, non autem à forma elementi quæ manet in mixto. Ad secundum respondetur dupliciter, 1. ex sententia plurimorum motum illum cœli non esse quidem à forma intrinseca, cum sit purè naturalis; nihilominus tamen quietem, quæ ipsis aliquando naturaliter competeret, esse à forma, & hoc sufficere. 2. respondetur negando cœlum moveri ab extrinseco, sed à propria forma. *Cœli unde moveantur.* Nam præterquam quod hæc opinio definitoni sit conformissima & manifestè ostendat motum in cœlis esse à natura tanquam à principio intrinseco, fatentur etiam Anthores qui contrarium sentiunt, nulla ratione evidenter demonstrari posse, cœlum moveri ab Intelligentijs, & non à propria forma, eo modo quo elementa moventur à formis suis proprijs, esse autem duntaxat ex opinione Aristot. probabilius & verisimilius motum cœli fieri non ab intelligentia, ut est 2. cœl. c. 6. ubi motus cœli dicitur uniformis & æquabilis, quod motorem habeat immobilem: & rursum 12. met. c. 8. ubi ait, eos esse substantias immateriales moventes, quot orbes, &c. Itaq; non pauci cùm ex antiquis, tum ex recentiorib. Philosophis reperiuntur, qui docent orbes cœlestes moveri à propria forma instructa certis quibusdam qualitatibus, quæ ad motum natura sua ordinatæ sint, eò quod corpa cœlestia nõ sint deterioris conditionis quam sublunaria, quæ omnia à propria forma moventur, tum etiam quod motus circularis in cœlo non sit violentus, ut sunt isti qui ab extrinseco fiunt, sed tam ratione materiæ quam formæ naturalis ut videre est apud Conn. 1. cœl. cap. 2. q. 3. a. 2. & alios. 6. anima vegetativa & sensitiva etiam est vera natura, quia plantę & animalia sunt vera entia naturalia, habentq; verum principium intrinsecum nutritionis, accretionis, motus localis, &c. formam scil. sive animam. Neque dicas naturam esse determinatam ad unum motum; Deinde quę moventur motu locali vel naturali, nõ fatigari; quia hoc verum est de ijs quæ moventur motu simplici ut lapis, ignis, non v. de ijs qui moventur motu progressivo & cũ pręvia cognitione. 7. Et anima rationalis qua conjuncta est corpori, est vera natura, non autem quà separata: Probatur prima pars, anima rationalis est vera forma corporis, ergò est natura: Deinde est principium operationum vitalium, ergò. Probatur 2. pars; Nam natura separata non habet operationem pendentem à materia, sensibus & phantasmatis; pronde non pertinet ad physicum, multo minus ad Medicum ex primo de part. anim. c. 1. sed ad metaphysicum. 8. privatio valde impropriè dicitur natura, quatenus est aliquid formæ, hoc est, negatio ipsius, imò multi eam excludunt per particulam *causam*; licet enim sit principium motus non est tamen causa.

DIFFICULTAS III.

Quid sit naturale sive secundum naturam, præter naturam, contra & supra naturam.

LIcet Arist. 2. phys. c. 1. Inter naturale & secundum naturam hanc videatur facere distinctionem. quod videl. ad primum referat omnia entia naturalia seu composita physica; ad alterũ verò præter hæc omnia, etiam affectiones

nis omnes quæ ijs per se ac naturaliter compe-tunt, ut igni ferri sursum, terræ deorsum, homini sanum esse &c. hic tamen pro eodem sumi non incongruè possunt; unde

Secundum naturam quid.

DICO 1. Naturale vel secundum naturam apud Medicos est id, quod cuivis enti creato juxtà propriam debitam & exigentiam inest, ut Angelo immaterialem esse & spiritualem, Leoni fortem & magnanimum, homini sanum, igni ferri sursum, &c. Et ratio hujus est, quia dedit natura cuivis rei quod optimum est in suo genere, & quod ad ipsius esse & conservare pertinebat; Noluit etiam unquam abundare in superfluis, nec deesse in necessarijs, intellige in tota specie, esto deficiat subinde in individuis, aut sit etiam superflua, ut patet in monstris quę se habent per accidens. Nota verò, naturale hic sumi pro eo quod enti & composito phylico ex lege naturæ convenit, sive illud sit essentiale ut Angelo esse immaterialem, homini rationalem, sive accidentale, ut Leoni fortem esse, Elephantiprudentem, homini sanum, musicum, &c.

Præter naturam.

DICO 2. Præter naturam est priori immediatè contrarium, ideoq; nihil aliud quam quod accidit enti naturali non ad exigentiam, sed ad repugnantiam & corruptionem sive alteratione, ut aquę calidã esse, homini ægrum, hyemi pluere &c. esto fiat id à causis naturalibus: Est hoc cotrà quosdam medicos, qui vel aliter naturale, pręter & contrà nativũ distinguunt, ut videre est ap. Fern. l. 1. de morb. diff. c. 2. vel præter & cõtra naturam pro eod. sumunt, ut constat ex Senn. l. 2. Inst. medic. c. 1. ubi ait, Hippocrati, Galeno, Avicennæ & alijs antiquioribus non naturale & præter naturam non esse idem, sed res non naturales inter naturales & præternaturales medio quasi loco collocandas esse. Quod autem præter naturam sit immediatè contrarium illi quod est secundum naturam, patet ex ipsis terminis, tum ex communi Phil. & Medic. opinione, qui sanitatem vocant affectum secundum naturam, morbum verò præter naturam.

Contrà naturam.

DICO 3. Contrà naturam est, quod fit contra propensionem & inclinationem naturæ rerumq; naturalium à principio extrinseco, potentius & modo quodam extraordinario operante, ut cum gravia ascendunt sursum, levia deorsum, cum sanguinem pluit, cum nova phęnomena in coelis conspiciuntur, cum media hyeme arbores inter nives & frigora florent, &c. Dixi 1. quod fiant contrà inclinationem rerum naturalium, non quod res naturales nullam habeant aptitudinem ad ejusmodi effectus, quia sicut aqua contra suam naturam habet potentiam naturalem calefiendi & corpus humanum ægrotandi; Ita etiam domus integra aptitudinem habet, ut à principio extrinseco ad alium locum intrà breve tempus deportetur, sed quod hæc aptitudo ad effectũ, & modus ad actum aut non æquè facilè à quovis Agente naturali eliciatur, aut ob imbecillitatem intellectus nostri difficulter à nobis cognoscatur; sic enim facilè concipimus calefactionem aquæ frigidæ, aut quod corpus nostrum ægrotet, sed non æquè percipimus, quomodo idem corpus certis quibusdam & stipendis affectib. citrà manifestã causam affligatur, aut quomodo ingens machina Romã Pragam spatio unius horæ deportetur, aut miranda quædam phęnomena in aëre contrà inclinationem naturalẽ exhibeantur, esto fiant à causis naturalib. & sint contrà vel præter naturæ ordinem: Et hinc dixi 2. quod fiant à principio extrinseco potentius & modo quodam extraordinariè operante, quæ omnia quidem in hoc conveniunt cum principio quovis extrinsecus operativo, quod in subjecto alieno producit effectum pręternaturalẽ, discrepant tamen, quod sint altioris ordinis dignitatis & majoris activitatis: Nam constat parum esse quod aqua calefiat contra naturalẽ inclinationem, quia novimus id per calorem fieri; nec adeo stupescimus, cũ eand. aquam aut lapidem aut quævis alia ponderosa sursum ferri cernimus, quia hæc facilè causis naturalib. adscribimus; sed cum monstra gigni videmus, aquã in sanguinem converti, carnem aut lapides pluere, aliaq; miranda fieri, hic primũ attoniti subsistimus, illudq; contra & non tantum pręter naturam fieri credimus, quia suprà captum & intellectum nostrũ id esse putamus. Et hinc colligitur, differre præter & contra naturã in hoc, quod illud à causis crebriorib. & faciliorib. hoc autem à rarioribus & difficilioribus accidat.

Differentia inter contra & præter naturã.

DICO 4. suprà naturã est, quod fit sola virtute divina, ut resuscitatio hominis mortui, visus cæco restitutio, conversio aquæ in vinũ &c. Nam hæc omnia superant virtutem agentis naturalis, ideoq; non fiunt sed nec fieri possunt opera, beneficio & auxilio naturæ creatæ, cujus vis ubiq; limitata est. Quod si dicas multa fieri suprà naturam et à rebus naturalib. & creatis, ut est pluitio sanguinis, restitutio visus, aut curatio magnorum affectuũ à Medicis, ergò non omnis effectus, qui est suprà naturam, fit sola virtute divina. Resp. 1. effectus supernaturales esse duplices, alii sunt quoad rem & modum tales, alii tantum quoad modum: primi fiunt à solo Deo, nec fieri possunt ab ullo Agente creato, ut productio animæ rationalis, conversio aquæ in vinum, &c. ultimi possunt fieri à rebus et creatis quoad rem, ut restitutio sanitatis, non autem quoad modum, quia Deus in instanti & absq; causis secundis morbum expellit & sanitatem restituit. 2. Restitutio visus, pluitio sanguinis, restitutio sanitatis non sunt semper suprà naturam, quia fieri possunt à causis etiam naturalibus, & ab ijs denuò tolli.

Effectus supernaturales duplices

DIFFICULTAS IV.

Quid sit motus naturalis, violentus & medius, id est, præter naturam.

PRæter motum rectum, reflexum, velocem, tardum, regularem, irregularem, ad quantitatem, qualitatem & ubi seu locum, dividi solet hic idem motus in naturalem, violentum & medium, i.e. præternaturalem; Et de hac ultima divisione cum potissima sit quæstio,

DICO 1. Motus naturalis essentialiter dicitur ille, qui fit à principio intrinseco, nul-

Motus naturalis unde.

lam vim passo conferente, id est, fit à forma intrinseca, & recipitur in materia seu composito propendente ad talem motum tanquam ad suam perfectionem: sic sanitas est corpori naturalis & frigefactio aquæ, quia fiunt à forma intrinseca, quod idem intellige de motu lapidis deorsum & de motu ventriculi aliarumque partium, dum cibum potumque appetunt & attrahunt. Dicitur essentialiter, quia si in alio subjecto v. gr. vinum in stomacho vel capite producit calorem, motus ille non erit propriè & per se naturalis, sed impropriè & per accidens, quia non est in eodem subjecto, hinc alteratio perfectiva est tantum naturalis non corruptiva. Quod autem motus naturalis tam in rebus animatis quam inanimatis fit ab ipsis earum formis substantialibus tanquam à causis præcipuis, à gravitate & levitate tanquam ab instrumentalibus, id plerique docent contra Cajetanum & nonnullos alios asserentes gravia & levia si animata sint, moveri à formis propriis, si inanimata à suis Generantibus. De animatis nulla est controversia, quia sponte moventur in quamcunque partem; De inanimatis probatur, quia quando ignis ascendit, vel ascendit à forma propria, vel à materia, vel à generante, id est, ab alio igne à quo productus est; Non à materia, quia omnis motus respectu materiæ est naturalis; Nec à Generante, quia id non est amplius in rerum natura, ergò à forma intrinseca instructa suis qualitatibus motricibus, ut gravitate & levitate: Et huc pertinent omnes res inanimatæ, quæ moventur ad locum sibi competentem.

Motus violentus quid.

DICO 2. Motus violentus dicitur, qui à principio extrinsecus impellente proficiscitur contra naturalem inclinationem ejus à quo motus recipitur; sic lapis in altum projectus resistit positivè per gravitatem, & nititur deorsum: à quo nam autem ille motus violentus fit, controversum est apud Philosophos. Aliqui docent, motum projectorum non fieri ab ulla virtute impressa, sed à corpore medio, ita ut ille, qui lapidem v. gr. sursum projicit, priorem aëris partem commoveat, qui collisus aliû rursus concitet, & hic alium consequenter, donec viribus exhaustis aër alium non propellat, ideoque motus desinat. Alii tamen melius cum Scal. exerc. 28. & plerisq; aliis contrariû sentiunt, cum ajunt, quamvis medium corpus à tergo urgens motum projectorum aliquantulum possit promovere, veram tamen & adæquatam rationem talis motus esse impetum sive qualitatem impulsivam à projiciente corpori impressam.

Motus projectorum à quo.

Motus medius sive p.n.

DICO 3. Datur etiam motus medius sive præternaturalis. Ratio, quia datur motus, cui subjectum non resistit, neq; ad illum tanquam ad suam perfectionem positivè inclinat, quia motus non est violentus, quia non fit resistente passo sive subjecto. Neq; est naturalis, quia nõ inclinat in illum tanquam in perfectionem suã naturalem; Talis est motus aëris ad illuminationem, materiæ ad formam, quando caret omni forma, quantitatis item ad figuram, & juxta multos, motus circularis cœlorum, quia inquiunt, cœlum est indifferens ut in gyrum, sursum aut deorsum moveatur.

DIFFICULTAS V.

In quibus conveniant aut discrepent ars & natura.

CUm ars ubique conetur naturam æmulari, ideò

Ars & natura conveniunt.

DICO 1. ars & natura conveniunt in multis per quandam analogiam. Declaratur, primò tam artis quàm naturæ opera procedunt certa præscriptione ratisque legibus. 2. sicut natura producit effectum sibi similem ratione formæ, ut ignis ignem; sic ars effingit opus intelligibili formæ seu exemplari ab artifice concepto conforme. 3. sicut ars naturam, ita hæc Deum supponit, nimirùm uti ars nihil efficit nisi suppeditato sibi composito physico, in quo artificiosam formam producat; Ita natura nihil gignit nisi ex præjacente materia prima quæ à Deo creata est. 4. Utraque ab imperfectioribus ad perfectiora procedit; Sicut enim natura in animantibus v. gr. effingit primò fœtum sine distinctione membrorum, quem deinde paulatim perficit; Ita etiam ars v. gr. pictoria opus futurũ primò ruditer adumbrat; deinde efformat coloribus simplicioribus, denique perfectioribus absolvit. 5. Ut natura est mensura & regula artis, quia tunc pictor excellit, cùm proximè accedit ad opus naturæ, ut si uvam quasi naturalem pingat; sic ars est mensura artefactorum, quia tunc est statua vel domus artefacta, quando respondet ideæ artis quæ est in mente artificis: Hinc est quod ars dicatur simia vel æmula naturæ, quia secundum naturam multa effingit, v. gr. ex volatu avium vela, ex piscium pinnis remos, ut ex eorundem piscium cauda gubernacula; Et sic natandi peritiam didicerunt homines ex motu remorum. 6. Tam in ijs, quæ naturaliter fiunt, quam quæ artificiosè elaborantur, casus locum habet, quia frequenter aberratur tam à regula naturæ quam artis; hinc quandoq; bonus dormitat Homerus.

Discrepant

DICO 2. Discrepat ars & natura 1. subjectum naturæ est Ens in potentia tantum, seu quod idem est, pura potentia seu materia prima; subjectum verò artis est ens actu, videlicet compositum physicum; hinc illud commune pronunciatum, ubi incipit ars, ibi desinit natura. 2. quotiescunque ars & natura ad opus aliquod conspirant, ars respicit naturam & obtinet locum regulæ; Natura verò est quæ formatur & regitur, ut patet in musico qui arte canit; Neque tamen hinc sequitur; quod ars naturæ præstet, quia licet effecta naturæ, ut vox & manuum pedumque agitationes ab artis præscriptione modificentur, simpliciter tamen sumunt suum esse à natura. 3. ars eum potentia activa nõ producit res veras

& di-

& distinctas à natura, sed solum aliam atque aliam figuram, ut patet in statua, quæ non differt realiter à ligno, è quo sculpta est, licet illud lignum nunc aliam habeat figuram quam antea; 4. ars versatur præcipuè in exteriori superficie; ut patet in Mercurio, quem extrinsecus tantum effingit, & ideæ jam prius conceptæ adumbrat; Natura verò laborat etiam in intimis partibus corporis, ut patet cum formam omnibus particulis præsentem tribuit. 5. formę per artem introductæ nullam habent vim agendi, ut manifestum est in sculptilibus Ethnicorũ quæ suis devotis olim prodesse nunquam poterant; Quę verò sunt naturaliter productæ, utplurimũm sunt activæ & principia operationũ. Plura vide apud Physicos.

DIFFICULTAS VI.

An per artem humanam metalla in se mutuò transmutari, adeoque aurum confici possit.

ITa nostris temporibus & annis hæc quæstio communis est, ut nemo ferè amplius eam in dubium vocare ausit, dum omnia hujusmodi artificum plena sunt, & quisque dum Mercurium coquit, aut metalla fundere & liquare novit, suis è fornaculis aurum promittit, quasi res parva sit metalla in se invicem sicut & Elementa transmutare: Est autem sensus quæstionis non tam de actu quam de potentia; id est, an mutua metallorum & præsertim auri confectio per artem possibilis sit, & an unquam arte productum fuerit, tum quis modus conficiendi illud.

Suppono, artem non posse aliter naturæ opera facere, quam applicando activa passivis, ut patet exemplo eorum, quæ à Magis & Maleficis, sed & ab ipsis spiritibus proficiscuntur; Nihil enim apud hos omnes fit vi verborum, characterum & similium, sed per applicationem realium Agentium. His positis

Nihil fit per verba aut characteres &c.

Metalla possunt in se transmutari.

DICO 1. metalla possunt in se mutuò transmutari per artem, patet hoc in ferro, plumbo, argento, mercurio, quorum illud in chalybem, alterum in stannum, tertium in aurum, quartũ in solidam quandam substantiam sive æs quoddam virtute ignis, qui potens est præsentes expellere virtutes & introducere novas, convertitur. Dixi tamen per artem, quia non solet hoc facere natura, quæ dum rem in esse suo constituit, jam nihil amplius molitur, juxta illud quod determinetur ad unum. & quod cuivis rei dat esse suum perfectum & completum.

DICO 2. Non potest metallum quodlibet transmutari ex quolibet. Ratio est, quia non potest perfectius mutari in imperfectius; Nam hunc ordinem semper observant ars & natura, ut semper ab imperfectiori procedant ad perfectius, ex quo constat, non posse mutari aurũ in argentum aut cuprum, &c. Deinde habent metalla eam qualitatum temperationem & materiæ dispositionem, ut per nullam artis potestatem possint in quodvis aliud converti, ut patet de ferro cujus tota natura & dispositio intrinseca ita respicit mercuriũ aut plumbum, ut nullo modo in ea transmutari possit.

Potest aurum arte confici.

DICO 3. Quamvis difficilis sit confectio auri per artem Chymicam, non est tamen omninò impossibilis. Est contrà D. Thomam, Ægidium, Keckermannum, Arabes & alios, qui aurum hoc Chymicorum non verum & purum sed fucatum & imperfectum judicant. Sed probatur 1. potest Angelus sive Spiritus conficere aurum per applicationem activorum ad passiva, quia cognoscit materiam auri & qualitatum temperationem quæ ad illud requiritur, ergò etiam poterit homo, cujus captum & ingenium hæc ara omninò non superat. 2. Confectio auri per artem nec est impossibilis ex parte materiæ quæ est indifferens ad omnea formas, nec ex parte formæ, quia hæc inducitur in materiam inductis prius dispositionibus quæ possibiles sunt, sive ab homine sive à spiritu, ergò potest aurum arte Chymica parari. Quod si dicas ad generationem auri requiri primò calorem cœlestem; secundò influxum astrorum, qui uterque Chymicis incognitus est. Resp. negando utrumque, quia etiam calor elementaris & igneus idem facit, cum sit ejusdem speciei cum cœlesti; Influxus astrorum figmenta sunt eorum, qui immediatè omnia cœlis tribuunt. Quod autem difficilis sit hæc ars conficiendi aurum, patet imprimis experientia; Et hinc

DICO 4. Quamvis utplurimùm hæc ars sit reipublicæ & principibus noxia, quod ejus Professores magnis impensis & laboribus adhibitis tandem vel cineres pro pretio & lucro relinquant, vel etiam cum fumo evanescentes alios decipiant, ipsa tamen experientia docet, quandoque reperiri, quibus hæc ars & fortuna ita faveant, ut diu multumque in hujusmodi auri confectione insudantes aliquid efficiant, cito sine lucro & commodo. Hoc totum desumitur ab unica hujus artis difficultate, in qua tot præcepta circà naturam permiscendam, circà dispositiones introducendas, circà cujuslibet requisiti naturam & qualitates dignoscendas observanda occurrunt, quæ non nisi ingenti negotio notantur, vel casu & fortuitò à laborantibus deprehenduntur, ut testatur experientia, dum repetitis vicibus omnis materia vel in cineres abit, vel in auras evolat, casu autem verum & legitimum aurum resolvitur & transmutatur: de dolis & fraudibus, quæ hanc artem frequentissimè comitari soleant, loquantur urbes & regna, magnates & provinciæ.

Modus conficiendi aurum incertus est.

DICO 5. modus conficiendi verum aurum plerisque laborantibus dubius est & incertus, sicut & materia remota non uniusmodi. Ratio prioris est, quia plerunque decipiuntur & decipiunt, ergò incerti sunt de modo, cùm alias nunquam aberrarent. Quod autem metalla transmutari & per ig-

nem perfici possint, nemo facilè negaverit, quia constat etiam, tantam vim omnis generis fossilia & mineralia in se mutuò exercere, ut in admirationem rapiant mortales, & propter hanc solam causam multos in ejusmodi transmutationem addiscendam pelliciant. Quod etiam materia remota ex qua aurum arte conficitur, non sit uniusmodi, testantur ipsi Chymici, qui ad hoc mercurio, cupro, argento, &c. utuntur, imò & ferro per tincturam auri: quod si quæras quid de tinctura hac, de qua tanti labores & sudores, tanti rumores, effectus & promissa, judicandum sit, Respondeo &

DICO 6. longè incertiora sunt, quæ de tinctura auri non tam in ordine ad modum conficiendi, quàm ad effectum, videl. quodvis ferè metallum solo tactu & affrictione in verum & legitimum aurum brevi temporis spatio convertendi, sparguntur. Ratio est, quia sive hæc tinctura essentialiter sit aurum, sive aliquid efficacissimæ substantiæ, neutro modo verum aurum ex quocunque etiam metallo producit, cum ingentis sit laboris & industriæ multiq; temporis, è ferro v. gr. expellere dispositiones & qualitates ingenitas & inducere novas, quæ ad novam formam auri determinent. Et hoc unicum fundamentum sufficientissimũ est pro eludendis aurificum vanissimis commentis & experientiis, ad quas si appellent, aurumque solâ tincturâ se fecisse attestentur, vel fraus dolusque subest, quem artificiosissimè tegere norunt, vel certè substantia illa quàm pro auro venditant, illegitimum est, nihilq; continet intrinsecum, nisi fortè apparentiam aliquam vel colorem qui fraudulenter ad tempus aurum referat: Et confirmat hanc conclusionem status & conditio hujusmodi probrosorum hominum, qui cum plerunque sint vagabundi, laceri inductique Asini, apud Principes & Magistratus sese ingerunt, & pro fumo quem vendunt, honores, divitias, dignitates & officia, vel quod dignum iis est præmium, aliquando furcam mereantur. Neq; enim ullus est magnorũ virorum, quique ingenio & doctrinâ illustres sunt, qui tametsi auri confectionem per multas longasque digestiones, non autem affrictione per tincturam possibilem credant, huic studio aliquid temporis impendant nisi ob aliquam curiositatem, honestam occupationem, & experientiam in metallorum transmutationibus stupendisque naturæ operationibus faciendam; Et sive metalla specie sint distincta sive non, quod ultimum pro facili argumento sumunt Aurifices, maximi certè laboris est imitari naturam, & tam solida corpora cum suis qualitatibus & dispositionibus corrumpere, inque eorum materiam formã auri & non buffonis aut alterius compositi inducere. Experientiis quæ à variis variæ produci solent, quanta sit fides adhibenda, quisque novit, & dat sufficiens documentum clavus ille ex una parte ferreus, & ex altera aureus Ferdinando III. p. m. Ratisbonæ Anno 1653. oblatus, quem cum ipse ut Princeps prudentissimus diligentius servaretur, invenit in medio coalitum, ipso interim qui obtulerat, & pro oblato 100. aureos acceperat, post honestam excusationem cum clavo suo rursum aliò migrante.

DIFFICULTAS VII.

Quanam res sint agentia naturalia.

Fuerunt nonnulli ex antiquioribus qui senserunt, solum Deum omnia facere ad præsentiam creaturarum: Alij negarunt creaturas corporeas aliquid efficere: Alii denique docuerunt, creaturas corporeas efficere sola accidentia, spirituales autem substantias. Sed his missis

DICO 1. Res creatæ verè subeunt rationem causæ efficientis. Probatur sensu & experientia, quia videmus solem illuminare, ignem sentimus calefacere. Deinde multa absurda sequerentur ex contrario; Nam 1. frustrà dedisset Deus tam diversas qualitates, potentias & virtutes rebus diversis, 2. tollerentur actiones liberæ, & consequenter omnes virtutes & vitia. 3. non faceremus Volitiones malas, sed Deus eas sine præsentia objectorum in nobis sine nobis crearet, essetque Author mali quod est absurdum.

DICO 2. Quamvis substantiæ creatæ non possint producere substantiam secundum se totam, possunt tamen ex præjacente materia; probatur 1. pars, quia talis actio, qua producitur substantia secundum se tota, esset creatio, quæ soli Deo competit. 2. pars liquet tam ex dictis quàm experientia; sicut enim videmus ignem calefacere lignum, ita etiam videmus eum producere alium ignem ex præjacente materia, videlicet ex ligno; Et eodem modo gignit anima nostra in corpore per potentias suas varias operationes & actiones vitales.

DICO 3. Causæ 2. spirituales, ut sunt Angeli, quantumvis habeant virtutes effectivas, quibus hominem & alia sublunaria longè superent; Non possunt tamẽ producere formas ullas substantiales, imò nec accidens ullum absolutum. Causam hujus aliqui putant à nobis reddi non posse; alii ex D. Thoma 1. p. q. 110. a. 2. afferunt hanc, quia inquiunt Intelligentiæ propter modũ essendi (non sunt n. formæ corporum sed substantiæ abstractæ ab omni materia, ideoq; improportionatæ ad ejusmodi actionem) non habent virtutem transmutandi materiam ad formam, adeoq; nec cõtinent qualitatem materialem formaliter nec eminenter. Alii aliam addunt, quia ajunt absurdũ esse Angelos ad nutũ suæ voluntatis posse quamcunq; formã & rem possibilẽ ex materia producere, ecũ fides nostra ad Heb. 2. doceat, Deum Angelis non subjecisse orbem terrarum, qui tamen subjectus esset, si in hoc mundo inferiori possint quascunq; res generare & corrumpere; An verò Angelus producere possit impulsum vel qualitatem, motricem projecto imprimere, litigant il-

Cur Angeli nihil possint absolutè producere.

inter se Philosophi, quod cum sit extra forum hujus instituti; idcircò

Etiam Deus concurrit cũ agentibus naturalib⁹

DICO 4. Quamvis res creatæ habeant efficientiam & virtutem producendi non solùm accidentia, sed etiam substantias, Deus tamen cum omnib. iis ad producendos suos effectus ita concurrit, ut etiam implicet aliter fieri posse. Patet hoc ex Job. 10. ubi ait, manus tuæ Domine fecerunt me; Et Joan. 10. pater meus usq; modo operatur &c. probatur etiam 1. ratione, non solùm essentia creaturæ ejusq; virtus & potentia operandi, sed etiam ipsa actio est ens à Deo dependens, sed actio non dependet ab agente per aliam actionem, ergò sicut immediatè seu seipsa dependet à creatura, ita etiam immediatè pendet à Deo. 2. causa 2. subordinata est Deo, & pendet ab illo in esse, ergò etiam in operari. 3. Non potest intelligi, quomodò Deus impediat ignem v. gr. ne urat vel calefaciat, nisi quia subtrahit concursum, qui necessarius est igni ad urendum & calefaciendum.

DICES 1. Ex hoc sequitur, Deum esse Authorem peccati, quia concurrit ad ejus operationem. 2. frustrà datam esse virtutem & potentiam operandi causis secundis, si non possunt solæ absq; causa 1. operari. 3. si Deus producit visionem cum homine, sequitur Deum videre. 4. causas secundas esse instrumenta tantum causæ primæ, & actiones Dei esse imperfectas, perfici autem concursu & actione secundarum. Resp. ad 1. neg. seq. Quare autem Deus non sit Author peccati, ad Theologos pertinet explicare; satis est hic, Deum non concurrere moraliter & formaliter, quatenus videl. peccatum continet privationem rectitudinis debitæ & honestatis, etiamsi physicè & materialiter præbeat concursum; Non enim tenetur Deus cessare à concursu ad actionem purè physicam, quam sequitur privatio rectitudinis debitæ & honestatis, quia semper homo debet id in suis actionibus juxta præscriptum rationis habere, ut sint honestæ. Ad 2. resp. datam esse vim creaturis ut non solæ, sed cum causa 1. operentur. Ad 3. resp. ut dicatur aliquis videre, non sufficit ut producat visionem, sed ut illam etiam recipiat, quod ultimum Deo non competit. Ad 4. resp. tunc solùm dici causam aliquam esse instrumentalem, quando subordinatur causæ particulari non universali, qualis est Deus; Quandò autem dicitur creaturas esse instrumenta Dei, sermo est impropriùs & per similitudinem, quod sicut causa instrumentalis subordinatur principali, ita etiam in agendo causa. 2. primæ subjiciatur. Actiones Dei in suo ordine, id est, in ratione concursus sunt perfectæ, & non perficiuntur ab actionibus creaturæ, sed potius contrà, quia actio creaturæ exigit concursum Dei, sine quo creatura agere nõ potest; Deus v. independenter à creatura omnia efficere potest. Et hinc

Deus quomodo concurrat ad peccatum.

Vt quis videat, debet producere visionem & illam in se recipere.

Colligitur, Concursum Dei nihil aliud esse nisi eand. numero actionem per quam Deus & causa 2. operatur, quæ ut pendet à Deo, concursus Dei generalis per extrinsecam denominationem dicitur, quia procedit à causa prima ut generali & universali, quatenus pendet à causa 2. dicitur particularis per eand. denominationem, quia est à causa particulari, cujus virtus non supponitur omnibus, sicut supponitur omnibus Agentibus concursus generalis: operatur autem semper & ubiq; creatura in virtute participata à prima & dependenter in sua actione ab ejus influxu.

Concursus Dei.

DIFFICULTAS VIII.

Quænam accidentia habeant vim agendi.

QUæstio est de actione physica & propriè dicta, prout distinguitur ab emanatione sive resultantia: Nam prior est ipse influxus, via & tendentia in terminum, sive exercitium potentiæ activæ, quo agens naturale operatur: Emanatio autem nihil aliud est nisi naturalis quædam sequela seu resultantia unius rei ad aliam, proveniens ex naturali quadam connexione, ut sunt proprietates seu passiones subjecti sive substantiæ, v. gr. potentiæ, quæ animam sequuntur, lux quæ solem, infrigidatio quæ aquam, &c. Hæc enim omnia non producuntur per actionem realem physicam aut distinctam ab ea actione qua substantia producitur, sed hac positâ & productâ ipsa quoq; per quandam emanationem sequuntur.

Actio &

Emanatio quid.

DICO, Nulla accidentia præter solam qualitatem habent rationem principii immediatè activi. Prob. Inductione, discurrendo per omnia prædicamenta accidentalia. Nam primò quantitas non est activa, quia est proprietas materiæ & imitatur ejus naturam, & si quicquam produceret, hoc maximè foret quantitas; sed hæc non est producibilis quia est coæva materiæ & ex illa emanat; Et ex hoc etiam sequitur, nec locum nec figuram de qua infrà, nec ubi activa esse, quia idem sunt cum quantitate. Nec 2. relatio est principium agendi; ratio est, quia vel produceret ens absolutum vel relativum; non prius, quia est diversi ordinis & prius naturâ suâ, unde præposterus ordo esset, si res absoluta sequeretur; sed nec potest producere aliquod relativum, quia relatio non fit per se, sed tantum resultat posito fundamento & termino, multò minus 3. actio & passio sunt principia activa, quia actio est ipsa causalitas, passio verò idem cum actione; Nam in naturalibus idem influxus dicitur actio, passio & motus; actio respectu agentis, passio respectu subjecti patientis & recipientis, & motus denique respectu termini, solæ igitur 3. primæ species qualitatis sunt activæ. Probatur ex dictis & experientia, cui addi potest hæc ratio, quia hæ solæ species qualitatis habent entitatem propriam & realiter distinctam à substantia, ideòque sunt proprijssimæ formæ accidentales & proprij actus, quod necessariũ est ad principij propriè activi rationem, quod nimirùm habeat propriam entitatem & activitatem; Deinde qualitas sequitur formam, ideòque imitatur naturam ejus, eique attribuitur,

Sola qualitas est activa.

Non quantitas.

Nec relatio.

Neque actio & passio.

Actio, passio & motus sunt idem.

Cur sola qualitas est activa.

ut sit instrumentum & propria virtus agendi, quod potissimum ejus tribus speciebus convenit. Patet hoc primò in prima specie qualitatis in qua dantur habitus, qui sunt principia activa productiva actuum, ut ars saltatoria quæ producit congruentem pedum vibrationem, & medicinalis, quæ multos actus intermedios ad sanitatem in corpore ægro producit; Dantur etiam dispositiones producentes habitum, ut bona organorum dispositio sive constitutio, & laudabilis qualitatum contemperatio sanitatem. 2. in secunda specie est potentia naturalis, quæ est activa actuum & habituum, ut patet in intellectu & voluntate, quo utroque producuntur intellectiones & volitiones, tum habitus scientifici. Deniq; patibiles qualitates etiam sunt activæ, ut patet vel maximè in frigore & calore, quia hic producit alium calorem; illud verò aliud frigus. Sed hæc pluribus vide seq. disput. 5. diffic. 15. an omnes qualitates habeant vim agendi & quomodo.

DIFFICULTAS IX.

An figura & numerus habeant vim agendi.

De verbis, imaginibus & characteribus in ordine ad sanandum corpus ægrum agetur pluribus disput. 19. hujus libri circâ finem: hic solùm in genere quæritur, qualem vim agendi habeant absolutè numerus & figura, idque in gratiam eorum, qui in meras superstitiones prolapsi plus fidei tribuunt probrosis anicularum deliramentis & mendacissimis indoctæ plebis experimentis, quam probatis magnorum virorum rationibus & argumentis; Et ut videas quid Goclenius Medicus nuper & Professor Marpurgensis de figuris & imaginibus sentiat, quando scribit monumenta antiquissimorum scriptorum docere, sanitatem, divitias, honores, doctrinas, Regum & Principum, imò & Dei favorem ac gratiam summamque felicitatem per figuras & imagines in lapidibus & metallis sculptas comparari posse, addit ipse, si in argento inquit vel lapide albo figuram Jovis sculpseris & ex collo pendulam gestaveris, nihil certius erit, quam ut maximis divitijs & honoribus augearis, vitamque in ævum producas; si figuram hominis barbati intrà duos tauros sedentis suprà aratrum in lapide signaveris, pectorique apposueris, absconditorum thesaurorum sine dubio fortunatissimus inventor eris; si imaginem asini in chrysolito efformaveris, ingenij acumine conspiciendus omnium oculos in te convertes, quin & præscius futurorum divinum quasi in vatem transmutaberis. &c. Neque dicas Goclenium hæc ex aliorum opinione scripsisse, ut patet ex Apol. f. 232. Nam clarum est & constat ex totis ejus scriptis in quibus inconstans est, hæc animo proprio & non alieno scripsisse, ut expressè videre est ex ejus morosoph. fol. 141. tract. de ungu. armario anno 1611. Offenbachij in 12. edito, fol. 391. & rursum 393. 399. & 459. quibus in locis apertè & dilucidè magnam efficaciam imaginibus & characteribus tribuit; His positis

Figura quā virtus.

DICO 1. Figura, sub qua intellige characteres, annulos, sigilla, imagines imprimis ratione materiæ per accidens habet vim immutandi, eam videl. quæ consentiens est viribus rerum naturalium; quo fit ut illi hac in parte plus tribui non possit quam alijs rebus & causis naturalibus; deinde ratione dimensionis vel quantitatis nulla etiam inest vis agendi figuræ; ratio est, quia figura tantum est modus quantitatis quam etiam cōsequitur; unde sicut illa non est activa, ita nec potest aliam figuram producere; Ad hæc figura ut significativa non est realis causa ullius effectus productiva; nam figura ut sic duo dicit, conceptum rei quæ objicitur & ipsam figuram conceptus, qualis ad imaginationem, quę vim agendi realem nullam habet, revocatur; quæcunque ergo vis inest figuræ ut est significativa, illa solùm intentionalis est, quatenus videl. visui & intellectui potest movere voluntatem & appetitum, & per hunc facultatem motricem: Ut tamen hoc modo figura causet, tria sunt necessaria, 1. ut agens quod impeditur ad agendum, cognitione & appetitu sit præditum. 2. Cum figura non moveat nisi ut signum alterius, ut id quod figurâ significatur, habeat proportionem debitam cum appetitu, qualis desiderari potest ad impellendam productionem effectus. 3. ut effectus sit ejus Agentis quod incitatur à figura ad agendum, sine defectu. Et hic superstitiosi habent quod impiè & malitiosè credant, cùm nimirum figuras certas aut characteres in corpore gestant contrà ictus gladiorum, sclopeterum, &c. Hæc enim omnia sunt opera Dæmonis, qui hujusmodi præstigijs & pernitiosissimis nugis aliquādo suos in fidelitate & credulitate conservat. Et huc etiam spectant amuleta de quibus similiter alibi; Nam hæc collo pendentia nullam vim obtinent naturalem ratione figuræ vel characterum, sed quandoque tantum ratione materiæ, si quæ vis naturalis huic insit. Quòd autem ossa sanctorum & si quæ sunt alia in usu & veneratione apud Catholicos, miros sæpè habeant effectus, id non figuræ aut materiæ, sed virtuti supernaturali ascribendū est; Hinc enim aliquando impelluntur bruta, imò & Dæmones ut venerentur res sacras ad stuporem, quamvis non rarò maleficiatus seductor idem imitari soleat, dū ad suos suorumque figuras variè & superstitiosè impellit & homines & animantia, ut notum est ex Delr. & alijs.

Amuleta quam vim habeant.

Numerus quam vim habeat.

DICO 2. Numerus qua numerus est, nullam habet vim operandi neq; naturalem neq; supernaturalem. Est omnium bonorum contra superstitiosos; Nam sive numerus sit aliquid reale rebus numeratis superadditum, ut volunt Adversarij; id est, multitudo quædam finita numeralium unitatum, sive numerus numerans, & in summam connectens, semper inefficax est ad actionem ex se fundendā, quia si primum, quantitas est; & cumulus velut collectus, qui nullo modo nisi materialiter operativus est, id est, non ab ipso numero sed à substantia & qualitatibus

sub

ſub hoc numero comprehenſis : ſi ſecundum, tantum dependet ab operatione intellectus & operativus eſt ut prius. Quare autem pilulæ v.g. apud Medicos num. impari porrigantur ægris, id uſus fortè ex doctrina Pythagoræorum obtinuit, quos nonnulli adhuc in eadem ſuperſtitione ſequuntur.

DICES 1. Actio eſt à forma, non à materia. numerus autem impar induit rationē formæ, par autem materiæ, ut notavit Conc. diſſ. 49. & Ferar, apud Roder. de Caſtro l. 2. c. 7. de affect. mul. Reſp. actionem eſſe è forma radicaliter concedo, immediatè nego, quia eſt à virtutibus mixtorum & à materialib. diſpoſitionibus; Deinde falſum eſt quod numerus impar inducat rationem formæ, quia multorum hæc eſt ſuperſtitio. Agunt itaque pilulæ per virtutem quam obtinent à mixtis, fortius ſi validam, levius ſi exiguam aut debilem, ſub quocunque tandem numero ſumantur.

DICES 2. Numeri muſici magicam vim habent in demulcendis hominum animis, ergò. Reſp. id non provenire à numero ut ſic, ſed à varietate tenorum, qui certo modò diſtantes aut conjuncti tam ſuaviter animos ſoni modulamine recreant.

Colligitur, quam res indigna ſit, quod homines rationales & viri aliàs inſignes hujuſmodi ſpurcitijs & periculoſis deliramentis dediti ſint, magiſque deſiderent Baſiliſcum, Jovem, Venerem, Aſinum, aut alium quemcunque ſpurcum Deum de collo & pectore geſtare, tantâq; religione in ijs ſpem honorum, divitiarum, &c. reponere, quam imaginem ſervatoris aut Deiparæ virginis, quas ubique idololatricas falſo & impiè mugiunt & vociferantur.

DIFFICULTAS X.

Quinam effectus producantur ab Agentibus naturalibus.

HÆc difficultas eſt propter ingentem malarum & damnatarum artium farraginem, tum propter eos, qui vera rerum & effectuum naturalium principia negligentes ejuſmodi artibus ſeſe dedunt, omnemque ſuum laborem & ſudorem in his addiſcendis & inveſtigandis impendunt, non ſolliciti quæ ſit mirandorum effectuum vera cauſa efficiens, & an inter cauſam & effectum ſit aliqua proportio; ſed contenti tantum rem ita fieri à quocunque tandem principio agente.

Suppono autem primo, alios effectus eſſe purè naturales, alios præternaturales, alios contranaturales; alios denique ſupernaturales, ut colligitur ex proximè dictis: 2. Agentia naturalia & effectus purè naturales aliquando ſe ad omnes res creatas extendere; ita ut etiam vim & efficaciam omnem ſpirituū comprehendant: Nam etiam hi creaturæ naturales ſunt & operantur purè naturaliter applicando activa paſſivis; aliquando ad res materiales tantum, ſive eas; quarum operationes & effectus ideò purè naturales appellamus, quia non excedunt vim & potentiam humanam rerumque purè naturalium, ideòque cognoſcimus earum vim & efficaciam, videmus earum modum agendi, & intelligimus proportionem inter cauſam & effectum, cum è contrà ſpirituum actiones vel præter vel contranaturales dicamus, quod contrario modo à prioribus ſeſe habeant.

Effectus naturales duplici modo ſe habent.

DICO 1. Omnes effectus naturales producuntur ab Agentibus naturalibus & proportionatis. Probatur 1. nulli effectus naturales fiunt à ſeipſis, ergò ab alijs velut ab agentibus naturalibus, intellige proportionatis, ne quis putet inter hujuſmodi agentia numerandos eſſe etiam ſpiritus, eò quod & illi poſſint producere effectus naturales ut conſtat; Nam hi ad tales effectus non ſunt proportionati, nec propter modum eſſendi habent virtutem tranſmutandi materiam ad formam. Probatur 2. Omnes effectus debent correſpondere ſuis cauſis, ergò ſi hæ naturales ſint, etiam illi tales eſſe debent. 3. Propterea DEUS & natura tot virtutes, tamque varias qualitates & accidentia indiderunt rebus naturalibus; ut ab ijs omnis generis effectus producerentur, adeoque Univerſi totius perfectio & pulchritudo, ſpecies & individua conſervarentur, ergò nullus erit effectus naturalis, qui non ab agente aliquo naturali producatur.

DICES 1. Translatio v. gr. integri alicujus montis, domus, &c. eſt effectus naturalis & proportionatus ſpiritui, ergò & hic effectus pertinet ad agens naturale. Reſp concedendo totum, quia etiam ſpiritus eſt agens naturale, quamvis nihil præter motum localem poſſit ex ſe producere, cætera omnia per applicationem activorum ad paſſiva. Omnes verò effectus quos producunt Spiritus, differunt ab ijs quos producunt reliqua agentia naturalia; tantum quoad modum & non quoad rem.

DICES 2. Multi ſunt effectus naturales, qui fiunt à Deo & Angelis, v. gr. productio ranæ; cometæ in cœlis, peſtis aliique graves morbi inflicti hominibus, & tamen nec Deus nec Spiritus propriè eſt inter agentia naturalia numerandus. Reſp duplices eſſe effectus; qui à Deo fiunt; quidam ita Deo aſcribuntur, ut etiam poſſint fieri ab Agente naturali, in cujus defectu ſolum complentur à Deo, ut eſt peſtis, lepra, &c. quidam verò ita fiunt à Deo, ut à nullo Agente naturali fieri poſſint, ut creatio animæ rationalis, converſio vini in ſangvinem, reproductio membri alicujus emortui. Effectus priores vel dicuntur naturales, eſto fiant immediatè à Deo, quia poſſunt etiam fieri ab agente naturali quoad rem; vel ſupernaturales, quatenus à Deo per modum homini non competentem producuntur. Angelus autem numerandus eſt inter agentia naturalia phyſica, quia ens creatum & naturale eſt, omneſque ejus effectus quos producit, ſunt purè naturales, nec excedunt vim & poteſtatem agentium naturalium phyſicorum ſive ſublunarium, eſto differant in modo quo producuntur.

Effectus qui fiunt à Deo, ſunt duplices.

DICO 2. Effectus rari & stupendi non sunt semper denegandi rebus naturalibus corporeis Ratio est, quia intellectus humanus habet facilè cognitionem omnium rerum naturalium & quousque vires earum sese extendant, ergò mirum non est, si multa fiant ab agentibus purè naturalibus quæ nos in admirationem deducant; Deinde industria, artes & scientiæ hominum ab aliquot seculis ad tantam perfectionem ascenderunt, ut ad multos effectua etiam viri insignes stupeant, quos tamen omnes à causis purè naturalibus fieri constat, ergo. Et talea per inductionem confirmare supervacuum est, cum passim quotidiana praxi & experientia habeantur.

DICO 3. Effectus præstigiosi semper superant vim & efficaciam naturę humanæ & cujusvis entis corporei physici, ideoque non debentur actionibus purè naturalibus. Probatur, effectus verè præstigiosi sunt spirituū & Dæmonum, ergò superant virtutem & potentiam activam entis corporei, & non sunt ejusce ffectibus annumerandi. Antecedens patet, quia illos effectus vocamus præstigiosos, qui fiunt per talem applicationem activorum ad passiva, quam nemo hominum vel propter vim maximam vel modum ingeniosissimum & artificiosissimum ideòque solis spiritibus competentem novit. Nam quis nosset per ullam naturalis medij applicationem se hominum oculis subitò subtrahere & reddere invisibilem, aut adeò firmare cutem, ut nullo ictu quantumvis valido sit penetrabilis, aut ingentem fluvium contrà naturam aliò divertere? Hæc & mille alia novit solus spiritus, de cujus modis vide Delr. & alioa rerum magicarum scrutatores. Hoc tamen inter hos & priores effectus esse discrimen Adverte, quod utrique sint quidem admirandi; hi tamen habeant proportionem cum Agente, illi nullam, ut patet dum certa quædam radix claustro admota illud aperit: Nam hæc nullam habet vim aperiendi, tantâque virtute ferreos claustri clavos diducendi & effringendi, cum illud interea Dæmon vi aliâ nobis incognitâ præstet.

DICES, Omnes effectus præstigiosi fiunt ab ente creato & limitatæ virtutis per applicationem activorum ad passiva, ergo non superant vim entis corporei physici. Antecedens patet ab enumeratione omnium effectuum præstigiosorum, quia fiunt à spiritibus applicando activa passivis: Et ut specie id demonstretur, quando aqua contrà naturam suam ascendit v. gr. integer fluvius, fit hoc per impulsum quē spiritus in aqua producit, sicut homo dum lapidem in altum projicit: Idem in omnibus alijs actionibus diabolicis intellige, ubi spiritus nihil aliud operatur, quam quod ex concursu rerum naturalium fieri potest. Resp. effectus præstigiosos semper superare vim naturæ humanæ & agentium purè naturalium quoad modum, non quoad rem, quia videl. in productione hujusmodi effectuum applicantur res omnes naturales, sed non ad eum modum quo ab humana industria applicari possunt aut solent, unde etiam insoliti effectus sequuntur, & qui requirunt longe majorem virtutem, quia in hac excellit spiritus sicut & in applicatione rerum naturalium.

Colligitur, spiritum nulli effectui naturali proportionatum esse ex se, sed solum applicando activa passivis; omnes etiam ejus effectus, quos circa res naturales producit, non differre in re ab alijs rerum naturalium effectibus, sed tantum in modo.

DIFFICULTAS XI.

Vnde constet effectum esse purè naturalem & non fieri operâ Dæmonis.

CUm etiam effectus dæmoniaci sint naturales & fiant medijs naturalibus, audiendum erit, quomodo ab alijs dignoscendi sint. Itaque

DICO, Ex solâ effectus consideratione ordinariè constat, an aliquid fiat ab Agente purè naturali, an verò operâ Dęmonis. Adverte, ad hanc effectua considerationem & dignotionem necessarium esse, ut quis vim activam rerum naturalium & spirituum probè perspectam habeat, & sciat quem modum in eliciendis suis actionibus & producendis effectibus observare possint & soleant; Nam inter causā & effectū semper debet esse aliqua proportio, ergò si effectus superet vim alicujus Agentis purè naturalis, facilè constabit, eum in aliquam causam superiorē referendū esse. Hoc confirmatur ex illo Philosophor. axiomate, quod videl. modus operandi sequatur modū essendi, quod desumptum est ex D. Thom. 1. p. q. 12. a. 4. & ex Arist. qui varijs in locis docet, idcò inter esse & operari proportionem esse habendam, quod omne Agens determinatum sibique convenientem respiciat effectum, ne contrà naturæ ordinem quidvis è quovis producatur, quod etiam tam perfecta sit operatio, & ad tam perfecta atque excellentia objecta sese extendat, quàm perfecta sit essentia operantis. Quod autem oporteat hominem habere cognitionem, quousque se vires rerum non extendant, tum qualem virtutem effectua aliquis in ejus productione requirat, desumitur partim ex necessitate, partim ex ignorantia vulgi, qui rerum novarum cupidus ut plurimum artes malas & superstitiones ex quadam sensualitate & complacentia sequitur, nō sollicitus quo medio aut principio fiat, ut qui omnia ex præsenti & ad sensum metitur: Si itaque videas aliquid à causis & dispositionibus, quæ intrà naturæ terminos coercentur, fieri, v. gr. ignem consumere integram civitatem, hominem manere semper pumilionem aut excrescere in vastam molem, quę tamen humanæ magnitudinis latitudinem non excedat, oppida intrà terræ viscera absorberi, fontes novos emergere, fulmen consumere gladium vaginâ intactâ, &c. agentibus naturalibus hæc transcribenda esse censebis, quia singu-

singuli hi effectus non excedunt vim & potentiam naturalem; si verò ingentes lapides sponte in aërem nulla causa manifesta rapiantur, homo imperitus varijs linguis loquatur, noverit quid in alijs locis fiat, prædicat futura, &c. vim & potentiam alicujus agentis superioris subesse meritò dixeris. Possumus tamen ordinariè, quia fieri potest ut vel ratione causæ, vel ex conditione actionis, vel ex parte ipsius effectus decipiamur & judicemus aliquid fieri operâ spiritus, quod à principio purè naturali & licito fiat & contra, idque ex crassa nostra ignorantia & ingenio minus perspicaci.

DICES, Mirandos quosdam nos sæpè advertere effectus, quos naturales scimus & à causis naturalibus nobisque cognitis fieri, ubi tamen nulla eorum sit proportio, ergò hæc non semper inter causam & effectum dari potest, proindeque facilè fallitur judicium humanum; Antecedens patet in metu vacui, in rarefactione corporum, &c. Resp. neg. antecedens, quia vel maximè proportio est inter hujusmodi effectus, qui fiunt ab agentibus naturalibus per medias qualitates tam primas quam secundas, quà de re videndi sunt meteorologic & physici, cum de metu vacui, de rarefactione corporum, de varijs elementorum congressibus & mixtionibus & de varijs meteororum generationibus non minus verè quam pulchrè scribunt.

Effectus naturales quomodo differant à magicis. Colligitur, effectus naturales & artificiales ex triplici capite discerni à magicis & prodigiosis, ut habet Delr. l. 2. disquis. magic. q. 5. 1. ex ratione causæ, ut si hæc impar sit ad effectum, quod fit cum ignarus & indoctus varias linguas intelligit & loquitur. 2. ex conditione actionis, quæ fit cum indebitis circumstantijs, ut si actio fiat in distans, si maximum pondus ab homine debili & ægro portetur, si maximum spatium brevissimo tempore conficiatur, si temerario jactu semper optatus tesserarum numerus proveniat, quod tamen casu aliquando sed non ordinariè contingere potest. 3. ex ratione effectus deprehenditur fraus & magia, si hic humanas vires superet, ut si quis hominem aut feras sistat, ne fugiant, si turbentur elementa, si cieantur venti, tempestates, fulmina, &c. sed hæc pluribus in sequentibus.

DIFFICULTAS XII.

Quid sit magia naturalis, & qui ejus effectus.

QUoniam ad agentia naturalia eorumque modum operandi deventum est, & in his omnes res creatæ sive materiales sive immateriales comprehenduntur: Jure merito aliquid de magia imprimis naturali; tum dæmoniaca dicendum erit, quia hæc utraque vim & potentiam agentium naturalium spectat; Et ut imprimis de magia naturali.

Ars quid. Suppono, neque artem neque formam artificiatam ullum opus naturæ vi sua posse efficere; Ars n. est solùm habitus practicus inclinans intellectum ad judicia practica, solumque dirigit artificem, veluti dirigit oculus ambulantem; Unde quando dicitur aliquid ab arte fieri, tunc nō est sensus, quod ars in intellectu artificis existens motum aut aliquid aliud efficiat, sed quod fiat aliquid ab arte ut principio directivo & modum præscribente, sicut Philosophi de idæa loquuntur; forma verò artificiata & ab arte directrice producta non habet virtutem producendi aliam formam sibi similem; Neque enim imago producit aliam imaginem, multò minus opus aliquod naturæ. *Ars quomodo producat effectum.* Solùm igitur quæstio est, an ars aliena virtute, id est, applicando activa passivis, ut fit dum coquus applicat ignem ad coquendos cibos, possit aliqua naturę opera efficere. Porrò hæc applicatio qua per artem à causis naturalibus, applicatis opera naturalia producuntur, in duplici sunt genere; Aliqui effectus per illam applicationem frequenter fiunt, v. gr. coctio ciborum; aliqui eveniunt rarò, ut dum applicantur causæ veræ & naturales ad effectus raros & insolitos producendos, & hęc applicatio *Magia naturalis* dicitur, unde et licita est & honesta non secus atque aliæ artes, quia est ars sive habitus practicus: Nā applicatio causarum naturalium ad producendos illos effectus insolitos praxis quædam est, ad quam dirigendam & exercendam proximè tanquam ad finem applicatur, ex quo etiam deducitur, Magiam naturalem physicę subalternari & subordinari, quia tota dirigitur & consistit in applicatione causarum naturalium, de qua utiq; judicium est Philosophi naturalis, quatenus scil. ea applicatio naturis causarum consentiens vel dissentiens existit; Imò ut notum est, non tam Persæ quam aliæ nationes suos Philosophos & sapientes nominabant Magos, successu autem temporis; quod operam suam ijs ponerent, qui in Astronomia judiciaria aliijsque scientijs multa superstitiosa miscebant, effectum est, ut cum apud Persas tum apud Latinos hoc nomen & sapientiam veram & magiam maleficam significaret. Disce hic fraudem Dæmonis, ut multos præsertim ex Adolescentibus ingenio præcellentiores varijs cupiditatibus exæstuantes ad se pelliceret, & inpręceps malum pertraheret, docuit suos maleficos Magos, ut artibus superstitiosis præclara imprimis nomina affingerent, reconditiorem & secretam Philosophiam nuncuparent; deinde nova quædam inveherent; quibus effectus illos attribuerent, ut sunt characteres, figuræ, cœlorum influxus, antipathia & sympathia rerum, &c. Et tanta specie id præstant operâ Dęmonis, ut ab indoctis internosci non possint facilè, unde paucis dicetur, quomodo Magia naturalis in procurandis effectibus applicanda sit, ut ejus discrimen ab effectibus qui procurantur operâ dæmonis, internoscatur. Itaq;

Magia naturalis quid. DICO 1. Magia naturalis est ars sive habitus practicus, quo applicamus causas veras & naturales ad effectus raros & insolitos producendos modo minimè superstitioso vel operâ Dæmonis concinnato. Itaque Delr. disquis. mag.

mag.l.1.c.3. Per magiam hanc non velut à causa per se, sed solum ut à causa sine qua non, applicando scilicet activa passivis, admiranda atque adeò opera naturæ effici possunt, ut docet idem Delr. cit. Pererius l 8. Phys. c. 19. Joh. Bapt. à porta lib. 1. mag. natur. c. 18. Probatur imprimis apertè ab arte medicinæ, quæ ex varia compositione herbarum ægris corporibus sanitatem reddit; Et similes effectus quamplurimi sunt & admirabiles nihilominus, ut quod Musica moveat animos hominum, quædam simplicia morbos pellant, statuæ Dædali discurrerint, &c. hæc enim fiunt virtute naturali, vel ponderibus intus latentibus ut ferè fit in nostris horologiis. Hoc idem dicendum est de aviculis aureis cantillantibus & serpentibus sibilantibus Leonis Imperatoris; sic quidam innocuè plumbum liquatum tractant, quia prius succis pinguibus & mucilaginosis manus oblinunt; sic probabile est, per Alchimiam verum aurum confici posse, & effectus mirabiles edi per Dæmones sive per homines ab ijs edoctos, quia vires omnium rerum perfectissimè norunt. & quæ huic vel illi applicanda sint; Ejusmodi effectuum millenos habet tota antiquitas & quotidiana experientia.

Effectus magici quomodo differant à naturalibus

DICO 2. Cum magia naturalis nihil aliud sit quam causarum naturalium applicatio, optimè sequitur, quod effectus qui magia hac fiunt, non differant ab illis qui viribus naturæ fiunt, nisi solùm denominatione extrinseca: Quod si fiant actione naturali directa ab arte; tunc etiam easdem conditiones, quæ requiruntur ad causas in communi, hic esse oportet: Ut ergò rei alicui effectus tribuatur quem adhibet magia naturalis, oportet imprimis talem esse quæ contineat perfectionem effectus vel formaliter vel eminenter, vel certè sit potens proximè disponere subjectum ad talem effectum; Et hoc duplici via cognoscitur, alterâ apertâ omnibusque cognoscibili, v. gr. medicinam ægro applicatam restituere sanitatem tanquam effectum; alterâ non ita omnibus explicatâ & apertâ, sed tantum verâ & approbatâ. v. gr. quod Alchimiâ producatur verum aurum; In aliis si quis effectus clam sequatur, operam Dæmonis intercedere necesse est, cum causæ tales nullam habeant affinitatem cum his effectibus; Nam sicut bonæ notæ sunt effectus illi, qui à causa quocunque tandem modo demonstrantur; Ita suspecti sunt & malæ notæ, qui tacitè irrepunt & à nulla causa facilè apud doctissimos etiam deduci possunt: Ejusmodi effectuum Inventores & Patroni habentur Petrus de Abano, Corn. Agrippa, Paracelsus, Geber Arabs, Raimundus Lullus, Arnoldus Villanovus, Joh. Bapt. à Porta, Pomponatius de Incantationibus & plures alii cum universo vulgo; qui vetularum more infinitis superstitionibus deditus est. Cæterùm quanta sit vis Imaginationis quoad effectus magicos, sicut & in figuris, imaginibus, vocibus, &c. Et quid item aspectus & influxus cœli, tum antipathia & sympathia ad hos effectus magicos cōferant, suis hinc inde locis videbitur. Dolendum verò, ubique malos & insipientes suum bonis artibus & scientiis inspergere venenum totque immiscere superstitiones, adeò etiam ut nobilissima rerum naturalium scientia tandem ad meras delirantium fabulas & vetularum superstitiones abire videatur, ut in sequentibus patebit.

DIFFICULTAS XIII.

Quid sit Magia nigra.

Magia nigra quid.

DICO, magia nigra est facultas sive ars, qua vi pacti taciti vel expressi cum Dæmonibus initi mira quædam & humanum captum superantia efficiuntur. Quia autem, ut est Hebr. 2. Deus Angelis orbem terrarum non subjecit, rectè dicitur, Diabolum suprà naturā ordinemq; universi nihil posse facere, adeoque nec tota elementa transferre, sydera sistere, mundum totaliter destruere, ponere vacuum aut unum corpus in duobus locis, aut duo corpora in uno loco; Quare cum miracula omnium causarum naturalium vim superent, à Dæmone proficisci non possunt, nec sagę per parvum foramen contra naturam quantitatis ejus ope transire, aut eum in formam felis, lupi, &c. mutatæ sibi aliisque videntur, per clausas januas introire, ut testatur Delr. l. 2. disquis. q. 17 potest tamē diabolus teste S. August. l. 18. de Civ. Dei c. 18. & l. de spiritu & anima, ex aere vel alia materia corpus hujus vel illius figuræ formare & facere, ut res absens videatur præsens ob rem similem in præsentia ab eo factam, vel ut res præsens non videatur talis qualis est, sed in alia forma, qua illam diabolus circumdat. Similiter teste Bodin. l. 4. c. 1. Gril. Delrione & aliis cum experientia quotidiana constat, aliquos inter tormenta dormire, vel doloris expertes ridere, cum scilicet vel pharmacum ex opio, solano, &c. quibus sensus stupescit & nervorum origines obstruuntur, adhibet, vel subducto venefico fascinatisque Judicum oculis truncum aut aliud corpus in locum rei substituit, non autem ut Bodinus graviter errat, cum animam venefici tantisper à corpore separat & paulò pòst reddit, quia hoc facere est infinitæ virtutis. Reddere hominem invulnerabilem aliter non potest, quam ictus prohibendi, avertendo & debilitando, qui hęc omnia dexterrimè potest; mortuos tamen resuscitare non potest, & cum id facere videtur, sensus hominis sopit, ut mortuus videatur, quem excitari simulat, vel cadaver ingreditur & movet, ut Corn. Agrippæ jussu Lovanii fecit: sed nec animas verè sistere potest sine peculiari voluntate Dei, quia illæ certis locis, ut inferno vel alibi alligantur; induit ergò imaginem illarum, & stultum vulgus egregiè deludit, scientiam quoq; infundere nequit, sed tantum phantasmata præexistentia vel linguā loquentis movet, quo pacto variis linguis infessi à Dæmone, sicut & bestiæ quædam humana velut verba loquuntur, ut canis Simonis Magi: futura occulta & à libero hominis arbitrio pendentia per conjecturas quidem aliquando cognoscere & prædicere probabiliter,

Diabolus potest formare corpus.

Quomodo sagæ inter tormenta sint insensibiles.

Quomodo homo reddatur invulnerabilis.

non

non tamen certò potest, quamdiu non habet causam certam & determinatam: Ob eam rem æquivocis ut plurimùm sententijs utitur, ut dicta sua in utramque partem excusare possit, vel ea prædicit quæ ipse facturus est, sæpius autem quæ ex affectibus hominum & signis naturalibus futura cognoscit: Quod si signo aliquo externo, ut litteris vel collocutione res est prodita, æquè facilè est illi eam promulgare atque homini, quo pacto multa sagis prædicit & quo die capiendæ sint; similiter & præsentia & præterita aliàs occulta si in actu externo existant, ut occulta furta, thesaurosq; absconditos indicare novit, ut & ea quæ remotissimè geruntur, brevi momento nunciare, quæ omnia divinatoribus significat vel se speciali in exhibendo ac verbis manifestando, vel absque ullo aspectu formatis in aere verbis, vel immisso scripto aliquo, vel in somnis aut vigilijs phantasiam afficiendo, &c. Neque est suprà illius potestatem in aëre motu locali sonos vocibus similes efficere, qui etiam in urbibus, campis & sylvis quasi exercituum clamores excitat, cum vecturas sagarũ triumphales instituit, quas Germani rabiosum exercitum vocant, circà quas tamen vitandas multę superstitiones à vulgo meticulosè nimis creduntur. Notum est etiam illud inquit Bodin. in Dæmonomania lib. 4. cap. 1. nunquam lacrymari sagas, quòd & Geil. & Sprengerus ambo Quæsitores scribunt, se à sagis ne unam quidem lacrymam extorquere potuisse; quod sanè ob incredibilē animi obstinationem in multis ita esse valdè probabiliter affirmatur, non tamen in omnibus, ut experientia constat, & ego in districtu Moguntino anno 1614. observavi, ubi primam in pago proximo extrà urbis mœnia, & alteram in oppido Flershei mensi ad mœnum sito uberrimè flentes vidi; hæc ni. cum ad furcam & ignem deustulanda educeretur, facta denuò in ipso loco supplicij confessione copiosissimas ob commissa peccata lacrymas effudit, easdemque omnibus astantibus inter vehementissimos actus contritionis expressit &c. Stigmatum illa tessera seu character, hoc est, cicatrix & vestigium ungvis à Dæmone impressi, quod sæpè sit valdè latens & imperfectè delineatũ, vel quod sit verrucæ instar, vel quod nonnunquam callidè à Dæmone iterum sanetur, non facilè deprehenditur, quamvis sæpè etiam figura sit satis manifesta, ut pes leporis vel buffonis vel catellus niger. Illud mirabile addit Delr. l. 2. q. 21. & qui quotidiè ejusmodi torturis intersunt, idem se sæpius expertos testantur, in eo signo & panurgi pacto dolorem sagas non percipere etiam acu profundissimè adactâ, quod in mortificationem partis haud dubiè referendum est.

DIFFICULTAS XIV.

Qui sint species magiæ nigræ.

DICO 1. Filia sive neptis magiæ nigræ est divinatio superstitiosa, in qua ut docet Sanchez l. 2. mor. c. 38. vana occultorum inquisitio semper nititur vel expresso vel tacito Dæmonis auxilio; Et hæc si expressum cum Dæmone pactum habeat, generali nomine ex eod. Sanchez necromantia appellatur, habetque sub se 1. præstigium, cum Diabolus varijs apparitionibus superstitiosorum oculos perstringit, se illorum oculis objiciens & occulta docens. 2. divinationem per somnia, cum instructio Dæmonis per somnia speratur; Neque tamen contrà naturam est observare somnia prout bonam vel malam corporis dispositionem animique affectionem & morbos significant, quia sæpè somnia naturaliter humorem in corpore prædominantem notant. 3. necromantiam, cum adhibitis sangvine & certis carminibus videntur mortui resurgere, loqui, docere. 4. divinationem per Pythones, cum per homines arreptitios Dæmon docet. 5. Geomantiam, cum per signa in corporibus terrestribus apparentia docet, ut in ligno, lapide, metallo. 6. hydromantiam, aeromantiam & pyromantiam cum per signa in aqua, aëre & igne apparentia docet. 7. auspicium, cum docet per exta animalium.

Species magiæ nigræ. Primo. Divinatio superstitiosa — *Quid præstigium.* — *Divinatio per somnia.* — *Necromantia.* — *Divinatio per Pythones.* — *Geomantia.* — *Hydromantia, aeromantia, Pyromantia.*

DICO 2. Si in divinatione est sola tacita Dæmonis invocatio, tum ut docet D. Thomas 2. 2. q. 95. a. 3. habet sub se 1. Genethliam. 2. augurium quo ex animalium vocibus aut hominum sternutationibus cognitio quæritur maior quam ista naturaliter indicent, ut cum quis ob crocitantem corvũ circà ædes moriturũ aliquem brevi in ea indicat. 3. auspicium, cum ex avium volatu aut aliorum animalium motu vel ex ruptione corrigiorum in calceis, aut effusione salis in mensa simile fit judicium. 4. omen, cum ex varijs casibus futura præsagimus. 5. Onirocriticam, cũ ex somnijs. 6. Physiognomicam, cum ex totius corporis signis, quò pertinent spatulamantia, cum ex spatulæ signis, metoposcopia, cum ex fronte, chiromantia, cũ ex manuum lineis cognitio indagatur, quę tamen physiognomię genera non semper illicita aut superstitiosa sunt, modò non in temerario judicio circà fortunam sive bonam sive malam, prout apud Zingaros & modernos Physiognomicos fieri solet, excedant. Spectat etiam ad pactum implicitum divinatio per sortes, cum quis ex signis resultantibus in plumbo liquato projectoque in squam, vel ex taxillorum projectione, vel ex consideratione ejus quod aperienti librum occurrit, milleque alijs cognitionem quærit, aut cum per duellum veritas; aut per sangvinationem reus inquiritur, &c.

Inquisitio rei per sanguinationē spectat ad pactum implicitum,

DICO 3. Alia Magiæ filia dicitur vana obser-

servantia, hæc in multis rebus adhiberi solet, cum è medijs inutilibus aut à divina providentia minimè constitutis procuratur aliquis effectus, ut dum sagæ cineribus aut ungvine infantulorum ante baptisma occisorum utuntur, vel regem apum deglutiunt, vel oscilla mortuorum gerunt, ne quæstioni subjectæ cruciatum sentiant, ad quam indolentiam æquè parum hæc valent quam unguentum ad transvectiones nocturnas. Similiter cum Magi candelas digitosve infantium aut aliorum cadaverum incendant, ut soporem domesticis inexcitabilem ingerant dum ipsi suis sceleribus satiantur. Differt à divinatione, quòd hæc ordinetur ad solam occultorum cognitionem indebito modo comparandam, vana autem observantia ad effectum externum tendat, v. g. ad aliquid sibi alijsve obtinendum aut vitandum, &c.

Secunda vanæ observantiæ.

DIFFICULTAS XV.

Quæ sint anicularum vana documenta.

DICO, hæc innumera ferè sunt, mundumque universum complent, ita tamen constituta, ut dum enumeratione potius quam refutatione indigent, ipsa se suamet vanitate accusent; Nam qui locum aut tesseras aut cartas lusorias aut annulum è catena patibuli in digitis variant, ut fortunam varient, minus inveniunt quam in faba pueri. Litteræ quas S. Michaelis vocant & quas 1590. Deus ipse suis manibus in festo paschatis scripsisse fingitur, quibus qui non credant eos damnatum iri, ephesiæ sunt litteræ, è quarum etiam patria sunt characteres pro divertenda peste in domibus affixi, vel preces illæ de quibus Less. lib. 2. de just. cap. 43. dub. 10. numero. 63. disputat, quæ certò promittunt recitantibus, non decessuros subita morte, vel tale periculum evasuros, vel futuros benè fortunatos. Ad Medææ quoque scholam pertinet ars illa, qua pronunciatis quibusdam certis verbis, vel annulus super filum, vel pulegium in butyro ferventi, vel cribrum è forficè pendens vertitur ut furis nomen indicet, vel qua vestigijs præambulantis suspectæ insistitur crediturq; si saga sit vel sub sistere vel recedere: pessimo etiam exemplo quorundam sanctorum statuæ in nonnullis locis in aquam præterfluentem projiciuntur donec pluat, habet id quoque popularis opinio, cœlũ pluvia ventosaq; tempestate ad suspendium vel aliam voluntariam hominis mortem lugere; cum tamen id sæpè falsum testetur experientia; Quod si tamen id fiat, causa esse potest, quia tristiori cœlo humores melancholici augentur, daturque occasio ut homo jam ante in laqueum propensus ultimũ quasi melancholiæ complementum hauriat, unde suspendium non est causa tumultuantis cœli, sed cœlum potius in tali animo perturbationis, & hæc suspendij. Ad stygias ranas remittenda est radix illa quæ fingitur sub patibulo crescere humana specie & cauda canis extrahenda, singulisque mensibus balneo recreanda ac nova veste decoranda ut divitias importet, quia dum miseri ditandos se credunt, ad inopias rediguntur. Invenerat meus olim in humanioribus Moguntiæ condiscipulus casu larvatam talem bestiolã sub humana specie formatam, & in capsula speciosè conditam; dum verò à prudentioribus ad amussim inspicitur & examinatur, habebat caput confectum ex cera, oculos ex baccis bryoniæ vel alterius plantæ; tum manus, pedes totumque ventrem exarescente corpore ranæ, digna proinde quæ in præsentia multorum & totius scholæ in fumum & cineres abierit, ne supersint, qui superstitiosè fortunam aliquam ab hac Magorum strygumque inventione sperent. Malè etiam faciunt, qui gallinis noctu cantantibus sagas super cantantium lares vehi inversis scopis aut mutatis earum baculis domo amplius egredi non posse credunt. Vanissimè rursum credunt; qui imaginem aliquam in templo vertunt, ut rem amissam recuperent vel furem sistant: Et hæc omnia sicut & mille iterumque mille alia, quorũ meminisse pudet, velut quædam nutricum lamiæ sunt, quæ sicut à pueris metuuntur, ita meritò à viris ridentur; Mirum autem quod Plinij aliorumque veterum superstitionibus indignemur, & nostri ævi tot insanias patiamur; Et fortè non egerent accusatione, nisi tum maximè grassari sentiremus, quando nihil æstimantur. Utinam omnibus viris bonis hæc cordi animoque sint & cogitent, non certari de oleastro, sed opus esse ut exemplo magnorum virorum atque etiam S S. Patrum Augustini, Chrysostomi, Arnobij, Lactantij & aliorũ plus quam herculeo labore omnia hac superstitiosa documenta ex multorum animis eradicentur.

Characteres pro peste avertenda.

Ad suspendium hominis quare aliquando tempestas.

DIFFICULTAS XVI.

Quæ sint superstitiosorum observata.

MUlta sunt, que Sanchez cit. de ijs qui auspicijs & diarijs superstitionibus dediti sunt, commemorat. Ut itaque paucis ipsi hebdomadæ, tum etiam anni dies secundum malorum Artificum regulas examinentur.

DICO 1. Superstitiosi negant die dominico aut solis natos posse videre lemures: Hoc eodem die cultros ad cotem abstersos ajunt vulnera facere vel difficulter vel penitus non curabilia: Alij teste Sanchez majorem vim tribuunt aquæ quæ dominicis post 4. tempora benedicitur quam quæ alijs dominicis. Die Lunæ si quis crebrò sternutet, totam hebdomadam serenam habiturus dicitur. Die Martis quidam nolunt opus incipere tanquam nefasto. Die Mercurij olera scopis verrunt vel tangunt, ne à ciniphibus, erucis aut alijs infestis lædantur. Die Jovis septennes pueros jubent fatales quosdam nodos umbilici renodare ut ingeniosi fiant. Die Veneris nolunt ungves præscindere aut indusium mutare ne fortunã aut vale-

valetudinem irritent. Die Sabbathi nere quædam reouunt, cum tamen alia servilia faciant: Ita nullus est dies, qui suos manes non patiatur.

DICO 2. Annus quoque suos habet dies erroribus destinatos: pridie Andreæ tot vel à Magis vel magicè saltem flagitia committuntur, ut pervigilium illud non sancto sed sanctorum hosti sacrum esse videatur. Tres proximi dies Jovis, qui natalem Christi antecedunt, miram vim in præcognoscendis futuris habere putantur; Alij enim in somnó, alii vigilantes umbram vident, alij in schedulis sub lecto collocatis, alij in rapis aut ovis suprà mensam suspensis, alij in filis manu sinistra factis aruspicium faciunt. Ipsa nocte natalis Christi jumenta in stabulis futura eloqui docent, & fontes pro aquis vina effundere, & rosam quam hierichuntinam vocant, quamvis aridam diduci, si à certis personis asservetur. In festo S. Stephani venas equorum felicius secari, & summum pro equorum morbis efficacius offerri rusticana est traditio. A primo Januarij die totum annum plurimi amentissimè auspicantur adeò, si etiam felis avidius comedat, annonæ caritatem significari. In trium Regum celebritate ab omni cibo abstinent, donec 3. vesperi stellas in cœlo conspiciant, idque contrà dentium carnificinam remedium esse somniant. In conversione S. Pauli si crux in Cineribus appareat ignea, dominam domus eo anno morituram mentiuntur, quod sanè aliquando in tam credulis fœminis ex vehementi imaginatione & metu potest contingere, sicut aliquoties in illis contigit, qui ad vallem Josaphat ab Adversariis sunt citati. Si eodem festo pluat, famem, si ventis aër murmuret, bellum, si nebulæ serpant, pestem instare fabulosa est opinio. In festo purificationis tot Cereolos accendunt quot filios aut cognatos habent, & unicuiq; suum nomen indunt, cujus Cereolus citius absumitur, consumenda etiā citius ejus vita putatur. Ipsis bacchanaliis butyrum asservant quo placentas coxerant ut eo currum inungant quo frumentum in horreum invehitur, dicuntq; nihil frumenti quod tali curru convectum est, cedere muribus in alimentum. In principio jejunii vermi animam halecis ad tabulatum superius ejaculantur, ubi si adhæreat, ajunt efficere, ut sub ea cultro læsus curari non possit. Sacra hebdomada & die parasceves si gallina ovum pariat, efficax est ad incendia domanda. Calendis Maij si anus ab alia ignem petat, pro venefica habetur. In festo ascensionis quò Christus sub tholi aditum os & faciem vertit, inde tempestates venturas vaticinantur. In festo S. Metardi, si pluat, 30. diebus continuandos imbres inanissimè metuunt. In festo S. Joh. Bapt. herbas & flores in sertum colligunt, capitiq; imponunt, ut vel dolorem arceat, vel somnia de Sponso provocet teste Sanchez l. 2. cap. 40. num. 19. vel eandem coronam ter ignem S. Johanni excitatum circumeuntes in eundem injiciunt, ut omnem cum ea miseriam injiciant; ajunt & una hora illius diei herbam S. Johannis crescere, cujus si semen ritè colligatur, esse ad innumeras res utile. In festis SS. Laurentii & Bartholomæi somnia divina expetunt. In festo S. Martini ex ipso anseris osse de futura hyemis tempestate conjectant. Sed vix finis est eorum, quæ Cacodæmon Dei simia passim in perniciem hominum disseminat, quę que aut sagæ faciunt aut sagas; proinde guisque videat, ut credat, quæ rationis sunt, quæque nec fidei nec veræ philosophiæ repugnant.

Rosa hierichuntina.

Vallis Iosaphat.

Pluvia S. Metardi.

DIFFICULTAS XVII.

Quomodo Dæmon effectus Magicos producat.

SUppono Ex communi consensu Theologorum, Dæmones facultatem immediatam non habere ex se producendi ullos effectus naturales, tantum autem habere virtutem applicandi activa ut ajunt passivis; Et sic coquus mediante igne cibum coquit, quia nihil confert nisi solam applicationem ignis, quæ est conditio sine qua non, quomodo & Dæmon nihil nisi solam applicationem confert. Habent enim Diaboli virtutem producendi motum localem aut qualitatem impulsivam corporis naturalis, non autem virtutem producendi qualitates aut formas substantiáles, quia sunt hi spiritus improportionati ad actiones naturales, ut ait Soarius disput. 18. f. 4. nu. 16. Nam inquit inter res creatas non satis est quod aliqua sit magis perfecta, ut possit perficere minus perfectam, nisi aliunde constet eam eminenter continere talem effectum; Dæmones verò licet sint perfectiores quam corpora naturalia, cum tamen sint limitati ad proprium gradum, non continent eminenter res corporeas, & cum non sint formæ in materia, sed omninò abstractæ, improportionatæ sunt ad formas in materiam inducendas. Alii hanc dant rationem, frustrà ajunt & sine causa Deus hanc virtutem dedisset intelligentiis, quia ad hujus mundi perfectionem non est necessaria, & satis est eas præditas esse cognitione rerum naturalium & virtute applicandi ad effectus producendos. Si dicas 1. hinc sequi, Angelum non posse producere motum localem aut impetum. Resp. concedendo id non posse, nisi aliunde necessitas producendi motum Angelis incumberet, videlicet ob administrationem universi, ad quam sunt deputati; sufficit autem ad hanc administrationem nihil aliud posse producere præter impetum & motum. Si Dicas 2. anima in corpore producit accidentia materialia; quia restaurat temperamentum & producit sanitatem non secus atque forma verbi gratia aquæ, quæ se reducit à calore ad frigus, ergò etiam Angelus potest producere materialia. Respondeo animam ex sua essentia nihil

Quare Dæmones nihil possint producere nisi motum localem.

posse producere nisi per applicationem insinuatam; Atq; hinc sequitur 1. effectus omnes qui superant vires causarum naturalium v. gr. miracula, non esse asscribendos Diabolo. 2. Magiam dæmoniacam in hoc à naturali distingui, vel quod ad causas aliàs naturales adhibeantur ritus superstitiosi, vel quod applicatio adhibeatur operâ diaboli, vel quod adhibeantur rei tanquam causæ, quæ tamen nullam omninò vim habent agendi, ut patet de figura & vocibus, ubi Diabolus occultè ex pacto alia agentia naturalia applicat. Cæterùm duplicis generis sunt effectus, quos Magi vel Dæmones efficiunt; alij præstigiatorii sive ludicri & deceptorii, qui effectus non sunt prout videntur; alii veri & naturales, quos dæmon per applicationem procurat. Jam

Differentia inter magiam naturalem & Dæmon.

Effectus magorum duplices.

DICO, Præstigiatorii effectus, ut notat Molina part. 1. quæst. 111. a. 4. fiunt tripliciter 1. solet Dæmon fallere ratione objecti, subtra scilicet rerum ostensarum occultatione variâque collocatione; potest enim Diabolus movere velocissimè corpora per motum localem, unde fit ut possit rem aliquam oculis subtrahere ã-liamque substituere tam præproperè, ut oculos intuentium fallat eisque persuadeat prioris in hanc integram conversionem, ut patet ex Delr. l. 2. quæst. 9 & l. 4. cap. 4. quæst. 1. 2. decipit Dæmon ratione medii, si impediat ne species ad oculum per medium deferatur, quod quidem variis modis potest efficere, vel medium aliena & peregrina qualitate imbuendo, movendo vel inspissando, quod etiam in rebus naturalibus manifestum evadit, v. gr. si cum spiritu vini commisceatur sal, & linteus pannus hunc spiritum benè imbibat, posthmodum verò suppositâ candelâ inflammetur, species quę per medium hac flamma illuminatum diffunditur, formidabiles pręsentium animos exhibebit: similia adfert Joh. Bapt. à porta l. 2. mag. natur. c. 17. 3. fit deceptio ex parte organi, si v. gr. oculi non sint in eodem statu positi, ut eodem modo non immutentur ab objecto; Tunc enim una res non videbitur alia aut duplex teste Gal. lib. 10. de usu parr. c. 13. quod etiam accidit in tactu; Nam si digitus unus alij implicatus ita supponatur, ut lapidem sub eo tangat, tactus duos esse judicabit: aut etiam si species inservientes potentiis cognoscitivis inordinato motu moveantur, ut contingit ebriis, qui credunt duplicem solem & geminas se cernere Thebas; sic etiam potest Dæmon impedire species ne perveniant ad organum sine quibus non fit sensatio.

Effectus præstigiatorii quomodo fiant

Species quomodo reddantur formidabiles.

DIFFICULTAS XVIII.

An Magi possint opera Diaboli facere.

DICO, permittente Deo possunt Magi opera Diaboli efficere, variosq; in elementis effectus edere, v. gr. in terra terræmotus, in aëre fulgura &c. Probatur quoad terrę motum; possunt enim immittere vehementem quempiam ventum in cavernas terræ, ex quo postea proveniat terræ motus. Quod ad aerem, confirmat id quotidiana experientia, ut videre est apud Delr. libr. 2. quæst. 11. & alios. Neq; tamen possunt corpora penetrare, aut unum corpus in duob. locis disjunctis collocare, quia hoc ordini naturę repugnat, estq; solius Dei. Quod si legas stryges aliquando clausis januis & fenestris ingressas esse in cubiculum; sciendum est Dæmonem præcessisse & aperuisse latenter, vel sejunctis calce, lapidib. &c. quos omnes denuò pulcherrimo ordine, & quidē paucissimo temporis spatio reposuerit, stryges intromisisse.

Magi quomodo in cubiculo clausis januis penetrent.

Notandum hic, cum Dęmones careant quãtitate molis, quę aliàs est principium & causa impenetrabilitatis, non prohiberi ab ulla quantitate vel etiam crassissimi marmoris, quin quaquaversũ liberè meare possint. Transmutatio illa strygum & magorum in lupos, cattos &c. non est vera sed illusoria; Nam homo qui sic in aliud animal convertitur, vel manet idem quoad substantiã vel non: si prius, tum accidentia mutanda erunt, pręsertim quantitas & figura, quod tamen fieri non posse aliunde patet; si posterius, vel materia & forma hominis destruitur, vel mutatur tantum forma relictâ materiâ & dispositionibus, ita ut humanum corpus informet anima bestię, vel anima rationalis transfertur in corpus bestiæ, quæ omnia à spiritu fieri non possunt. Non primum, quia foret transsubstantiatio soli Deo propria; non secundum, quia dispositiones corporis humani cuivis alii formæ repugnant; non tertium, quia foret pythagorica metamorphosis, quam Aristot. refutat l. 1. de animat. 53. & lib. 2. t. 24. Fit ergò hæc transmutatio, quia Dæmon format sibi ex aëre corpus bruti, geritque ea quæ putantur à Mago vel saga fieri, illis interim alia agentibus: vel etiam phantasia Magi ita immutatur, ut putet se omnia gerere quæ Dæmon agit: Et hoc pacto si vulneretur apparens brutum, tum Dæmon eand. partem absentis Magi vel sagæ vulnerat, ut eò magis conversio vera fuisse existimetur.

Quomodo homines videntur mutari in lupum, cattum, &c.

Cæterùm quin varios veros que effectus possit in corporibus nostris producere, nemo erit qui id negare ausit: sic teste Vales. l. Philos. cap. 28. varios morbos excitat adhibendo tam causas externas quam internas; sic melancholicos morbos excitat commovendo bilem atram quæ corpori inest, & pellendo fuligines in cerebrum & organa sensuum, &c. Quia etiam anima pro hoc statu à corpore pendet, potest Dæmon & obesse & prodesse animæ in suis operationibus, unde memoriam atque adeò intellectum hominis juvare, quia quò melior est dispositio ex parte organi phantasiæ; pluresque ac puriores sunt spiritus animales, eò dilucidior & melior producitur cognitio sensus interni & per consequens etiam intellectus: Ac Dæmon humoribus crassis expulsis potest organa purgare, potest per motum localem attrahere spiritus, crassos humores

Dæmon potest memoriam & intellectum hominis juvare.

res deficere, organum memoriæ sensitivæ ita adaptare, ut facilius & melius rerum species retineat,quo utiq; affici debet homo,ut memoria felici præstet & facilius quædam cognoscat: sic solet etiam Dæmon incitatus à Magis philtra amatoria propinare, idq; per cibum & potum communiter, sine ullis etiam pharmacis; perturbat enim solùm imaginationem,totumque corpus interius certante œstro libidinis vexatur,sicq; vehementer ad desideriū carnalis copulæ cum aliqua persona de qua vel dæmon assiduò memoriam & phantasiam movet exhibendo species circumstantiarum, propter quas amore dignus videatur & subtrahendo eas quæ indignum redderent: Qualiter autem abùrantur bestiales hi magi in hujusmodi actibus Ecclesiæ Catholicæ sacramentis & ceremoniis, novit totus orbis Christianus.

Philtra amatoria quomodo perentur.

DICO 2. Animantia imperfecta,quibus vel aliquid deest in genere viventium, videl. aliqua potentia, vel tanta dispositionum præstantia, ut ex ab alio etiam & non tantum à simili produci possint, ut sunt mures, ranæ &c. possunt producere magi eorumq; Magister Dæmon, perfectiora verò quæ ex semine gignuntur, nō possunt. Prior pars patet experientia; deinde videmus ea quoq; à sole fieri; ultimam partem ratio suadet,quia tam varia,subtilis & artificiosa tot viscerum corporis perfecti animalis compactio,formatio & figura non potest ex putri effici; Hæc tamen quoad organa & dispositiones materiales, nō quoad animas intellige, quo eodem modo calor solaris producit omne quodammodò genus oviparorum.

DICES, Solent maleficæ Lamiæ cum Dæmonibus actum Venereum exercere,concipere & generare, ergò etiam perfecta animalia potest Dæmon producere. Resp. omnino constare experientia, Dæmones vel assumendo corpora defunctorum vel de novo formando ea ex aëre & aliis elementis ad carnis similitudinem palpabilia posse sexum artificiosè exhibere, abuti specie viri & fœminæ, ut ex ejusmodi concubitu proles nascatur. Hoc autem qua ratione fiat, vide disp. 8. l. 1. diffic. 20. defert enim Diabolus semen aliunde acceptum, conservatóq; calore matrici infundit, &c. At vi sua & more aliorum animantium generare non potest, applicat ergò solum agens potentiale, quod est verum semen humanum, adeoq; illius prolis verus patens non est Dæmon, sed ille cujus semine Dæmon abusus fuit.

DIFFICULTAS XIX.

Quæ sint artes malæ in genere.

MAlę vocantur, quia à malo principio profluunt, videl. ab Authore omnis mali Dęmone, & quia in nullum bonum finem diriguntur, sed ad perditionem hominis omniumque mediorum, quæ Author naturæ Deus in ejus bonum & commodum produxit: Et quia ingens harum iniquitatum est farrago, quæ toto orbe apud homines cum summos tum infimos passim in usu, amore maximisque delitijs ad æternæ salutis dispendium existunt, consultum esse judicavi, harum omnium speciem turpemque faciem paucis ostendere, & ex physicis, quæ vera sunt, principijs earum falsitatem & vanitatem, & quomodo à licitis agentibus eorumque probatis effectibus internoscendæ sint, exhibere: Et certè cum Aristoteles, à cujus nobilissimis fundamentis recedunt omnes hujusmodi pernitiosæ artes, 3. moral. Nic. cap. 4. docuisset, artem esse habitum quendam cum ratione vera effectivum, subjunxit statim, inertia autem è contrario habitus cum ratione falsa effectivus circa id quod aliter atque aliter esse potest: Et hinc Aristotelis exemplo non solum de arte sed etiam de inertia cujusvis viro bono agendū est, quod vel ideò etiam hic fit, ut his manibus larva malis artibus detrahatur & ostendatur quam indignæ sint, quas tanto studio, labore & amore non tantum homines vulgares sed etiam viri nobiles prosequuntur. Ut itaque de numero harum quippiam tam in genere quam in specie constet,

Ars quid.

Inertia quid.

DICO, Omnes artes malæ quæcunque hactenus inter mortales & eos præsertim qui veris rerum naturalium principijs non instructi, celebrantur, ad Mathematicas imprimis disciplinas pertinere videntur, sub cujus innocenti pallio egregiè se tuentur & tegunt; Deinde sunt aliæ quæ ad medicinam infrà disput. 19. diffic. 18. dicendam, ad militarem, venatoriam, similesque artes se referunt. 3. Denique sunt quæ ad magiam nigram cæterasque aniculārum superstitiones, seu potius ad infelices carnificum flammas, de quibus jam actum est, spectant. Et de his omnibus breviter, ut constet quantum à veris & licitis dissideant.

DIFFICULTAS XX.

Quæ in facultate Astrologica contemnendæ sint.

SUb Mathematicæ disciplinæ pallio se tegit imprimis Astrologia judiciara, tum Perspectiva, Geometria & Arithmetica, de quibus ordine, sed de Astrologia primò

DICO, Quamvis Astra in hæc inferioris mundi corpora vim suam traijcere præter authoritatem Aristotelis aliorumque Philosophorum non minus claræ quam crebræ testentur experientiæ, idque partim luce, & calore, partim alijs quibusdam influentijs per motum cœli applicatis fieri communiter doctores statuant; Temerè tamen & ultrà artis limites Astrologi quidam non contenti cum Arist. ex motu, figura & naturali effectu cœlorum

naturas, vel cum aliis quantitatem, situm, locum & periodum stellatum indagare, etiam ad futura quædam contingentia & res occultas ex positura stellarum & syderum certò prædicendas, imò etiam producendas progrediuntur; Ita docet Delr. l.1.c.3.q.1. ubi scribit, omnium superstitionum caput præcipuum hoc veterum Magorum, ut Chaldæorum, Ægyptiorum & Platonicorum fundamento niti; quæcunq; enim per characteres, figuras ac numeros ipsi perficiunt, ea produci volunt à figuris & virtute ipsis communicata ab aliis virtutibus sublimioribus ex sympathia quadam naturali rerum inter se similium, quatenus hæ figuræ ad amussim invicem coaptantem non secus atq; Eccho ex opposito corpore resultat, aut in concavo speculo radii collecti objectum ex adverso repercussu corpus inflammant, vel cithara eo modo quo alia fidibus intensis percussa alteram tinnitu suo cogit concinere &c. Et certè Chaldæi, Ægyptii & Platonici nihil cum suis figurarum vicibus & similitudinibus efficiunt, quia prorsus nullæ sunt, neq; in cœlo ursi veri, leones, tauri, pegasi existunt, sed tantum syderibus hæc ut ab invicem distinguantur, imaginatione nostra adscribuntur; Neq; figurarum est ulla potestas quicquam efficiendi, ut ex antecedentibus constat. Similitudines illæ & comparationes nihil momenti adferunt, nec in cytharis requiritur alia à parte rei convenientia quam ut chorda quæ vibratur, & altera quæ vibrisat contremitq; & consonat, in eodem tensa sit tono, eundemq; intensionis modum habeant &c. Verum est sæpè virtutem causæ secundæ se sola ad effectū producendum insufficientem cœlesti influxu indigere ad agendum; Nam 8. Phys. statim ad initium c.1. motus cœli rerum sublunarium vita appellatur, & cum mixta inanimata valdè debilia sint per se ad agendum, eò quod habeant qualitates contrarias valdè remissas, & in sua actione à corporibus circumstantibus passivis admodum impediantur, virtus illis cœli necessaria est qua adjuventur, vel quæ etiam illorum generationem sola efficiat, ut patet in auro, lapidibus, metallis, &c. Hæc tamen omnia nec convincunt nec confirmant, quicquid ex cœlis comminiscuntur miserrimi Genethliaci sive nativitatem vanissimi confectores, qui præter imaginarias, syderum aspectus, situs, oppositiones, conjunctiones, domos earumq; angulos cum suis futurorum eventuum prædictionibus ludibrio hominum & totius orbis ob ingentes falsitates & mendaciorū copiam ut plurimùm sese exponunt. Nam si imprimis prædicunt certum tempus talium in cœlo eventuum, qui in ipsa natura certas jam & determinatas causas obtinuerunt, quales sunt astrorum motus, conjunctiones, oppositiones, utriusq; magni luminis ecclipses &c. tunc, quàvis propter astrorum motus necdum perfectissimè deprehensos etiam in istis nō exacti satis & ad minima usq; minuta expensa, sed aliqua saltem certitudo habeatur, ob ejusmodi tamen prædictiones non tantum fide sed & laude digni sunt. Si etiam 2. prædicunt, quæ ad naturales quasdam corporeasq; actiones & à cœlesti influxu dependentes earumq; modum & tempus pertinent, itidem non damnantur, quia in librorum damnatorum vel prohibitorum indice hæc pro illis habentur; permittuntur autem judicia & naturales observationes quæ navigationis, agriculturæ, sive medicæ artis juvandæ gratiâ conscripta sunt. Quod si & 3. prædictiones suas sive Ephemerides de ijs conficiunt, quæ ad cœli temperiem, pluviasq; & tempestates, grandinem, famem, pestem & similia futura contingentia ab hominis libertate non dependentia spectant, id quidem facere possunt, sed conjectura potius quam aliqua certitudine, & tantummodo circà quædam objecta, idq; in communi magia & interminatè, quam certum diem, horam, locum &c. nominando; adeoque ad nimis particularia descendendo: Quod enim incerta sit Mathematicorū in hoc genere prædictio, Ratio est, quia etiamsi noverint virtutem Jovis, Martis, Saturni &c. parum tamen vel nihil sciunt de singulis firmamenti stellis, & nec chameleon tot colores induit, quot sententiæ sunt discordantes in assignandis domibus cœlestibus, à quib. astra vim & efficaciam mutuantur, ut doctissimè ostendit. Alex. ab Angelis l.5.c.6. in Astrol. Cum ergò isti effectus non ex vi unius syderis tantum sed ex toto complexu & conditione omnium causarum dependeant, quæ tamen illos plerunque latet, quomodo aliquid certi, incerti ipsi de causa, pronuncient? Incertos etiam reddit, partim quia non liquidum est, an experimenta præterita quibus innituntur, non fefellerint, ita ut illis effectus adscriberent quibus adscribendi non erant, partim quia ob motum proprium firmamenti, quem Perer. lib. 3. de divina c.2. §. 8. tradit ante sex & triginta millia annorum non absolvere suum circuitum, nunquam idem aspectus redit, atq; adeò præterita cum futuris ad amussim comparari non possunt; Et accedit quod idem aspectus in alio climate & alia terra aliisque dispositionibus pro varietate causarum secundarum & ipse variatur, &c. Quod si 4. denique ad fortuitos eventus & actiones à libero arbitrio pendentes descendant, iique suas prædestinationes immisceant, damnandi sunt, quia peccant contra leges divinas, Cæsareas & naturales, ut videre est infrà pluribus disput. 14. de occult. qualit. & influent. cœlorum.

In cœlo quomodo ursa, leo, pegasus, Mars, Jupiter.

Quid liceat ipsis Astrologis.

Quare Astrologis in suis prædict. nihil credendum.

DIFFICULTAS XXI.

Quid mali immisceri soleat perspectivæ.

DICO 1. beneficio hujus artis mira contingere experientia testatur: Nam per specula terrifici ignes & veluti fulgura quædam in longinquum emittuntur. Archimedes olim classem Romanam sicut & nostris annis pyrata quidam è fumino

mari

mari templum Neapoli, & an. 514. sub Imperatore Anastasio, proclus quidam Constantinopoli naves hostium incendit. Ptolomæus in Pharo speculum constituisse dicitur, quod tamen ob nimiam distantiam in aquis meritò quidam in dubium vocant, in quo per sexcenta millia passuum hostiles naves conspexerit. Joh. Pena Mathematicus Regius præfat. in perspect. vâ, Vitellio, aliiq; cylindricorum speculorum subsidio docent, quomodo reciprocis reflexionum ictibus extrorsum imagines in aëre pendulæ videantur, visile autem & speculum non spectentur, ut non speculorum repercussus, sed spectra & præstigia videantur. Et huc spectat vitrum trigonum & triangulû quo toti in agro greges ovium, boumq; ostenduntur, etiamsi reipsa bos unicus aut ovis existat: spectant & alia de quibus Aquil. l. 4. opt. ad propos. 115. ubi posse inquit phan asticis in locis eandem rem spectari per specula, siquidem una eademque res toties numero multiplicari videtur, quot specula sunt à quibus imago ipsius repercussa diversis lineis in oculum illabitur, &c. Hujus etiam artis beneficio videntur in tenebris omnia, quæ ex opposito geruntur, & à sole illuminantur, cum suis coloribus per angustum foramen suprà cartam albam in cubiculum immissa, ipsumq; solem cum defectu suo & maculis noviter inventis; Imò tam homines quam aliæ imagines, lineamenta & colores ope istius artificii ad vivum natura ipsa monstrante depingi possunt.

DICO 2. Habet etiam diabolus sua specula quibus ludat & illudat homines. Hoc verû esse testatur experientia, dum lunatici quidam animi sensa sanguine in carta consignant & lunæ ostendunt, ut inde luna velut speculum convexum in alterius amici limile quasi speculum legenda omnia refundat, etiamsi scribens in Italia & legens in Germania existat, quasi species litterarum tam minutæ in tanto spatio non evanescant. Vide quid hac de re judicet Franc. Aq. l. 5. optic. propos. 56. Ex quibus apparet, thessalam hanc artem esse, flammisq; illustrandam quâ fures in crystallinis pilis veterricum absentesq; in speculis exhibentur videndi; licet enim specula quædam certis locis disposita sibi mutuò ad aliquod spatium imagines tradere possint, id tamen isto modo non peragitur, neq; imagò excitatur in speculo, quâ punctum vulneratâ is qui omninò procul absens est, quiq; speculo suas species injicit, vulnerari (sc. in distans) putatur. Vide plurib. Aquil. l. 1. propos. 94. ubi inter cætera, eos ait, qui senserunt rem absentem videri posse, naturam intuitus vel non considerasse vel penitus ignorasse; Nam externus sensus fertur natura sua in objectum, ut hic & nunc calore, figura, situ, magnitudine cæterisq; corporeis qualitatibus affectum est, atq; adeò tanquam præsens repræsentatur; Hæc Aquilonius contrà Portam, Agrippam & alios mendaciorum seminatores. Quam pulchrè autem de hac arte catoptrica scribat Athan. Kircher, videre licet l. 10. de arte magna lucis & umbræ, & præsertim de magia catoptrica p. 3.

Pila Crystallina.

DIFFICULTAS XXII.

Quæ sint artes malæ sub Geometriæ & Arithmeticæ schemate.

DICO 1. Malis artibus utuntur, qui de distantia & magnitudine spatii solo aspectu Geometricè pronunciant. Ratio est, quia quamvis ex principiis Geometricis sine omni radio mathematico vel quadrante vel alio instrumento separato latitudines fluminum, altitudines montium turriumq; possint cognosci, non tamen id fieri potest sine omni instrumento etiam conjuncto, quia & digitus, nasus, vel quippiam aliud hoc esse potest. Ex hoc itaque fundamento impostores sunt, qui thesauros monstrare se profitentur virgulis bifurcatis, quarum summitates decussatim simul hærentes, inferioresque extremitâtes manibus apertis tenent, ita ut virgæ decidant eo loco quo thesauri quærendi sunt: ita alii bifidum (ex Corylo si aurum argentumq;, ex fraxino si æs, ex piceastro si plumbum quærunt) surculum decîdunt, virgulamque divinam appellant aut metallicam, quâ venas auri, argenti aut alterius metalli explorant, inclinante eò se virgulâ, qua sub terris venæ porriguntur. Quod si credas fieri posse, & tanquam Magnes vi quadam occultâ & naturali sympathia hi surculi à metallis trahântur, ut affirmat Majol. part. 2. colloq. 4. respondetur id valdè incertum esse, quia rem totam suspectam facit, quod plerumque fures magicis imbuti tali virgula etiam in privatorum ædibus aurum inveniant: Et si sæpè hinc inde in visceribus terræ venæ sint, cur virga potius ad hanc quam ad illam convertitur, vel cur non semper aut in omnium manu virgulæ hæ ad ista metalla se convertunt? Audi Georg. Agricolam. l. 2. de metallicis circa finem hæc loquentem. Postquam enim superstitiosas aliquas circumstantias in usu hujus virgæ metallicæ adhiberi solitas enumerasset, nempè quod cum certis quibusdam incantationibus necesse sit eam usurpari; quod qui apprehendit utrumque virgæ cornu, debeat pugnos efformare, ita ut digiti compressi ad cœlum spectent; quod tantum bifurcata & nô trifurcata esse debeat; quod digiti leviter non sint stringendi, nec nimis acriter comprimendi &c. Tandem subjungit hæc verba; metallicus igitur, quia eum virum bonum & gravem esse volumus, virgulâ incantatâ non utitur, quia intelligit sibi hanc usui non esse, sed habet alia signa naturalia quæ observat: Hæc Agricola, quia & ipse metallicus fuit.

Virgula bifurcata.

DICO 2. Quantus usus est arithmeticæ, tantus etiam ferè est ejus abusus. Non enim manent omnes intrà hujus artis cancellos, sed nescio quam vim in ipso numero ponunt, ut videre est apud Strozzium Cicognam in universæ naturæ theatro lib. 1. c. 8. Et Pythagorici viribus numerorum omnia producta esse & conservari censuerunt, adeòq; quaternario & novenario

Quæ vis in numero.

 justi-

justitiã, quinario nuptias, septenario maturitatem asscripserunt; ad quod allusisse videtur Seneca, qui scribit septimum quemq; annum ætati signum imprimere; septenario enim primo dentes solidiores succedere debilioribus, altero septenario pubescere, 3. ut plurimum barbescere, &c. Repunt autem hæ superstitiones in multa negotia, ita ut sine institutione ecclesię sub certo numero cruciũ vel candelarũ, &c. fieri debere putentur, quæ tamen inter signa vanæ observantiæ Thom. Sanchez in opere suo morali l. 2. c. 4. numero 43. rectè collocat. Cæterum qui errores, quæque vanissimæ superstitiones & artes damnatæ in medicina subinde vigere soleant, vide disp. 19. hujus libr. diffic. 18.

DIFFICULTAS XXIII.

Quæ sint artes malæ militum, venatorum, piscatorum, &c.

Ictus certi sclopetor.

DICO 1. Modus ille quo fit ut certo sclopetorum ictu scopus feriatur, ad insanos damnatosque pertinet milites, quia artes fraudesque magistri Dæmonis intercedunt, quod vel hinc manifestum est, quia ad hoc nonnulli conducere sibi persuadent, si dominicæ diei filo manum dextram, aut resti quâ aliquis suspensus fuit, circumligent, sanè resti sua digni. Alij magis sacrilego ausu Christum in cruce denuò vulnerantes certitudinem iaculorum sibi promittentes vel arma incantantes, ut Spreng. in mall. p. 2. q. 1. c. 16. testatur, crucem & ignem merentur, dum alijs ad vulnerandum symbolis utuntur, & gladios quodam succo, certis ceremonijs mucronem versus inungunt vel ad fulminis lapidem tanquam ad Cotem affricant, unde vulnera insanabilia fieri existimant. Quidam, quod latronum potius est quam militum, cæca vulnera inferre discunt, ita ut nullum glandis trajectę vestigium in corpore occisi appareat, ipsi autem ne lædantur, vel interulam lineam horrendis imaginibus inscriptã, quam inferni camisiam vocant, induunt; vel schedulas pictas signisque ignotis inscriptas, vel pilulas ex farina scelestissimè confectas devorant, vel panniculum, quo infans in utero involutus, fuerat, è collo suspendunt, aut preces quas D. Leoni, aut magna Dei nomina quæ Carolo Magno mendaciter attribuunt, atque experimenti causa nudatum pectus mucronibus exhibent feriendum, qui potius in ferientem ceræ instar reflectuntur, quam ut mollem carnem sed præstigijs diabolicis loricatam penetrent. Vulnera quoque jam illata denuò curare norunt etiam longissimè hominum absentium, modò pugionem aut ensem quo vulnus est illatum, ad manus habeant. Sed de hoc infrà pluribus.

DICO 2. Etiam illi superstitiosè venantur, qui pingvedine animalis, cujus simile capere volunt, vel calceos vel globos plumbeos illinunt; Nulla enim est ratio, cur calcei hac potius quam alia pingvedine uncti celeriorem reddant venatorem; Et quid si tales calcei podagricis induerentur? aut si venator ineptè jaculetur, quam vim pingvedo imprimet ut globum ad feram deducat? Habet & Hecate suos piscatores, qui eâdem arte, quâ mures scuticâ è domo pelluntur, docent quid pisces è longinquo alliciat, ut ad ultroneam captionem ingentia agmina sese offerant; Et quamvis pisces aliquando bonis licitisque artificijs alliciantur, rarò tamen artifices mali bonis artibus & artificijs utuntur. Similem artem etiam enucleatius tradit Alex. Pedemontanus l. 6. arcanor. dum ait, per lampyrides seu nitedulas & argentum vivum fieri posse, ut nocte ad harum rerum lucentem misturam pisces congregentur: Circà aucupia quoque varia sunt errata; illud domesticũ est, quod apes Coloniã pleno agmine transferentes invitare & colligere pleriq; sicut plebem ad balneũ tinnitu æris seu pelvis conantur, idq; contra Arist. qui l. meteor. c. 1. expressè apibus auditum denegat, & contrà experientiam, qua constat apes sonitu perterritos potius aufugisse, quam ad priorem alveum redijsse: Et si suavitate soni capiuntur, nihil certè convenientius inter rusticos videtur, quam ut aliquis stropax tibiæ utricularis inflatu & cantu eas convocet, quia sonus hic non terret sed recreat. Cæterum non desunt modi naturales, quibus animalia capiantur, ut odoribus, speculis, succis inebriantibus, musica ut delphini, curiositate, esca, alijsque artibus licitis & honestis.

Captura animalium

& piscium.

Et avium.

DIFFICULTAS XXIV.

Quid sit actio & ubi recipiatur.

ADverte, varia esse actionum genera; alia enim est substantialis quæ tendit ad substantiam: alia accidentalis quæ ad accidens; alia dependens à subjecto, alia independens à subjecto, ut sola creatio; alia vitalis ut nutritio, alia immanens quæ nõ habet effectũ extrà agens & subjectum cui inest, ut intellectio, volitio; alia denique transiens; quæ ab Agente in subjectum externum transit; Et de hac difficultas est quid sit, quomodo differat à passione & motu, & in quo subjecto recipiatur.

Actionum divisio.

DICO 1. Actio juxta communem Philosophorum opinionem & doctrinam nihil est aliud nisi exercitium potentiæ effectivè communicantis esse alteri; vel est actualis dependentia per quam effectus accipit esse ab altero, scil. efficiente. Probatur. Nam actio non est vis agendi, quæ est in Agente vel principio effectivo etiam quando nulla est actio; Non est enim ipsum Agens, quia actio est tantum actus procedens ab Agente: Neque est relatio extrinsecus adveniens, quia actio est id, quo Agens agit, relatio autem supponit actionem, & est id, quo actio refertur; Neque est ipse terminus, quia potest esse terminus & tamen non pendebit à tali causa, ergo actio est i-

Actio quid.

ipse

pse influxus & dependentia sive exercitum potentiæ activæ, quia nihil aliud reperitur.

DICO 2. Omnis actio transiens est tantum in passo sive subjecto, non autem in Agente. Ita communis est doctrina ex Arist. 3. phys. c. 3. ubi statim ad initium ait, motum esse in mobili; Et rursum 2. de anima, c. 2. in fine, ubi actus agentis dicitur esse in patiente & non in agente. Probatur 1. si enim reciperetur actio in Agente, agens dum agit simul pateretur & mutaretur, quod tamen falsum est. 2. Deus propriè dicitur agens, quia concurrit cum omnibus Agentibus naturalibus, & tamen non mutatur nec patitur, ergò actio non est in Deo, sed recipitur in alio. 3. ibi est actio & recipitur, ubi est terminus illius; Sed hic est in passo v.g. calor in ligno, ergò etiam calefactio.

Actio transiens semper est in passo.

DICES 1. Actio denominat agens, ergò erit in illo. Resp. actionem denominare tantum extrinsecè & non intrinsecè, quod tamen requireretur, & ideò negatur conseq. Nam ita agens denominatur ab actione, sicut paries v. gr. visus à visione, & stomachus calefactus à calefactione cibi & potus calefacientis.

DICES 2. Actio est perfectio agentis, quia forma non perficit nisi id in quo est, ergò sequitur esse in agente. Resp. actionem esse tantum perfectionem extrinsecam; forma autem quæ perficit intrinsecè debet esse in eo, quod perficit intrinsecè; Et sermo est hic de actione transeunte non immanente.

DICO 3. Actio, passio & modus sunt una eademque res, & differunt inter se per diversos conceptus. Est Arist. 3. phys. c. 3. ubi ait, actionem & passionem esse unum eundemque motum; Et patet ex hoc, quia in naturalibus idem influxus dicitur actio, passio & motus; v. gr. calefactio ventriculi motus est respectu termini, actio respectu cibi calefacientis, & passio respectu ventriculi qui calefit. Et probatur, quia repugnat passionem fieri in subjecto, quin ab aliquo agente procedat; hoc autem ipso quod procedat ab Agente, reperitur ratio actionis in eâdem illa mutatione, ergo ubicunque est actio in subjecto, ibi etiam est passio & contra, & proinde cum non possint separari, non distinguuntur ex natura rei, quia quæ hoc modo differunt, eorum alterutrum potest saltem esse in rerum natura sine altero. Itaque inter actionem & passionem non est alia distinctio quàm rationis, quia distinctis conceptibus potest concipi actio & passio.

Actio, passio & motus sunt res eadem.

DIFFICULTAS XXV.

An detur actio in distans.

Digna est hæc difficultas, quæ diligenter examinetur, & quàm tota juventus seriò apprehendat: Ex eâ enim graviter à multis peccatur, magnique errores salutis & æternitatis præcipites pullulant, apud eos videl. qui ex crassa ignorantia & dignoscendis rebus naturalibus earumque affectibus & judicio vel ratione carent, ideòque in malas & damnatas artes prolabuntur, quibus dediti variorum agentium operationes in distans ultrò citròque admittunt. Est autem status quæstionis iste, utrum Agens & patiens debeant se immediatè contingere, vel ut habet Arist. 7. phys. c. 7. an Agens & passum movens & mobile, motus & motum debeant esse in operando simul, quorum verborum sensus est, an agens etiamsi localiter distet à passo, v. gr. ignis à ligno nihilominus in illud possit immediatè agere, nihil producendo in medio?

Nota, quando quæritur, an agentia imediatè agant, vel intelligi de immediatione suppositi vel virtutis, eò quod omnis contactus physicus altero horum modorum fieri debeat. Est autem actio, quæ fit immediatione suppositi, cùm Agens substantiale physicum contingit ipsum subjectum, in quod cupit agere, ut ignis in lignum sibi approximatum agit: Contrà quæ fit immediatione virtutis, est, quando Agens substantiale non est immediatè conjunctum cum passo, habet tamen virtutem à in medio à se productam & diffusá, cujusmodi apparet in sole, qui in terræ visceribus aurum producit, ubi ipse nunquam est quoad substantiam, sed quoad virtutem in toto medio productam.

Suppono, non agi hic de actionibus miraculosis, sed de physicis tantum & alterativis, quæ subjectum ex uno statu in contrarium per qualitates reales & positivas deducunt: Et cum de actionibus sive alterationibus sit quæstio, an ad eas necessariò requiratur contactus, sive is sit actualis & realis, sive virtualis; Itaque

DICO, Non datur actio in distans, atque ita nunquam Agens naturale physicum potest agere in aliud subjectum, nisi per contractum vel actualem vel virtualem. Est hæc conclusio omnium meliorum Phil. Theol. & Medic. contrà Avic. de anima l. 4. c. 4. & alios multos, qui cum rerum cognitione careant, omnia ex effectibus metiuntur, & quorum tum experientiæ, tum rationes levissimæ infrà afferentur & solventur. Dico tamen Agens naturale, quia disputare an Deus in distans sine medio agere possit, id pertinet ad Theologos. Jam probatur conclusio 1. ex Arist. cit. ubi pluribus ostendit, movens debere simul esse cum mobili. Probatur 2. ratione, quodlibet Agens magis agit in propinquum quam remotum; Sed si posset agere absque medio, non esset ratio, cur non æquè ageret in remotum quam proximum; prioris autem est, quia agens naturale est limitatæ virtutis, quæ paulatim in medio deficit ideoque fortius in proximum agit quàm in remotum. 3. Omnis actio fit uniformiter difformiter, id est, in parte primæ producitur major v. gr. calor, in secunda minor, atque ita deinceps: sed hoc non potest aliunde provenire quam ex eo quod agens mediante una parte agat in aliam, quia alias ignis calefaceret partem remotiorem sicut proximiorem contrà experientiam, ergò. 4. Experimur medium juvare & impe-

Actio in distans non datur.

dire actionem; quãdo enim medium est crassius & densius, agens difficilius operatur, & facilius si rarius & tenuius; sed nisi Agens ageret dependenter à medio, neque partibus mediantibus propinquis ageret in distantes, neque medium impediret aut juvaret actionem. 5. si datur actio in distans, nulla potest assignari ratio, cur natura vacuum tantoperè refugiat; Quod enim contiguitas & approximatio agentis cum passo ad mutuam rerum naturalium actionem & passionem requiratur, id non sequitur ex actione concessa in distans, ubi hujusmodi approximatio non est necessaria. 6. sequitur, quod Agens in quamlibet distantiam agere possit, adeòque in infinitum, quia non est major ratio, cur in hoc distans, & non in remotius agere possit; sed hoc absurdum est, ergò & illud. 7. Sol non illuminat partem remotam nisi prius illuminet proximam, aliàs etiam quando terra interponitur inter nos & solem in nostro horizonte posset Sol illuminare, quod est contrà rationem & experientiam. 8. quando candela extinguitur, si subitò candelæ alteri ardenti infrà supponatur, ut extinctæ fumus ardentem contingat, illicò per aerem accensum utrique candelæ contiguum accenditur, tametsi aer ob nimiam raritatem accensus non videatur, ergò non agit in distans nisi etiam agat in medium, & medium in p: ssa n propinquum. Quare autem Agens petat esse cum passo conjunctum rationem dat Soar. de Angel. l. 4. c. 30. num. 4. quia videl. omnia agentia naturalia sunt limitatæ virtutis, ergò debent inchoare actionem à re sibi propinqua; Nam si agens posset agere in distans, non minus posset agere ultrà certam distantiam, quam intrà illam hoc ipso quod in medio nō occuperur aut retardetur, & sic posset operari ad distantiam infinitam contrà experientiam: Et hinc Philosophi absolutè negant in vacuo dari posse motum localem, proindeque nec actionem fieri & transmitti.

Quare agens cupiat esse conjunctum cum passo.

DIFFICULTAS XXVI.

Quid respondendum sit argumentis in contrarium.

Multæ hic adferri solent cùm experientiæ tum doctrinæ, falsæ & suspectæ, quas non tantum homines indocti, sed etiam aliqui rerū causarumque naturalium perscrutatores probant, & jam olim Avic. alijque post eum, ut videre est apud Conn. 7. phys. q. 1. c. 2. a. 2. affirmarunt. Si itaque

DICAS 1. Sol producit viventia in terris ex putri; sed hæc non producit per qualitates in medio diffusas, quia tales non sunt proportionatæ substantiæ producendæ, ergo secundum suam substantiam quæ absens est & in loco remotissimo, ergò datur hic actio in distans. Resp. sive Sol sive Deus producat viventia ex putri aut etiam metalla in visceribus terræ, semper in medio produci qualitates, quæ partim rationem causæ instrumentalis habent, partim principalis; illud quidem, cum rationem sui obtinent, id est, cum in abstracto ut nudæ qualitates considerantur; hoc autem, cum in virtute solis operantur. Neque Dicas, etiam calorem cum producit alium calorem, agere in virtute ignis; quia hic calor producit calorem ut causa principalis, & hunc effectum continet in se formaliter, & ad illum producendum est maximè proportionatus.

DICES 2. Magnes infrà tabulam ligneam vel argenteam si moveatur, movet & trahit ferrum suprà tabulam positum, non verò movet lignum vel argentum, vel aliud corpus juxta se positum, ergò agit in ferrū distans. Respondent Conn. 7. phys. c. 2. q. 1. a. 3. cira finem & alij, in tabula lignea vel quocunque alio medio produci aliquam virtutem seu qualitatem, qualis lapidi projecto imprimitur, non autem tribuere suum effectum nisi ferro ob peculiarem cum hoc solo sympathiam: Contra est, si illa virtus est similis qualitati quâ projecta moventur, etiam tabula cum ferro movetetur, & si ferrum sit magnum & magnes parvus, ipse magnes ad ferrum trahetur, ut docet Card. l. 7. de subtil. Nec juvat, si dicas ferrum înata vi trahi ad magnetem, quia ille motus fieret etiam in quavis distantia; præterea ferrum non trahitur, si magnes cepis vel sangvine hirci imbuatur, ut sentiunt nonnulli. Resp. ergò magnetem producere eandem virtutem in ferro quam producit in ligno vel argento; sed virtus illa non est motus sed principium effectivum motus, quia in ferro & non in ligno producitur, ideò quia ferrum est fomentum magnetis, vel ut docet Cardanus, nutrimētum, vel quod probabilius, quia magnes habet affinitatem & similitudinem cum ferro, quam non habet cum ligno. Adverte, virtutem, quã magnea transfundit, esse omninò diversam ab impressa qualitate projectorum, quia per hanc separantur projecta à movente, per illam verò continguntur dissita & remota; præterea lapis projectus alium lapidem non trahit, annulus autem imbutus virtute magnetica trahit post se alium annulum eatenatum. Si dicas annulus non est fomentum alterius annuli, & tamen unus trahit alterum. Resp. ex affrictu & contactu semper aliquid remanere in añulo magnetis, sicut semper aliquid auri remanet in lapide lydio, si annulus aureus affricetur. Quid unguentum magneticum efficiat, id alibi patebit.

Virtus trahitiva magnetis est diversa ab impulsu.

DICES 3. Vetulæ solo aspectu pueros infascinant, & ut docet Scal. exerc. 183. basiliscus solo aspectu enecat, & lupi ut multorū est opinio, raucedinem inferunt. Resp. corpora vetularum, præsertim quæ dicuntur habere duplices pupillas in oculis, abundare spiritibus venenosis, quos excitant vehementi desiderio & imaginatione nocendi, quique ad oculos deferuntur, quò spiritus subtiliores deferri solent, proinde eos per medium aërem transmittunt, tenerosque infantes afflant & inficiunt, præsertim qui sunt venustiores; hos enim laudant & admirantur; unde etiam perfusæ lætitiâ cor, faciem, spiritus, & oculos maximè dilatant, viamque

que fascino aperiunt. Idem de cattis intellige, qui aspicientem aliquando vehementer intoxicant, faciemq; per emissos vapores malignos mirè inficiunt, ut non ita pridem formosissimæ Juvenculæ factum novi. De basiliscis, nisi tamen subsit fabula, omninò par est ratio propter consimiles afflatus & qualitates; quæ etiam ad nucem aliasque arbores sese extendit; Tales enim alijs vicinæ sunt noxiæ sicut & taxus, quę sua sub umbra dicitur animalia enecare; similiter aurifices ex hydrargiro seu argēti vivi vapore ita resolvuntur, ut paralysi laborare videantur. Quod ad lupum, respondetur, si quis antea à lupo visus lupum ex improviso conspicit, timore corripi propter spiritus micantes & aspectum formidabilem, qui ad cor sanguinem cogit, induċitque frigus cæteris membris & alterationem, unde raucedo nascitur, quod idem accidere solet qui nocturno tempore spectris tentantur & terrentur. Alij dicunt lupum venenosos & frigidos vapores trāsmittere per aerem ad oculos; quos desiderio nocendi & hostiliter invadendi concitat, atque ita corpus hominis afficit & vehementer alterat; Quod si tamen lupus prius ab homine se visum deprehendit, non concitatur contrà hominem nisi fortè magna fame coactus, nec spiritus aut vapores illos oculis emittit, sed fugam capit; si autem prior hominem conspicit, tanquam in hostem & prædam, vel certè ne ab eo impediatur, quò minus gregem invadat, hostiliter concitatur; sed videntur hæc fabulis similia, quia apud paucos fidem inveniunt.

DICES 4. Lebes aqua plenus carbonibus & igni suppositus in fundo aquam habet frigidam & in superiori calidam; ergò agit ignis & calor ejus hic indistans. Resp. aquam fundo proximam prius calefieri, quæ mox ut fuerit rarefacta, ad locum altiorem ascendit, frigidior verò utpotè gravior & densior descendit, ideòq; fundus refrigeratur, proinde vapores frigidi propter calorem superne incubantem & circumstantem sursum ascendere & evanescere non possunt, sicut de antiperstasi loquuntur physici: Ideò enim hyeme putei sunt calidiores, quia circumstat frigus externum & aër frigidus, qui impedit quò minus vapores calidi evaporare possint: In æstate verò quia frigus non impedit nec aër frigidus est aut densatus, vapores calidi utpote leviores sursum feruntur, & in aqua remanent partes crassiores, frigidiores & magis terreæ.

DICES 5. Ignis accendit stuppam distantem nō accenso aere intermedio, ergo alia actione agit in distans & alia in medium. Resp. stuppam ideò accendi & non aerem, quia ignis ut flammam excitet, indiget materia exhalationis, quia flamma nihil est aliud nisi fumus accensus: Cum ergò ignis non reperiat materiam exhalationis aptam ad inflammationem in aere quam reperit in stuppa, hanc inflammat & non aerem.

DICES 6. Sol calefacit aerem propè nos & non illum qui est in media regione, ergò agit in distans & non in medium. Resp. neg. conseq; quia sol etiam transmittit suos radios per mediā regionem, sed quia hi eo in loco sunt simplices & non reflexi, ideo non possunt eam calefacere; etiamsi sit illud ipsum lumen quod inferiorem aerem per radios reflexos calefacit.

Cæterùm omnes reliquæ experientiæ, quæ de torpedine, de fidibus & testudine, deque rebus antipatheticis afferuntur, easdem merentur responsiones, quia semper aliqua virtus in medio producitur, per quam in spatium limitatum agant, quemadmodum de Magnete, de vetulis, &c. abundè liquet. Non est tamen hæc qualitas in medio producta spiritualis; ut ait Senn. hypomn. 2. c. 4. de diff. qualit. occult. & cum eo plures alij, quia quoscunque affectus in ijs deprehendimus, materiales sunt, quia producuntur ab objecto materiali, educuntur è subjecto materiali, & dependent in fieri & conservari ab objecto materiali; Nec quicquam evincit, quod corpora solidissima penetrent, quia etiam radij solares vitrum & alia corpora diaphana penetrant, cum tamen nihilominus sint materiales. Quæ de unguento armario sive magnetico, & de miris quibusdam rerum antipatheticarum effectibus dicuntur, ea vel fabulæ sunt vel fallaciæ & præstigia Dæmonum, quorum peculiares semper cooperationes intercedunt, ut patet ex dictis.

DIFFICULTAS XXVII.

A quonam Agente producatur accidens.

Quæstio est de accidentibus physicis & realiter à subjecto distinctis.

Nota verò duplicia esse accidentia, quædam habent necessariam cum subjecto suo vel substantia in suo statu connaturaliter existente connexionem eamq; sequuntur, ut calor ignis, vini, piperis, lux solis, &c. Quædam nullam habent connexionem, sed indifferenter se habent ad subjectum, eique non repugnant, ut calor in aqua productus vel ægritudo in homine; Et hęc accidentia dicuntur fieri simpliciter per actionem & non per emanationem: Consistit autē emanatio ut ex antecedentibus patet, in eo quod sit intrinseca & pertineat ad consummatam rei productionem, eò quod ipsius munus sit cōnstituere rem in connaturali statu per se sibi debito ex vi generationis; Sectio verò propriè dicta, quod sit magis extrinseca & supponat per se loquendo rem cōnstitutam in esse suo statuq; naturali & perfecto, quæ etiam causa est, cur emanatio tribuatur Generanti, non formæ intrinsecæ seu proprietati, nisi quatenus vicem obtinet generātis, & est velut ipsius Instrumentum: Hine axioma illud, qui dat formam, dat etiam consequentia ad illam, quia scil. ad generantem pertinet constituere genitum cum debitis proprietatibus in statu perfecto. Iam

Accidentia duplicia.

Emanatio tribuitur generanti.

DICO 1. si accidens habet connexionem naturalem cum subjecto, à quo emanat, principium

cipium effectivum principale & im̃ediatum est ipsa substantia. Prob. 1. Inter hujusmodi accidens & substantiam non intercedit ullum accidens intermediũ, quod sit principiũ ipsius proximum effectivũ, ergò. Antec. probatur; Nam illud quod intercedit, vel est substantia, vel accidens; si primum, habetur intentum, proinde à substantia potuit immediatè produci accidens: si secundum, dabitur processus in infinitum, & sic accidens non habebit immediatam connexionem cum suo subjecto. 2. aqua calefacta reducit se ad pristinum & connaturale frigus per formam, ergò accidens hic procedit & emanat immediatè à substantia; quamvis sint qui dicant hanc reductionem fieri à potentia quâdam conservativa substantiæ, à qua nisi eam distinxeris, frustrà effugium quæris. Quod si autem dicas, species sacras vini consecrati apud Catholicos si calefiant, etiam reducere se ad statum naturalem, non per substantiam quæ ibi non est, sed per aliam qualitatem. Resp. hanc reductionem fieri à Deo ad tegendum miraculum & mysterium; sic enim loquuntur Theologi orthodoxi. Probatur conclusio 3. potentiæ in animali v. gr. producuntur immediatè ab anima rationali, ergò & alia accidentia substantiæ connexa.

Aqua calefacta per quid reducat se ad pristinum frigus.

DICES, Qui producit animam, etiam producit potentias, secundum illud, qui dat formam, etiam dat consequentia ad illam; sed Deus producit animam in homine & generans leo in leone, ergò & potentias. Resp. si per productionem intelligatur actio physica, verum esse, quod solum generans producat accidentia; si autem actio emanativa, tum potentiæ aliaque accidentia procedunt à forma; Itaque accidentia immediatè & per emanationem sunt à forma propria, mediatè & principaliter sive per emanationem à Generante. In Embryone humano producuntur accidentia à Genitoribus, potentiæ vitales autem à forma sive anima per emanationem, per actionem physicam à Deo.

DICO 2. Si accidentia non habeant necessariam connexionem cum subjecto, & non fiant à principio vitali intrinseco, quædam ex illis, quæ non fiunt per emanationem, immediatè aliud accidens producunt: quædam non possunt aliud producere. Probatur. 1. pars; Nam calor in speciebus sacris vini naturaliter calefacit, non ut instrumentalis causa, quia deest substantia cui subordinetur, ergò ut causa immediata principalis: Idem patet de calore recepto in stomacho, in ferro & aqua. Probatur 2. pars: Nam figura, calor, &c. non producunt accidens sibi simile, ergo.

DICO 3. Si accidentia sunt, quæ fiunt à principio vitæ, v. gr. actus vitales, non producuntur à solo accidente, id est, à potentia animę, sed etiam ab ipsa substantia animæ. Probatur, si enim ipsa anima actu non influit, sed sola potentia, non potest dari ratio, cur posita specie impressa in aëre homo non audiat, nisi quod anima cum alia potentia vel cum eâd. circà aliud objectum diversum non occupatur; similiter non potest dari ratio alia, cur non possit homo simul & semel cum omnibus potentijs operari, nisi quod anima non possit concurrere unà cum singulis potentijs, proinde per plures potentias distrahitur.

Actus vitales unde producantur.

DIFFICULTAS XXVIII.

A quo principio producatur substantia.

SEnsus quæstionis est, quando producitur substantia aliqua naturalis, quis eam producat, an alia substantia, an verò accidens, & quomodo utrumque hoc agens ad ejus productionem concurrat.

Adverte, varias esse circa hanc difficultatem opiniones, ut videre est apud Hurt. d. 9. phys. de causa effic. s. 3. Conn. 2. phys. c. 6. q. 18. a. 1. & alios, qui hanc celebrem quæstionem tractant. Sic

Opinio 1. est Scoti, Durandi & aliorum, solam formam substantialem esse principium alicujus substantiæ, accidentia verò neque vi propria neque ut substantiæ instrumenta attingere productionem substantiæ, sed disponere tantum materiam, ut in eam substantia Agentis immediatè introducat formam substantialem. Hujus sententiæ est probatio 1. quia accidens est imperfectius substantiâ, ergo non producet substantiam, sed forma substantialis. 2. accidens potest se solo producere aliud accidens sibi simile sine substantia, ergò hæc poterit etiam producere aliam substantiam sine accidente, quia accidens foret in agendo perfectius quam substantia. 3. accidens æquè nobile quã sit effectus v. gr. causa univoca, vel nobilius effectu, v. gr. causa æquivoca, habet vim sufficientem producendi effectum, ergò non indiget alio accidente.

Opinio 2. huic contraria est Thomistarum, Vasquez, Pererij, Fonsecæ, Rubij, &c. Hi docent principium immediatum & proximum substantiæ esse accidentia & qualitates, remotum verò formam substantialem: Hanc opinionem duobus modis defendunt: Nam alij, inter quos est Cajetanus, docent, substantiam sive illi conjuncta sint accidentia tanquam instrumenta, sive non, immediatè ab accidentibus produci: Rationem dant 1. quia inquiunt, id quod disponit, inducit etiam formam; sed accidentia disponunt, ergò inducent etiam formam & producent. 2. generatio semper fit eodem modo; sed hæc aliquando fit sine actuali formę concursu, ergo semper fit sine forma substantiali: hæc minor patebit infrà ex argũentis 2. modo adferendis. Confirm. ex Arist. 1. de sensu, ubi docet, ignem non agere ut ignis est, sed ut habet contrarietatem: Et 1. de gen. c. 7. ait simile non agere in simile, sed contrarium in contrarium, quia actio omnis est inter contraria: sed contrarietas est inter qualitates, non substantias, ergò solæ qualitates sunt productivæ substantiæ, *Secundus modus* est Ru-

bij & aliorum qui docent, ſi forma non exiſtit vel non eſt conjuncta cum ſuis accidentijs, tunc hæc ſeparata producere ſubſtantiam, formam verò tanquam cauſam principalem virtute tantum: ſi autem forma exiſtit conjuncta ſuis accidentijs, tunc tanquam cauſam principalem una cum accid. velut inſtrumentis producere ſubſtantiã. Hæc poſterior pars probatur ijsdẽ argumentis quæ jam proximè concluſione prima ſequentur: prior pars probatur varijs experientijs; Nam in generatione plantæ, oviparorum, viviparorum, ut avium & animalium perfectorum non datur cauſa principalis ſubſtantialis avium & animalium, ergò producentur tantum ab accidentibus; Urſus enim non generatur à forma urſi, quia etiam occiſo urſo poteſt ex urſa generari; nõ generatur etiam ab urſa, quia hæc tantum materiam præbet & paſſivè concurrit; ſemen autem plantæ, avium & animalium non producit per ipſam ſuam ſubſtantiam, quia quo inſtanti generatur planta vel animal, forma ſeminis corrupta eſt; præterea ſemen imperfectius eſt eo quòd gignitur ex illo, ergò producetur tantum ſubſtantia ex accidentibus. 2. ſolæ ſpecies conſecrati vini convertunt guttam aquæ affuſæ in vinum, ergo tunc ſola accidentia producent ſubſtantiam: Ad hæc vermes & mures generantur ex putri materia, ubi nulla præfuit ſubſtantia muris aut vermis, ergò ſola accidentia producunt murem, vermem. Denique Agens & patiens non debent diſtare invicem, atqui v. gr. ſolis ſubſtantia diſtat à paſſo, quando v. gr. producit metalla aut lapides in viſceribus terræ, ergo ſolum accidens quod eſt præſens paſſo, producet formam metallo aut lapidi.

Opinio 3. quaſi via media incedit inter utramque hanc opinionem aitque, accidentia & ſubſtantias ità concurrere ad producendas formas ſubſtantiales, ut dum ſubſtantiæ rationem Agentis principalis obtinent, accidentia ſimul efficienter ut inſtrumenta concurrere; his poſitis,

DICO 1. Accidentia ſeu qualitates activæ concurrunt tanquam inſtrumenta formæ ſubſtantialis principalis effectivè ad productionem ſubſtantiæ. Hæc ſententia eſt Soar. l. 18. ſ. 2. num. 14. Conn. 2. phyſ. c. 6. q. 18. a. 2. & multorum aliorum contrà primam opinionem In hac concluſione dicuntur duo, 1. ſubſtantiam eſſe activam & principaliter concurrere ad producendã ſubſtantiam. 2. etiam accidentia cum ſubſtantia inſtrumentaliter concurrere. Probatur primum 1. quod videl. forma ſubſt. ſit activa, quia actio ſequitur eſſe; ſed ſubſtantia eſt primarium principium eſſendi, ergò & agendi. 2. agere eſt una ex primarijs affectionibus rerum naturalium, ergò ſubſtantiæ nullo modo deneganda eſt vis activa. Quod autem principaliter in productione ſubſtantiæ concurrat, probatur; quia nulla cauſa poteſt effectum ſe nobiliorem producere; ſed ſubſtantia eſt nobilior accidente; ergo nullum accidens poteſt ſubſtantiam ut cauſa principalis producere, ergò ſola forma adjuta ab accidentibus.

Quod cæterùm forma ſit magnæ efficaciæ in agendo, patet ex multis locis Ariſtotelis; Nam hic 2. phyſ. c. 7. docet, cauſam formalem, finalem & efficientem plerunque in unum coire, ut dum homo generat hominem. Et rurſum 2. de gen. c. 9. dicit, materiæ eſſe pati, formæ verò agere, imò reprehendit eos, qui omnem actionem à ſolis qualitatibus deducebant: ſimiliter 2. de anima c. 4 dicit animam eſſe cauſam & principium unde moveamur, &c. Probatur 2. quod videl. accidentia ad productionem ſubſtantiæ effectivè concurrant; Nam accidentia ſunt inſtrumenta ſubſtantiæ ex 2. de gen. c. 9. ſed calor non eſt inſtrumentum reſpectu caloris ſed cauſa principalis, quia ſubſtantia nõ utitur accidentibus ad accidentia producenda, ſed ad generandam ſubſtantiam, ergò & tunc erit inſtrumentum reſpectu ſubſtantiæ. Confirm: Nam in SS. Euchariſtia calor productus & à ſubſtantia ſeparatus poteſt ſimilem calorem producere; atqui tunc non eſt cauſa inſtrumentalis ſed principalis, quia deeſt ſubſtantia cujus ſit inſtrumentum, ergo etiam quando eſt conjunctus ſubſtantiæ reſpectu caloris non erit inſtrumentum, ergò reſpectu ſubſtantiæ; Deinde ſi ratio inſtrumenti in eo poſita eſt, quod tantum diſponat ad formam, ergo nec habitus ſcientię erit potentiæ intellectivæ inſtrumentum, quia habitus non eſt diſpoſitio; idem intellige de ſpeciebus intelligibilibus, proinde nulla dabitur cauſa inſtrumentalis: Denique non dicuntur ideò ſacramenta inſtrumenta gratiæ, ut docent Theologi, quod diſponant hominem ad gratiam, ſed quia illam producunt, ergò etiam ideò dicentur accidentia inſtrumenta, quia efficiunt ſubſtantiam.

Ad rationem primam 1. opinionis Reſp. concedendo Antecedens videl. non eſſe cauſam principalem ſubſtantiæ, proinde eſſe imperfectius ſubſtantia, quod illo argumento probatur, negatur autem non eſſe cauſam inſtrumentalem, quæ non debet eſſe æquè perfecta ſicut eſt effectus. Ad ſecundum neg. conſeq. quia etiam alias homo eſſet igne imperfectior, quia ignis poteſt producere ignem ejuſque formam, homo autem non poteſt producere formam hominis. Ad tertiam conced. antec. neg. conſeq. quia etiam cauſa 2. habet vim ſufficientem producendi effectum in ratione cauſæ principalis v. gr. ignis ignem: ignis tamen ignem inſtrumentaliter producere non poteſt & tamen nihilominus adhuc ignis in ratione cauſæ principalis ad producendum ignem eget concurſu cauſæ primæ, ſicut eget ſubſtantia accidente.

DICO 2. Accidens non poteſt ſe ſolo tanquam cauſa principalis & adæquata ſine auxilio cauſæ ſecundę ſubſtantialis vel certè primę ſupplentis defectum cauſę 2. producere ſubſtantiam, Ita Soar. cit. num. 21. Hurt. d. 9. phyſ. & alij cum Authoribus primæ ſententiæ, cujus argumenta etiã huc ſpectant. Nam cauſa principalis ſemper debet eſſe effectu ſuo perfectior, ſi ſit æquivoca, vel æquè perfecta, ſi ſit

non-

univocæ; ſed accidens non eſt perfectius ſubſtantia nec æquè perfectum ergò non poteſt eſſe cauſa principalis. Major patet, quia effectus totam ſuam perfectionem accipit à cauſa, ergò hæc continet illum formaliter in ſe, ſi eſt univoca, vel eminenter, ſi æquivoca, ſi quidem nulla cauſa poteſt ultrà vires ſuas cauſare & operari; ſed accidens non continet in ſe ſubſtantiam, ergò. Confirmatur, ſi enim imperfectius poteſt producere perfectius, non colligemus Deũ eſſe perfectiorem creaturis ex eò præciſè, quod illas produxerit, quia aliàs nulla poterit dari ratio, cur muſca non producat mundum, rana Angelum, calidum ut duo calidum ut 8. &c. Et hæc ratio fortis eſt contrà Pererium, qui putat ſatis eſſe quod accidens ſit nobilius in ratione principij activi ſuo effectu, licet in ratione entis ſit imperfectius.

DICO 3. Accidens nec quidem in virtute ſubſtantiæ poteſt producere ſubſtantiam. Eſt contra Thomiſtas, quorum duplex ad hoc eſt reſponſum; Nam primo dicunt, cauſam principalem debere eſſe perfectiorem ſuo effectu, accidens autem non eſſe cauſam principalem ſubſtantiæ, ſed tantum inſtrumentalem, quia non ſua ſed virtute ſubſtantiæ, ſive accidens ſit conjunctum ſubſtantiæ ſive non, producit effectum: ſed contrà eſt; ſi enim per illud, In virtute ſubſtantię, intelligunt Thomiſtæ, quod accidens adjutum à cauſa principali ſubſtantiali una cum illa producat ſubſtantiam, tunc verum eſt, & juxta concluſionem primam hujus difficultatis, ſed contrà illorum ſententiam, quia hoc pacto accidens non ſolum operabitur inſtrumentaliter, ſed etiam una cum cauſa principalis: ſi verò intelligunt, quod accidens acceperit illam virtutem à ſubſtantia per quam producit ſubſtantiam, ſicut ferrum candens calefacit acceptâ virtute ſeu calore ab igne, tunc falſum eſt, & probatur concluſio hunc in modum. Vel illa virtus accepta à ſubſtantia eſt accidens vel ſubſtantia; ſi accidens, tunc habent vim argumenta primæ & ſecundæ concluſionis; præterea accidens non poterit agere niſi in virtutæ ſubſtantiæ, ideòque virtutem debet accipere à ſubſtantia diſtinctã à virtute propria, & de hac virtute redibit quæſtio, an ſit accidens vel ſubſtantia & ſic in infinitum; ſi autem eſt ſubſtantia jam non accidens producet ſubſtantiam, ſed una cum ſubſtantia: Et huc ſpectat ratio mox contrà ſequentem reſponſionem adferenda. Secũdo reſpondent Thomiſtæ cũ Fonſeca, Valentia, Vaſq. & alijs, per illud accidens agere in virtute ſubſtantiæ non intelligi, quod à ſubſtantia ſuperaddatur ipſi entitati accidentis aliqua virtus diſtincta ab ipſa entitate accidentis, ſed quod ipſa virtus ſubſtantiæ ſit ipſum accidens quod operatur. Contra hanc reſponſionem eſt 1. ſi accidens non accipit virtutem à ſubſtantia, ergò non agit virtute ſubſtantiæ ſed propria; Atqui virtute propria nõ poteſt producere ſubſtantiam, ut patet ex dictis, ergò nec producet virtute ſubſtantiæ. 2. ſequitur calorem produci à calore non principaliter ſed inſtrumentaliter, quia hoc pacto calor ſemper eſt virtus ſubſtantiæ. 3. accidens per eand. virtutem producit ſubſtantiam quam accepit à ſubſtantia, ergò producet ſeipſo ſubſtantiam, quia nihil magis potuit calor ab igne accipere quàm ſeipſum, ergò ſi calor eſt virtus ſubſtantię, & per hanc producit ſubſtantiam, illam propria virtute producet; ſed hæc virtus non eſt diſtincta à propria entitate accidentis, ergò ſi accidens producit ſubſtantiam propria virtute, producet etiam propriâ entitate.

Quid ſit accidens agere in virtute ſubſtantia.

Ad argumentum primum 2. opinionis modi primi, Reſpondetur neg. majorem, ſi de principio proximo ut quod agatur; ſi vero agatur de principio inſtrumentali videl. an id quod diſponit ad formam, hanc etiam producat, & reſpondetur id abſolutè falſũ eſſe, quia etiam virtutes ſementivæ plantæ, animalis & hominis diſponunt ad formam plantæ bruti & hominis, quamvis nullam ex his producant. Ad ſecundum negatur minor: Ad confirmationem dico, ſenſum primi loci Ariſtot. eſſe quod ignis ſe ſolo non agat, ſed compleat per calorem tanquam per ſuum inſtrumentum; Deinde non loquitur ibi Ariſt. de actione productiva ſubſtantiæ, ſed qualitatum ſecundarũ, ut ſit ſenſus, ignis ut ſic non producit calorem, ſaporem, odorem &c. ſed quatenus habet calorem quæ eſt qualitas contraria frigoris cauſativa ſecundarum. Ad ſecundum locum eod. modo reſpondetur: Quando autem dicit actionem eſſe inter contraria, intelligitur de contrarietate privativa, qualis contrarietas ſemper invenitur inter Agens ſaltem ſecundum formam & inter patiens quod ea caret. Addo quod contrarietas non ſit ratio cur aliqua agant, quia non ſemper contraria omnia invicem agunt, ut patet in nigro & albo; ſimiliter lumini nihil eſt poſitivi contrarium, & tamen ſumert ſolis calefacit.

Ad argumentum primum 2. opinionis 2. modi, reſponſum eſt l.c. diſp. 8. Ad ſecundum Reſp. ſi gutta aquæ affundatur ſpeciebus vini conſecrati, accidentia vini propria virtute diſponere materiam aquę & cum concurſu cauſæ univerſalis producere formam vini, qui cõcurſus ex præſuppoſito miraculo tranſubſtãtiationis dicitur connaturalis & ordinarius. Alij negant in caſu poſito aquam effuſam converti in vinum ſive id fiat ante, ſive poſt conſecrationem, quia compertum eſt varijs modis ex vino diluto extrahi aquam; ſimiliter quia experimur vinum affuſione aquæ debilitari; præterea quia principium generationis vini eſt anima vegetativa, qua caret vinum ſeparatum à vite. DICES, illa aqua non convertetur in ſangvinem Chriſti. Reſp. cum Theologis, qui etiam converſionem aquę in vinum admittunt, videl. ſicut aqua quæ ante conſecrationem nondum eſt converſa in vinum, non convertitur in ſangvinem Chriſti, quia materia converſionis ſive tranſubſtantiationis non eſt aqua, ſed vinum: ita etiam hic nõ convertitur, ſed manet ad ſignificationẽ ſangvinis & aquæ ex latere Chriſti in morte effuſorum.

Aqua infuſa in vinum an convertatur in vinum.

Ad

Ad argum. 3. Respondetur, ex putri materia vermes, ranas, &c. à Deo tanquam à causa principali una cum dispositionibus instrumentaliter concurrentibus produci. *Si quaras*, cur ergò Philosophi non pauci generationem animalium ex putri ascribunt soli, sed & aliorum animntium quę non gignuntur ex putri juxta illud, sol & homo generant hominē. Resp. 1. quia in genere entis physici præferunt præstantiam & nobilitatem cœli insectis & quæ oriuntur ex putri. 2. quia sol calore suo multum juvat ad hujusmodi generationem partim obstacula removendo, partim fovendo causas particulares, qua ratione etiam multa cœlo adscribimus & mineralia in terræ visceribus ab hoc produci asserimus.

Sol est præstantior inse ctis in genere entis physici.

Ad argum. 4. Resp. quando agens distat à passo, agit immediatè immediatione virtutis diffusæ per medium. DICES, solus calor producit formam ignis, ut patet in ferro candente dum incendit stuppam; similiter radij reflexi in speculo aërem & materiam aridam inflammant, ergò solum accidens producet substantiam. Resp. neg. antecedens, quia incensio fit ab igne intrà poros ferri latitante: In reflexione radiorum solis non producitur ignis à calore tanquā à causa principali, sed à sole vel Deo supplente formam ignis; Idem intellige de igne ex silicum collisione producto.

Productio ignis ex reflexione radiorum in speculo fit à sole vel Deo.

Colligitur ex hactenus dictis principium *ut quo* effectivum substantiæ principale esse formam substantialem Agentis; accidentia verò esse causam & principium instrumentale, proinde que substantiam produci à formâ substantiali tanquam à causa principali, ab accidentibus verò tanquam à causa instrumentali.

Substantia producitur principaliter à substantia, instrumentaliter verò ab accidente.

DISPVTATIO QVARTA.

De qualitatibus n genere.

PEracti dimidium facti ad qualitates tanquam ad primum terminum, ubi naturæ suæ fragilitatem persentiscit homo, devenimus: Nihil is hactenus eu flos campi speciosus & inter cuncta animalia solus formosus exurgens præter incrementum expertus est, nihil præter continuatas luæ juventutis dotes vidit, nihil denique præter æternitatis æmulationem somniavit, incertus quæ sub corporis sui corruptibilitate laterent, & quæ cinerum tristes vrnæ foras aliquando essent pulsaturę. Hoc nempe mortalitatis nostrę munus est & officium, ut, cum vix ortus nostri prima labra degustavimus, & paucos sive dies sive annos cum excellenti corporis nostri dote & perfectissima omnium partium integritate viximus, jam ocyus ad interitum, ad pulverem ex quo formati, & ad lamentabile bustum maturemus: Hujus primæ causæ & principia prima sunt qualitates materiæ nostræ corruptibili immersæ, quæ proinde dum ad corruptionem deflectimus, primum occurrunt; Nam ijs jam olim in prima mundi creatione præter animam rationalem, Angelos & ipsos ex parte cælos omne Deus subjecit corruptibile, imò & ipsissimam materiam primam, quælicet ex se sit ingenerabilis & incorruptibilis, concomitanter tamen suum cum composito patitur detrimentum; certè materia nunquam est absque forma, & sive elementa sive mixta nunquam sine qualitatibus tanquam suis ornamentis & proprietatibus; & merito quidem, ne utraq; sint turpia, & id quod sunt hominum sensus lateat: Nam accidentia sunt, quæ homini rem manifestant, & qualitates, quæ substantiam modificant, formamq; sequuntur, & quicquid est virium tam in cœlestibus quam sublunaribus, è sinu promunt, cū prę sertim hoc omni formæ & substantiæ loco privilegij quo gaudent, sit peculiare, & cum in essentialibus invicem discrepent, per famulas pedissequas, quæ ubique præsentes inserviunt, aliter atque aliter operentur, & in affectionibus suis proprium sequantur forum. Quid itaque de qualitatibus primum in genere dicendum sit, hæc præsenti disput. juxta optimorum Authorum placita patebit. Hinc est

DIFFICULTAS I.

Quid sit qualitas.

COmmuniter solet hæc tripliciter sumi; 1. pro differentia essentiali, ut dum quæritur, qualis sit homo, respondetur, rationalis. 2. pro omni forma accidentali, quæ quocunque modo subjectum qualificat & modificat, qua ratione etiam quantitati & relationi convenit. 3. pro affectione accidentali, secundum quam substantia per formā sibi inhærentem dicitur qualis, ut paries albus per albedinem, aqua calida per calorem, homo doctus per doctrinam: Et juxta hanc acceptionem, quæ propria est huic loco, variè à varijs definiri solet; Et imprimis generatim in loquendo significat omne id à quo res dicit qualis ex Arist. l. de prædic. Alij 2. definiunt quod sit accidens absolutum formam cōsequens; per absolutum rejiciunt relationem, & per formam excludunt tum quantitatem, qua materiam cōsequitur

Qualitatis acceptio.

F

tur, tum alios modos, qui comitantur ipsam quantitatem, ut sunt Ubi, situs & habitus in corporibus: sed quia secundum hanc definitionem forma & figura non essent species qualitatis, quod sequantur quantitatem & formam, ideò etiam rejicitur. Definitio Arist. qui loco citat. qualitatem vocat accidens à quo res denominatur qualis, etiam satis obscura est, quia non constat ex his verbis, quidnam sit illud, à quo qualitas habet ut possit subjectum denominare quale. Ex hinc

Qualitas quid. DICO 2. Qualitas est accidens absolutum & perfectum, datum substantiæ creatæ ad complementum perfectionis ejusdem. Ita Soar: in met. d. 42. s. 1. & cum eo plerique ex Philosophis recentioribus. Dicitur accidens, ut excludatur substantia. Dicitur accidens absolurum, ut rejiciantur relationes & modi qui comitantur quantitatem. Dicitur perfectum, ut appareat discrepantia respectu eorum accidentium quæ sunt viæ ad perfectionem substantiæ, ideòque imperfecta vocantur, ut actio & passio. Dicitur datum vel adjunctum substantiæ creatæ, ut constet etiam Angelis, animæ rationali aliisque rebus spiritualibus competere, in quo differt à quantitate, quæ reperitur solum in rebus corporeis. Dicitur ultimò ad complementum perfectionis substantiæ, id est, ut eam intrinsecè perficiat, & quidem per modum alicujus formæ inhærentis, in quo differt à sex ultimis prædicamentis; Actio enim & passio sunt potius viæ ad consequendam perfectionem; ubi verò, situs, quando & habitus extrinsecè tantum videntur afficere substantiam, & per modum quorundam accidentium.

Omnes qualitates sunt perfectiones substantiæ. DICES, Sonus & species intentionales sunt qualitates; & tamen non sunt perfectiones substantiæ, ergò mala est definitio. Resp. sonum esse perfectionem corporis sonantis datum ad producendas species in aure audientis; similiter species intentionales ornant & perficiunt substantiam ut possit elicere operationes, proinde negatur antecedens.

DIFFICULTAS II.

Quæ sint species qualitatis.

Species qualitatis. DICO, 4. numerantur species qualitatis. Ita communiter Philosophi & Medici: prima species est habitus & dispositio. 2. naturalis potentia & impotentia. 3. qualitas patibilis & passio. 4. denique forma & figura. Hæc divisio probari solet hunc in modum; qualitas vel est externa vel interna; si externa, semper est forma & figura quæ extrinsecus quantitatem modificat; si interna, vel est sensilis vel non; si primum, erit patibilis, ut calor, frigus, color, odor, sapor, &c. Si secundum, vel erit innata vel acquisita; quæ est beneficio naturæ inplantata, esse solet naturalis facultas vel potentia & impotentia, ut visus, intellectus, &c. quæ acquiritur industria & labore, dicitur habitus vel dispositio ut scientia, fortitudo aliique habitus.

DICES, Multæ sunt qualitates, quæ ad has species planè revocari nō possunt; Tales sunt actus immanentes, species intentionales, qualitatesque quædam secundæ tactiles, ut raritas, gravitas, &c. ergo plures erunt species qualitatis quā illæ 4. Ante respons. Adverte, duo considerari posse in actionibus immanentibus; 1. actionem ipsam & 2. ipsum terminum, sicut v. gr. consideratur in productione caloris actio quā calor producitur & deinde calor qui producitur. *Qualitates omnes referuntur ad aliquam ex 4. speciebus* Jam Resp. 1. actus immanentes consideratos pro ipsa actione, quæ via est ad terminum, non esse qualitates, quia spectant ad genus sive prædicamentum actionis; quatenus autem habent rationem termini, qui per actionem acquiritur, esse veras & dictas qualitates, quia ab ijs actibus dicimur & denominamur scientes, amantes, &c. Resp. 2. actus immanentes pertinere ad primam speciem, & esse dispositiones quæ ad eandem pertinent; Nam ratio dispositionis in eo consistit, quod disponat ad acquisitionem habitus perfecti: Et hoc idem faciunt actus immanentes, quibus sæpius repetitis disponimur ad acquisitionem habitus perfecti; sic v. gr. per internam speculationem aliquis rei devenimus tandem ad perfectam ejus cognitionem. Resp. 3. species intentionales spectare etiam ad primam speciem qualitatis & esse habitus, quia sunt imagines quædam rerum per sensus percipiendarum, quæ cum ipsis sensibus concurrunt ad eliciendos actus, quibus res objectæ percipiantur. Cùm autem illæ species ordinentur ad operationem, & tamen non sint potentiæ naturales, sequitur necessariò eas pertinere ad primam speciem qualitatis: Et cum non sint dispositiones, quia non potest dici ad quid disponant, necessariò erunt habitus, non quidem tales propriè dicti, quia nullam dant facilitatem ad operandum sicut faciunt habitus judicativi, qui se tenent ex parte potentiarum; sed apprehensivi tantùm, qui se tenent ex parte objectorum. Resp. 4. asperitatem, raritatem, &c. probabiliter spectare ad quartam speciem qualitatis, & esse quasdam figuras consurgentes ex varia positione quantitatis. Resp. 5. gravitatem & levitatem ab aliquibus referri ad secundam speciem qualitatis, scilicet ad naturalem potentiam, in quantum natura sua ordinantur ad corpora in loca sua propria & naturalia deferenda; ab alijs autem revocari ad tertiam speciem, scil. ad patibilem qualitatem, quatenus consequuntur formam & sub sensus cadere possunt, in quo consistit ratio patibilia qualitatis.

DIFFICULTAS III.

Quid sit habitus & dispositio.

CUm habitus & dispositio plurimùm discrepent, & non facilè absque suis acceptio-

ceptionibus cognoscantur, hinc ante omnia eas quas habent, hic recensere convenit. Itaque

Adverte, habitum 1. sumi posse pro modo quodam, qui resultat ex adiacentia vestis, qua ratione pertinet ad quartam speciem qualitatis. 2. pro aliqua qualitate adventitia, per quam subjectum tam benè quam malè afficitur ad operandū, ut cū aliquis ex consuetudine habet habitum bibendi vel blasphemandi; propriè verò & strictè pro ea qualitate, per quam potentia facilè operatur, sicut in musico instrumentali est quædam qualitas sive habitus, quâ digiti citò & facilè per sæpius repetitos actus tangunt instrumentum. Eodem modo potest dupliciter accipi dispositio; 1. generatim pro qualitate, quę potentiā naturalem disponit ad actus efficiendos, sive ea sit in actu 1. sive in 2. quia abstrahit ab utroq;, & hoc modo dicitur ventriculus v. g. habere dispositionem ad concoctionem bonam; 2. pro qualitate facilè mobili seu prout opinitur habitui, qui est qualitas difficulter mobilis, & sic homo dicitur habere dispositionem ad hydropem, ad letargum, ad phthisim, &c. Jam

Habitus quid. Dispositio quid.

DICO 1. Habitus est qualitas, quæ confert potentiæ facilitatem ad operandum, estque à subjecto difficulter separabilis. Dispositio verò est qualitas, per quam substantia disponitur ad operationes, ipsa autem est facilè à subjecto separabilis vel mobilis. Quod habitus & dispositio sint qualitates, patet, quia subjectum accidentaliter afficiunt; ut patet cum quis dicitur ebriosus ab habitu se inebriandi, alter autem ad hoc vitium inclinare, cum per unum vel alterum actum ad illud paulatim disponitur; Et hinc ulterius patet, dispositionem esse quidem ejusmodi qualitatem per quam substantia afficitur in ordine ad operandum, nihilominus tamen non firmiter inhærere ideòque facilè evanescere, cum nondum egerit radices; Contra verò habitum, per quam subjectum ejusque potentia sine labore & difficultate operatur, firmissimè esse subjecto infixum, ut proinde non nisi cum summa molestia extirpari possit.

DICO 2. Si dispositio sumatur 1. modo, id est, pro qualitate, quæ potentiam naturalem disponit ad actus efficiendos, est species subalterna primæ qualitatis, quæ sub se habet dispositionem 2. modo sumptam, id est quatenus est qualitas facilè mobilis, & habitum tanquam species essentialiter distinctas, sicut vivens habet sub se animal & plantam. Quod essentialiter differant, probatur: formam esse ex natura sua facilè vel difficulter mobilem sunt prædicata & differentiæ essentiales; sed ita sunt habitus & dispositio, ergò eorum prædicata & differentiæ sunt essentiales

Habitus & dispositio differunt essent.

Hic Adverte, dupliciter dici qualitatem seu formam facilè vel difficulter à subjecto mobilem. 1. ex natura sua, quo pacto habitus differt essentialiter à dispositione, cum sit qualitas difficulter à subjecto mobilis, & contrà dispositio. 2. dicitur forma facilè vel difficulter mobilis ratione subjecti & actus frequentati vel temporis diuturni; sic habitus praxin medicam exercendi uno vel altero actu acquisitus est facile mobilis, & dicitur dispositio: iteratis autem actibus roboratus dicitur absolutè habitus, quo pacto tantum accidentaliter differt à dispositione. Si quæras, quænam sint qualitates natura sua facile vel difficulter mobiles, Resp. &

DICO 3. illæ qualitates sunt ex natura sua facilè mobiles, quæ necessariò pendent ab actuali influxu potentiæ, ut sunt actus secundi cognitionum, appetitionum, species & operationes sensuum, externæ qualitates productæ in medio à magnete, succino, &c. affectus animi seu passiones, ut amor, ira, gaudium, &c. quæ etiam ad tertiam speciem referuntur, non quidem ratione sui, sed qualitatis sensibilis quam causant in corpore. Illæ verò sunt natura sua difficulter mobiles, quæ ex suo genere non pendent ab actuali concursu potentiæ vitalis, & quæ in nobis permanere possunt nihil operante potentia, ut sunt habitus acquisiti scientiarum, vitiorum, virtutum, &c. quia manent etiam nobis dormientibus; similiter habitus infusi, ut fidei, spei, charitatis, & species intelligibiles in intellectu.

Quæ qualitates sunt facile, quæ difficulter mobiles.

DIFFICULTAS IV.

Quid sit naturalis potentia & impotentia.

DICO 1. Secunda species qualitatis, quæ est potentia & impotentia, nihil est aliud nisi proximum seu radicale principium connaturale & accidentale ad operandum vel recipiendum. Dicitur proximum seu radicale, ut excludatur forma substantialis, quæ non est proximum sed principale principium; Item species impressæ, quæ non dant primam facultatem vel potentiam operandi, sed eam determinant & cogunt; Item habitus acquisiti, qui non sunt principia radicalia sed secundaria, & supponunt potentias quibus inhærent. Item habitus infusi eâdem de causa, licet etiam dent potentiæ simpliciter operari, quam elevant ad novum genus actionis; Rursum primæ qualitates, ut calor & frigus, quia licet sint proxima principia agendi, non sunt tamen 1. per se data ad operandum, sed ad perficiendam substantiam & conservandam unionem formæ cum materia, vel ut ad formam disponant: Itaque huc spectant omnes potentiæ vitales, intellectus & voluntas, potentiæ vegetativæ, sensitivæ, locomotivæ, virtutes lapidum, herbarum, potestas item spiritualis consecrandi, absolvendi, ordinandi secundum quosdam Theologos. Potest autem dividi potentia naturalis in potentiam corporis & animæ; prior est duplex, una activa ut virtus magnetis ad trahendum ferrum; altera passiva ut durities, molities in corporibus

Naturalis potentia quid.

Ad naturalem potentiam quæ qualitates spectant.

Potentia divisio. posterior animæ est triplex secundum Medicos, ut naturalis, vitalis & animalis, quintuplex autem secundum Philosophos, ut vegetativa, sensitiva, appetitiva, locomotiva & rationalis.

DICO 2. Per impotentiam non intelligitur pura negatio vel privatio potentiæ, sed *Impotentia quid.* qualitas positiva, quà ægrè operamur aut ægrè resistimus contrarijs, ita ut tam potentia quam impotentia comparetur non ad diversos actus, ut potentia ad ridendum, & alia ad audiendum (sic enim essentialiter sicut & actus differunt.) sed in ordine ad actum *Quomodo differat potentia & impotentia.* unum vel ejusdem rationis: Sic debilis visus in sene est impotentia, &c. Et hoc pacto non distingvuntur nisi accidentaliter secundum magis & minus, imò una eademque res v. gr. duritie ferri ad resistendum contrario est potentia, & eadem ad impressionem sigilli recipiendam est impotentia; unde constat potentiam & impotentiam non opponi inter se privativè, sed tanquam perfectum & imperfectum.

Si QVÆRAS, quomodo differat potentia & impotentia ab habitu & dispositione. Resp. differre 1. quod primæ species sint qualitates acquisitæ, quæ juvant & facilitant potentias naturales ad operandum; secundæ autem sunt ingenitæ & prima principia connaturalia operationum. Deinde secundæ species qualitatis sunt simpliciter necessariæ ad operandum, primæ autem ad facilius vel ad benè aut malè operandum.

DIFFICULTAS V.

Quid sit passio vel patibilis qualitas.

PAtibile accipitur 1. pro eo quod passionem potest accipere, ut ventriculus calefactionem. 2. pro eo quod ex gravi passione oritur, ut pallor ex morbo contractus.

Passiò quoq; multis modis sumitur; 1. pro proprietate, sic risibilitas dicitur passio hominis. 2. pro receptione qualitatis, quæ est vel conveniens vel disconveniens subjecto, ut mœror, dolor, &c. 3. pro aliqua operatione animæ sensitivæ cum aliqua immutatione vel passione corporali facta, ut est calefactio. 4. pro qualitate seu effectu, qui oritur ex passione & alteratione sensibili. Et hæc acceptio est communis tam passioni quam patibili qualitati; constituitque tertiam speciem qualitatis, quæ si citò afficit sensum & citò transit, ut pallor ex timore, rubor ex verecundia, dicitur passio: si diu durat, ut est *Differentia inter passionem & patibilem qualitatem.* naturalis rubedo; pallor, fuscus color, &c. dicitur qualitas patibilis, non quod subjectum aliquid patiatur verb. gr. mel per suam dulcedinem, corvus à suâ nigredine vel cygnus ab albedine, sed quia causant passionem; *Patibilis qualitas quid.* ut calor, odor, sapor, &c. vel quia sunt effectus corporis.

DICO 1. Patibilis qualitas definitur communiter qualitas firmiter subjecto inhærens eiq; adveniens ad ornamentum substantiæ primò & per se, ut est calor respectu ignis & albedo respectu parietis. Dicitur 1. subjecto firmiter inhærens; ad distinctionem passionis, quæ leviter afficit & facilè ab ea semovetur. Dicitur 2. ad ornamentum substantiæ primò & per se, ut distinguatur à qualitatibus primæ & secundæ speciei, quæ propriè & per se ad operationem ordinantur. Porro an passio & patibilis qualitas differant essentialiter an verò accidentaliter, lis est inter Authores, quorum aliqui docent differre ad eum modum quo habitus & dispositio, alij verò putant discrepare tantum accidentaliter, quia ajunt eundem esse pallorem qui ex causa levi, & qui ex violenta nascitur. Sed quomodo dividitur patibilis qualitas? Resp. &

DICO 2. Dividitur hæc patibilis qualitas variè à varijs, ut videre est apud Jacob. Schegk. l. de occultis qualitatibus, Senn. instit. medic. & alios, qui multipliciter dividunt qualitates in primas, secundas, tertias & quartas, ut infrà dicetur. Colligitur autem, patibilem qualitatem & passionem unam esse specie qualitatem, & differre tantum accidentaliter, ad *Differunt secundum magis & minus.* eoque pallorem v. gr. qui ex gravi causa oritur discrepare tantum juxta magis & minus ab eo qui ex causa levi invehitur.

DIFFICULTAS VI.

Quid sit forma & figura.

NOta, acceptionem formæ duplicem esse, unam latissimam quatenus significat omne id quod subjecto advenit, sive sit substantiale sive accidentale, quo pacto continet omnes formas tam substantiales, ut est anima, quam accidentales, ut est color, calor, &c. alteram verò strictiorem & hujus loci pro qualitate resultante & terminatione quantitatis in *Forma accipitur propria.* materia considerata, ut triangulum ex terminatione trium linearum, ad 3. angelos constituendos in certo aliquo & determinato corpore. Similiter figura trifariam accipitur; 1. metaphoricè & impropriè, quando dicitur in Rhetorica & Dialectica figuras dari. 2. pro signo alicujus rei, quo modo dicunt Theologi agnum paschalem esse figuram passionis dominicæ. 3. denique & pro- *Et figura.* priè accipitur pro qualitate resultante ex varia terminatione quantitatis, seu ut alij, mathematicè, quo modo triangulum dicitur figura, quatenus resultat ex terminatione trium linearum ad 3. angulos conficiendos, &c. His positis

DICO; Forma est qualitas resultans ex *Forma & figura quid.* terminatione quantitatis in materia consideratæ; figura autem qualitas resultans ex terminatione quantitatis sine materia consideratæ, quia hæc magis à materia abstrahitur, & illa

sed.

sensui subjicitur. Neque videntur esse species distinctæ, sed unica tantum accidentaliter discrepans; Nam triangulum dicitur forma quatenus in forma concipitur, & figura quatenus in quantitate præcisè sumpta esse intelligitur, quod discrimen est tantum accidentarium. Et confirmatur, quantitas considerata in corpore differt tantum accidentaliter à quantitate considerata sine corpore, ergo etiam forma & figura quæ sequuntur quantitatem. Cæterum divisiones figuræ petendæ sunt ex Euclide alijsque mathematicis.

Proprietates qualitatis.

Proprietates qualitatis in comuni sunt 3. prima est capacitas contrarietatis, ut videre est in calore & frigore; Non tamen convenit hæc proprietas omni qualitati, quia qualitates secundæ & quartæ speciei non sunt propriè contrariæ, ut ex compatibilitate in eod. subjecto patet, in quo propriè consistit ratio contrarietatis; Nec etiam competit medijs coloribus videl. viridi rubro &c. quia inter se maximè non distant. 2. est capacitas intentionis & remissionis ut liquet de calore & frigore; Intellige tamen id de aliquibus tantum qualitatibus, quia forma & figura, intellectus & aliæ similes facultates naturales nullam planæ suscipiunt intensionem & remissionem. 3. denique est similitudo vel dissimilitudo, quæ utraque à qualitate resultat, ut patet in duobus hominibus, qui per nigrorem, albedinem, scientiam, &c. dicuntur similes vel dissimiles.

DIFFICULTAS VII.

Quomodo dividuntur qualitates patibiles.

Divisio qualitatum.

QUalitatis patibilis variæ apud Authores inveniuntur divisiones, prout quisque cas pro captu suo & ingenio in alias atque alias classes distribuit; Nam Mercatus lib. 1. de elementis q. 22. a. 1. duo ponit in universum genera summa & prima qualitatum, à quibus reliquæ omnes descendant; primum genus ait esse qualitatum spiritualium; quales sint verbum mentis & species intelligibiles; alterum verò corporalium, quæ sint subjectivè in corpore, ut calor, frigus, lux, potentiæ. Hanc qualitatem corporalem subdividit in realem quæ habeat suam propriam quidditatem in suo proximo esse naturali; ut lux, calor, &c. & intentionalem; quæ ex propria natura sit similitudo aliarum rerum, ut coloris similitudo existens in aere, in speculo, &c. Realem rursus dividit in eam quæ à corporibus cœlestibus manat, ut lux, influentiæ; & quæ prodit ab inferioribus ut albedo: Porrò omnium qualitatum ait esse quasdam sensibiles, quæ per seipsas immediatè sint sensus immutativæ, ut lux, calor, color, &c. quasdam verò insensibiles; quæ non possunt per se movere sensum, ut virtutes lapidum & herbarum, quæ tantum sentiantur in suis effectibus, sicut vis magnetis in tractione ferri & herbarum in sanitatis restitutione, quas tertias qualitates sive rerum proprietates occultas nuncupamus. Tandem ex qualitatibus sensibilibus quasdam esse sine contrarietate ut sonus & figura, quasdam autem fieri media actione contrarietatis, ut odor, sapor, color, & ex his esse alias tangibiles ut calor, frigus, alias sine sensibus perceptibiles, ut sonus, sapor, &c. Jacobus Scheghius lib. de occult. qual. præter qualitates primas patibiles nominat alias secundas, alias tertias & quartas sive occultas; Et hunc sequitur Senn. lib. 5. de medic. facult. cap. 2. in hoc solum discrepans, quod omnes qualitates patibiles doceat vel esse manifestas vel occultas, & illas vel primas vocat, quæ videlicet habeant vim calefaciendi, refrigerandi, humectandi & siccandi, vel secundas quæ emolliant, indurent, condensent, rarefaciant, repellant, &c. vel tertias, quæ urinam moveant, menses cieant & sistant, vomitum faciant, carnem generent, calculum frangant, &c. Occultas facit trium generum; Nam alias certum humorem attrahere, v. gr. bilem rhabarbarum; alias cum membro peculiarem habere cognationem, v. gr. radicem pœoniæ cum cerebro, lapides pretiosos cum corde, absinthium cum stomacho. Alias denique venenis resistere, ut patebit infrà de qualit. virtual. Alij divisionem faciunt in 4. primas, in secundas quæ ex primis oriuntur, ut color, odor, sapor, &c. & in medias, quæ nec primæ sunt, nec ab ijs in fieri dependent, ut soni, qualitates intentionales, occultè alterativæ & tractivæ.

Divisio qual. in primas secundas & occultas.

DICO Breviter, patibilis qualitas optimè dividitur in 4. primas, in secundas tangibiles quæ ex ijs oriuntur, tum in illas quæ nec primæ sunt, nec præcisè ab ijs ortum suum habent, sed quæ formis rerum magis affines sunt, ideòque earum proprietates dicuntur, cujusmodi sunt omnes virtutes occultè alterativæ & tractivæ. Ratio hujus conclusionis est, quia sub his 3. classibus comprehenduntur omnes qualitates patibiles, ergò superfluum est affingere plures. Antecedens patet primò in menses moventibus, calculum frangentibus, carnem generantibus; quas virtutes Senn. sub tertia classe reponit; Nam hæ omnes sunt à primis in fieri & conservari sicut color, odor, sapor, &c. quia pendent à calore attenuante, rarefaciente, aperiente, sangvinem fundente, à frigore densante, stringente, &c. patet 2. ab enumeratione omnium hujusmodi virtutum; Nam si aliqua foret causa, quare præter qualitates secundas etiam tertiæ essent admittendæ, non alia foret quam hæc, quod videlicet multæ qualitates patibiles, ut sonus, species intentionalis, & quas Senn. ponit, non possint ad secundas aut occultas revocari; sed hæc ratio nulla est; ergò; Nam respondetur, licet sonus producatur à resonante, debere tamen certæ

temperiei ejusmodi corporis, à qua proinde in fieri pendet: species intentionalis producitur ab objecto, ideoque ad eandem classem spectat ad quam illa qualitas, cujus est repræsentativa, verb. gr. albedinis, nigredinis, figuræ, &c.

DICES, Virtutes herbarum, lapidum &c. spectant ad secundam speciem qualitatis, id est, ad naturalem potentiam, ergò frustrà quæritur, ad quam classem qualitatum patibilium referendæ sint. Resp. virtutes herbarum, lapidum &c. posse referri ad secundam speciem qualitatis, si spectentur tanquam principia radicalia, connaturalia & accidentalia ad operandum, & quatenus emanant ab anima seu forma; vel ad tertiam, si considerentur tanquam ejusmodi principia activa, quæ à temperie certa primarum qualitatum oriantur; Unde, quævis dicantur id esse in vegetabilibus rebusque inanimatis, quod sunt potentiæ in animalibus, in uno tamen vel altero discrepant, quia pereunte vel abeunte anima pereunt omnes potentiæ materiales in animalibus, quod non fit in vegetabilibus & fossilibus, quia in hisce sunt pendentque omninò à temperamento, non in illis.

DIFFICULTAS VIII.

Unde producantur qualitates.

QUæstio hæc concernit omnes 4. specierum qualitates; Nam habent omnes & præsertim quæ tertiæ sunt speciei dicunturque primæ, secundæ, manifestæ, occultæ, proprietates rerum, perfectivæ, corruptivæ, &c. non idem suæ productionis principium, nec eundem modum. Ut autem ordine & breviter aliquid de omnibus,

Quis producat dispositionem & habitū. DICO 1. Dispositio producitur à Generante variisque agentibus sublunaribus, habitus autem ab actibus. Probatur primum, à Generante non tantum forma producitur, sed etiam complementa formæ & substantiæ; sed dispositiones sunt complementa & perfectiones formæ, Ergò. Quod autem ab aliis agentibus sublunaribus producantur, probatur; quia horum est corrumpere & producere, adeoque omnia in omnibus disponere, quæ sunt ad ortum & interitum, ad conservationem & destructionem; Et sic sol, aer, cibus, potus, &c. producunt in homine dispositiones ad morbum, ad sanitatem & conservationem. Probatur secundum, quia per solos actus sæpius reiteratos & repetitos acquirimus perfectionem alicujus rei, v. gr. habitum in medicina practicum per longum usum & experientiam rerum medicinalium. De his autem vide quæ Philosophi vel in Logicis vel in Metaphysicis tractant.

Quis naturales virtutes. DICO 2. Naturales potentiæ & virtutes rerum producuntur à Generante & emanant à forma; impotentiæ verò præter hæc ab omni causa extrinsecus adveniente. Primum patet ex lib. 1. disput. 12. de potentiis in genere diffic. 11. Quod autem de potentiis animæ sensitivæ & intellectivæ, idem de virtutibus rerum vegetabilium & mineralium dicitur. Probatur secundum, quia ferrum ex natura sua habet impotentiam sive resistentiam facilè liquescendi, homo ingens pondus portandi, asinus volandi, &c. crus verò contortum & contusum ambulandi, brachium luxatum se movendi, quia hoc malam intulit gravis injuria extrinsecus inflicta.

DICO 3. Forma & figura fit ab eo qui corpus ad certam terminationem quantitatis redigit, sive id fiat per artem sive per naturam. Prob. ex definitione utriusq; Nam utraq; dicitur qualitas relultans ex terminatione quantitatis, ergò quisquis terminat quantitatem, terminat etiam corpus physicum ad talem formam & figuram: Quod autem tam per artem quam per naturam fiat, patet imprimis in homine, qui à suo generante determinatur ad certam figuram, v. g. brachium ad hanc, caput ad illam &c. similiter Statuarius format ex lapide, ligno vel alia materia figuram quam intendit, & cujus ideam sibi in mente concepit. *Quis formam & figuram.*

DICO 4. Qualitates primæ sive sint in elementis, sive in mixtis producuntur à Generante, à simili, à lumine, à motu, &c. Secundæ verò & quæ ad eorum seriem sive ordinem spectant oriuntur à primis, ut infrà de qualitatibus primis & secundis constabit. *Quis primas qualitates.*

DICO 5. Qualitates virtuales, occultè alterativæ & tractivæ, quæq; sunt proprietates & perficiunt subjectum, oriuntur à Generante, emanant à forma & resultant ex varia commixtione 4. primarum qualitatum. Prob. de generante quod aliquando est univocum, ut dum planta producit plantam; aliquando æquivocum, ut dum sol vel Deus producit aurum, quia qui producit formam & cum ea compositum physicum, producit etiam accidentia ejus perfectiva, quæ ferè idem sunt in vegetabilibus & mineralibus quod potentiæ vitales in animalibus, secundum illud, qui dat formam, dat etiam consequentia ad illam. De emanatione à formis res manifesta est, sicut & de resultantia ex permixtione primarum qualitatum, quia omnes potentiæ, virtutes & proprietates, cujusmodi sunt qualitates occultæ, prodeunt à formis suorum suppositorum per emanationem, & quia necessariò conjunctæ sunt, cum permistione 4 prim. qualitatum, ab ea per naturalem quandam sequelam resultare dicuntur, quia naturâ posteriores sunt, manentque etiam formâ sed non temperamento pereunte.

DICO 6. Qualitates quæ non sunt perfectivæ aut proprietates rerum, ut calor in aqua, albedo in pariete, qualitas maligna in rebus putridis, quæque non habent necessariam cum subjecto connexionem, oriuntur à varijs agentibus tam univocis quam æquivocis. Probatur hæc conclusio; Nam calor in aqua producitur ab alio calore, à lumine, à motu, & quali-

qualitas maligna in aëre, in aqua, in ſanguine & humoribus producitur à ſimili, ab influxu aſtrorum omnibusque cauſis corrumpentibus, quia hæc omnia habent vim aliquid producendi extra ſe.

DIFFICULTAS IX.

Vbi ſubjectentur qualitates.

NOta, ſubjectum aliud eſſe denominationis vel *ut quod*, aliud inhæſionis vel *ut quo*, primum eſt, quod denominatur ab accidente, ut vinum dulce; ſecundum eſt id cui inhæret accidens, ut color in pariete. Solet autem hæc præſens difficultas duplici modo proponi; primò an accidentia ſint immediatè in materia, & hac mediante in compoſito; de aliquibus non dubitatur ineſſe, quia pereunt ſoluto compoſito; quæſtio eſt de omnibus. Et negant Thomiſtæ, ullum accidens poſſe inhærere materiæ, quia negant materiā habere propriam exiſtentiam, ſed exiſtere exiſtentia formæ & compoſiti, proinde conſequenter dicunt, materiam non eſſe immediatum ſubjectum accidentium, ſed compoſitum. 2. poteſt difficultas hoc modo proponi, an videl. qualitates primæ & quæ inde oriuntur, immediatè inhæreant materiæ, an verò quantitati, & hac mediante illi.

DICO 1. Subjectum denominationis vel quod dicitur ſuſtinere accidentia materialia (de ſpiritualibus & immaterialibus hic nulla eſt quæſtio) eſt compoſitum phyſicum ſingulare. Eſt communis hæc concluſio & prob. quia ſolius ſuppoſiti, quod in rebus naturalibus eſt ſolum compoſitum phyſicum, eſt recipere & ſuſtinere *ut quod*, ergò eſt ſubjectum denominationis. Prob. antec. ejuſdem eſt recipere & ſuſtinere *ut quod*, cujus eſt per ſe & in actu perfecto ſubſtare & dependentiam aliorum ultimò determinare; ſed hoc convenit ſoli compoſito, ergo; Nam hoc neque forma facit neque materia, cum hæc ab illa, & illa ab hac ſi ſit materialis, utraque autem à ſuppoſito pendeat.

Materia prima nulla ſuſtinet accidentia abſque forma.

DICO 2. Materia prima per ſe & abſque præſentia formæ non eſt ſubjectum inhæſionis materialium accidentium. Prob. ſi materia caret actu primo, qui eſt forma ſubſtantialis, etiam carebit ſecundo, qui ſunt accidentia, ergò abſque præſentia formæ non eſt ſubjectum inhæſionis materialium accidentium. Antec. patet, quia actus ſecundus ſemper ſupponit primum, ergò etiam accidentia formam ſubſt. & conſequenter nullum accidens poteſt ineſſe materiæ per ſe & ſeorſim ſpectatæ.

Nec forma

DICO 3. Forma etiam non eſt ſubjectum inhæſionis accidentium naturalium. Prob. anima rationalis in homine nō ſuſtentat accidentia naturalia, ergò neque in alijs compoſitis formæ materiales; conſeq. patet, quia idem in homine cæteriſq; compoſitis phyſicis eſt ſubjectum inhæſionis materialium accidentiū. Prob. antec. quia accidentia hominis reverà ſunt materialia & extenſa, ergò nō poſſunt inhærere animæ humanæ ſicut nec accidentia aliorū compoſitorū ſuis formis; Nā omne quod in aliquo per inhæſionem recipitur, neceſſariò ſeſe accommodare debet ad naturam recipientis, proinde ſi ſubjectum ſit indiviſibile, etiam accidens inhærens ejuſdem conditionis eſſe debet.

Quod ſubjectum inhæſionis qual. materialiū.

DICO 4. Subjectum inhæſionis qualitatū & accidentium materialiū eſt materia prima, ſuppoſitâ tamē præſentiâ formæ ſubſtantialis informantis. An aliqua ſint immediatè in compoſito, dubium eſt, quia aliqui id affirmant, aliqui negant; Ut itaq; pugnetur pro ſola materia, prob. primo vulgari exemplo vel hominis vel canis qui vivus ex alto præcipitat' in medio moritur, quia in hoc caſu idem eſt motus hominis vel canis viventis & mortui, non tamen idem compoſitum ſubſtantiale, ergò ille motus non eſt in compoſito ſubſtantiali ut in ſubjecto, quia non poteſt eſſe idem num. motus, niſi ſit etiam idem num. ſubjectum, quod aliud non poteſt hic aſſignari præter materiam primam canis vel hominis. Hoc argumentū difficile eſt ſolvendum Adverſarijs, qui mirè ſe torquent, dum aliqui eorum docent eſſe diverſos motus numero, aliqui negant, adeoque eſſe diverſus contiguos & non contiguos nullamque inter eos eſſe quietem. Probatur 2. quando tranſmutatur verb. gr. aër in ignem, ubi calor eſt aëri & igni communis, manet eadem qualitas in genito quæ prius fuerat in corrupto, calor nimirùm; ſed non poteſt manere niſi inhæreat materiæ, quia compoſitum ſubſtantiale non manet, ergo ejuſmodi accidentia inhærent materiæ. Probatur 3. accidentia ſunt diſpoſitiones ad formas ſubſtantiales ut notum eſt; ſed in materia prius ſunt diſpoſitiones quam formæ, quia omnis diſpoſitio eſt propter formam, ergò. Reſp. hic Adverſarijs diſpoſitiones eſſe formâ priores & poſteriores in diverſo genere; Nam cum forma ſit cauſa diſpoſitionum, ideò in genere cauſæ efficientis ipſa eſt prior diſpoſitionibus, & hæ priores in genere cauſæ materialis. Contra eſt, quia ſi in genere cauſæ materialis diſpoſitiones ſunt priores forma, ergò hæc in genere cauſæ materialis non poteſt eſſe prior diſpoſitionibus; ſed ſi accidentia inhærerent compoſito aut formæ immediatè, forma eſſet ſubjectum diſpoſitionum, ergò in genere cauſæ materialis prior eſſet diſpoſitionibus, & viciſſim diſpoſitiones in eodem omninò genere cauſæ eſſent priores forma, quod eſt abſurdum. 4. Probatur. Adverſarij negant formas partiales; ſed io homine verb. gr. non poſſunt eſſe accidentia materialia in anima, ergò in homine ſunt aliqua ſaltem accidentia in materia. Si dicas formam ſubſtantialem eſſe rationem formalem ut materia recipiat accidens; reſpondetur, id implicare formam eſſe rationem formalem & non ſubjectum ut

Qui, ergò est id quo recipitur accidens, quod tamen est falsum; forma enim aquæ non est id quo recipitur calor, quia hic repugnat formæ aquæ; ergò forma aquæ non potest esse ratio formalis receptiva caloris. 5. in eo subjectatur accidens, è cujus potentia educitur; sed accidentia sive qualitates materiales quæ sunt hujus intentionis educuntur è potentia materiæ, ergò. Probatur major, quia nihil aliud est educi quàm dependere à materia vel sustentari; sed hoc est inhærere materiæ, ergò educi è potentia materiæ est inhærere materiæ. Unde qui dicunt, accidentia quidem educi è potentia materiæ, non tamen illi inhærere neque ab ea dependere, vel secum ipsi pugnant, vel non intelligunt, quid sit educi è potentia materiæ. Et ex his patet materiæ sub actu formæ nihil deesse, quominus possit ac debeat recipere accidentia materialia, proinde erit subjectum inhæsionis talium accidentium: Nam frustra quæritur aliud subjectum, si materia ita sumpta sufficit; Est autem materia hoc modo subsistens, quia est Ens in actu per formam substantialem, quod sufficit ad officium recipiendi. Et certè si materia sufficit ad recipiendam & sustentandam in se formam substantialem, etiam sufficiens erit recipere & sustentare accidentia, cum præsertim jam posita sit in actu & ornata per formæ præsentiam & pulchritudinem. Probatur ultimò, materia etiam ex sententia contraria antequam existat, recipit formam substantialem, quia non potest eam recipere quando jam habet; si ergò recipit formam substantialem, non existens existentiâ formæ, poterit recipere & accidentalem. Ex hoc fit argumentum Adversarijs ægrè solvendum, nihil potest recipere quicquam distinctum realiter nisi existat; sed materia, ut ipsi volunt, non existit ante formam substantialem, ergò non potest eam recipere, quia si potest hanc recipere, cur non etiam accidentalem

Materia recipit immediatè in se accid.

Cur materia debeat necessario existere ante formam.

DIFFICULTAS X.

Quid argumentis in contrarium sit respondendum.

DICES 1. contrà secundam conclusionem, quod videlicet materia per se & absque præsentia formæ non sit subjectum accidentium. Quantitas inhæret materiæ ante omnem causalitatem, ergò accidentia inhærent materiæ per se sumptæ. Resp. neg. antec.; recipiuntur autem formæ in materiam extensam extensione quantitatis, quia licet forma cum subit materiam, in genere causæ formalis & effic. antecedat quantitatem, & ita quantitas non inhæret hac consideratione nisi in materia informata formâ substantiali; tamen in genere dispositivæ materialis quantitas nostro modo intelligendi utcunque formam præit.

DICES 2. Contrà 5. conclusionem; substantia prior est accidente tempore, natura & cognitione; sed si accidens esset immediatè in materia, substannia non erit prior accidente, quia in materia prius esset accidens quam forma subst. ergò compositum substantiale nō esset natura prius accidente. Resp. ut verum sit illud dictum, satis esse quod aliqua substantia sit prior omni accidente, & talis substantia est materia prima, quæ præcedit; unde non est opus id verum esse de omnibus substantijs.

Non omnis substantia est prior accidente.

DICES 3. Generatio est mutatio totius nullo manente sensibili ut subjecto eodem; sed si aliqua accidentia essent immediatè in materia, maneret materia cum accidentibus sensibilibus, ergò maneret aliquod subjectum sensibile. Resp. per subjectum hic intelligi denominationis non inhæsionis.

DICES 4. Si accidens esset immediatè in materia, faceret unum per se cum illa, quia ex actu & potentia fit unum; sed accidens est actus & materia potentia, ergò ex actu & potentia fiet unum per se. Resp. per actum & potentiam intelligi ut sint ejusdem generis quemadmodum est forma subst. & materia non autem ut sint diversi sicut accidens & materia, ex quibus fit unum per accidens & non per se.

Vt actus & potentia faciant unum quid, debēt esse ejusdem generis, ut forma substant. & materia.

DICES 5. Si aliquod accidens esset in materia immediatè, maximè esset quantitas, quia cætera omnia accidentia materialia non recipiuntur nisi in subjecto quanto, ergo prius debet esse quantitas in materia quam ullum cæterorum accidentium; sed quantitas non potest esse in materia, ergò neque cæterorum accidentium ullum. Resp. neg. minorem ut infrà dicetur.

DICES 6. Materia prius respicit formam substantialem quam accidentalem, ergò etiam prius eam recipit. Resp. materiam respicere prius formam substantialem ordine intentionis, falsum esse, quia quod prius est in intentione, posterius est in executione; respicere autem prius ordine executionis, verum. Quod si tamen

QUÆRAS; an saltem divina virtute possit aliquod accidens inhærere soli materiæ, quæ esset omni forma substantiali destituta: Negant hoc aliqui, sed affirmant potiores ut videre est apud Conn. 1. phys. c. 9. q. 6. a. 3. ubi ajunt; id mirum videri non debere, cum etiam Deus in SS. Eucharistia concursum causæ naturalis suppleat conservando extra subjectum quantitatem cæteraque accidentia, quæ prius materiæ inhærebant. Et certe si Deus conservat quantitatem absque omni subjecto, non est dubium, quin eandem in materia ut in subjecto licet imperfecto absque forma conservare possit, cum illud ex se majus sit & operosius quam hoc. hæc Conn. & alij.

Etiam accid. potest divinitus esse in sola materia absq. præsentia formæ substantial.

DIF-

DIFFICULTAS XI.

Quomodo qualitates & accidentia materialia inhæreant in materia.

QUod accidentia materialia inhæreant in materia, extrà controversiam est, ut patet ex dictis , an autem proximè an verò media quantitate inhæreant , litigant ex antiquioribus Nominales , Hurtadus & alij contrà D. Thom. Conn. 1. de gen. cap. 4. q. 4. a. 2. & plerosque modernos , quorum illi volunt accidentia non inhærere quantitati, sed recipi im̃ediatè in substãtia, hi verò recipi primò in quantitate, tum hujus interventu in materia.

Accid. inhærent materiæ per qualitatem.

DICO, primæ qualitates & alia accidentia inhærent & recipiũtur primò in quantitate & per hanc intermediam in materia. Est contrà multos insignes, ut patet, Philosophos, qui ideò contrarium tuentur, quod videl. accidentia sint in materia extensa : Docent enim quantitatem non esse distinctam entitatem ab entitate substantiæ & accidentium extensa. Sed probatur conclusio 1. si repugnaret accidentia recipi immediatè in quantitate , esset quia unum accidens non posset recipi in alio ; sed hoc non obstar , quia etiam habitus & actus recipitur in illis potentijs à quibus producuntur, ergò potest accidens esse subjectum accidentis, ergò & qualitatis ; Non enim obstat materialitas, quia potest esse materiale in materiali, ut patet in forma ligni. Probatur 2. Accidentia materialia vel sunt extensa extensione sibi propria vel quantitatis ; non prima, quia aliàs multę extensiones essent in eodem loco adeòque plura corpora, ergò 2. quia in quantitate sunt accidentia, & ad ejus dimensionem extenduntur. Probatur 3. argumento Theologorum quod tale est, species hostiæ sacræ naturaliter alterantur ; unde subsumo, vel calor tum aut color habet subjectum vel non; si non, ergo creatur , proinde calefactio est novum miraculum ; si autem habet , quodnam illud? Non corpus Christi, quia illud est gloriosum & impatibile ; nec materia panis, quia ut est de fide, jam perijt cum forma , ergò quantitas in qua frigus expellit calorem & contra , cum se non ratione sui sed subjecti compati non possint. 4. In sacra hostia calor, color, sapor, &c. habent extensionem localem; non autem à materia vel forma, ergò à quantitate.

Etiam accidens potest recipi in accidente v.g. habitus & actus in suis potentijs.

Quomodo accidens non possit accidere alteri accidenti.

DICES 1. Nullum accidens accidere alteri accidenti, ergò nec calor quantitati. Resp. hoc dictum non dici de inhærentia, sed de prædicatione ; Quando enim dicitur ; musicus v. gr. est albus , ideò est vera propositio, quia albedo & musica sunt in uno tertio, videlicet in Petro ; non est autem albedo in musica, & contra unde non unum de altero prædicatur.

Una res potest esse subjectum & forma respectu diverso.

DICES 2. Non potest idem esse subjectum & forma ; sed quantitas est forma, ergò non potest esse subjectum. Resp. hoc fieri respectu diverso ; Nam quantitas est forma respectu materiæ, subjectum verò respectu qualitatum, quo modo anima rationalis est forma corporis & subjectum qualitatum spiritualium.

Calor in SS. Euch. recipitur in quantitate

DICES 3. Cum Hurt. d. 6. phys. s. 54. & Nominalibus, munus quantitatis esse ut extendat materiam & disponat ad formã, ergò non ut suscipiat formam. Resp. neg. hoc totũ esse ipsius munus, quia calor in SS. hostia non recipitur in materia sed in quantitate.

DICES 4. Qualitates primæ sunt dispositiones ad formam & causæ qualitatum secundarum, & tamen non recipiunt has in se , ergò nec quantitas recipiet eas. Resp. ideò qualitates secundas non recipi in primas, quia nõ possunt ab illis ullum effectum formalem recipere, à quantitate autem accipiunt extensionem. Si dicas extendi sicut forma substant : per accidens ratione materiæ extensæ. Contra est, quia calor in sacra hostia cum careat materia , careret etiam extensione , aut certè novo miraculo extenderetur.

DICES 5. Dispositio debet esse in eodem subjecto quod disponit & in quo recipitur forma, quia dispositio non potest disponere subjectum in quo non est, cùm fiat dispositio per informationem ; sed qualitates primæ sunt dispositiones ad formam, quæ est in materia, ergò etiam erunt in materia & non in quantitate. Resp. dispositiones debere esse in eodem subjecto immediatè per informationem immediatam, præsertim si sint immateriales, negatur, quia spiritualibus hoc magis convenit ; mediatè per informationem mediatam, conceditur, proinde media quantitate Ut Quo disponitur materia tanquam subjectum Ut Quod.

DIFFICULTAS XII.

An & quomodo qualitas aut accidens possit alieno subjecto inhærere.

CErtum est & constat ex communi Philosophia, quodlibet accidens respicere suam substantiam propriam , cui ex ordine naturæ conveniat, v. gr. hic calor huic stomacho. Jam quæritur, an hic idem calor possit transferri à stomacho in quo est, ad aliud subjectum, vel etiam in eo produci cui naturaliter non competit, ut lapidi.

Adverte, quæstionem hanc posse concernere vel accidentia quæ re idem sunt cum suo subjecto, ut figura quæ est idem re cum hac quantitate, vel quę à subjecto realiter differunt, ut calor à stomacho; vel de materialibus, vel de immaterialibus , & ita quidem ut fiat comparatio inter accidentia materialia & subjecta immaterialia, vel contra inter accidentia immaterialia & subjecta materialia. Jam

DICO 1. Naturaliter non potest fieri, ut vel aliqua qualitas transferatur à subjecto competente, ad non competens vel etiam in eo producá-

ducatur. Prob. 1. quodlibet accidens non respicit aliam substantiam præter eam quæ sibi peculiaris est & propria, ergò virib. naturæ non potest in quovis subjecto recipi aut produci. 2. substantia determinatur à suis accidentibus, ergò propter certa & determinata accidentia talis est substantia, ergò non potest quodlibet accidens esse in quavis substantia; Antec. patet, quia nisi hoc fieret, sequeretur, in materia v. gr. sementiva hominis sequi quamcunq; formã, & ex chylo produci posse in Epate aurum, unionem, imò & bucephalum, quod tamen est absurdum. 3. non sunt quævis accidentia in subjectis compatibilia, ergò non potest in quovis subjecto quodlibet accidens inhærere.

Quodlibet accidens respicit proprium substantiam & materiam.

DICO 2. Illa accidentia, quæ sunt idem re cum suo subjecto, non possunt in alio subjecto naturaliter, imò nec divinitùs constitui. Primũ ex se manifestum est, prob. secundum, quæ sunt idem realiter, non possunt divinitùs separari, ergò nec possunt in aliis subjectis constitui, quia hoc ipso, quod Deus ea separaret, essent diversę realitates, nec posset dici, hujusmodi accidens esse idem re cum subjecto. Tale accidens est figura, quæ idem re est cum hac quantitate, & relatio alicujus rei cum re ipsa.

Quædam accidentia sunt idem re cum subjecto.

DICO 3. Quædam accidentia materialia nõ possunt divinitùs recipi in subjecto immateriali: prob. quantitas & figura quæ idem re est cũ quantitate eamq; sequitur, non potest divinitùs inhærere Angelo aut animę rationali, ergò prob. ant. quia repugnat in Angelo aut anima rationali fieri extensionem per quantitatem, cuj⁹ propriũ est hoc facere, aut habere partes entitativas substantiales, quæ per quantitatem possint extendi, ergò his ipsis nõ potest divinitus inhærere quantitas. Quod autem cætera omnia accidentia materialia possint in subjecto immateriali præter quantitatem, & quæ re idem cum ea sunt, recipi, patebit ex seq. conclusione. Hic tamen *Adverte*, nõ planè omnem extensionem esse à substantia immateriali & spirituali alienam, sed tantum quæ est extensio magnitudinis & cuius est extendere per se subjectum, ut patet de habitu justitiæ aliisq; motib. spiritualib.

Etiã datur extensio in substantia immateriali.

DICO 4. Omnia accidentia materialia possunt divinitus esse in quovis subjecto immateriali, & quodlibet immateriale in subjecto sive materiali sive immateriali. Prob. 1. Deus conservat quantitatem extra omne subjectum, ut constat in divina Eucharistia, ergò multò magis potest conservare accidens aliquod materiale in subjecto alieno, quia nulla sequitur repugnantia. Deinde conservat Deus humanitatem Christi in alieno supposito ut docent Theologi de mysterio incarnationis, ergò. Adhæc non repugnat inesse materiæ formam substantialem absq; ullis dispositionib., ut patet ex l. 1. disp. 11. diffic. ult. ergò etiam potest ei inesse aliquod accidens etiam improportionatũ. Prob. 2. quod videl. possit aliquod accidens immateriale esse in subjecto materiali (de immateriali nulla est controversia, ut patet de intellectu & voluntate in anima rationali, de motu in Angelo &c.) quia potest Deus intellectum humanum in lapide v. g. aut animam rationalem cum omnibus suis potentiis ponere in corpore bovis, quomodo credunt aliqui Deum fecisse Regi Babiloniorum Nabuchodonosori; Quomodo tamen accidens immateriale inhæreat subjecto materiali & contra, vide Philosophos; Nam verisimilius est, nullum accidens immateriale posse in subjecto materiali & extenso ita recipi ut ad ejus quantitatem per accidens extendatur; ratio est quia non cõstat partibus entitativis quæ possunt extendi, cum ex natura sua sit indivisibile sicut & substantia immaterialis; Nec potest hoc divinitus fieri, ut videl. ad extensionem subjecti extensi vel quanti extendantur, quia hoc ipso amitterent suam naturam immaterialitatis. Contra tamen fit in accidente materiali, si ponatur in subjecto immateriali, fiatq; inextensum, quia nihilominus adhuc retinet suas partes entitativas, etiamsi non extendantur, sed ad punctum reducantur, sicut de materia constat, quæ per accidens à quantitate suam habet extensionem; Nam si remota quantitate revocetur ad indivisibile, non amittet propriam naturam, sed eam semper retinebit. Unde constat posse accidens immateriale in aliquo tantum puncto subjecti extensi poni.

Quarenullum accidens immateriale possit subjectari in materiali.

Etiam accidens materiale potest [illegible] impossibile.

Quomodo accidens immateriale sit in subjecto materiali.

DICES 1. Forma alicujus hominis non potest informare materiam equi aut bovis, ergò nec accidentia id poterunt, quia hæc magis dependent à subjecto proprio, quam forma à materia. Antec. prob. quia hujusmodi compositũ, cujus forma esset hominis & materia equi, nec esset homo nec equus; Non illud, quia haberet materiam equi; nec hoc, quia contineret formam hominis. Resp. hujusmodi compositum vel individuum fore sub specie hominis propter formam quæ prævalet, & materiam undiq; ejusdem rationis cũ omnibus corporibus sublunaribus informat; Nec illa figura extrinseca equina vel bovina faciet quo minus hoc individuum sit homo, quia nec illa nec similia accidentia constituunt quidditatem rei, nec variant ejus essentiam, proinde potest sine ijs, vel ijs etiam immutatis divinitùs conservari. Dicendum tamen videtur, hoc individuum non esse propriè & simpliciter dicendum hominem propter defectum organorum.

Si anima rat. informaret materiam bovis, an hoc suppos. homo esset vel bos.

DICES 2. Angelus nullo modo potest informare materiam, unde etiam quando assumit corpus, non unitur ei tanquam forma informans, ergò nec accidens spirituale poterit materiæ ullo pacto copulari. Resp. concesso antecd. negari conseq. quia aliter respicit Angelus materiam quàm accidentia spiritualia eam respiciant, cum hæc jungantur illi per inhæsionem, & constituant tantum per accidens unum cum materia, non autem per se.

DIF-

DIFFICULTAS XIII.

An accidens possit conservari divinitus extrà subjectum.

QUæritur hic solum de potentia Dei absoluta, quia constat id naturaliter fieri non posse, cum ob naturam intrinsecam ita pendeant à subjecto, ut neq; extra illud produci, neque conservari possint naturaliter.

DICO breviter, potest Deus conservare accidentia extrà subjectum. Est de fide; totius Ecclesiæ Catholicæ, Concil. Constant. sess. 8. Later. sub Innocentio III. c. firmiter. & Trid. sess. 13. can. 2. Est etiam omnium SS. Patrum & Theol. cum antiquiorum tum modernorum contrà eos, qui putant per hoc Jus & ordinem naturæ violari, ideoq; à Deo ita in rebus naturalibus ordinatum esse, ut substantiis ablatis necessariò pereant accidentia. Probat autem hanc conclusionem D. Thom. l. 4. contra gentes cap. 65. & 3. p. q. 77. a. 1. hunc in modum; potest Deus effectus causarum secundarū absq; causis secundis producere, v. gr. hominem asq; homine, ergò potest etiam hos eosdem effectus absque ipsis causis secundis conservare, adeoque accidentia absque beneficio substantiæ extrà subjectum sustinere. Per causas tamen non intellige materiales & formales, quia tales absoluta necessitate concurrunt ad effectus, ut materia & forma ad compositum, sed efficientes, quæ ad effectus physica tantum necessitate requiruntur. Ex hanc doctrinam cum accidentia panis & vini in SS. Eucharistia confirment, ideò

QUÆRES, quænam accidentia possint divinitus non tantum extrà materiam, sed etiam extrà quantitatem conservari. Respondent Conn. l. 1. de gen. c. 4. q. 6. a. 2. probabilius esse, omnia accidentia quæ re ipsa differunt à substantia, posse divinitùs citrà ullam repugnantiam extrà quantitatem conservari; Et probant hoc de calore & luce, quia inquiunt, minus pendet calor à quantitate, quàm quantitas à materia, ergò sicut quantitas sine materia, ita & qualitas sine quantitate esse poterit, &c.

DICES 1. Si per se possent existere accidentia extrà subjectum, sequeretur, totam eorum naturam everti; sed hoc falsum est, ergò & illud. Assumptum probatur, quia accidentis esse est inesse, scil. substantiæ, quæ aliàs corrueret. Resp. negando assumptum, quia natura accidentis non est in eo polita, ut sit actu ens alterius, eiq; inhæreat, sed ut sit id, cui extra ordinariam naturæ legem conveniat, ut non per se existat, sed alteri inhæreat.

Morbus nō potest divinitus existere extrà corpus quia est idem re cum corpore.

DICES 2. Implicat motum localem esse extrà rem quæ movetur, nec passionem extrà id quod patitur, v. gr. morbum & sanitatem extrà corpus, ergò aliqua saltem accidentia non possunt divinitùs extrà subjectum conservari. Resp. concedendo totum; Nam hæc accidentia sunt idem re cum subjectis, ut suprà monitum fuit; Et sic cum motus Physicus re idem sit cum quantitate rei quæ movetur, & tam actio quam passio cum rebus quæ per actionem producuntur, mirum non est, si invicem ne divinitus quidem separari non possint. Si

QUÆRAS, an accidenti aliquid novi accedat, quando divinitus extrà subjectum ponitur. Resp. quandò ponitur v. gr. quantitas extrà suum subjectum, tunc non accipere novum esse simpliciter, sed retinere antiquum suo novo modo. Nam vel acciperet novum esse essentiæ, quod fieri non potest, cum essentia stabilis sit, vel existentiæ, quod etiam gratis affingitur, cum accidens quamdiu manet accidens, semper suam servet existentiam. Quod autem tunc novum modum acquirat existendi, inde manifestum est, quià quantitas prius inerat substantiæ, jam existit per se, atque ita modus hic nihil positivi addit, sed tantum negationem unionis & actualis dependentiæ à substantia.

DIFFICULTAS XIV.

An omnes 4. Species qualitatum conferant ad vitam & sanitatem hominis.

SUppono, omnes has qualitatum species reperiri in homine, sed & in quovis animali. Nam imprimis quoad habitum, constat multos tales esse in homine tam corporis quàm animi, & tam vitiorum quàm virtutum, quod etiam de dispositionibus intellige, quarum sexcentæ & amplius ad varia corporis accidentia, ad morbum & sanitatem, tum ad acquirendas artes & scientias reperiuntur. Similiter non una in animali est facultas aut potentia ad varias operationes & actiones eliciendas, sicut & impotentia, quæ tamen tantò plus turpidinis & imperfectionis, quanto minus adjumenti infert. Adhæc formam habet animal & figuram jam decentem & præstantem, jam turpem & deformem, jam numero superfluam, in compositione monstrosam, in positione defectuosam, &c. Tandem sunt in homine & animali qualitates omnes patibiles, & præsertim illæ, quibus vita conservatur & sanitas constituitur, quæ firmiter inhærentes datæ sunt non tantum ad ornamentum, sed etiam ad perfectionem & ad omnium operationum complementum. Jam

DICO 1. Non omnes qualitates earumq; species conferunt ad vitam & sanitatem animalis. Probatur 1. de quibusdam habitibus; Nam qui sunt vitiorum, virtutum, &c. nequicquam conducunt animali ad vitam ejusq; sanitatem nisi fortè per accidens, quaten' videl. is, qui habet habitum se inebriandi, suæ sanitati officit, & qui ex cognitione multarum rerum novit noxia præcavere, vitam conservat; Et hoc idem de quibusdam dispositionibus intellige; Nam sive quis obtusum sive acutum habeat ingenium, nec vitam agit meliorem nec sanitatem lon-

longiorem, nisi quatenus hæc dispositio sequitur temperamentum vel labile, vel bonum & constans. Probatur 2. de impotentia, quæ cum sit ex defectu & imperfectione, non tantum non conducit animali, sed potius est ei in detrimentum. Probatur 3. de qualitate patibili; hæc enim species multas continet qualitates, quę sive absint sive adsint animali, nihil conferunt ad vitam & sanitatem, ut nigredo in æthiope. De figura & forma similiter nihil aliud probandum est, ut cuivis facilè patet.

DICO 3. Multæ sunt ex singulis speciebus qualitates in animali, quæ ad vitam & sanitatem conducunt: patet hoc primò in habitu temperantiæ & scientiarum, quibus noxia præcaventur & bona apprehenduntur; similiter in habitu ambulandi, qui maximè prodest ad exercendum corpus, excitandos spiritus, diffundendum calorem &c. 2. in certis dispositionibus, quæ sanitatem conservant & faciunt, ut naturalis potentia facilè eliciat actus ad vitam & sanitatem conducentes. 3. In potentia, quæ præsente anima tanquam superiori Domina regit corpus, nutrit partes, conficit sanguinem, spiritus, &c. 4. in pulchra membrorum conformatione, decenti fabrica organorum, amica corporis integritate, & totius animalis habitu delectabili, quæ omnia maximè faciunt ad robur & vires animalis, cujus proinde & vitam & sanitatem tuentur. 5. deniq; in qualitatibus 4 primis, & secundis quibusdam passivis, ut mollitie, raritate, soliditate, &c. Nam sicut calor & frigus unà cum humore & siccitate, si exactè temperentur, vitam & sanitatem conservant, ita similiter membra omnia benè compacta & coagmentata in utramque illam intentionem decenter conspirant.

DIFFICULTAS XV:

An qualitates omnes habeant vim agendi & quomodo.

QUod nulla accidentia præter solam qualitatem habeant rationem principij activi, patet ex disput. 3. diffic. 8. hujus libri. Hic quęritur an omnes 4 specierum qualitates sint activę, & quomodo; Quam varię autem & multiplices sint qualitates, confirmant hactenus dicta.

Multipliciter aliquid activum est. Adverte, aliquid multis modis esse effectivum; 1. producendo effectum per se, ut dum calor calorem producit; 2. per accidens, ut dum idem calor rarefacit, indurat, emollit, siccat, vel etiam infrigidat. 3. producendo effectum sibi similem, ut calor calorem. 4. concurrendo in genere causæ efficientis ad productionem effectus quocunq; tandem modo, ut dum gladius solvit continuum, odor gratus spiritus vitales reficit, color visum offendit, sapor vel odor vomitum provocat, & sic de cæteris. His positis

DICO. Omnes qualitates habent vim agendi vel producendi aliquem effectum in genere causæ efficientis; licet alio atque alio modo. Ratio patet aliunde, quia omnes hæ qualitates habent propriam entitatem & realiter distinctam à substantia, ideoque sunt propriissimæ formæ accidentales & proprii actus, quod necessarium est ad rationem principii propriè activi, &c. Et confirmatur inductione; Nam imprimis habitus naturales reddunt hominem facilem ad operandum, & supernaturales Amicum Dei; Dispositiones verò proximè eliciunt formam, v. gr. calor siccitati junctus formam ignis, bona qualitatum primarum temperatio & laudabilis organorum in homine constitutio sanitatem. Similiter potentiæ naturales productivæ sunt actuum & habituum, ut patet in potentia nutritiva, visiva, intellectiva, &c. quia producunt nutritionem, visum, intellectionem habitusq; scientificos. Inter qualitates patibiles 4 primę tā potentes sunt & fecūdæ in producendis effectib. ut ijs omnia sublunaria corrumpantur & generentur; his succedunt secundæ, quæ licet minoris sint efficaciæ, ut etiam inter activas nō numerentur, suam tamen habent vim & potentiam aliquid agendi; sic color albus dissipat spiritus; disgregat visum inducitque calorem, niger verò condensat spiritus, viridisque recreat & delectat; sic sonus si vehemens sit & cum impetu in aerem feratur, percellit organum ejusque temperamentum; Sic mollities, durities, lævitas, scabrities &c. dispositiones sunt ad faciles vel difficiles operationes, adeoque dum etiam passivè se habent, agunt & resistunt, formamque vel facilè vel difficulter susceptibilem admittunt. Quod qualitates virtuales, sub quibus intellige tam manifestè quam occultè tractivas & alterativas, sint potentiæ & virtutes, quibus omnium rerum sublunarium vicissitudines subjectæ sint, nemo est qui nesciat; sic enim absinthum vim habet constringendi & roborandi tam Epar quam stomachum, asparagus venarū mesenterij obstructiones aperiendi, cichorium refrigerandi, agaricus stomachum invertendi, rhabarbarū bilem educendi, theriaca veneno resistendi, & sexcenta alia; Hic tamen adverte, nō omnes habit⁹ aut dispositiones esse activas: Nam habitus qui non ordinantur proximè ad operationem, sed tantū ad bene esse, ut sanitas; & in supernaturalibus gratia Dei vel character, activi non sunt, unde etiam impropriè dicuntur habitus, nisi tamen velis sanitatem conducere ad benè operandum, quo modo autem dispositio est & non habitus, in quo genere etiam sunt multi actus, qui nihil agunt v. gr. actus sensuum, quia istæ potentiæ sibi ipsis sufficiunt, nec egent habitu, ut patet in risu, qui à puero æquè ac sene elicitur: Cæterum quod non omnium qualitatum idem sit modus agendi, desumitur partim ab earund. natura, partim ab experientia & communi praxi; Nam aliæ operantur per se, aliæ per accidens; aliæ producunt effectum sibi similem, aliæ dissimilem; aliæ agunt realiter, aliæ intentionaliter, &c. Et ut omnia pateant exemplis, calor imprimis

per

per se calefacit, quia ex natura sua in hunc effectum intendit; siccat autem, densat, emollit, refrigerat & si qui alij sunt ejus effectus per accidens, quia videlicet ad hos non determinatur nisi quia rarefacit & evaporare facit vapores tenuiores, &c. Deinde idem calor producit alium calorem sibi in specie similem, quod præter frigus nulli alteri inter qualitates ob præeminentiam & entitatis perfectionem concessum est; & si malignitas in peste v.gr. febribusque malignis aliam consimilem videatur in corde producere malignitatem, hanc non producit nisi corrumpendo spiritus vitales, aut sanguinem & humores à quorum putrefactione tum nova repullulet malignitas; aliæ verò qualitates sive manifestæ & secundę, sive occultę & tertiæ dicantur, concurrunt in effectum a se semper distinctum, ut discurrenti per omnes qualitatum operationes facilè patet; Nam calor non producit alium calorem, nec odor odorem, nec sonus sonum, nec vis purgans in rhabarbaro aliam consimilem vim purgativam, &c an vis tractiva magnetis eand. specie virtutem in medio & ferro producat, an aliam distinctá, alibi de magnete dicetur. Deniq; aliæ qualitates realiter agunt tantum, ut potentiæ vegetatrices; aliæ intentionaliter tantum ut colores; aliæ neutro modo ut character & figura; aliæ realiter & intentionaliter, ut lux & calor; Nam lux imprimis realiter producit aliam lucem & cum ea sui imaginem mittit, quæ perlata ad oculum simul cum facultate videndi efficit visionem; calor vero alium producit calorem, & ex se idolum sui profert, quod sensorio tactus insultum similiter ad sensionem caloris pariter concurrit.

DICES, etiã potentiæ passivæ ut mollities, durities, &c. It. forma & figura sunt qualitates, & tamen non principia agendi, ergò falsum est, omnes qualitates habere vim activam. Resp. quamvis hæ qualit. dici soleant potentiæ passivę, &c. nihilominus tamen quatenus multas actiones facilitant aut resistendo impediunt, dicuntur esse activæ & concurrere in genere causæ efficientis, ut patet in duritie lapidis quæ ad varias actiones efficienter & ut conditio concurrit; sic vulnus quadratum facilius coalescit quam rotundum, quia latera ibi connectuntur, hic qualitates distant, &c.

DIFFICULTAS XVI.

An qualitas sit nobilior quam quantitas.

DICO, nobilior est qualitas quam quantitas; Ratio est, quia præstantia cujusque motus simpliciter metienda est nobilitate termini ad quem tendit, cum ab hoc speciem suam & dignitatem accipiat; sed qualitas, quę est terminus *ad quem* alterationis, excellentioris est naturæ quam sit quãtitas, ergo. Major vera est, minor probatur 1. quia quantitas sequitur materiam, & qualitas formam, ut cõstat apud physicos; id autem quod perfectior é partem compositi sequitur, majorem obtinet perfectionẽ. 2. quia quantitas non est productiva ullius effectus sicut qualitas quæ inservit substantiæ uti principium actionum illius. 3. quia quantitas rebus solum corporeis & materialibus competit, qualitas etiam substantijs nobilioribus & Angelis. 4. quia quo nobiliores sunt substantiæ, eò nobilioribus quoque præditæ sunt qualitatibus, sed non quantitate, cum elementa vastissima ignobiliora sint quibusvis animantibus.

Qualitas est præstantior quam quantitas.

DICES 1. Officium & munus quantitatis est sustinere accidentia, ut constat ex dictis, adeoque magis accedit ad substantiam, ergò nobiliore est qualitate. Resp. neg. cõseq. quamvis enim in hoc præstet quãtitas & propinquior sit substantię, quod instar subjecti sustentet accidentia materialia; aliud tamen habet munus qualitas quod eam digniorem faciat, videl. exequi operationes & esse principium diversissimarum actionum; Nam longè excellentius est operari quam pati, importare actum quam potentiam, & pertinere denique ad causam efficientem quam reduci ad causalitatem materiæ.

DICES 2. Etiam quantitas sequitur formã habetq; suam efficientiam, ergò malè derogatur qualitati & non simul quantitati æqualis dignitas. Prob. antec. quod nimirùm quantitas sequatur formã, quia ratione formæ omnia composita physica ad certam quantitatem determinantur, ut patet in anima rationali, quæ causa est cur homo in hac & non alia sive majori sive minori quantitate existat. Quod autẽ suam quoq; habeat efficientiam quantitas, id patet ex numero, quia multis in rebus, ut diebus criticis, annis climactericis, &c. magnam vim obtinet. R. neg. antec. ad probationem prioris partis, dico absolutè quantitatem sequi materiam ob causas jam relatas. & quoad partem posteriorem, vim penitus nullam agendi ex obtinere numerum, ut ex dictis sufficienter cõstat; Nam quæ in morbis & hominum ætate aliisque id genus secundum diversos numeros accidunt, ea non ad ipsorum numerorum efficaciam referri debent, sed partim ad influxum corporum cœlestium humores & temperamenta variè immutantem, partim ad ipsam vim & naturam humorum, corporum aliasque causas & circumstantias, quæ numeris quibusdam lege quâdam institutoque naturæ sunt conjunctæ, ut patet in die septimo, qui quod Criticus sit, non habet à numero septenario, sed ab ipsa vi humorum qui hoc tempore moveri solent, & corporum naturâ, quæ coadjurante cœlorum influxu humores intrà hoc spatium coquit, maturat & ad excretionem disponit; Et hoc idem de annis climactericis alijsque corporum motibus intellige.

Numeri in annis climactericis, & diebus criticis, nullam vim habet.

DIFFICULTAS XVII.

An aliqua ex qualitatibus activis passivæ sint.

RAtio dubitandi est, quia vocat Arist. 2. de gen. c. 2. humorem & siccitatem qualitates passivas, ex quo deducitur, si passivæ sunt humor & siccitas, plures fore passivas, præsertim ex secundis quæ agendi vim nullam aut exiguam habent: Est autem quæstio de qualitatibus activis, ut excludantur potentiæ passivæ, sicut forma & figura.

DICO 1. Ex qualitatibus secundis cujuscunq; sint ordinis, nullæ dicuntur propriè passivæ. Ratio est, quia nullæ dicuntur activæ propriè, quod 4. primis tantum convenit, ergò nec passivæ; Deinde quia hoc nomen pati habent qualitates à transmutatione tam mixtorum quàm elementorum, & terminatione ipsius temperamenti, ad quæ omnia non concurrunt passivè qualitates secundæ. Dico autem ideò impropriè, quia nulla ferè est qualitas, quæ dū in alienum corpus agit ab eodem non nihil patiatur, ut patet in vi purgante, quæ à corpore resistentiam accipit, tandemque omninò in auras evanescit.

Humid. & siccit. sunt qualitates passivæ. DICO 2. sola humiditas & siccitas dicuntur propriè passivæ qualitates; Ita Arist. multis in locis, tum 2. de gen. c. 2. ubi ait, calidum autem frigidumq;, & humidum ac siccum; illa quidē, quod activa sint, hæc verò quòd passiva dicuntur; Calidum enim est, quod ea congregat quæ ejusdem sunt generis: Nam segregare (id quod igne facere ajunt) est cognata & quæ ejusd. sunt generis, congregare, &c. Probat ergò Arist. calorem esse qualitatem activam, quod similaria & quæ sunt ejusd. generis, in unum cogat, ut patet in liquefactione metallorum; similiter ostendit frigus esse qualitatem activam; quod conjungat tam cognata quam aliena, ut patet in gelu. Quod autem humiditas sit qualitas patibilis, suadet ex eo, quod facilè terminetur termino alieno, non autem proprio; Cum ergò terminari sit pati; constat humiditatem esse unam ex qualitatibus patibilibus; Et hoc similiter concludi potest de siccitate, quia siccum proprio termino benè coercetur, alieno ægre, ut videre est in terrâ; ferro aut lapide duro; sed de his vide sequentem disput. diffic. 17. *Adverte* autem Corollarii locò, sicut quoad activitatem primum locum obtinet calor (quia compertum est ignem vi caloris celerrimè materiam corripere suumque effectum producere) secundum frigus, tertium humor, quartum siccitas, ita è contrario siccitatem acerrimè in agendo repugnare, unde etiam morbi in corporibus siccis difficillimè curantur, tum humiditatem, tandemque frigus & calorem.

DIFFICULTAS XVIII.

Quænam singulis viventibus insint qualitates, an ubiq; diversæ.

SIcut viventia secundum species & individua, ita & qualitates secundum eand. speciem & gradus considerandæ sunt; Nam præter varietatem graduum in qualitatibus, habent etiam viventium species suas peculiares virtutes & proprietates, ut rhabarbarum vim purgandi, cicuta venenum, &c. quædam autem communes omnibus ut primas & quæ inde nascuntur. Jam

DICO 1. omnibus viventibus debentur primæ qualitates, tum 2. quæ ab ijs oriuntur, quæque ad perfectionem & complementum substantiæ pertinent. Prob. primum, quia omnibus mixtis debentur primæ qualitates certa mensura & ratione inter se temperatæ, ergò & viventibus quæ mixta sunt; has autem ideò sequuntur secundæ, quia ab iis oriuntur, & ut hæ nunquam absque illis, ita nec ipsæ sine præsentia illarum existere possunt. Prob. 2. quòd videl. ad viventia pertineant qualitates appropriatæ, quia sunt eorum perfectiones, & illa in esse suo & conservari determinant: Et ut experientia res confirmetur, tolle potentiam sensitivam à bruto, vim purgantem à rhabarbaro, & calefactivam à vino, jam materiam bruti, vini & rhabarbari sustuleris. quia nunquam sunt formæ absque suis proprietatibus, neque hæ absque suis formis.

DICO 2. Qualitates primæ & secundæ sunt eædem in omnibus quoad speciem non quoad gradum. Primum ex alibi dictis patet, quia calor ubiq; est ejusdem speciei; Et idem de secundis intellige, quia idem est calor albus in cygno & nive, eadem nigredo in corvo & æthiope, &c. Similiter eadem est mollities in carne vituli & bovis, ead. durities in osse, lapide, &c. Quod autem non sint omnes hæ qualitates in eadem intensione ubiq;, id ratio & experientia convincit; Nam calor si habeat contrarium pluribus gradibus admixtum, tepidior est & remissior; si contrà paucioribus, intensior; similiter sensus judicat cor & spiritus vitales esse calidiores quam cerebrum, ossa, homo quam equus, vinum quàm aqua, &c.

DICO 3. Non insunt singulis viventibus singulæ qualitates; sed nec secundæ eædem; ratio prioris est, quia omnia viventia & mixta inanimata differunt accidentaliter; sed si eædem qualitates singulis mixtis & viventibus inessent, jam non differrent accidentaliter, adeoque nemo hominum ab altero dignosceretur contrà experientiam. Ratio posterioris est, quia non reperitur ubique eadem viventium rerumque inanimatarum complexio aut idem temperamentum, ut patet in lapide qui siccus est, in carne quæ humida, ergò nec eædem qualitates secundæ quæ à primis oriuntur. Et hoc con-

confirmat experientia in homine Europæo & aphro, qui ob diversitatem temperamentorum & complexionum coloribus etiam discrepant, quamvis & aliæ causæ hic accedant, de quibus alibi.

DICES singulis viventibus eædem insunt qualitates primæ, ergo & secundæ, quæ ab iis oriuntur. Resp. ad antec. omnibus viventibus inesse qualitates primas quoad speciem & quoad gradum: hinc enim propter multiplicem primarum qualitatū contemperationem varia cōsurgunt temperamenta & complexiones, à quibus in subjecto aliter atq; aliter constitutis oriuntur qualitates secundæ; Neq; n. ubicunq; sunt eędem qualitates primæ, ibi etiam sunt secundæ eędem, sed si primæ sint in eadem temperatione, in eadem materia, cum eadem forma substantiali, ejus proprietatibus, &c.

DICO 4. Qualitates virtuales, potentiales, occultè alterativæ & motivæ reperiuntur in singulis tam speciebus quam individuis, sed non eędem. Ratio prioris est, quia sunt complemētum & perfectio substantiæ, datæ etiam à natura cujusq; Authore ut per eas omnia corpora sublunaria operentur. Ratio posterioris est, quia sunt proprietates & virtutes singulis & specieb. & individuis peculiares, ergò non possunt omnibus eadem competere; Nā proprietates suas sequuntur formas, ut patet in napello, cujus virtus venenosa nulli vegetabiliū convenit, in rhabarbaro cujus vis purgans non convenit ulli præterquam rhabarbaro &c. Sunt tamen, quod notandum, proprietates Ita aliquando peculiares rebus mixtis, ut non tantum uni sed etiam pluribus conveniant, ut virtus altringens, aperiens, &c. & de his nulla hic est controversia, quin eædem pluribus inesse possint, præsertim si per se solæ & non cum aliis totius suppositi virtutibus sumantur; aliquando v. Ita sunt propriæ, ut uni tantum & soli conveniant speciei, ut potentia intellectiva homini, hinnitiva equo, vis ferri tractiva magneti, hæc vis venenosa napello, &c. Et hujusmodi qualitates sequuntur solas formas specificas, aliæ autem differentias ultimas, & sunt proprietates quædam individuales, in omnibus speciebus & individuis discrepantes, ut qualitates antipatheticæ, sympatheticæ.

DIFFICULTAS XIX.

An qualitates in prima mundi creatione statim cum materia sint productæ.

IN creatione mundi materiam primam esse creatam constans est & unanimis doctorum sententia; An a. hęc materia aliquamdiu mansērit informis, i.e. solum chaos, an v. simul cū materia etiam formę & consequenter ipsæ qualitates quæ sunt in complementū & perfect. concreatæ fuerint, id ex alibi dictis constat.

Qualitates fuerunt simul concreatæ. DICO 1. qualitates non fuerunt post creatā materiam per actionem physicam primò productæ, nec per novam actionem creatæ. Prob. quia implicat ita factū fuisse, ergò. Hoc probatur, quia nulla tum extabant agentia naturalia, quæ produxissent ullam qualitatem, & si per divinam potentiam extitissent, eas tamen producere non potuissent, cū semper in materia præsupponant sufficientes dispositiones ut agere possint. Deinde non poterant agere in materiā, quæ ita nudata esset & formis & qualitatibus. Prob. secundum, quia nulla erat necessitas materiam creare ita informem, & postea primum superinducere & producere formam informantem, cum potuerit id una actione simplici fieri, sed non spectabat ad bonitatem & munificentiam divinam, ita relinquere materiam absq; ulla forma, ergò videtur probabilius esse Deum creasse materiam non rudem aut turpem, sed forma sua decoram & qualitatib. ornatam.

DICO 2. Ipso primo instanti quo Deus materiam primam creavit, simul etiam cum ea produxit qualitates; Et hanc actionem aliqui concreationem vocant. Prob. Deus creavit cū materia prima simul formam terræ & quidem eandem, quam adhuc habet, ergò simul ēt produxit qualitates. Antec. est contra quosdam Patrés ut patet ex l. 1. disp. 2. diffic. 3. ubi quæritur, an materia prima aliquamdiu remanserit sine omni forma; Conseq. est certa, quia qualitates spectant ad formam & sunt ad ejus complementū, ergò si forma cum materia creata fuit, ēt necessū est, qualitates simul fuisse productas. Prob. 2. nisi admittatur terram cum forma & qualitatib. fuisse simul productā, sequitur eam totam fuisse invisibilem nulloq; sensu comprehensam: sed hoc falsum est, ergò & illud: sequela majoris probatur, quia materia prima quæ absq; forma & qualitatib. existit, existit in puncto nullamq; habet extensionem localem, quā habet à quantitate per accessum formæ substantialis & accidentiū: Deinde nulla substantia cadit sub sensū per se, sed per accidentia, quibus caret materia prima sicut & forma substantiali. *Materia existit in puncto.*

DICES, Gen. 1. dicitur terram fuisse inanem & vacuā, per quod 70. Interp. intelligunt, terrā fuisse invisibilem & incompositam, ergò caruit qualitatib. quæ faciunt rem omnem corporeā sub sensum cadere. Resp. ideò terram fuisse invisibilem & incompositam, quia needum lux producta erat, vel quia carebat plantarum ornamentis, vel quia in fundo abyssi demersa jacebat; Ita enim omne spatium inter ipsam terrā & cœlum empyreum aquis ex nihilo productis undiq; impletum fuit, ut terra his obruta planè delitesceret, donec jubente Deo semotis hinc inde aquis & exinde cæteris quę supererāt, productis corporibus emergeret. Hæc Salianus ex multis SS. Patribus.

DIFFICULTAS XX.

An sit corpus aliquod physicum carens qualitatibus.

QUæstio est de omnibus qualitatibus sive primis sive secundis, manifestis & latentibus;

bus; Ex quia sola controversia est de cœlis, non de corporibus sublunaribus, ideò

DICO 1. Soli cœli probabiliter carent qualitatibus primis & quæ ab his oriuntur. Est communissima hæc doctrina, & sumitur ab eorum incorruptibilitate; si enim in cœlis admitterentur qualitates primæ, tolleretur eorum incorruptibilitas, quæ non præcisè oritur ab indissolubili nexu formæ cum materia, sed quia insuper Creator ab hac cælorum materia exclusit qualitates continuò inter sese pugnantes, quæ etiam ratio est, quare omnia corpora physica per hujusmodi qualitatum præsentiam mutuamq; actionem corruptibilitati subjecti sint; Nam effectus primarius qualitatum primarum est calefacere, frigefacere, &c. secundarius rarefacere, densare, mollire, quæ actiones sunt viæ & primæ dispositiones ad corruptionem. Dixi probabiliter, quia sunt non pauci nec contemnendæ doctrinæ ex philosophis, qui judicant etiam cœlos constare qualitatibus primis, quæ tamen ob insolubilem nexum formæ eorum cum materia non importent de facto illam corruptibilitatem, quam etiam ultrò aliqui ex Cometarum productione concedunt. Sed hæc vide apud physicos & meteorologicos.

DICES 1. Beati in cœlis, postquam reuniti fuerint suis corporibus, habent verè qualitates primas & secundas, & tamen non sunt corruptibiles, ergò idem de cœlis dici potest. Resp. neg. conseq. & paritatem; Nam corpora beatorum sunt verè mixta & glorificata, & per hanc glorificationem acceperunt donum incorruptibilitatis, esto habeant primas qualitates, quarum effectus tantum erunt formales, & perfectivi ut calefacere, humectare, &c. Cœli verò non sunt nec erunt unquam corpora mixta, carent illo incorruptibilitatis dono, suntq; de facto corruptibilia ex natura sua, tantum quod non possint ab agente aliquo extrinseco creato corrumpi, & careant fortè qualitatibus tanquam fundamentis & radicibus corruptibilitatis.

DICES 2. In cœlo reperitur densitas, raritas, luciditas, &c. Ergò & primæ qualitates. Resp. &

DICO 2. In cœlo reperitur raritas & densitas ejusdem speciei cum raritate & densitate rerum sublunarium. Est contrà nonnullos, qui negant in cœlo esse propriè raritatem & densitatem. Sed probatur, ubi reperitur idem effectus formalis in duobus, in iis etiam admittenda est eadem forma unde ejusmodi effectus procedunt; sed idem effectus raritatis & densitatis est in cœlo, qui in sublunaribus; ergò & ead. forma, id est, densitas & raritas. Minor probatur: Nam effectus formalis raritatis est, separare partes inter se, consequenter ad majorem præsentiam localem extendere, densitatis autem illas partes coangustare; sed hic effectus utrobiq; reperitur, ergò.

Raritas & densitas in cœlo an importent corruptibilitatem.

DICES, Rarum fieri & densum fieri fiunt cum alteratione, ergò est via ad corruptionem, ergò in cœlo admittenda est corruptibilitas. Resp. neg. simpliciter antec. quia ita dissolutio partim & constrictio quæ fit in cœlo, non fit cum alteratione, quia subjectum in quo id fit est inalterabile, sed tantum partes tensæ rarescunt & raræ densantur, ut probabile est factum fuisse cum illo cometa, qui anno 1618. comparuit. Et hinc ad objectionem priorem respondetur neg. conseq. quia illa densitas & raritas quæ est in cœlo, non oritur ex permixtione primarum qualitatum, sed ab ipsa forma exigente talem naturæ dispositionem, & habent se ut lux aliæq; cœlestium corporum qualitates, quæ alia originis suæ principia agnoscunt. Nec obest quod Aristot. 2. de gen. cap. 2. dicat, gravitatem & raritatem oriri à qualitatibus primis, quia hoc verum est in sublunaribus, non in cœlestibus; Nec rursum quod 4. phys. cap. 9. ad finem doceat, raritatem esse causam levitatis & mollitudinis, densitatem verò gravitatis & durioei, quæ affectiones à corporibus cœlestibus longè absunt; loquitur enim ibi de raritate & densitate prout tantum sunt in mundo sublunari; Nec est opus, ut idem effectus, qui est raritatis & densitatis in sublunaribus, sit etiam in superioribus, quamvis ex Authorum probabiliori opinione sint ejusdem speciei, quia videmus etiam lucem apud nos producere calorem & non in cœlestibus; ita nimirùm à natura comparatum est, ut causæ physicæ pro ratione subjectæ materiæ effectus suos aut promant aut inhibeant. Hinc

DICO 3. In cœlo non reperitur gravitas nec levitas, reperiuntur tamen qualitates occultæ sive influentiæ, de quibus l. 2. disput. 14. dist. 13. Probatur primum ex Aristot. 1. cœl. c. 3. quia grave movetur ad medium, & leve à medio naturaliter; sed nullus horum motuum convenit cœlo naturaliter, quia ut sentiunt potiores, motus cœli circularis est naturalis, & nunquam ad medium vel à medio: 2. si cœlum esset grave, posset cadere staretq; violenter per agens extrinsecum, quod tamen falsum est. Vide Aristot. toto cap. citato. Et hinc colligitur in cœlo esse alterationem perfectivam nō corruptivam; prior est, quæ perficit subjectum ad id, ad quod est in potentia, ut lux ad omnia lucida & diaphana, posterior autem est dispositio ad formam contrariam & corruptio prioris, ut dispositio ad calorem est corruptio frigoris in subjecto frigido.

Qualis alteratio in cœlo.

DI-

DISPVTATIO QVINTA.

De Qualitatibus primis.

HÆ in specie primùm sese offerunt inter qualitates contemplandæ, non tantum quia dignitate & præstantia reliquos exuperant, sed etiam quia ab iis aliæ pendent & ipsæ à nullis aliis. Nam primæ sunt, quia radices & origo sunt secundarum; primæ vocantur, quia maximè sunt reales & positivæ soliq; in sublunaribus multorum effectuum productrices; primæ sunt, quia mutuis suis actionibus omnium generationum & corruptionum, quas in tota rerum naturalium serie deprehendimus, fœcundissimæ sunt procreatrices: Et ab his ipsis in specie ordimur, quia corpus & hominem corrumpendum tractamus, & quia ad ejusmodi terminum tendimus, quem nunquam nisi fatalibus ipsarum odiis, quæ in subjectis cum propriis tum alienis exercent, in hoc statu consecuturi sumus. Magnam certè Author naturæ Deus vim & efficaciam qualitatibus primis dedit, quam vivens omne sentit, stupetq; totus orbis, sed & horret animus, dum videt naturam toto Universo, per has ipsas pugnantem videt; hic pro individuorum interitu, ibi pro specierum salute & emolumento: Docent hoc Elementa vastissima post cœlos corpora, quæ per has non tam seipsa, quam ex se mixta corrumpunt & producunt; carent autem iis cœli eorumq; fulgentissima sydera, carent Angeli Spiritus divinissimi & formarum nobilissima anima rationalis; Nam cœli propter formas suas omnis corruptibilitatis expertes, & propter influxum in hæc inferiora eas non exigunt; mentes autem abstractæ ex itaq; materiam liberè existentes per se immateriales sunt, & ejusmodi qualitatum, unde patibiles forent, incapaces; Reliquæ res terrenæ, quibus mundi spatium opplevit æternus conditor, penitùs immersę sunt corruptibilitati, ne æternitatem & ipsæ gestirent æmulari: sed suum naturę ordinem motumq; sequentes, mundanarum rerum vicissitudinem per continuas suorũ contrariorum actiones stabilirent. De primis ergò qualitatibus occurrit primò

DIFFICULTAS I.

Quæ sint qualitates primæ, & quare vocentur primæ.

na. DICO 1. Qualitates primæ sunt calor, frigus, humiditas, siccitas. Desumitur hæc doctrina ex multis locis apud Arist. potissimũ verò ex 2. de gen. c. 2. estq; communis apud Medicos & Philosophos; probatur etiam conditionibus, quæ in primis qualitatibus reperiuntur: primò enim debent esse activæ, & producere sibi simile, quia aliàs non inservient generationi, & ideò gravitas & levitas non sunt primæ qualitates, quia tametsi producant motum, non tamen producunt aliam gravitatem & levitatem. 2. debent concurrere ad productionem substantiæ. 3. non debent ab aliis pendere cum aliæ dependeant ab ipsis; sed hæ conditiones sunt qualitatum primarum, & conveniunt his solis, ergò etiam sunt primæ. Et confirmatur, quia discurrendo per omnes qualitates, nõ conveniunt potentiæ conservativæ, quâ se reducunt elementa ad statum suũ naturalem, quia hęc non producit aliam sibi similem, neque agit in contrarium, nec propriè concurrit ad productionem substantiæ; nec conveniunt colori, oduti, sapori, &c. propter eandem rationem.

DICO 2. Calor, frigus, humiditas & siccitas non sunt simpliciter primæ; Ratio est, quia dignitate & perfectione priores sunt qualitates spirituales, potentiæ, actus vitales aliæq; materiales ut figura, lumen, influxus cœli, quod sicut & lumen est causa æquivoca caloris & frigoris: Nec sunt 1. duratione, quia potest odor, sapor, simul esse duratione cum qualitatibus primis: Nec primę sunt universalitate, quia lumen, diaphaneitas, figura, &c. pluribus conveniunt quam calor, frigus, quę non reperiuntur in cœlo sicut illæ: Nec deniq; 1. sunt intentione, quia reverà qualitates motivæ prius à natura intenduntur: sic quædam sunt calida ut sint levia. Primæ itaque sunt origine inter qualitates corporeas & sensibiles, quę solis corporibus sublunaribus conveniunt: sunt etiam primæ reales & positivæ, ita ut ab aliis non producantur, sed aliæ ab ipsis, proindeq; spectatur hic origo generationis & causalitatis, sitq; comparatio cũ reliquis qualitatibus quæ sub sensum cadunt, habentq; contrarium ut plurimùm; dico ut plurimùm, quia mille ex qualitatibus secundis non habent contrarium, cujusmodi sunt odor, sapor, color, &c. *Quare dicantur primæ.*

DICES, Arist. 2. gen. cap. 2. numerat etiam qualitates secundas inter tangibiles, ergò quoque dicendæ sunt primæ: Et hinc non defuerunt, qui negarunt numerum earum rectè ab Arist. fuisse collectum. Resp. neg. conseq. ut infra patebit.

DIFFICULTAS II.

An reverà sint 4. qualitates primæ, nec plures nec pauciores.

SUnt nonnulli, qui putant solum calorem esse veram qualitatem, & frigus ejus privationem, quod idem de siccitate respectu humoris intellige, persuasi fortè hoc argumento, quod quædam corpora solo caloris abscessu refrigerentur, v. g. quæ febre infestantur & quod alia consumpto humore inarescant, ut quæ febre hectica aut summo senio consumuntur. Ad hæc sunt ex recentioribus quædam inter quos est doctissimus Arriaga disp. 4. de Elem. subsect. 1. qui docent calorem & frigus esse veras & positivas qualitates & efficaciter operativas, humorem verò nihil aliud quam ipsa corpora fluida vel substantiam corporum fluidorum, & siccitatem ejus carentiam; Et quamvis hi plus cæteris negotij facessant propter vim argumentorum, nihilominus tamen

DICO breviter, 4. tantum sunt qualitates primæ, nec plures nec pauciores, ut calor, frigus, humor, siccitas. Ita communiter omnes & antiqui & moderni cum Arist. etc. Gal. 1. meth. & Hipp. de natura hominis. Et probatur 1. tot sunt qualitates primæ, quot sunt affectiones elementorum; sed hæc sunt 4. ergò. minor hæc patet ex singulis elementorum naturis. Probatur major, quia ex qualitatibus elementaribus earumque temperatione gignuntur omnia mixta, nec in his aliæ consurgunt qualitates quam quæ fuerunt in elementis, ergò totidem utrinque erunt, videlicet calor, frigus, siccitas & humiditas. Probatur 2. in his 4. reperiuntur conditiones quæ primis qualitatibus propriæ sunt, verbi grat. producere simile; concurrere ad productionem substantiæ; in se invicem agere & pati, adeòque esse inter se contrarias; non pendere ab alijs, sed alias ab ipsis; ergò ipsæ solùm erunt qualitates primæ. Antecedens patebit pluribus ex sequentibus, quia reverà producunt sibi simile; sunt agentia realia, positiva, & concurrunt efficienter ad productiones substantiarum. &c.

DICES 1. Frigus est privatio caloris ut habet Aristot. 1. de gen. c. 3. 2. cœl. cap. 3. alijsque in locis, ubi expressè vocat frigus privationem caloris. Resp. quando Aristot. frigus vocat privationem caloris, facere id impropriè, & ideò, quod ex duobus contrarijs semper illud quod est imperfectius, quasi quædam privatio habeatur: Quod autem non sit privatio sensus maximè convincit, quia vehementer hunc ferit, ut patet apud eos qui hyberno tempore frigus patiuntur; Deinde efficaciter expellit calorem estque alterius frigoris productivum, ut videre est apud eos qui nivem aut glaciem tractant, &c.

Frigus quo modo sit privatio caloris.

DICES 2. Corpus calidum ideò refrigeratur & humidum ideò fit aridum quia ab illo abscedit calor, & ab hoc humor, ergò frigus & siccitas sunt privationes caloris & humoris. Resp. neg. antec. quia aqua v. gr. calida nō ideò fit frigida tantum, quia calor recedit, sed etiam quia introducitur novum frigus, quod idem in alijs alterationibus fieri intellige. Quòd si dicas, nihil adesse, à quo producatur novum frigus aut nova siccitas, ergò aqua calida vel ventriculus calidus ideo frigescit, quia abscedit calor, & cerebrum ideò fit siccum quia humor evanescit. Resp. negan. Antecedens. Nam vel qualitas quæ abscedit, est subjecto naturalis ut frigus aquæ, vel præternaturalis v. gr. calor aquæ; si jam qualitas subjecto naturalis expellatur, & introducatur alia non naturalis v. gr. calor in aquam, tunc introducetur hic ab alio calore vel ab aliquo alio agente calido: si autem introducatur qualitas naturalis, v. gr. frigus in aquam, id fiet partim per aliud frigus, partim per formam substantialem aquæ beneficio potentiæ conservativæ: Et sic pannus, spongia, cerebrum, & quævis alia res humida siccescit non tantum quia exprimitur humor, sed etiam quia accedit nova siccitas quæ est qualitas realis & activa, licet minus quam frigus aut calor, per siccitatem exhalationis, quæque calori vel solis vel elementi, vel alimento & medicamento jungitur.

Humida humectant.

DICES 3. Cum Arriaga, humor & siccitas non sunt efficaciter operativa, nec cadunt sub sensum per se, ergò non sunt veræ qualitates positivæ, sed partim substantiæ ut humor, partim privationes ut siccitas. Resp. neg. antec. quia sunt reverà qualitates reales & activæ, licet minus quam calor & frigus, ut infrà dicetur: Deinde sunt sensibilia propria ut patet in aqua quæ per humiditatem cognoscitur quod sit humida, & in lapide, cujus siccitas non per calorem aut frigus, sed per propriam speciē sensui objicitur: Quod autē aqua ut objicit Arriaga, non humectet nisi immediatè contingat corpus humectandum; id propterea fit, quod humor minus sit activus eique facilè resistatur; quòd etiam nihil humectetur nisi per ingressum substantiæ humidæ, ratio est, quia humor ut est qualitas, nunquam est separatus à substantia cui primò inhæret, tum quia non est ita efficax, ut producat extra suum subjectum sibi simile, quemadmodum videm' id fieri à rebus calidis & frigidis; nam calor qui est in cibo vel potu, producit calorem in stomacho vel cerebro in quo de novo recipitur; Res autē liquida vel humida nō humectat pannum, lignum, vestem &c. ut in ijs novum producat humorem & extrà proprium subjectum cui prius inhærebat, unde etiam res sicca quando fit humida semper est gravior, non autem res frigida, dum sit calida: Et hoc totum est ab imperfectione & virtute quæ potius passiva est quam activa.

Humida quomodo humectent & sicca quomodo siccant.

DIF-

DIFFICULTAS III.

Quot sint qualitates tangibiles.

Rationem quærendi movet Gal. qui l. ult. de differ. pulſ. cap. 3. iis, qui ab Ariſt. l. 2. de gen. cap. 2. numerantur, addit lentorem & friabilitatem; alii etiam dolorem & voluptatem.

Nota, magnam eſſe differentiam inter qualitates tangibiles, ut conſtat ex ipſo Ariſtot. citato; Nam quædam primæ & propriè tales ſunt, eò quod præcipue vim agendi & patiendi obtineant, ſintque velut formalia principia Elementorum; aliæ autem ſunt quaſi ſecundariæ, & ad priores rediguntur; Inde

DICO 1. Primæ tactilium qualitatum differentiæ ſunt calor & frigus, humiditas & ſiccitas. Probatur 1. ſunt propriè activæ, id eſt, producunt ſibi ſimile, quod de aliis dici non poteſt, ergò ſunt primæ qualitates tangibiles: Quod ſi tamen ab Ariſtotele cit. humidum & ſiccum paſſiva dicantur, id ſenſum infrà dicendum habet. Probatur 2. ad hos qualitates tangibiles revocantur omnes reliquæ, & hæ ipſæ ad nullas priores, imò inter ſe aliæ ad alias redigi non poſſunt, ergò. Antecedens eſt Ariſtotelis, qui in fine capitis citatur. Conſtat igitur ait cæteras omnes differentias ad 4. primas, & has non amplius in pauciores redigi; neque enim calidum, id eſt, quod humidum, aut quod ſiccum eſt, neque humidum quod calidum aut quod frigidum, neque frigidum & ſiccum ſubalterna ſunt, neque ſub calido & humido ſtruuntur, &c.

DICO 2. Poſt primas differentias ſequuntur adhuc decem qualitates contrariæ ſive paria quinque, ut grave & leve, durum & molle, viſcoſum & aridum, ſcabrum & glabrum, craſſum & tenue. Ita Ariſtoteles loco & capite citato. Quod autem hæ qualitates non habeant parem cum primis dignitatem & excellentiam; probatur, quia oriuntur ab ipſis ut enumeratione ſingularum declaratur. Nam imprimis gravitas & levitas non ſunt inter ſe contrariæ, & tenue eſt id, quod ideò facilè replet, quia conſtat minutis partibus; ſed facilè replere poſſe ſequitur ex eo, quod facilè terminetur termino alieno quæ eſt definitio humidi, ergò tenuitas ſequitur humorem, & craſſities ſiccitatem. Deinde viſcoſum eſt certo modo humidum ut apparet in oleo, & aridum perfectò modo ſiccum, ergò viſcoſum & aridum ſequitur humidum & ſiccum. Molle eſt id, quod in ſe refugit ut cera liquefacta, durum autem quod concretum eſt & non cedit; Et hæc omnia oriuntur ex humore & ſiccitate. Et hinc colligitur, tenue viſcoſum & molle reduci ad humidum, craſſum verò aridum & durum ad ſiccitatem, adeoque omnium aliorum contrariorum differentias ad duplicem conjugationem & oppoſitionem calidi & frigidi, ſicci & humidi revocari, & quod potiſſimum eſt, calorem, frigus, humorem & ſiccitatem inter qualitates tangibiles primas eſſe.

DICES cum Gal. lentorem & friabilitatem eſſe etiam ex numero qualitatum tangibilium, ergò plures erunt quam ſupradictæ. Reſp. lentorem eſſe quandam viſcoſitatem, & friabilitatem ariditatem, proinde ad eas revocari; Quod ad dolorem & voluptatem, non ſunt propriè qualitates tangibiles, ſed paſſiones quædam illas conſequentes; Nam dolor ſequitur nimium calorem & frigus; voluptas contrario modo calorem blandum & moderatum frigus; quod nimium calorem reprimit. *Dolor & voluptas ſunt paſſiones quæ ſequuntur tangibiles qualitates.*

DIFFICULTAS IV.

Quid ſint qualitates primæ in genere.

DICO, qualitates primæ in genere ſunt, quæ nec ex aliis nec ex alterutris, ſed ex ipſis oriuntur aliæ. Hæc concluſio habet multas partes, de quibus omnibus ordine breviter: *Qualitas 1. quid.* Nam quod imprimis non fiant ex aliis, probatur, quia præter has nulla datur, quæ etiam ſit ſenſibilis & propria ſublunaribus (excluditur enim hîc lumen, quia prorſus caret contrario & convenit etiam cœlis) à qua fiat per ſe calor, frigus, humiditas, ſiccitas; Dico per ſe, quia licet calor poſſit fieri motu locali, motus tamen ille non eſt qualitas, de qua procedit argumentum, ergò non fiunt ex aliis. Quod deinde non fiant ex alterutris, probatur, quia calor non producit per ſe ſiccitatem, nec ſiccitas calorem, ſed per accidens: ſiccat autem calor ideò, quia rareſacit, & ſiccitas rem calefactam & raram faciliùs exſiccat, quia minor eſt reſiſtentia. Quod autem aliæ, id eſt, ſecundæ ex his oriantur, patet inde, quia qualitates primæ ſunt velut cauſa adæquata ſecundarum exceptis nonnullis de quibus infrà; Et probatur hoc enumeratione; quia omnium eſſe dependet à primarum actione, perpeſſione & temperie: Ita enim oſſa calore ignis albeſcunt, ligna nigreſcunt; Ita alium habet colorem, odorem, ſaporem cibus calidus, alium frigidus, &c. Et ut ex Ariſtotele hoc confirmetur, cujus certè Authoritas maxima eſt, dum qualitatum tactilium originem diverſis in locis, tùm maximè 2. de generat. capite 2. & 2. de part. animal. capite 1. oſtendit; docet is libro de ſenſu & ſenſili, capite quarto ſapores ex commiſtione humidi & ſicci, tum actione calidi & frigidi fieri; Et hoc idem aſſerit de odoribus capite quinto ejuſdem *Qualit. primæ ſunt cauſa adæquata ſecundarum quaſi.* *Quomodo omnes qualitates oriantur ex primis.*

iusdem libri, & lib. 2. de anima cap. 9. & de coloribus sect. ult. problem. qua de re videri potest Alb. Magnus in summa de homine pag. 2. tract. de gestu q. 3. & Gal. l. 5. de simpl. medicam. Idem de sonis innuit idem Arist. sect. 11. probl. ubi hae de re multis quæstionibus disserit, sonorum se. vocumque varietatem ad multiplicem illarum 4. primarum qualitatum proportionem & ad alias quæ ab ijs dependent, referri. Similiter docet l. 2. de cœl. c. 9 & l. 2. de an. c. 8. sonos effici in corporibus quæ frangi aut aliquo modo dividi possunt, & in quibus reperitur durities & mollities, unde facilis aut difficilis resistentia, quæque ortum habent à primis qualitatibus. Quod etiam gravitas & levitas, quæ juxtà eundem Aristotelem 2. de part. animal. c. 1. inter qualitates sensibiles & secundas numerantur, ab illis quatuor primis qualitatibus proveniant, patet ex 2. de part. animal. cap. 3. ubi argumentum hoc habetur, quod nimirùm terra, cum nimium incalescit, in exhalationem attenuetur, & levis fiat, tum aqua frigore concreta gravior efficiatur, idque mediantibus raritate & densitate. Ad hæc quod omnes reliquæ sensiles qualitates, à primis proveniant, id docet experientia, qua constat, earum mutatione corpora laxari, constringi, densari, rarescere, fieri levia, dura, mollia, aspera, &c. similiter experimur earundem varietate mutari odores, sapores, & calores in fructibus, in alimentis, in herbis. Sed de his pluribus, quando in specie de qualitatibus singulis in sequentibus agetur. Et dixi quod qual. primæ sint quasi causa adæquata secundarum, quia præter secundas tactiles, quas Arist. præcisè putavit, sunt & aliæ secundæ, de quibus in sequentibus.

DIFFICULTAS V.

Quid sit calor & quid frigus.

ARistoteles l. 2. de gen. c. 2. postquam omnes qualitates tangibiles, videl. calorem, frigus, humiditatem, siccitatem, gravitatem, levitatem, duritiem, mollitiem, lentorem, rigiditatem, scabritiem, lævorem, crassitudinem, tenuitatem, enarrasset, definivit 4. primas qualitates, sed tam obscurè, ut explicatione opus habeant: Nam calor inquit, est qui cõtrahit, ac eandem juncta genere cogit; Enimverò secernendi vis, quam igni attribuunt, potius facultas est contrahendi quæ eodem continentur genere; alia enim repurgari & eximi accidit; frigus autem cogit & eodem juncta genere juxta ac alienigena contrahit: humor est qui ut non suis finibus, ita alienis probè circumscribitur; siccitas contrà se habet; gracilitas, crassitudo, lentor, rigiditas, durities, mollities, & reliquæ differentiæ ex illis ipsis colliguntur. Hæc Aristoteles. Ut itaque constet, quibus verbis clarius tam frigus quam calor explicetur,

DICO 1. Calor est qui congregat homogenea: Ad intelligendam hanc definitionem *Observa*, calorem omnem natura sua rarefacere, ut apparet in elementis calidis quæ rara sunt, & quicquid accenditur, prius rarefieri, nisi interdum aliquod impedimentum objiciatur, ut fit in ferro candente: quod etiamsi vehementer calefiat, ægrè tamen rarefit propter soliditatem ejus constitutionem; sequitur autem ex hac caloris actione & operatione id quod in definitione posuit Aristoteles videl. congregatio homogeneorum, id est, quæ eodem juncta sunt genere, quoniam ex eo quod calor rarefacit, Consequens est, ut simul etiam homogenea cõgreget; & hoc apparet hac ratione fieri, quod rarefacit, solvit ea quæ prius inter se cõpacta & coagmentata fuerunt; quæ si sint diversæ rationis, habebunt etiam diversas qualitates motivas, ac proinde ad diversa loca sese recipient, ut cum lignum comburitur, & per rarefactionem ea solvuntur ex quibus constat; Nam fumus quia levis est, fertur in partem superiorem, humor in inferiorem, &c. *Calor quid*

DICES 1. Calor definiri debuit vel per rarefactionem vel potius per ipsum effectum formalem primarium, qui est calefactio, ergò mala est definitio. *Resp.* varias esse opiniones Authorum, quare Arist. ita calorem definiverit: aliqui enim docent, id ex aliorum placitis fecisse, proindeque nunquam fuisse ejus mentem, hujusmodi definitionem in suis scriptis approbare: Alij autem putant, Aristotelem nec calorem per calefactionem tanquam effectum suum formalem, nec reliquas qualitates per actus suos primarios ideò voluisse explicare quod calefactio sit effect⁹ nimis manifestus, in omni autem definitione aliquid obscuritatis sit ponendum: Rarefactio non est quidem effectus primarius caloris, est tamen per se & non per accidens, cum videamus ex calore semper sequi raritatem, nisi aliunde impediatur.

DICES 2. Calor non solum congregat homogenea, sed etiam heterogenea: In mixtione uniuntur omnia Elementa per calorem, quod idem probatur ex concoctione in stomacho, in quo diversi cibi congregantur & uniuntur: concoctio autem fit è calore, ergo definitio non est universalis. *Resp.* pro varia dispositione subjecti esse quoq; variam calefactionem: sic enim in aqua per calefactionem partes quædam attenuantur, quædam manent crassæ, atque ita fit aqua heterogenea per accidens; sic è contrà calor interdum ex heterogeneis facit homogenea, ut in mixtione transformat elementa in naturam mixti, & cibos varios in stomacho in chylum: quod ergò videatur interdum congregare heterogenea, non fit ex natura caloris ut sic, sed ex conditione subjecti ipsius: similiter calor sæpè congregat tam homog. quam heterog. sed per exsiccationem, atq; ita per accidens ut patet in luto condensato post partium rariorum evaporationem. *Quomodo calor etiam heterog. con gregat.*

DICES 3. Metalla liquefacta calore miscentur inter se etiamsi sint diversi generis, ut argen-

argentum cum plumbo, ergo calor congregat etiam heterogenea. Resp. talem congregationem liquefactorum metallorum esse à frigore, proinde negatur consequentia.

Frigus quid DICO 2. Frigus est id, quod homogenea & heterogenea congregat. Probatur, quia sicut caloris proprium est rarefacere, ita frigoris est condensare; & sicut rarefacta dissolvuntur ut facilè recipiant se ad loca sua naturalia, ita condensata impediuntur & simul coercentur: patet hoc in glacie, in qua præter aquam etiam res aliæ uniuntur; similiter in succinis & gemmis, in quibus sæpè multa diversi generis inclusa apparent.

DICES 1. Hæc definitio non differt à priori, quia hic etiam congregantur homogenea; ergò non est bona: Resp. neg. antec. quia præter homogenea congregantur etiam heterogenea, quo ipso differt à priori.

DICES 2. frigore sæpè rumpuntur lapides, & talis ruptio non potest fieri nisi per disgregationem partium. Resp. hoc fieri per accidens; quando enim frigus quasdam partes lapidis aut alterius corporis vehementius stringit, tum condensantur, & quia aliæ non rarefiunt, ut subsequantur & impleant locum, quam condensatæ relinquunt, idcircò ab invicem dissolvuntur.

DIFFICULTAS VI.

Quid sit humor & siccitas.

ADverte, in ijs quæ humida sunt, esse imprimis quandam mollitiem, in siccis autem duritiem, quibus qualitatibus hoc efficitur, ut per duritiem unum corpus alteri non facilè cedat, ac proinde pertinaciter retinet propriam figuram: contrà humidum per mollitiem facilè eandem amittat: Deinde in humidis est quædam fluxibilitas, quam habent ex eo, quod singulæ partes facilè moveantur ad replendum locum, ac proinde si aqua foret mollis tantum & non gravis simul, non repleret locum, neq; conformaret se ad ejus figuram Jam

Humor quid. DICO Humidum est quod est interminabile termino proprio, facilè autem alieno terminabile. Siccum est quod est terminabile termino proprio, difficulter alieno. Hic *Adverte*, duplicem esse terminum quantitativum, quem omnes Philosophi cum Arist: hic intelligunt; unus est qui copulat partes quantitatis, ut punctum est terminus lineæ, linea superficiei alter terminus est figura, & de hoc sensus talis est, humidum ex se non habet certam aliquam figuram in qua consistat, facile autem aliquam acquirit, ut aqua ex se non habet certā aliquam figuram, facilè tamen aliquam ejus acquirit cui adhæret; Contrà verò siccum ex vi talis qualitatis habet certam figuram cum qua consistat & difficulter alienam recipit, ut lapis qui prius debet secari, &c. Certum quod hæ definitiones bonæ sint, patet ex communi doctorum con sensu, qui eas hactenus receperunt tum ex data earundem explicatione; patebit etiam melius ex argumentorum in contrariam afferendorum resolutione. Nam si

DICAS 1. Glacies est humida, quia est essentialiter aqua, & tamen non facilè terminatur termino alieno. Resp. glaciem quatenus est aqua, esse humidam, non tamen quatenus est glacies, quia continet etiam exhalationes siccas eique permixtas, à quibus impeditur humor aquæ, & propter quas fit constrictio & condensatio.

DICES 2. Cera, plumbum & alia metalla non sunt humidiora post liquefactionem quàm antea, & tamen liquefacta non habet proprium terminum, habent verò non liquefacta, ergò non est bona. Resp. plumbum liquatum non esse humidius, sed rarius & mollius; densitas enim impedit, ne possit alieno termino facilè terminari, ac proinde sublata hac densitate per liquefactionem humor recipit suum effectum; quia plumbum fit fluxile per mollitiem & raritatem, seque facilè ad alienam figuram accommodat. *Plumbū liquatum est rarius & mollius quā prius.*

DICES 3. Ignis natura sua est siccus, & tamen non terminatur termino proprio sed alieno, quod est contrà definitionem. Resp. hoc ideò fieri quia est rarissimus; Deinde ignis noster nō est ita terminabilis, ut plerique docent; termino alieno ut in eo consistat sicut aqua & alia humida, quia sequitur naturam exhalationis, quæ est ejus materia; Et quia illa à fornace impedita ubi concluditur, non potest in altum tendere, curvatur, & per os fornacis egreditur, unde non accomodat se ita alienæ figuræ ut consistat; Ignis cœlestis accomodat se quidem figuræ cœli, sed per levitatem, quia concavi cœli superficies est ejus locus naturalis; dico undique eò tendit, sicut etiam terra quæ sicca, ad centrum.

DICES 4. Cinis est siccissimus, & tamen injectus in vas v. gr. suscipit figuram vasis, ergò falsa est definitio sicci, Resp. pulverem non esse unum corpus, sed multa corpuscula minuta, quorum singula propriam habent figuram quam non amittunt. Omnia tamen conglobata simul facilè recipiunt figuram alienam, non per humorem, sed quia cum parva sint, facilè compinguntur.

DIFFICULTAS VII.

Vnde oriantur qualitates primæ.

SUppono, primæ qualitates vel esse Elementorum vel mixtorum, de utrisque difficultas est, an oriantur ab jisdem principijs & à quibus.

DICO 1. Qualitates primæ quę sunt in Elementis, sunt partim à Deo, partim à cœlis, partim ab ipsis Elementis. Prob. primum, Deus in prima mundi creatione produxit elementa in actu perfecto suisq; proprietatibus imbuta, et-

ergò cum qualitatibus. Neque dicas nullib supereſſe in Elementis primævum illum ſtatum, ſed hactenus omnia cum qualitatibus eſſe immutata; quia Reſp. falſum eſſe tota elementa fuiſſe hactenus ab eo ſtatu, in quem per divinam potentiam & virtutem fuerunt poſita, tranſmutata: Nam licet multis in partibus ſint impura, ſunt tamē nihilominus maxima ex parte adhuc in ea perfectione & vigore, quem olim à divina bonitate acceperunt. Probatur ſecundum, cœli & aſtra magnas alterationes & impreſſiones faciunt in hoc mundo ſublunari, ut patet potiſſimum de ſole, qui acceſſu ſuo & receſſu aerē refrigerat & calefacit, ergò qualitates primæ in elementis producuntur etiam ab aſtris. Probatur tertium, elementa habent virtutem ſe invicem tranſmutandi, ergò etiam habent virtutem producendi ſuas qualitates; Antec. patet ex alibi dictis, quando enim ex terra fit ignis, ex aqua aer, &c. non fit hoc à mixtis, ſed à concurſu ipſorū elementorum, ergò. Deinde Elementa reducunt ſe ad qualitates ſuas ut patet in aqua, quod non poteſt fieri niſi ab ipſis Elementis, eorumque formis.

DICO 2. 4. primæ qualitates quæ ſunt in mixtis, producuntur à ſimili, lumine, motu, alijſque agentibus naturalibus. Probatur inductione, imprimis enim producit calor calorē; deinde producit ſol eundem per lumen ſicut & ipſi cœli per motum, quid autem reliqui motus in corporibus ſive animatis ſive unanimatis faciant, ſatis conſtat experientia, quia agitantur in vivente ſpiritus, rarefiūt exhalationes, intenditurque calor, excutiuntur in ſilice, ligno alijſque rebus durioribus partes igneæ, producitur in aqua frigus, &c. Et de his res item patet in antiperiſtaſi prohibitaque corporum animatorum tranſpiratione; patet idem de quovis agente naturali, quod producendo formam & cum eo compoſitum ſubſtantiale producit etiam accidentia & cum ijs calorem, frigus, humorem, ſiccitatem, &c.

DICES 1. Cum Zabar. l. 1. de elementorum qualitatibus c. 9. quamvis calor ſit igni & aeri connaturalis, eſſe tamen ſemper à cœlo propterea, quod Ariſt. 1. meteor. c. 3. dicat, corpora quæ ſunt infrà lunam, ex ſe eſſe in potentia ad calorem, frigus, humorem, ſiccitatem, fieri autem actu calida, frigida, humida, ſicca à motu cœli & immobilitate: Nam terra & aqua quieſcunt, ideò frigida ſunt; ignis autem & aër calida, quia moventur à cœlo. Reſp. Ariſt. non loqui de puris elementis, ſed de ijs quæ affecta ſunt qualitatibus alienis; eſt ergò ſenſus Ariſtotelis, omnia corpora, quæ ſunt infrà cœlum, poſſe calefieri & frigefieri; exhalationes calefieri à motu, quia atteruntur à motu cœli in ſuprema regione aëris, ſicut contrà frigeſcunt & ad priſtinum frigus ſe reducunt propter immobilitatem. Quod autem Ariſt. loquatur de exhalatione, conſtat ex quæſtione quā tractat; diſputat enim cur nubes non cogantur in ſuprema regione aëris; & reſpondet, quod ea nimis ſit calida propter copiam exhalationum, quæ ibi motu calefiunt.

Cur ſuprema regio aeris tam calida.

DICES 2. Ariſtoteles 1. meteor. c. 2. oportet, inquit, hunc mundum inferiorem eſſe cōtiguum cum ſuperioribus lationibus, ut inde omnis virtus regatur, ergo virtus elementorum pendet à cœlo. Reſp. concedendo totum, nec eſt contra concluſionem: Quomodo autem hæc ſublunaria pendeant ab aſtris, tum quid fieri poſſit ceſſante motu cœli, dicetur infrà diſp. 14. diffic. 23. hujus libri.

DIFFICULTAS VIII.

An primæ qualitates agant per ſpecies contentionales vel quomodo,

HUjus difficultatis ſenſus eſt, an primæ qualitates agant eo modo, quo objecta ſolent agere, quæ ſe per ſpecies intentionales, i. e. per qualitates virtuales eo loco repræſentant, ubi tamen ipſi non ſunt, & conſequenter an ab igne v. gr. non perveniat calor ad manum, ſed tantum ſimilitudo quædam caloris, quæ hunc in manu repræſentet.

Opinio prima eſt quorundam, qui docent ſenſum realiter ab objecto mutari, & ſi qualitates ſunt activæ, uti eſt calor ignis, dicunt illum ſentiri per calorem ab illo in manu v. gr. productum; ſi non ſunt activæ, uti eſt duritiес, &c. ſentiri per conjunctionem immediatam ſine ſpecie. Probant hoc modo, calor ignis perfectius uuitur organo per calorem in eo productum quam per ſpeciem illi impreſſam; ſed ſi poteſt concurrere per ſpeciem ad ſenſationem, multò magis cōcurret per calorem, ergò: ſed Reſp. neg. majorem vel diſtingvendo, perfectius unitur organo phyſicè & realiter, conceditur, intentionaliter negatur; phyſica autem inhærentia non facit ſenſationem, quia etiam lignum ſentiret calorem, ſed tantum intentionalis, quæ duo præſtat beneficia, primò unit potentiam cum objecto in eſſe intentionali; 2. reddit eam ſimilem objecto virtuali ſeu in eſſe intentionali, proinde facitut ſit unum principium completum ad eliciendam ſenſationem, quod calor facere non poteſt, quia calefactio non eſt cognitio & perceptio objecti ſicut eſt ſenſatio, quia pertinet ad actus intentionales. Alij, qui putant primas qual. non agere per ſpecies intentionales, has dant rationes, quia imprimis inquiunt ſpecies intentionales non ſunt activæ; Deinde ex natura ſua tantum ſunt repræſentativæ. Denique non ſunt ſibi invicem contrariæ nec expellunt ſe mutuo, &c. ergo per eas non poſſunt fieri actiones phyſicæ, ut eſt calefactio, frigefactio. Sed Reſp. breviter ſpecies intentionales non eſſe activas ſed tantum repræſentativas, &c. per ſe ſolas, conceditur, cum potentia & objecto ſumptas, negatur.

Quare calor ſentiatur ſine ſpecie.

Species intent. quomodo activa.

Opinio 2. eſt qualitates primas agere realiter & intentionaliter; Ita Conn. 2. de anima c. 11. q. 3. a. 3. & rurſum q. 2. a. 3. c. 6. ubi ajunt ſpecies cum potentia concurrere activè ad actiones: Et quia hæc ſententia eſt communiſſima. Ideo

DI-

Cur calidũ non sentitur sine specie.

DICO 1. Qualitates primæ utroque modo immutant organum, adeoque ut ignis urat manum, non sufficit solus contactus ejus & manus. Hanc Conclus. vide l. 1. disp. 21. diffic. 25. & 29. hic adde has rationes, si videl. sentiretur calidum sine specie, sentiretur secundum gradus intensiores manui v. gr. & non tangibili inhęrentes; ergo nunquam sentiret tactus excessum qualitatum calidi; æquè enim calidum non sentimus, sed solum excellentius, quia calor organi non potest concurrere ad sensationẽ qualitatis intensioris quam ipse non habet, sed ejus objectum. Deinde in febre Epiata simul pars corporis friget & calet, quod non potest fieri per alterationem realem & coruptivam, quia idem moveretur motibus contrarijs simul, quia esset simul calidum & frigidum. ergo tunc sensus mutatur tantum intentionaliter.

DICO 2. Primæ qual. agunt per veram propriéque dictam actionem. Probatur 1. qualitates primæ sunt verè & propriè activæ, ergò. 2. calefactio, frigefactio, sunt actiones physicæ, quia à nullo alio agente sibi ita proportionato quam à primis qual. fiunt. 3. qualitates primæ non possunt unquam agere nisi expellendo se ex eodem subjecto; sed expulsio hæc est vera actio physica, ergò qual. primæ agunt per veram actionem physicam. Ut tamen constet modus, quo primæ qual. agunt, *Adverte*, varias ab his elici actiones, videl. aliquas primarias; ut constat de calefactione, &c. alias autem secundarias, v. gr. rarefactionem, condensationem, &c. Quocunque igitur modo agant primæ qual. semper agunt per actionem physicam sive per se sive per accidens, & illud quidem, cum in subjecto capaci & accommodato producunt qualitatem sibi similem, id est, educunt è potentia materiæ formam accidentalem ut calorem, frigus, quæ productio vel eductio est vera actio physica; hoc verò, cum physicè quidem operantur, non tamen ex se effectum illum determinant quem producunt, sed per accidens, v. gr. cum frigus in animali producit calorem: Nam frigus in stomacho cogit spiritus & calorem animalis per actionem propriè physicam, tum per antiperistasin intendit calorem, de quo alibi. Similiter idem frigus efficit, ut calor intensior factus humores rarefaciat, resolvat, poros & meatus internos aperiat, adeòque fuligines adultas externalnet, sudorem eliciat, totumque corpus, quod prius æstuabat, refrigeret.

Modus quo primæ qual. agant.

DIFFICULTAS IX.

An solæ qualitates primæ sint contrariæ.

ITa solemus aliquando contrarietatem extendere, ut pro quavis etiam oppositione eam usurpemus, ideòque exemplo Aristotelis, qui id olim fecit & docuit, quando libello suo de mundo bunt ex meris contrarijs compactum & coagmentatum esse scripsit, Ut autem ante omnia tota contrarietatis vel oppositionis divisio constet, *Adverte*, hanc esse duplicem, logicam unam & alteram physicam; illa versatur inter quantitatem & qualitatem duarum propositionum; hæc autem est repugnantia duorum conceptuum, & reperitur vel inter res duas positivas, vel inter unam positivam & alteram negativam; hæc dicitur contradictoria qualis est inter lucem & tenebras; Illa autem vel est relativa vel contraria; relativa est quæ versatur inter duos terminos relativos ut inter patrem & filium, quia repugnat eundem hominem esse patrem & filium alterius. Oppositio denique contraria, de qua hic maximè quæstio, est repugnantia duarum formarum circà idem subjectum. Oppositio privativa dividitur in negativam propriam & privativam propriam; Illa versatur inter formam ejusque carentiam circà subjectum incapax formæ, ut visus & non visus circà lapidem, quia negatio hic est carentia formæ in subjecto inepto; hæc est repugnantia inter formam ejusque carentiam in subjecto apto, ut visus & non visus in homine. Hæc Hurt. disput. 14. met. f. 3. Ut autem prius constet quid sint contraria,

Contrarietas quotuplex.

DICO 1. Contraria sunt quæ sub eodem genere posita maximè distant, & ab eodem subjecto se mutuo positivè expellunt, nisi alterum eorum fuerit insitum à natura. Ita Arist. 1. met. c. 6. Explicatur breviter hæc definitio quæ est contrariorum propriè dictorum. Dicuntur imprimis sub eodem genere posita, quia de ratione contrariorum est, ut habeant idem genus sive proximum, ut albedo & nigredo sub colore tanquam suo genere proximo, sivè remotum ut virtus & vitium sub habitu. Dicitur 2. quod maximè distent, ad differentiam eorum quæ disparata sunt, ut patet in homine & equo, qui uterque invicem, & æquè ab aliquo tertio v. gr. lapide distat. Dicitur 3. quod ab eodem subjecto se mutuò pellant, ut calor & frigus ex lapide, ferro, aqua, ad differentiam eorum, quæ impropriè contraria sunt, neque se expellunt ut rationale & irrationale, &c. Dicitur 4. positivè, ut appareat discrepantia à privatis, quæ non possunt se positivè ex eodem subjecto expellere. Dicitur ultimò, nisi unum ex ijs insitum fuerit à natura, ut calor qui propterea quod sit à natura insitus igni, non potest ab illo per actionem frigoris expelli. Et hinc

Contraria quid.

DICO 2. 4. primæ qualitates sunt verè & propriè contrariæ. Probatur quia sunt entia realia & positiva, quæ se mutuò ex eodem subjecto expellunt, ut patet in calore, qui frigus efficienter ex aqua, ligno, ferro, &c expellit.

DICO 3. primæ 4. qualitates non sunt solùm contrariæ. Ita Arist. lib. de prædicam. ubi dicit justitiam esse contrariam injustitiæ, virtutem vitio, scientiam ignorantiæ, bonum malo, gaudium tristitiæ &c. sed quia hæc non sunt propriè contraria, *Adverte*, in his esse mixtam oppositionem ex contraria & contradictoria, non quod contradictoriè sint opposita, sed quod tota oppositio ipsis veniat ab obje-

An solæ qualit. primæ sint contrariæ.

ctis

ctis quæ contradictoriè opponuntur, ut esse bonum, esse malum, esse amandum, odio habendum, esse frigidum aut appetendum, quia contradictoria sequuntur objecta sub diversis rationibus formalibus. Si

Quomodo duæ substantiæ sibi sint contrariæ.

QUÆRAS, An etiam duæ formæ substantiales sint contrariæ; Ratio dubitandi est, quia sub eodem genere maximè distant, & expellunt se etiam ex eod. subjecto. Resp. duas formas subst. non repugnare per suas entitates, per quas etiam non expellunt se ex eodem subjecto, sed ideò quia materia est incapax ut duas simul capiat: Qualitates autem contrariæ non sunt simul in eodem subjecto propter illius incapacitatem, sed quia illæ ipsæ mutuum habent dissidium; Nam constat in eodem subjecto esse simul plures qualitates in gradu intenso; quod si igitur non possint se compati, non est propter incapacitatem subjecti, sed propter illorum oppositionem.

Contrarietas est in toto prædicamento qualitatis.

DICO 4. In toto prædicamento qualitatis reperitur contrarietas; patet ad sensum; Nam imprimis dispositiones & habitus tum separatim tum conjunctim sumpti sunt contrarij, ut patet in dispositionib quæ terminantur ad formam aquæ & ignis, tum in habitu virtutis & vitij, amoris & odij &c similiter dispositiones ex natura sua contrariantur habitib., à quibus ex eod. etiam subjecto depelluntur. Deinde contraria est potentia impotentiæ, ut patet in potentia scribendi, legendi, quę expellit potentiā non legendi, non scribendi. De qualit. patibilib. sive primis sive secundis ut coloribus, odoribus, gravitate, levitate, &c. res clara est, nec eget probatione præter eam quæ fit sensu. Accedit tandem, forma & figura, quia rotundum & quadratum, longū & breve, & si quæ similes in corporibus existere possunt figurę invicem distant, nec simul sunt patibiles. In reliquis prædicamentis non reperitur propriè contrarietas.

DIFFICULTAS X.

An & quomodo qualitates primæ possint esse in eodem subjecto.

NOta, quamcunque qualitatem, quæ habet contrarium, existere certa & præfinita latitudine intensionis, quam philosophi doctrinæ gratia usque ad gradus octo per quandam æstimationem extendunt, Medici autem usque ad 4. ex eo quod hi considerent eas in ordine ad mixta, illi in ordine ad se. Est autem sensus difficultatis duplex, videl. an contraria possint esse simul in gradibus intensis an verò in remissis, & in quibus intensis vel remissis.

Suppono, quicquid statuitur de qualitatibus primis, id etiam statui & intelligi posse de qualitatibus secundis quæ contrarium habent Jam

DICO 1. Duæ qualitates primæ contrariæ v. g. calor & frigus possunt in gradibus remissis eidem subjecto simul inesse. Probatur 1. ex Arist. qui l. 3. Topic. c. 4. ait, ea quæ contrarijs permista sunt, esse magis talia, ut candidius quod nigro minus permistum est; Et hoc repetit multis alijs in locis, tum maximè 5. phys. c. 2. ubi scribit, esse ex eo plus minusve tale, quia plus au. minus inest contrarij. Prob. 2. ratione, a qua quæ est tepida, habet aliquid caloris & frigoris, calor & frigus compatiūtur se in gradib. remissis; Anteced. patet, quia tepor non est qualitas simplex, sed est permistio caloris & frigoris, quia partim calefacit, partim refrigerat, ergo per aliquale frigus & calorem modicum. 3. in eodem subjecto datur actio & passio, ergò & qualit. contrariæ. 4. quælibet pars mixti est mixta, ergo ex qualitatibus contrarijs.

DICO 2. Non possunt tamen duæ qualitates contrariæ naturaliter in gradibus intensis esse simul in eodem subjecto; per gradus intensos intellige omnes eos gradus, qui sunt ultra latitudinem determinatam, v. gr. gradus 5. caloris cum 5. frigoris, & si qui sunt, qui combinati octavum numerum excedunt. Deducitur hæc conclusio, quæ omnibus communis est, præter inhabilitatem subjecti ex ipsa natura contrariorum seu definitione, qua dicuntur maximè à se invicem distare, & se ex eodem subjecto expellere, intellige in gradibus intensis & non in remissis Confirmatur, quid si in eadem aqua vel carne essent summi gradus caloris & frigoris, dicerentur summè calidæ & summè frigidæ, quod est absurdum.

DICO 3. Non possunt esse simul qualitates contrariæ infrà quartum gradum v. gr. 3. caloris & 3. frigoris. Ratio est, quia nunquam unus gradus expellitur quin alius contrarius introducatur, si autem essent tantum in uno subjecto 3. caloris totidemque frigoris, necessum esset aliquos gradus fuisse expulsos alijs contrarijs non introductis; Cum enim fuerint gradus 8. & jam sint 3. caloris cum tribus frigoris, necessum est duos perijsse, in quorum locum nihil de contrario successerit.

DICES 1. Hinc sequitur in rosa, quæ consensu medicorum censetur frigida ut unum, reperiri omnes reliquos gradus caloris ad complendam horum latitudinem, quod tamen est contra experientiam. Ad hoc argumentum respondebitur circa finem hujus libri disp. 20. diffic. 6. quamvis conclusio maximè locum habeat in elementis, quia in mixtis non datur tam facilis graduū expulsio & introductio nisi dum corrumpuntur & gignuntur.

DICES 2. Impossibile est duo contraria esse sibi debitè approximata, quin unum corrumpat alterum: at duę qualitates contrarię in quovis etiam gradu positæ in eodem subjecto sunt sibi invicem debitè applicatæ, ergò una debet alteram corrumpere. Resp. qualitates contrarias nunquam inter se agere quando sunt in eodem subjecto, unde ne septem quidem gradus caloris expellent unquam unum frigoris ex eodem subjecto, ratio, quia expellerent sine dubio producendo novum caloris; At calor in illo subjecto in quo est, non potest producere

ducere uſlum gradum caloris, quia produceceret ſuperiorem ſe, id eſt, ſeptimus produceret octavum; In ſubjectum tamen externum poteſt agere, in quo ſcil. ſunt pauciores gradus, quia in illud non introducet gradum octavum, ſed tertium, quartum, &c.

DICES 3. Non poſſunt ſimul eſſe quatuor gradus caloris cum quatuor frigoris, ergò non poſſunt eſſe ſimul calor & frigus in gradibus remiſſis. Antecedens probatur, quia tale ſubjectum neque calefaceret neque frigefaceret, quia cum utraque qualitas ſit æqualis, non eſt ratio, cur una potius agat quam altera; ſi autem utraque ageret, poſſet unum aliquod ſubjectum moveri motibus contrarijs. Reſp. calorem ſua natura eſſe activiorem frigore, quare in tali ſubjecto potius aget calor quam frigus, unde etiam negatur antecedens.

DICES 4. Habitus quidam non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubjecto in gradibus remiſſis, verb. gr. habitus ſcientiæ & erroris, ergò nec omnes qualitates ſecundæ. Reſp. verum eſſe quod ſcientia & error non poſſint ſimul ſtare, quia quilibet actus erroris perfectè adverſatur habitui ſcientiæ & contra, unde etiam repugnantiæ perfectio in his actibus & habitibus non pendet ex graduali intentione actus aut habitus, ſed ex natura & vi affirmationis aut negationis; quicunque enim negat id quod alius affirmat, abſolutè ei contradicit etiam in gradu remiſſo. Quando itaque actus alicujus habitus neceſſario excludit à ſubjecto habitum contrarium, non poſſunt illi habitus ſimul ſtare, quod quidem eſt in habitu ſcientiæ & erroris, non tamen in aliis habitibus contrariis, quorum actus dari poſſunt quovis illorum permanente, verb. grat. temperantiæ & intemperantiæ, quia poſſum eſſe & manere temperans, etiamſi eliciam aliquem actum intemperantiæ, &c.

DIFFICULTAS XI.

An qualitates contrariæ poſſint divinitus ſimul exiſtere in eodem ſubjecto.

CONſtat id naturaliter fieri non poſſe: Quæritur ergò, an fieri poſſit virtute divina. Aliqui utramque ſententiam, id eſt, affirmantem & negantem judicant eſſe probabilem. Alij negantem tuentur, alij affirmantem, ut videre eſt apud Conim. 2. de gen. c. 3. q. 8. a. 5. Et cum his

DICO, fieri poteſt, ut virtute divina duæ qualitates primæ contrariæ, quoad ſummam graduum perfectionem ſimul in eodem ſubjecto exiſtant; Ita inter cæteros Alanus lib. 1. de SS. Euchariſtia cap. 38. ubi refert hanc fuiſſe veterum ſententiam. Probatur 1. Non repugnat duo corpora ſimul eſſe in eodem loco per divinam potentiam, ergò nec repugnabit duas qualitates contrarias per eandem potentiam eſſe ſimul intenſivè in eodem ſubjecto, quia utrobique eſt par ratio. 2. Nulla poteſt aſſignari cauſa, quare id divinitùs fieri non poſſit, quod probatur, quia duæ ſunt cauſæ, quare duæ qualitates contrariæ ſimul exiſtere non poſſint; Una, quia ſubjectum eſt incapax majoris graduum latitudinis; Altera, quia duæ qualitates contrariæ extremè inter ſe pugnant; ſed utraque hæc cauſa non importat aliquam implicantiam reſpectu Dei, ergò. Nam poteſt imprimis Deus hanc ſubjecti incapacitatem tollere, ut plures gradus ſuſcipiat, quàm aliàs naturaliter ſuſcipere ſoleret, & planè ad eum modum, quo vim intellectivam ad cognitionem ſuæ eſſentiæ elevare poſſet, ſi vellet; Deinde poteſt Deus impedire quomin' illa contraria inter ſeſe agant. Hic tamen *Adverte*, hanc concluſionem non eſſe intelligendam de omnibus omninò qualit. contrariis, quia ſunt quædam quæ contradictionem implicant, proindeq; à Deo fieri non poſſunt, nec ejus virtute ſimul ſubſiſtere in ſubjecto, ut ſumma denſitas & ſumma raritas: Cùm enim denſum id dicatur, quod ſub pari quantitate plus, & rarum quod ſub eadem quantitate minus habet materiæ, habere autem abſolutè plus materiæ & habere abſolutè minùs materiæ, ſit ſimpliciter habere plus & non habere plus, ſequitur quod raritas & denſitas in ſummo (in gradib. remiſſis ſimul inveniri poſſunt.) nequaquam ſimul exiſtere poſſint: Ex hoc idem intellige de actibus vitalibus, qui etiam non poſſunt ſimul eſſe in gradibus remiſſis ex ratione objecti, de quo non poteſt ſimul fieri affirmatio & negatio, v. gr. fuga & deſiderium, amor & odium, &c.

Quare duæ qualitates contrariæ non poſſunt ſimul eſſe.

Quædam contraria cur divinitus eſſe non poſſint ſimul in eod. ſubjecto.

DICES 1. Si in eodem ſubjecto poſſunt ſimul exiſtere duo contraria, ſequitur eand. rem ſubeſſe contradictoriis contra Ariſtot. 4. met. c. 6. ubi habet, ex contrariis ſummis in eodem ſubjecto inferri contradictoria. Reſp. Si vires naturæ ſpectemus, rectè ſequi, ſubjectū quod perfectè calidum eſt aut album, non poſſe eſſe frigidum aut nigrum; non tamen, ſi ad potentiam divinam id referamus. Nam ut ait Hurt. d. 14. met. ſ. 3. §. 24. concurſus qui nunc conſervat frigus vel nigrum ſine calore vel albo, conſervabit etiam cum calore & albedine, quia poſitio caloris non tollit aliquod ex principiis, à quibus dependet illa actio, ſed tantum petit ut pereat infrigidatio vel denigratio; Si autem non vult Deus hanc perire, cur peribit? Ita Hurtadus.

Quomodo una res poſſit ſubeſſe contradictoriis.

DICES 2. Oppoſita privativa non poſſunt eſſe ſimul, ut viſus & cœcitas, ergo nec contraria. Reſp. neg. conſeq. & paritatem; privatio enim expreſſè & formaliter negat ſibi habitum oppoſitum, unde etiam expreſſa implicatio contradictionis inde ſequitur: Non autem in contrariis ita ſe ſe res habet, quia in iis non neceſſariò infert unum negationem alterius.

DIFFICULTAS XII.

An semper duo contraria prima compleant totam latitudinem graduum,

SEnsus difficultatis est, an si duæ primæ qualitates contrariæ v. gr. calor & frigus sive in elementis sive in mixtis concurrunt, ita compleant latitudinem gradium, ut nunquam unus desit, sed quantum uni decedit, alteri accrescat, adeoque semper octo, quæ est tota latitudo apud Philosophos, vel 4. apud Medicos, neque pauciores neque plures efficiat, v. gr. 3. frigoris, 5. caloris, &c.

DICO, Quotiescunque duæ qualitates contrariæ in uno subjecto concurrunt, toties necessariò complent totam latitudinem graduum; Constat hoc ex dictis & probatur 1. quià nisi in concursu qualitatum primarum semper unius contrarii tantum accederet quantum alterius decederet, & ad corruptionem unius gradus caloris, v. gr. novus de frigore produceretur, natura per se intenderet interitum, quod tamen falsum est. 2. quæ qualitatum affectiò ad formam disponit eandemque inducit, eadem etiam rem genitam consequitur, & cum ea remanet, ergò quotiescunque duo contraria prima subjecto insunt, toties integra latitudo ex utroque perficitur & absulvitur. 3. Primæ contrariæ qualitates sunt rerum naturalium administræ, & tam in alterationibus quam generationibus cæterisque ejusmodi functionibus opifices & effectrices, ergò necessum est ut semper cum suis subjectis remaneant, & sicut in eodem subjecto infrà latitudinem unius non consistunt, ita etiam eandem non excedant.

DICES 1. Quando aliquis odor suavis aut sapor dulcis in subjecto deficit, non statim succedere ejus contrarium, ut docet experientia; ergò falsum est, ad deperditionem unius contrarii alterum semper & necessariò sequi. Resp. Conclusionem tantum esse intelligendam de qualitatibus quatuor primis, & non de secundis, nec esse necessum, ut tota hujusmodi qualitatum latitudo in subjecto sit perfecta, quemadmodum patet in vitijs & virtutibus cæterisque patibilibus qualitatibus quæ ex primis oriuntur, v. gr. in odoribus & saporibus: Cur autem secundæ qualitates contrariæ non semper compleant totam graduum latitudinem, adeoque ad imminutionem sui contrarii crescant & contrà, causa est apud Conim. 2. gen. c. 1. q. 8. a 4. quia cum hujusmodi qualitates ex primarum temperie & certa quadam proportione resultent, poterunt hac dissolutâ remitti & evanescere, ut in subjecto contraria qualitas non proveniat, quia non existit in eo proportio, quæ ad illarum ortum exigitur; In iis tamen secundis qualitatibus, quæ vel sequuntur rationem quantitatis ut raritas & densitas, vel quamlibet proportionem primarum ut gravitas & levitas, solet tantundem ex alio rependi quantum de uno contrario dea est, quod non accipiendum est, quasi quantportio in quolibet mixto desideratur de gravitate terrea, tantum insit de levitate, cum multa sint quæ cum aliquanta levitate obtinent partem unam terreæ, alteram aqueæ gravitatis, sed ita. ut quantum desit de gravitate absolutè, tantum de levitate suppleatur, sive gravitas sit solùm terrea, sive conflata ex terrea & aquea; similiter seu levitas sit tantum aerea seu ignea, seu componatur ex ignea & aerea: Hæc Conimbr.

Cur 1. qualit. contraria non cõpleant totam latitudinem graduum.

DIFFICULTAS XIII.

An qualitates prima sint undique ejusdem speciei.

QUæstio intelligitur de qualitatibus symbolicis, quæ sunt ejusdem rationis, & connaturaliter in plurib. elementis & mixtis repeṙiuntur, ut calor in igne, in aere, in plantis, brutis, homine, vino, rebusque inanimatis.

Opinio negativa est Avic. in l. 16. de animal. c. 1. Averrh. in comment. 18. l. 12. met. & c. 3. de substantia aëris. Gal. l. de marc. c. 3. in expositione aphor. 14. l. 1. aliisq; ib locis. Concil. dist. 59. Pici mirandul. l. 3. contra Astrolog. c. 3. Dandini l. 1. de corpore animato c. 12 Fernel. l. 4. physiol. c. 1. & multorum aliorum, quorum omnium doctrina est, calorem, qui est in elementis specie esse distinctum à solari & eo qui est in animalibus. Ratio eorum est, quia inquiunt, prior acris est & noxius, quo cunctà siccantur, urantur & incinerantur, posterior verò beneficus & salutaris, cujus ope omnia gignuntur, crescunt & conservantur. Addunt Authoritatem Aristotelis, qui imprimis l. 2. de gen. anim. c. 3. docet, calorem, quo animantium vita continetur, & quo pereunte omnis eorum actio interimoritur, nec ignem esse nec ab igne oriri, sed præstantiorem naturam habere, quæ proportione respondeat elemento stellarum; Deinde l. eod. c. 1. docet, siccitatem esse rem vitæ inimicissimam, humorem verò amicissimum, ergò vitalis calor erit humidus & distinctus à sicco. Adhæc l. 1. de long. & brev. vitæ tanquam certum ponit, vitam humore calido, sive humido & calido contineri, siccum verò & frigidum certam interitus causam adducere.

Opinio affirmativa est meliorum philosophorum & Medicorum cum Alberto M. l. 20. de animal. tr. 2. c. 4. D. Thoma, Zimara, Conn. & aliis, qui docent qualitates symbolicas tam in Elementis & sole, quam universis mixtis esse ejusdem speciei, diversitatem verò actionum non præcisè semper fluere à calore ut sic, sed ut est instrumentum diversorum agentium.

DICO breviter, Omnes qualitates symbolicæ sunt ejusdem speciei, sive sint in elementis sive mixtis & animalibus. Ita Hurt. disp.

dispur. 6. de elem § 84. & communiter omnes moderni tam medici quàm philosophi. Prob. 1. omnes calores intendunt se mutuò, quod nullo modo facerent, si essent diversæ speciei, ergò. Antecedens constat experientia, quia animal calidum adhuc magis calesit per appositum ignem & calorem solis. 2. si essent diversæ speciei, darentur tot combinationes qualitatum, quot modis qualitates illæ differrent, quod absurdum est dicere. Diversitas specifica vel colligitur à diversis formis substantialibus, à quibus illæ qualitates proficiscuntur, vel ex diversis accidentibus cum quibus conjunctæ sunt, vel denique ex diversis operationibus: Non primùm, quia à diversis specie formis substantialibus idem specie effectus produci potest, ut visio hominis & visio bruti; secundum & tertium nihil convincunt, licet videantur valdè probabilia, ut infrà patebit. 4. Calor solis æquè disponit ad formam ignis, quàm ille qui est in igne, ut patet in reflexione radiorum solis ad speculum. 5. Arist. 1. cœl. c. 2. docet unum uni esse contrarium; sed frigus v. gr. aquæ non tantum est contrarium calori solis, sed etiam calori ignis & animalium. 6. quando calor ignis producit aërem ex aqua, calor ille igneus manet cum aëre juxta illud, iisdem res gignitur & conservatur. 7. Absque necessitate non sunt species multiplicandæ, ergò neque hic, ut patebit infrà ex solutione argumentorum. 8. Probatur ex Arist. 1. de gen. c. 4. ubi ait eadem accidentia quæ erant in corrupto, manere in genito, ut cum ex aëre fit ignis, calor qui erat in aëre, manet in igne. Et rursum 2. de gen. c. 4. ait, Elementa quæ habent Symbolum, facilius transmutari, eò, quod una tantum qualitas sit mutanda, ut cum ex aëre fit ignis, ubi tantum mutandus est humor in siccitatem; Et paulò infrà docet, agentibus duobus Elementis generari tertium, ut cum ignis agit in aquam per calorem, & aqua in ignem per humorem; hic enim ignis & aqua corrumpitur & producitur tertium aër.

Diversitas specifica unde.

DIFFICULTAS XIV.

Quid respondendum sit argumentis contrariis.

DICES 1. à diversis formis diversæ oriuntur proprietates; sed primæ qualitates sunt proprietates, ut patet in elementis, ergò ipsæ tanquam diversæ proprietates oriuntur à diversis formis. Resp. neg. minorem, quia qualitates primæ v. gr. calor solus nec est proprietas in mixtis nec in elementis; Quod si tamen sumatur conjunctus cum siccitate, verum est esse proprietatem; sed argumentum nihil convincit, quia calor & siccitas non sunt qualitates symbolicæ vel unius rationis.

DICES 2. Humidum aquæ extinguit ignem, aeris autem non facit; Tanta verò actionum diversitas non oritur ab eadem specie qualitate, ergò. Resp. hoc ideò fieri, quia in aqua & humor & frigus pugnant cum igne, in aëre tantum humor. 2. quia aqua est densior, gravior, & commodius suffocat ignem quam aër.

Cur aqua extinguat ignem.

DICES 3. Quæcunque habent diversos effectus, distinguuntur specie: sed humor aquæ extinguit ignem, olei verò conservat, ergò. Resp. negando majorem. Ad minorem dico, humiditatem olei per se non pascere ignem, sed pinguedinem humori admixtam; sed neque humor aquæ præcisè per se extingnit ignem, sed frigus vel potius densitas humoris obruens & suffocans.

Humor quomodo extinguat ignem.

DICES 4. Levitas aëris & Ignis sunt distinctæ inter se, ergò etiam calores à quibus oriuntur. Resp. quicquid sit de antecedente, distinctionem ratione effectus secundarii non addere vel arguere distinctionem specificam, quia talis effectus sæpè accidit propter materiæ dispositionem.

DICES 5. Siccitas ignis conjuncta est raritati, terræ verò densitati; ergò differunt specie. Resp. negando conseq. quia potest qualitas ejusdem speciei conjungi contrariis, ut patet in albedine, quæ reperitur in dulci & amaro.

DICES 6. Fernelius loco citato docet ex Aristotele, mortem esse extinctionem caloris in humido. Resp. Aristoteles ibi loqui de interitu, quo senes pereunt ex defectu caloris & humidi; Deinde calor vitalis non destruitur, sed potius intenditur; & per hanc intensionem redditur ineptus ad vitam sustentandam.

DICES 7. Omne genus vegetabilium, imò & ipsa animantia calore vivunt, ut habet Aristoteles lib. de respirationib.; sed hoc de calore elementari intelligi non potest, ergò. Minor inde constat, quia hic calor elementaris omnia destruit; Majorem docet experientia in plerisque herbis frigidis, quæ cum paucissimo calore vivunt: Et hoc idem de Salamandra, serpentibus, aliisque pluribus intellige, quibus non videtur inesse calor elementaris eò quod, cum paucissimus sit, ad actiones vitales non sufficiat, ergò alius erit qui vim & efficaciam majorem habeat & cui frigus non contrarietur. Resp. negando minorem, quia calor ille in plantis & animalibus elementaris vel vitalis est & sufficiens ad vitam sustentandam, nisi tamen in plantis omninò suffocetur, ut sæpè fit in hyeme magnisque frigoribus: Et hinc ad probationem dico, in plantis, serpentibus, salamandra, &c. formam substantialem sive animam non requirere intensum calorem, sed qui ad eliciendas operationes vitales sufficiat. De Salamandra quæ in igne vivat, vel fabula est, vel ad brevè tempus intelligendum est, quo modo etiam homo manus in hyeme frigidas diutius in igne retinet quàm in æstate calidas. Nec putandum est, hujusmodi calori, qui ubique ad specificas actiones est sufficientissimus, non adversari frigus, cum constet in regionibus frigidis,

imò tempore hyemali animantia & plantas nimio frigore perire & obrigere: Et Dandinus quamvis libenter Fernelio, Valeriolæ & aliis faveret, qui ex inspiratione aëris frigidi desumunt argumentum, quod videl. calori nativò non adversetur, nihilominus tamen scribit, sententiam esse quidem honestam & probabilem, non tamen necessariis argumentis confirmatam; Imò ait, sententiam Fernelii per inspirationem aeris frigidi magis everti, quia ille aër frigidus tantum contemperat nonnihil calorem cordis vehementissimum. Quomodo autem calor febrilis destruat vitalem, fusè explicant Conn. 2. de gen. c. 3. q. 7. a. 3. ubi patet, non destruere aliter quam intendendo, & reddere viventi præternaturalem, qui proinde non sit habilis ad exercendas operationes vitæ. Unde etiam Gal. 1. de cris. 17. & 2. aphor. 82. ait, innatum calorem agitatum vel etiam prohibitam transpirationem facere febrem.

Calor febrilis quomodo destruat vitalem.

DICES 8. Cum Dandino 1. calor vitalis est instrumentum vitæ, ergò non potest esse causa mortis, 2. calor igneus omnia consumit secundum Gal. nihilque reficit, nativus autem materiam suam conservat, ergo. 3. Gal. lib. 8. de Placitis Plat. & Hipp. c. 7. si ab igne inquit, ciborum digestio, concoctio, sanguificatio & nutritio fieret, meliùs & citiùs hæc fierent in febrientibus contrà experientiam. Resp. ad primum, calorem vitalem per accidens esse causam mortis, consumendo videl. humidum radicale. Ad secundum Resp. calorem igneum ideo consumere omnia, quia est conjunctus siccitati summæ; quod si autem hic idem calor foret in humido, non consumeret sed conservaret. Et hoc idem Resp. ad tertium, quia mirum non est, quod calor igneus non digerat, quia siccus est & intensus, &c. Ad vitam itaque juxta mentem Aristotelis non conducit calor in sicco, sed in humido, blando & aëreo fundatus.

DIFFICULTAS XV.

An primæ qualitates sint entia positiva.

DICO, primæ qualitates sunt verè entia positiva & realia. Ratio prima est, quia sentiuntur verè & realiter. 2. quia habent actiones reales. 3. quia successivè inducuntur in subjectum, quod manifestum signum est eas sibi invicem contrariari & opponi; Si enim opponerentur privativè tantum, introductio earum fieret in instanti, sicut videmus de lumine: Jam probatur de singulis in specie, & imprimis de frigore & siccitate contra Cardanum q. 2. subtil. c. 1. ubi docet frigus esse privationem caloris, siccitatem humoris, quod & Arriaga docet: frigus in passo corrumpit calorem, ergò agit in calorem, ergò est agens & quidem positivum. Antecedens patet, si enim accipiatur res calida natura sua quæ apta sit calorem diu conservare, si applicetur frigido, perdit calorem; sed qualitas non perit sponte in subjecto, ergò per actionem realem frigoris; Similiter si in manum acceperis glaciem, vel quod exemplum ponit Arriaga, vitrum nive plenum, ubi vix non attingit manum, hanc tibi frigefaciet; Adhæc si frigus esset tantum privatio caloris, produceretur in instanti, quia careret contrario. De siccitate probatur, quia non expellitur in instanti sicut tenebræ, ergò non est privatio humoris; Deinde sicut nihil frigescit solo abscessu caloris, sed quia verum & positivum frigus recipitur; Ita etiam nihil siccescit per absentiam solius humoris, sed quia positiva siccitas introducitur. Neque putes rem calidam ideò frigescere quia recedit calor, ut patet in aëre abeunte sole. in corpore vivo abeunte anima, & in febricitante, quia falsum est antecedens & consequentia; Nam imprimis hæc ideò falsa est, quia aliàs concluderetur, omnes ferè qualitates esse privationes, quia non adveniunt subjecto nisi recedente priori contrario; Deinde etiam antecedens falsum est; quia aër abeunte sole non præcisè frigescit ideò, quòd subtrahatur lumen & calor solis, sed quod recipiat frigus à terra & aqua, quæ utraque sublato sole aerem infrigidat; similiter recedentibus cum anima spiritibus calidioribus, corpus utpote terrestre reducit se ad frigus; Denique causam frigoris in febricitante referunt aliqui in humorem pituitosum; aliqui in bilem, communiores in humorem acrem & mordacem, qui urgeat & vellicet naturam, ut spiritus calidiores sese ad interiora quasi opem cordi allaturi recipiant, adeoque partes exteriores calore destitutæ frigori nativo sese restituant. De humore probatur contrà Valesium, Arriagam & alios, qui volunt esse substantiam & siccitatem ipsius privationem, quia tam humor quam siccitas sunt sensibilia propria, quod nec substantiæ nec privationi convenit; deinde quando res aliqua siccescit, non ideò fit quia abscedit humor, sed quia realis siccitas introducitur. Quod si velis omnia corpora ideò humectari, quia ingreditur substantia humida. Resp. id falsum esse, quia nullum corpus potest ab alio ex toto humectari; Nam vel corpus humectans ita ingreditur alterum ut omnes ejus poros subeat, vel ita penetrat, ut maneat in eodem situ cum illo: Non primum, quia cum nullum corpus possit dividi in omnem sui partem, nec totum ex meris solisque potis constet, sequitur etiam, nullum corpus ab alio secundum totum humectari; nec secundum, quia ut constat non datur naturaliter penetratio corporum.

Nihil siccescit nisi per positivam siccitatem.

Humor quare sit positiva qualitas.

DIF-

DIFFICULTAS XVI.

An primæ 4. qualitates sint æqualiter activæ.

NOta, qualitates spectari possunt vel quoad formam & dispositiones, idest, quatenus habent rationem materiæ, ex qua omnia corpora mixta gignantur, vel quoad operationes quę per eas fiant; &hoc vel per se vel per accidens; per se tripliciter; primo respectu generationis tam elementorum quam mixtorum: 2. quoad refractionem, quando duæ qualitates inter se temperantur. 3. quoad terminationem totius temperamenti; quod ex qualitatibus refractis efficitur, & est apta dispositio ad formam certam. Jam

DICO 1. Si spectentur qualitates quatenus sunt inter se temperatæ, & quædam dispositio ad formam in materia suscipiendam, sunt passivæ potius quam activæ: ratio est, quia habent se per modum materiæ suscipientis & dispositionis.

DICO 2. Si spectetur earum operatio per se respectu tam elementor. quam mixtorum, omnes sunt activæ & passivæ: Prob. 1. pars, quia tam elementa quam mixta per has qualitates transmutantur; Et si quæ non essent activæ, maximè essent humor & siccitas; sed hoc non, quia humor in lingua arida extinguit siccitatem, effectus autem nullibi datur absq; actione, ergò erunt activæ. Probatur 2. pars, quia per eas Elementa & mixta non tantum agunt, sed etiam patiuntur.

DICO 3. Si spectetur operatio per se quoad refractionem, omnes sunt activæ & passivæ. Ratio est, quia hujusmodi refractio non potest fieri absq; mutua actione, ergò omnes agent & patientur.

DICO 4. Si spectetur terminatio totius temperamenti, activæ sunt calor & frigus, passivæ humor est siccitas. Probatur primum, quia calor & frigus in producendo temperamento dominium habent, cæteræ autem duæ subsunt; habet autem dominiū una qualitas dupliciter; primo si habeat plures gradus; secundo si accedat ad alterum tanquam Agens; hoc posteriori modo intelligitur dominium caloris & frigoris; mixta enim ut disponantur, remotè debent habere partes humidas & siccas; has ne diffluant, illas ut glutinentur, quibus ita dispositis accedunt calor & frigus perficiuntque temperamentum, calor ut concoquat, frigus ut induret: Non negandum tamen est contrarium posse fieri per accidens ut scil. humor & siccitas dominentur, quia 3. sunt causæ quod aliquando humor & siccitas non possint superari; primo, quia nō sunt temperata, unde sæpè contingit ut fructus non maturescant in æstate, vel quia nimia est ariditas & non temperata cum humore; vel nimius humor & non temperatus cum siccitate, ex quo fit ut immatura decidant, ad quod avertendum solent Rustici adhibere quasi scarificationes arboribus ut humorem eliciant. 2. causa est, nimia abundantia materiæ, unde sterilitatis mulierum causa est nimia quantitas materiæ humidæ, quam calor nō potest sufficienter decoquere. 3. est lentor & durities, unde quorundam pomorū cortex est adeò durus, ut non facile concoquatur; similiter lentor in oleo v. gr. obest calori, proinde & calor & frigus passivæ sunt secundum quid, id est, eorum actiones retunduntur.

Quare aliquando humor & siccitas non possint superari.

DICO 5. Si spectetur operatio per accidens, omnes sunt activæ & passivæ, activior tamen calor & frigus. Prob. magis activum est quod idem producit & alterum idq; citius; sed hoc convenit calori & frigori respectu humoris & siccitatis, ergò. min. prob. quoad productionem: Nam primo calor producit siccitatem per rarefactionem; quia humor exhalat nasciturque siccitas, ut videre est in pannis humidis. 2. producit siccitatem juvando operationem sicci, ut cùm terram calefacit. 3. per productionem formæ requirentis siccitatem, ut si producit ignem: Denique calor producit humiditatem vel attrahendo eam in rem aliàs natura siccam, ut cum in lampade trahit oleum ad lychnum; vel producendo formam, quæ natura sua requirit humorem, ut si ex aqua producat aërem; vel denique resolvendo congelatam glaciem aut metalla. Quantum ad frigus, id humectat, ut corpus natura sua siccum magis conglutinetur, ne possit effluere humor, sed intra se recipiat; exiccat autem vel uniendo & cogendo partes ut exprimatur humor, vel condensando aquam; Et his alijsque modis producunt calor & frigus humorem & siccitatem per accidens. Quod autem citius operentur, probatur primo experientia, quia citius exiccatur pannus in sole vel etiam in boreali frigore, quā in siccissimo marmore, & metallum in ignem injectum citius humescit: sed in loco frigido citius resolvitur, & generatim loquendo, quæ frigore concrescunt, calore resolvuntur, quæque contrà calore junguntur, frigore resolvuntur. Dixi superius per accidens: Nam si naturali sequela & per se id fieret, vel sola humiditas sequeretur ad calorem, vel solus humor vel utrumque; sed horum nihil, ergò: si enim primum, aër foret siccus: si secundum, ignis esset humidus: si tertium; sequeretur utrumque incommodum, & insuper duo contraria essent simul.

Calor quomodo producit siccitatem.

Quomodo humiditatē.

Frigus quomodo humectat & siccat.

Quæ frigore concrescunt calore resolvuntur.

DICO 6. Si qualitates primæ inter se comparentur, magis activus est calor quam frigus, & humor quam siccitas. Ante probationem adverte, comparationem institui posse inter qualitates contrarias præcisè sumptas aut ex combinatione; deinde inter qualit. activas & passivas; Ultimo inter activitatem & resistentiam. Jam probatur conclusionis prima pars primo experientia, quia citius læditur manus imposita igni quam in re frigidissima. 2. activitas ex intensione actionis spectanda est; sed intensior est actio caloris, ergò: Hæc minor inde constat, quia intensio actionis

 ex

ex brevitate mensuranda est, & actio caloris brevissimo fit tempore ut patet in re apta ad calefactionem; si videlicet applicetur igni aut flammæ. Probatur 2. pars, quia lignum facilius humectatur in aqua quam siccetur in igne, ergò humor activior est quã siccitas. Porrò conclusio intelligenda est de effectibus per se, quia si spectetur humor & siccitas in ordine ad effectus per accidens, contrarium contingit; quia etiam apud Medicos certum est, corpus facilius exiccari per inediam & medicamenta, quam tantum humectetur, idque per accidens; agente scil. siccitate cum calore: Si comparentur inter se qualitates combinatæ, calor cum siccitate magis activus est, & frigus cũ humore, quam calor cum humore, & frigus cum siccitate, quia siccitas solet dici sima caloris, & humor frigoris. Si comparentur activæ cum passivis, calor & frigus simpliciter magis activæ sunt, secundum quid humor & siccitas, quia hoc modo considerantur in terminatione mixti, & ut ex dictis patet, humor & siccitas habent se magis passivè quam activè. Quod ad resistentiam spectat, si secundum se singulæ considerentur, non omnes æquè resistunt, quia quę magis agunt, magis etiam resistunt, cum eadem sit mensura resistentiæ quæ actionis. Si combinatæ simul sumantur, digniorem locum occupat siccitas & frigus, secundum humor & calor; tertium frigus & humor, quartum denique calor & siccitas. Probatur 1. quia citius extinguitur ignis injectus in frigidum vel in aquam, quam terra, ergò qualitates terræ magis resistunt; 2. facilius corrumpitur aqua quàm aer; ergo qualitates aeris magis possunt resistere quam aquæ; Et idem etiam de igne respectu aquæ dicendum est.

DIFFICULTAS XVII.

Qui sint effectus & quæ operationes primarum qualitatum.

DE singulis agendum est seorsim, quia habent effectus per se & per accidens, primarios & secundarios. Jam

Effectus caloris. DICO 1. effectus caloris per se primarius est producere calorem sibi similem: secundarij per se ferè octo numerari possunt. Primus est rarefactio, quam probat experientia, quia aqua calefacta evaporat. Secundus est diffusio partium, quæ in simplicibus idem est quod rarefactio, in mixtis autem & liquabilibus semper conjungitur cum liquefactione. 3. dissolutio nexus heterogeneorum inter se, ut plumbi cum argento. 4. dare libertatem unicuique rei relinquendo locum non naturalem & repetendo suum, ut si ignis agat in corpus aliquod heterogeneum, in quo dissoluto pars ad imum, pars ad summum ascendit, pars autem in medio remanet. 5. hoc modo congregare homogenea & separare heterogenea. 6. facere res diversas similes, ut si in mustum fervens injiciantur aromata, primo quidem calor musti ea rarefacit, deinde verò facit ut subtiliores partes in eas immeent, & agant reddantque sibi similes. 7. facit, ut dividantur partes rerum in tenuissimas particulas. 8. denique facit ut misceantur. Effectus per accidens sunt primo condensare; si enim agat in humidum, humor subtilior evaporat remanentibus partibus terreis. 2. humectare per liquefactionem. 3. exiccare per elevationem. 4. dissipare homogenea, quia dum per se facit aliquas partes subtiliores, reliquas terrestres petunt loca inferiora.

Effectus frigoris. DICO 2. Frigoris effectus primarius est frigefacere, reliqui ferè sunt caloris contrarij: Hujus enim est constringere, indurare, condensare, unde aliquando fit per accidens, quod partibus quibusdam condensatis vel homogenea vel heterogenea segregentur, cum aliæ alias non possint secum trahere; idque aliquando ob defectum humoris, ut cum lapides rumpuntur frigore; aliquando ob defectum caloris continentis & commiscentis commiscibilia, ut cum sangvis emissus & frigefactus in quatuor humores secernitur.

Effectus humoris. DICO 3. Humoris effectus primarius est humectare; per se secundarij sunt primus terminabilitas termino alieno, interminabilitas proprio. 2. mollities. 3. lenta viscidítas, qua res humida afficitur lenta. 4. lævor & polities. 5. tenuitas. De terminabilitate potissima est difficultas, an & quomodo soli humori conveniat. *Observandum* itaque, terminabilitatem esse duplicem, unam passivam, alteram non tantum passivam, sed etiam suo modo activam: Illa semper quantitatem & dispositiones materiæ sequitur, qua efficitur, ut minus suscipiat alienos terminos, tum raritatem, qua fit ut facilè suscipiat alienos terminos; hæc tantum in ijs reperitur quæ humida sunt & facilè diffluunt, quia non admittunt tantum facilè figuram, sed etiam propter fluxibilitatem se ultro & activè accomodant & quasi inducunt figuram, ut patet in aqua, in aëre, &c. patet etiam ex contrario, quia videmus sicca non facilè admittere alienum terminum: sicca namque vel sunt frigida vel calida; siccitas cum calore facit duritiem, quia non admittit alienum terminum ut apparet in lapide, cum calore autem habet consistentiam ut patet in glacie, quæ ob siccitatem consistit, tum in fumo & vapore, qui ob solam siccitatem & calorem difficilius recipiunt figuram alienam quam aqua: Deinde eadem siccitas cum calore efficit duritiem inimicam terminabilitati, quæ proinde non tantum passiva sed aliquo modo activa humori propria est.

DICES 1. In igne, cinere alijsque rebus densis & raris contrarium apparet, ergò; Resp. 1. quod ad ignem spectat, videri tantum passivè terminabilem esse non activè, quod

etiam

etiam de aliarum rerum raritate & densitate sentiendum est. 2. quod si ignis sit terminabilis, hoc habere per accidens, quia nimirum suprema petit & impeditur à vase v.g.; hinc quasi in illo revolvitur & accommodat se figuræ ipsius vasis. 3. de cinere per accidens esse quod facilè terminetur, quia videl. in minutissimas partes divisus est; quantò enim res sicciores sunt, tantò minus cohærent, & ex eo non autem ex siccitate facilè figurantur.

DICES 2. Glacies, metalla & similia non facilè admittunt terminũ, & tamen humida sunt. Resp. humidum esse triplex, aëreum, aqueũ & congelatum, quæ differunt subjectis & effectis; Nam aëreum denotat Excessum raritatis in materia; congelatum defectum raritatis & excessum densitatis, aqueum deniq; naturæ proportionalem habet raritatem: Hinc fit ut licet ejusdem sint rationis essentialis, aliter tamen & aliter habeant se in effectis seu modo efficiendi; aqueum ergò quia habet naturæ proportionatam raritatem; maximè humectat, & optimè exercet suas operationes; aëreum verò à raritate impeditur in primaria sua operatione, quæ est humectare; Congelatum denique impeditur in primaria, & item in secundaria quædam, quæ est profusio partium; unde ulterius sequitur quod se ad figuram non accommodet; Glacies igitur & metalla aliaque hujusmodi continent humidum congelatum & constrictum, unde etiam se se non determinant nisi dissolvantur & fluant; terminabilitas verò facilis est maximè alieno termino, propria humido aqueo, non reliquis.

Siccitati effectus.

DICO 4. Siccitatis effectus primarius est siccare, secundarius dare consistentiam, & interminabilitatem respectu termini alieni, terminabilitatem respectu proprij. Sed *nota*, siccum esse duplex, igneum & terreum; quæ etiam differunt subjectis & effectis: Nam igneum dicit excessum raritatis in subjecto, terreum verò proportionatam densitatem & raritatem, unde etiam terreum siccum, quia est proportionatum naturæ, maximè potest exercere suas operationes & dare consistentiam & terminabilitatem, non item igneum, quod tametsi det aliquam consistentiam, non tamen tantam, quin possit suscipere alienum terminum; Terminabilitas ergò facilis, & interminabilitas alieno cõvenit sicco, maximè terreo non igneo. Et ex dictis facilè solvuntur quæ objici solent; Nam glaciei convenit interminabilitas non ratione alicujus siccitatis sed humoris congelati, humidi autem per accidens, nimirum ratione congelationis; Id intellige de metallis; Cœlo autem convenit interminabilitas ratione densitatis & soliditatis. Si dicas, ergò saltem non competit per se soli siccitati. Resp. in mixtis convenire soli siccitati per se, non in simplicibus.

DIFFICULTAS XVIII.

An ubicunque sunt eædem qualitates primæ, etiam sint secundæ.

VEl sensus difficultatis est, an in omni composito physico reperiantur unà cum qualitatibus primis secundæ, vel an cum iisdem primis in eadem contemperatione constitutis adnectantur eædem secundæ, verb. grat. si eadem primarum qualitatum temperies, quæ reperitur in rosa vel narcisso, fit in alia quavis substantia, hæc eundem rosæ vel narcissi spiret odorem.

Adverte 1. ad productionem sive emanationem qualitatum secundarum concurrere temperationem primarum, dispositionem materiæ vel subjecti & formam substantialem quæ dat esse rei. 2. Qualitates secundas esse duplices; Nam aliæ sunt velut proprietates subjectorum, quia sequuntur formam, ut albedo in certo genere rosarum, vel liliorum, aliæ sunt pluribus subjectis communes, ut raritas, densitas, mollities, &c. His positis

DICO 1. in omni composito physico unà cum qualitatibus primis conjunguntur qualitates secundæ. Probatur 1. qualitates secundæ spectant ad complementum substantiæ, ergò necessum est eas dari. 2. non possunt esse in aliquo subjecto primæ inter se temperatæ, quin cum iis existant etiam secundæ, quæ materiam & ejus quantitatem ad recipiendam formam & qualitates connaturales modificent, ut patet de densitate, mollitie, raritate, &c. 3 materia requirit in omni transmutatione tam substantiali quam accidentali qualitates merè passivas, quæ agentibus naturalibus ad productiones formarum subserviant, verb gr. mollities in ligno ad sculpendum Mercurium. 4. Etiam beneficio qualitatum secundarum substantiæ sunt sensibiles, & non tantum primarum, ergò. Antecedens patet in objecto visus, quod est color & lumen, in objecto auditus quod est sonus, in objecto gustus quod est sapor, in objecto odoratus quod est odor, ubi pro objecto tactus manent non solæ qualitates primæ, sed & reliquæ tactiles.

DICO 2. In compositis physicis non conjunguntur qualitates secundæ cum primis iisdem. Ratio est, quia non est tanta connexio inter qualitates secundas & primas; ut semper in subjectis & compositis physicis simul eædem ubique reperiantur, quod probatur & confirmatur experientia; Nam in rosa sunt eædem qualitates primæ quæ in lactuca, & tamen non sunt eædem ubique qualitates secundæ; sed si cum primis semper & necessariò conjungerentur secundæ eædem, sequeretur in omni composito

physico esse easdem secundas, cum ubique sint eædem primæ, quod tamen est absurdum.

DICO 3. Sed nec cum eâdem qualitatum primarum temperatione & harmonia in gradibus necessariò & semper conjunguntur qualitates secundæ eædem, sive habeant aliquam connexionem cum toto supposito, ut dulcedo cum melle, sive non, ut densitas vel raritas cum terra. Hoc ultimum probatur in aëre mediæ regionis, qui est frigidus & humidus sicut aqua, & tamen est levis, non autem gravis sicut aqua: In ferro candente quod est calidissimum & tamen grave sicut cum esset frigidum. In aqua calefacta, quæ licet suam temperiem immutaverit, non tamen mutavit gravitatem, cujus ratio est, quia gravitas, levitas, densitas, raritas & si quæ sunt similes, non habent necessariam cum primis connexionem, sed sunt pluribus communes. Prob. etiam primum, quia color v.gr. albus est in nive, in saccharo, in osse desiccato, dulcedo in melle, in fructibus variis; & tamen non est eadem qualitatum primarum temperies In nive, in melle, in saccharo, in fructibus. Deinde quia ad qualitates secundas non sufficit primarum certa contemperatio, utpote quæ non est adæquata causa illarum, ut sequenti disputatione constabit, sed requiritur insuper determinata materiæ dispositio, quæ variè qualitates secundas inflectit & modificat, forma substantialis, quæ dat esse rei, habetque illas unà cum temperamento per naturalem sequelam concomitativas, & ipsum Generans quod cum forma & qualitatibus primis in variam secundarum productionem incumbit; sed & multum dispositio soli, elementorum concursus & astrorum influxus ad rem facit, quia videbimus eandem specie plantam his iisdem de causis diversisque in locis mutare colorem, odorem, saporem, &c.

Quare eæ qual. primis non sint semper conjunctæ secundæ eædem.

DISPVTATIO SEXTA.

De Qualitatibus secundis.

SEquitur ex commixtione qualitatum primarum series secundarum, quæ & ipsæ corpora variè afficiunt, & organa sensuum extern. immutant: suaviores sunt quàm primæ, quia mirè delectant, & gratiores quia plus appetuntur: Argumento est color, cujus varietas sic oculos imbuit & animum, ut in admirationem rapiat intuentem; Et hic est quo Beatorum mentes etiam in cœlis non carebunt, ubi licet omnia totis Angelorum effulgentiis instar speculi reluceant, ut docet Guil. Paris. 2. de univ. c. 92. ipsa tamen quoque Astra naturaliter ob variam lucis cum opaco vel denso & perspicuo commixtionem pulcherrimè fulgorem evariant; sed & odor vires recreat & animum deficientemq; cordis spiritum instaurat, quod varia nobilissimorum unguentorum odoramenta indicant, & ab ijs notissima agonizantium auxilia, quibus non rarò sensus, vox & vita reducuntur; sicut myrrha, inquit sacra Scriptura, dedi suavitatem odoris, gratissimum scil. munus Christi Sponsi: Et quis nescit sapidum esse quod delectat stomachum, & suavi imbutum humore quod appetitum satiat? Hæc enim sunt eorum delitiæ, quibus edere & bibere est volupe, & quibus dum vivunt, cum Epicuræis Bacchus una est voluptas, ut post mortem nihil tale sit superfluum. Ita videl. itur ex hisce corruptibilibus in alterum mortis & pœnarum seculum, ubi nullus superest suavitatum odor aut sapor, sed æternus fœtor & amaror, de quib. frustrà apud multos sacræ literæ lamentantur; sed nec sonus est ultimum quod suavitatem adferat, quia non tam mortalibus quàm glorificatis accidit gratissimus; Os cujusque glorificati ait Idem Guil. Paris. erit sicut cythara chordarum innumerabilium, audieturque ex ore uniuscujusque concentus vocum mira & incognita nobis suavitate consonantium. Cæteras qualitates tam tactiles quam motivas taceo, quia minoris sunt pretii dicenturque in sequentibus. De prioribus autem multi multa & varia; & quidem non eadem ad cujusque captum & ingenium; ut videre est apud Jac. Schegkium de occultis viribus medicamentorum. Apud Bernh. Cæsium l. 2. de min. cap. 3. sect. 1. & seqq. Obscura quidem sunt plurima, sed tamen pulchra & jucunda, & ad cognitionem rerum corporumque mixtorum necessaria: Nescit enim pulcherrimas naturæ dotes in mineralibus, qui purpuratos & scintillantes eorum colores varijs generationibus productos ignorat, & cæcutit in vegetabilium virtutibus; qui cordiales Indorum odores, eosque sicco terreo cum humido aëreo deberi nescit. De his itaq; sit

DIFFICULTAS I.

Quænam sint qualitates secundæ.

QUalitates secundæ non ideò dicuntur tales, quod absolutè sint ignobiliores primis,

mis, quia sunt mixtorum quæ Elementis præstant; sed dicuntur secundæ, quia primas supponunt, & quia ab harum contemperatione oriuntur: quæ autem & quot ex ijs secundæ appellentur, non apud omnes eadem est opinio, ut ex jam dictis constat.

DICO 1. Qualitates secundæ sunt odor, sapor, calor, sonus omnesque tangibiles jam prius recensitæ; Ratio est, quia sunt tales, quæ primò & propriè oriuntur ex primis, quas supponunt.

DICO 2. Etiam qualitates virtuales manifestæ, id est, quarum cognitionem tam ex sensu quam ex operatione & effectu habemus, ad secundas spectant; Ratio est, quia & hæ oriuntur ex varia commixtione primarum, ut patet ex Conn. 2. de gen. c. 3. q. a. 2. dicetur que pluribus in fine hujus libri de qualitatibus virtualibus.

Omnes qualitates quæ nõ sunt primæ possunt dici secundæ

DICO 3. Omnes qualitates, quæ non sunt primæ, ad seriem secundarum referri possunt. Ratio, quia nulla est necessitas fingendi alium ordinem sive seriem, cum omnium conservatio, sed & productio dependeat à primis invicem contemperatis, esto quædam majorem habeant cum forma affinitatem & connexionem; sunt autem tales, quas vegetabilium & mineralium proprietates, occultéque alterativas & tractivas appellamus, & quas ideò à secundis nonnulli secernunt, quod in earum cognitionẽ ex sola operatione & effectu veniant, Hic adverte, divisionem in qualitates 1. & 2. non esse præcisè adæquatam, quasi hæ omnes sint ab illis, quia nec lumen, nec influentiæ, nec alię occultiores sunt propriè secundę, quia non oriuntur præcisè à primis, dici tamen possunt secundæ, vel quia non sunt primæ, vel quia necessitas postulat tot classes & ordines ponere, nisi tamen cui placeat ad majorem tot tamque diversarum qualitatum & proprietatum distinctionem plures constituere, ut fecerunt Scheghius, Sennertus & alij, quod per me in re non magni ponderis facere licet: Et hinc si

DICAS, Multæ sunt in rebus naturalibus qualitates, quarum origo sive productio nullo modo pendet à primis, ut sunt virtus tractiva remorę aut magnetis, antipathetica & sympathetica, lumen, influentiæ cœlestes, potentiæ vitales, habitus practici, vitiorum, virtutum, scientiarum, &c. ergò non spectant ad seriem secundarum, ergò nec omnes quæ non sunt primæ. Resp. primo, non ideò spectare has qualitates ad seriem & ordinem secundarum, quod à primis oriantur, sed ideo quia non sunt primæ. 2. Quamvis potentiæ vitales, habitus, influentiæ cœlestes, &c. nec in fieri nec in conservari dependeant à temperamento; dependent tamen reliquæ corporum sublunarium virtutes occultè alterativæ & tractivæ, ut suis locis dicetur: Et hoc idem de luce vel lumine, de antipathia & sympathia intellige; Ad uberiorem autem cognitionem, sit

DIFFICULTAS II.

An omnes qualitates secundæ oriantur à primis.

QUod secundæ qualitates ad primarum temperationem referendæ sint, patet ex earum definitione, in qua dicitur ex ijs omnes alias esse. Cum verò magnus sit secundarum numerus, difficultas est, quænam à primis oriantur, an omnes, an tantum aliquæ.

DICO 1. Nec habitus quicunque, nisi remotè & impropriè, nec forma & figura oriuntur à qualitatibus primis. Ratio est, quia habitus sunt ab actibus, si sint naturales, vel à Deo, si supernaturales; forma autem & figura sequuntur immediatè quantitatem sub quacunque etiam temperie primarum qualitatum. Dixi tamen de habitibus naturalibus remotè & impropriè, quia ingeniosi facilius acquirunt habitum quemcunque naturalem propter excellentiam temperamenti à quo ingenium est.

DICO 2. Lumen & species intentionales aliquo modo oriuntur à qualitatibus primis, non item influentiæ cœlestes. Ratio est, quia lumen imprimis est à luciditate & diaphaneitate corporum, quæ utraq; est à qualitatibus primis, ut patet in crystallo, aqua, aere, multisque corporibus mixtis, in quibus ex varia primarum qualitatum permissione resultat vel opacitas vel perspicuitas; similiter species intentionales sunt eorum accidentium, quæ ad primarum qualitatum originem referri solent, ut colorum, odorum, saporum, &c. De influentiis cœlorum controvertitur, quia sunt nonnulli qui etiam corporibus cœlestibus qualitates primas absque absurdo adscribunt.

DICO 3. Potentiæ per quas exercentur actus immanentes, ideòque etiam vitales dicuntur, non oriuntur à qualitatibus primis. Ratio, quia hujusmodi potentiæ non sunt qualitates sensibiles, nec habent contrarium, fluunt autem immediatè ab anima tanquam ipsius passiones & proprietates, & producuntur per actionem physicam à generante, & quod potissimum est, non mutantur mutato quovis etiam temperamento. Dixi, per quas exercentur actiones immanentes, ad differentiam earum potentiarum, quæ in corpus externum operantur, ut vis purgans in hominem: Et sunt prioris generis vis nutriens, generans, &c. quæ longè sunt diversæ rationis à posterioribus. Hinc etiam

DICO 4. Non tantum qualitates secundæ sensiles & tactiles, sed etiam virtuales, sive manifestæ sint sive occultè alterativæ & tractivæ, oriuntur à qualitatibus primis, licet aliquæ plus aliquæ minus. Primũ de coloribus, odoribus, saporibus, gravitate & levitate cæterisque tactilibus

ctibilibus patet ex definitione prim. qualitatum, nec refert quod gravitas & levitas non sequantur immediatè calorē & frigus, quia sufficit quod sequantur raritatē & densitatem, quæ utraque est à calore & frigore. Quod ē omnes qual. virtuales sint à primis, inde convincitur; quia immediatè sequuntur temperamentum, à quo etiam in conservari pendent. Dixi tamen plus minus, quia proprietates rerū affines sunt magis formis substantialibus, ideoque majorem cum ijs connexionem habent quam cum temperamento, à cujus tamen integritate & destructione conservantur illæ & corrumpuntur.

DIFFICULTAS III.

Quomodo oriantur qualitates secundæ à primis.

Oriri vario sumitur. ORiri vario sensu accipitur: Nam primò oriri idem est, quod principiū, fundamentum & originem ab aliquo sumere, cujusmodi flumina oriuntur ex montibus, radices arborū ex terra, folia ex ramis, nervi ex cerebro, &c. 2. sumitur oriri pro emanare vel resultare, quomodo censentur potentiæ & facultates oriri à forma. 3. significat educi, produci, gigni & nasci; sic forma oritur ex materia, filius ex parente, calor à calore, &c. Jam difficultas est, quo horum modorum qualitates secundæ oriuntur ex primis, an radicatione, an emanatione, an productione per actionem physicam.

Adverte, quamvis semper intelligatur; secundas oriri à primis ejusdem suppositi, v. gr. odorem rosæ, saporem mellis, &c. à suis temperamentis; nihilominus tamen, cum etiam sensus de qualit. primis quæ in agente extrinseco & alieno existant, esse possit, v. gr. in seminibus, in bulbis, ex quibus varij flores sive plantæ odoriferæ succique gustabiles producuntur. Idcirco

DICO 1. Qualitates secundæ non oriuntur à primis juxta primum modum, id est, per radicationem. Ratio est, quia sic oriri est substantiæ non qualitatis, nisi concomitanter, quia sequuntur hæ ubiq; substantias suas & entia physica. Confirmatur conclusio in arterijs, quæ juxta hunc modum oriuntur ex corde, nervi ex cerebro, Rhenus ex montibus Helveticis.

DICO 2. Qualitates secundæ producuntur à suo generante & concursu accidentium ejusdem, adeoque à qualitatibus primis alieni agentis per actionem physicam. Probatur primò raritas, levitas, &c. sunt qualitates secundæ sed tales producuntur à generante ejusque accidentijs sive in mixtis sive in elementis, ergò: major certa est, minor probatur, quia densitas metallorum fit ab agentibus externis, aqua fit rara & levis per calorem externum, per quem eundem vertitur terra in exhalationes, &c. Probatur 2. odor in rosa v. gr. sapor in melle, color in floribus oriuntur principaliter à generante; sed cum hoc efficienter & immediatè concurrunt qualitates ejus & accidentia, ergò. Nam rosa vel producitur à roseto vel ejus semine, quod una cum concursu qualitatum primarum efficit odorem in rosa, in quâ eâdem sol per calorem coquit humorem, & partim in melleum saporem, partim in gratissimum colorem convertit.

Qualitates secundæ quomodo à primis oriantur. DICO 3. Qualitates secundæ producuntur à primis ejusdem subjecti partim per emanationem, partim per actionem physicam. Probatur primum, qualitates secundæ oriuntur simul tempore in eodem supposito & producuntur ab eo Agente à quo producuntur formæ substantiales cum omnibus suis accidentijs, sed & positis qualitatibus primis in certa temperatione constitutis sequuntur illæ & ponuntur ex certa quadam & naturali sequela, ergò per emanationem; Nam qualitates secundæ quæ necessariam habent cum suo subjecto connexionem, oriuntur & perficiuntur una cum primarum temperatione, & fiunt à substantia tanquam principio effectivo, ut constat ex disp. 2. hujus libri diffic. 26. ergò oriuntur à primis per emanationem, vel etiam, unà cum ijs à forma substantiali, licet naturâ posterius, cum eas supponant. Et confirm. quia formæ substantiales & quicquid has sequitur, non efficiuntur à dispositionibus præsentibus, sed ab ijs quæ in subjecto formæ introductionē præcesserant, ergò quicquid formam substantialem sequitur, ab ea per emanationem sequi dicitur. Probatur secundum, quia gravitas & levitas verè oriuntur ex primis qualitatibus si adsit debita raritas & densitas, ut infrà diffic. 20. dicetur; similiter ad saporem producendum concurrit siccitas terrea, humiditas aquea & calor; ad generationem odoris autem dominium siccitatis & caloris humidum coquentis & exsiccantis, ergò per actionem physicam, quod & Arist. lib. de sens. & sens. confirmavit, quando dicit sapores commistione humidi & sicci, tum actione calidi & frigidi fieri, quia licet odores, sapores, virtutes herbarum non malè à præsenti temperamento dicantur emanare, verè tamen calor & frigus plurimum modificant suisque actionibus determinant virtutes secundas in proprijs suppositis.

DIFFICULTAS IV.

An & quomodo qualitates secundæ sint activæ.

NOta, activum esse dupliciter intelligi; primò si effectus in specie similis producatur, ut calor à calore, equus ab equo. 2. si producatur effectus quocunque modo, ut dum odor fœtidus ægritudinem parit, cibus sanitatem, gladius mortem, &c. Non tamen sunt omnes qualitates secundæ ejusdem rationis & pro-

proinde accedunt quædam propius ad rationem agentis, ut odor, sapor, color; quædam habent naturam potius passivam, ut durities, mollities; quædam sequuntur quantitatem, ut forma & figura; quædam denique sunt potentiæ & virtutes formis rerum sive animatarum ut vegetabilium, sive inanimatarum ut mineralium superadditæ, è primarum qualitatum temperie resultantes. Jam

Qual. secundæ quomodo activæ.

DICO 1. Nullæ qualitates secundæ sunt primo modo activæ: Nam quicquid sit de odore, quod apud multos incertum est, color non producit colorem, nec sapor saporem. Hujus ratio est, quia tantum sunt repræsentativæ, ut color, vel passivæ ut mollities, vel deficit capacitas subjecti, vel sunt dependentes à mixtione primarum, vel denique sunt ab extrinseco insufficientes producere simile. Intellige tamen conclusionem de qualitatibus manifestis & perfectivis non corruptivis & occultis, quæque à causis superioribus potius suum habent ortum, ut patet de virtute tractiva magnetis, qui ex affrictione in alieno ferro consimilem vim producit, nisi tamen velis id fieri ex adhæsu alicujus exhalationis virtualis; similiter de qualitate maligna pestilentiali, quæ se per integras provincias dissemina t & multiplicat.

DICO 2. Qualitates secundæ sunt activæ secundo modo; Nam producunt effectus in genere causæ efficientis, ut patet inductione albedinis, quæ disgregat visum, dissipat spiritus, intendit calorem spirituum & inflammat oculos, ut patet in hyeme iter facientibus. Similiter sapor gratus appetitum excitat, ingratus autem movet nauseam sanitatique officit. Odor suavis corroborat spiritus, restaurat vires, reficit animum sæpè labescentem, &c.

DICO 3. Etiam omnes qual. virtuales sunt activæ. Ratio est, quia sunt principia radicalia & innata agendi, & quia quam plurimæ ex illis sequuntur naturam primarum, imò radicaliter nihil aliud sunt quam primæ inter se commixtæ & temperatæ. Et confirm. ab experientia, quia absinthium astringendo confortat Epar & ventriculum, quę virtus nō est præcisè calor aut frigus aut earum contemperatio, est tamen aliquid ex ijs resultans datum mixtis, ut si non semper & ubique, saltem in subjecto capaci & præsentibus dispositionibus quæ requiruntur, operationes eliciant. Vide infrà disp. de occultis & virtualibus qualitatibus.

DICO 4. Non tantum omnes qualitates secundæ & virtuales habent vim æqualem agendi. Hoc desumitur ex earum natura & esse intrinseco, quia sunt quædam potentiores, quædam debiliores, quædam medio modo sese habentes, quædam passivæ potius, ut raritas, mollities, &c. Hoc patet in pulmonibus, qui si molles sint & flaccidi, facilè ab humorum acrimonia exulcerantur; si verò solidi & duri, quibusvis injurijs resistunt.

DIFFICULTAS V.

Quid sit color.

Hic inter qualitates secundas meritò primùm occurrit, quia inter eas non minus primum locum obtinet quam visus inter sensus externos. De hoc itaque difficultas est quid sit & quotuplex; Et quamvis variæ tam apud veteres quàm apud quosdam recentiores extent hujus definitiones, ijs tamen omissis

Color quid.

DICO, Duæ extant coloris definitiones apud Arist. quæ etiam ab Authoribus probantur: prima habetur secundo de anima c. 7. ubi juxtà interpretes ait, color est quod movet actu perspicuum. Secunda lib. de sens. & sensibil. cap. 3. color est extremitas perspicui in corpore determinato, id est, est extremitas perspicui terminati. Ante explicationem *adverte*, perspicuum dupliciter sumi, semel pro quovis corpore transparente, ut est aer, aqua, ignis, &c. & hujusmodi perspicuum dicitur indefinitum seu interminatum, quod videl. visus in illius extremitate non subsistat, sed ulterius videndo penetret totumque pervadat; Et rursum pro corpore quod non omnimò translucidum est propter admixtam densitatem, unde etiam ab Arist. l. cit. perspicum terminatum dicitur, eò quod visus in hujus extremitate quiescat, nec ulterius progreditur; Et talia sunt astra & quæ imbuta sunt coloribus: perspicuum primum est medium visus, non secundum; de quo tamen satis l. 1. disp. de 5. sensibus externis. Jam explicatur definitio prior. Dicitur quod color moveat medium diaphanum jam actu illuminatum, proinde color distinguit à lumine, quia lumen, quando movet medium diaphanum, facit ipsum perspicuum sive luminosum; sed color antequam moveat medium, requirit illud jam actu illuminatum; si non tempore prius saltem uno eodemque tempore, quia sufficit idem subjectum uno instanti imbui colore & lumine collustrari; illo scil. lumine quod à corpore colore perspicuo ad visum remittatur, suamque coloris imaginem & formam deferat, ut sic visus de colore corporis luminosi judicare possit; nisi enim corpus luminosum sit, in æternum nō videbis, quocunque etiam colore imbuatur, quia formæ rerum aspectabilium transportari debent lumine ad visum. Posterior definitio intelligitur de colore quatenus est visibilis, sicut aliqui putant & censent colorem esse extimam corporis superficiem, hoc modo enim revera color ad superficiem tantum spectat, quia solus color visibilis in superficie corporis existit, licet ipsam substantiam pervadat; unde colligitur quod prior definitio explicet colorem absolutè positum, hæc vero illum quem visu percipimus.

Perspicuum terminatū & interminatum.

DICES 1. Lux nō est color, & tamen movet actu perspicuū, ut patet in astris, quorum imago ideò ad nostrū visum pervenit, quia perspicua

Color movet actu perspicuũ, lux verò facit. cua sunt, ergò nõ tantũ colori sed etiã luci convenit hæc definitio. Resp. colorem tantum movere actu perspicuum, non autem facere perspicuum actu, sicut constat lucem solis & astrorum posse.

DICES 2. Nigredo est privatio coloris; ergò non movet actu perspicuum, ergò non convenit ei definitio coloris; Antecedens est Aristotelis. l. de sens. & sensil. conseq. prob. quia si sit privatio, nullam habet entitatem, & consequenter nullam activitatem. Resp. idem quod alibi responsum fuit de frigore tanquam de privatione caloris, quia est impropria locutio Arist. dum videl. in omnibus duabus speciebus sub eodem genere contentis alteram quę dignitate & præstantia minor est, vocare solitus fuit privationem.

DICES 3. Color oritur ex permistione primarum qualitatum; sed hæc permistio est in toto corpore, & non tantum in superficie, ergò etiam color erit in toto corpore, id est, in profundis partibus, ergò malè dicitur quod sit terminus perspicui, id est, hærens in extremitate & superficie. Resp. colorem non definiri prout in se est, sed prout visibilis est; Et cum visus noster in superficie terminetur, non autem corpus permeet, dicitur terminus perspicui, quia videl. spectatur in sola superficie. Quod si dicas contrarium fieri in crystallo, in lapidibus, in aqua alijsque corporibus diaphanis, ubi visus noster non tantum terminatur in superficie, sed totum etiam corpus permeat, videtque in imis etiam partibus jam hæc, jam illa corpuscula. Resp. visum nostrum terminari in sola superficie, adeòq; colorem in extremo tantũ videri, esto species visiles pervadant totam substantiam, quia tales visum in superficie terminant, & sic corpuscula quæ in crystallis alijsq; corporibus diaphanis intus inspecta apparent, non cernuntur in profundo sed in superficie.

Colligitur, quædam corpora esse opaca, quę nullum habent colorem neque in se admittunt lumen, ut est terra pura; quædam omninò perspicua, quę lumẽ transfundunt ut aër, aqua, &c. alia medio modo se habent, quia in illis admixta est opacitas perspicuitati, ut metalla aliaq; corpora colorata. Quando igitur dicitur colorem esse extremitatem perspicui terminati, intelligendum est de corporibus postremis, quia in his dicitur perspicuum terminari, videl. ab opacitate ut patet in pariete albo, quæ in superficie tantum est perspicua, in medio autem opaca.

DIFFICULTAS VI.

Quomodo differat color à luce & lumine.

QUid de hac quæstione veteres Philosphi, tum Arabes & Alb. M. l. de sensu & sensili tract. 2 c. t. senserint, patet apud Conn. 2. de anima c. 7. q. 2. a. 1.

Suppono 1. ex Arist. l. de sens. & sens. ubi habetur, quod lumen sit in indefinito, colorem in definito, lucem & colorem habere sedem in solo opaco, 1. quia omne corpus quod vel proprio nitet fulgore, vel aliquo fulgore infectum, opacum est, & nullum corpus opacum extat quod non conspicuum sit vel luce vel colore. 2. quia omne corpus diaphanum transmittit lucem & colorem, unde nihil in eo subsistere potest: per indefinitum itaque intelligitur tota corporis profunditas, per definitum verò extima corporis superficies. *Indefinitũ & quid.*

Suppono 2. Nullum dari corpus perfectè diaphanum in sublunaribus, quia semper admixtum habet aliquid opacitatis, unde etiam nulla lux est omnis coloris expers, sed permiscetur ei velut quædam ejus perfectio; Et sic est v. gr. lux aurea solis, argentea lunæ, rubicunda mercurij, flammea, &c.

Adverte, duplices esse colores, veros scil. & apparentes: Hi sunt qui ex solo lumine secundum diversum illius aspectum variè sese visui repræsentant, ut accidit in iride, in collo columbarum, &c. Illi verò non ex lumine sed ex varia elementorum & primarum qualitatum mixtura sese oculis ingerunt, ut albedo in pariete. Jam *Colores apparentes sunt ipsum lumen.*

DICO 1. Colores apparentes non discrepant à lumine sed sunt ipsum lumen. Probatur, colores apparentes variè sese visui objiciunt; prout mutatur aspectus, distantia & situs ad corpus luminosum, ut in sequentib. magis patebit, ergò signum est, eos nihil aliud esse quam lumen vel lucem in corpore receptam. *Color differt à luce & lumine.*

DICO 2. Verus color est qualitas à luce & lumine essentialiter distincta; Ita communis est doctrina contra Avicennam & alios, & prob. ex Arist. cit. ubi ait colores specie distingui; sed lumina non differunt, ergò: prob. 2. ratione, colores etiam in tenebris perseverant & in partibus corporis secundum profunditatem, sed hoc de lumine diei non potest, ergò. 2. colores habent contrarium, quo lux & lumen carent, ergò. 3. variato lumine non variatur color, ut patet in pariete qui manet albus absente & præsente lumine, ergò. 4. nigror est verissimus color, non tamen lux aut lumen ut cuivis patet. 5. Ad colores vera & propriè dicta est alteratio, non autem ad lumen ut habetur apud Arist. 2. phys. c. 3. ergò.

DICES 1. Ideò color albus facilius nocet oculis, viridis autem & nigror difficilius, quia ille multum de luce participat, hi autem, quia sunt terrestriores quasi, parum, ergò colores etiam veri habent aliquid de natura lucis. Resp. concedendo totum, quia hæc convenientia inter eandem & lucem non est tanta ut propterea ad specialem naturam non sit deveniendum.

DICES 2. Si color & lux specie distinguuntur, sequitur, colorem non esse objectum adæquatum visus. sed hoc est absurdum, ergò & illud. Resp. colorem aliquando sumi latissimè, & sic comprehendere tam lucem quam colorem, ideòq; coloratum sub quo intelligere corpora omnia, aut colorem, aut lucem, aut

aut utrumque participantia, est objectum adæquatum visus.

DICES 3. Color absente lumine non est visibilis, quia habet hoc à lumine, ergò non possunt specie differre. Resp. colorem non perire abscedente lumine, nec amittere suam naturam & essentiam, esto non cadat actu sub aspectum, quia ad hoc requiritur beneficium lucis; Nam lux facit colorem actu visibilem, unde etiam quasi extrema facies ipsius dicitur, non tamen interna, idest actus essentialis.

Colligitur, coloris pressè sumpti proprium esse, movere perspicuum, non tamen quovis modo, sed ita ut ipsum non reddat actu perspicuum, quod luci tantum competit.

DIFFICULTAS VII.

Quot sunt divisiones colorum.

VAriè dividuntur colores ab Authoribus ex Arist. l. de sens. & sensili, apud Scalig. exerc. 325. s. 8. apud Card. l. 4. de subtil. à p. 134. usque ad 137. apud Conn. cit. & alios.

DICO 1. Color in genere vel est verus ut albedo in pariete, vel apparens ut patet in cauda pavonum, in iride, &c. hanc divisionem probat sola experientia, qua constat, ad has solas species omnes corporum colores referri.

DICO 2. Colores ve[illegible] vel sunt simplices vel compositi: Ita Arist. l. 1. opt. propos. 39. & habetur inter reliquas divisiones exactissima; Nam simplices ideò dicuntur tales, quod à natura producantur & quod ex eorum permiatione cæteri gignantur, unde etiam compositi dicuntur; simplicium species quinque numerantur, ex quibus alij sunt medij ut flavus, cæruleus, rubeus, albus & niger qui duo sunt extremi; compositorũ 3. sunt & nascuntur ex medijs ter combinatis, ut aureus ex flavo & rubeo, purpureus ex rubeo & cæruleo, & viridis ex flavo & cyaneo. Quod si tamen velis, plures colores esse compositos, quia plures colorum mediorum sunt compositiones, ut dum v. gr. 3. medij commiscentur. Resp. imprimis hos colores ideò non numerari, quod sint ingrati, lividi, sordidi, cadaverosi, cum tamen agatur hic tantum de jucundis & venustis; Deinde hujusmodi compositiones non constituunt tot species, quot faciunt colorum variationes, sed tantum secundum magis aut minus variantes, ut patet in purpureo cujus multæ sunt species imperfectæ, prout plus in commixtione ex cæruleo, rubeo alijsq; simplicibus accidit. Ad hæc si quæ sunt variationes vel differentiæ, has omnes vel ad species simplices vel ad cõpositas pertinere censendum est; Nam sub colore flauo contineri potest luteus, citrinus, rufus, mustalinus, ferrugineus, pullus, roanus, regius, &c. sub rubro roseus, rubidus, rubicundus, rutilans, sanguineus, gilvus, igneus, flammeus, &c. sub cæruleo cælius sive glauc', plumbeus, venetus: sub aureo arantius, croceus, fulvus. Sub viridi ærugineus, herbaceus, prassinus, marinus. Sub purpureo rosaceus, belasius, amethystinus, puniceus, violaceus, &c. Et hæ colorum compositorum differentiæ nõ tam ex albi nigrique varia aspersione, quam etiam ex inæquali mixtilium proportione obveniunt. An autẽ omnes hę species distingvantur specie, litigant physici, quorũ aliqui id affirmant, alij negant, & quidem ex hoc fundamento, quia in[illegible]nt nisi omnes hæ species compositæ differrent, sequeretur nec ipsos colores simplices specie differre; sequelam probant ex hoc, quia docent non esse rationem cur flavus, rubeus, alijq; colores medij simplices differant specie, & non etiam aureus, fulvus, roseus, violaceus, cæsius, plumbeus, &c. Amplectere quod voles.

Colorũ divisiones.

DIFFICVLTAS VIII.

An colores iridis sint veri, & quot illorum.

NOta 1. Color purè apparens, de quo meteorologici, nihil est aliud nisi lumẽ in corpore aliquo cum certa opacitate admistum secundum variam distantiam, situm & aspectum ad corpus luminosum, v. gr. ad solum se variè oculis repræsentans. Ita Conn. in suis meteorol. tr. 4. c. 3. ubi breviter materiam, formam, causam efficientem & finem colorum apparentium, quiq; ex reflexione luminis oriuntur, explicant. *Color apparens quid.*

Nota 2. fieri aliquando ut simul eodem que tempore plures irides oriantur, cujus causa est duplex; prima quod aliquando duæ nubes, quarum una est in Oriente altera in Occidente, sint accomodatæ ad recipiendam collustrationem solis, qui in medio stet cœli; Ratio est, quia tunc fieri potest, ut utramq; nubem suis radijs attingat, imprimatq; figuram iridis; altera est, quod post factam nubis à sole collustrationem impressosque colores requisitos fiat in aliam nubem reflexio & collustratio licet debilior, ut constat experientia.

DICO 1. Colores iridis non sunt veri. Ita Conn. l. 2. de anima c. 7. q. 2. a. 2. Aquil. l. 1. opt. propos. 39. & alij communiter contra Rhodiginum l. 22. c. 30. qui ideo contrarium affirmat, quod iris concipiat colores ex luce immixta perspicuo aeris humidi vel roris cadentis ad eòq; veros esse colores, quos pariant tincti radij in perspicuo denso, Prob. conclusio 1. Colores veri oriuntur ex 4. primis qualitatibus; sed tales non sunt in iride, cujus materia est nubis mox in pluviam resolvenda, ergò. 2. colores illi nulli insunt subjecto proprio, quia non sunt connaturales aeri aut nubi, sed penduli in medio diaphano oberrantes tanquã extempotaneæ quædam lucis affectiones ex certa quadã radiorum infractione productæ, ergò non possunt esse veri. Bernh. Cæsi' l. 2. de min. sect. 8. docet, colores apparentes non vocari absolutè tales, quod non sint reales aut solius phantasiæ, cum *Colores iridis non sunt veri.* *Colores apparentes sũt entia realia quomodo.*

habeant causas reales, nempe lucis mistione cũ opacitate, sed quod non sint ita diuturni atq; illi qui ex primis qualitatibus orti firmum habent statum: itaq; utramque opinionem conatur cõciliari & dicit colores iridis esse vocandos veros, quod sint in rerum natura nemine cogitante, apparentes autem quod sint fugaces & evanidi.

3 Colores iridis.

DICO 2. Tres colores agnovit Arist. in iride 2. meteor. c. [illegible] croceum vel citrinum in parte superiori, viridem in media, & in infima cæruleum vel purpureum; hoc tamen intellige ad coloribus magis conspicuis, quia plures sunt qui debiliter videntur, ut inter croceum & viridem flavus seu xanthus & similes alij qui in confinio paulatim in alios deflectunt & degenerant; sic croceus paulatim flavescens transit in viridẽ, viridis in cæruleũ, & hic paulatim rubescens in puniceum. Horum colorum hæc datur ratio,

Ratio colorum iridis.

quod quò plus lucis permiscetur pauciori opaco, eò color, qui inde existit, magis recedat à nigredine & accedat ad albedinẽ; Cum ergò nubes in qua fit iris, sit opaca, nõ potest nõ aliquo modo accedere ac nigredinẽ; sed ea pars quæ propius accedit ad solem, minus opaca est & plus recipit lucis, cum in eam fiat prima repercussio radiorum solis, ergò in ca parte debet exsistere ille color, qui habet admodum parum opaci seu nigri, multum verò albi, & talis est puniceus, unde cum ardent ligna viridia, summæ eorum flammæ apparent puniceæ; similiter cum per fumũ aspicimus solẽ aut ignem, puniceι videntur. Secundus color est viridis, quia secũda repercussio est debilior, & ideò habet minus lucis & plus opaci, indeq; existit color viridis. Tertius color est purpureus, qui plus habet opaci quã viridis, unde etiam tertia percussio, quæ fit in parte magis opaca nubis, repræsentat colorem purpureum; flav⁹ autẽ color intermicat inter puniceũ & viridẽ, quia commiscentur hi duo colores. Quod autem hac de causa appareant ejusmodi colores ostendit Fr. Vicomercatus pulchra experientia, si quis inquit aliquandiu defixerit oculos in adversum solem, & deinde convertat eos ad umbram vel claudat, species solis aliquamdiu hæ rebunt in oculis, ita ut omnia videantur primò colore puniceo, quia scil. species sunt adhuc robustæ & fortes, quę permistę opaco umbræ ostendunt colorem puniceũ; paulò post omnia incipiunt videri viridia, quia species paulatim debilitantur; Deniq; omnia apparent rubra, quia deficientibus speciebus vim suam obtinet opacitas umbræ, atque ita tandem extinctis speciebus apparent omnia nigra.

DICES, veræ species coloris producuntur à vero colore, sed ab iride producuntur veræ species colorum in medio, ergò iris habet veros colores. Resp. species coloris non producti ab ipsis coloribus sed à lumine, ut cum aspicio parietem, lumen ex ejus albedine educit speciem albi, per quam intueor parietem album; In nubibus ergò, in quibus fit iris, est quidem lumen, quod potest producere species in medio, sed non est verus color è quo educuntur.

Fundamentũ colorum apparentiũ est lumẽ immixtum opacitati.

Colligitur, fundamentum omnium huiusmodi colorum esse lumen immixtum opacitati; Et ad generationem colorum in iride esse necessaria solem & nubem; hanc tanquam causam materialem & receptivam collustrationis sive lucis, illum verò tanquã causam efficientem ejusmodi collustrationis & lucis quod nubi imprimitur. Debet tamen nubes illa, quod notandum, necessario esse rorida & proximè apta quæ in pluviam solvatur, & partim translucida, ut secundum eam faciem, quæ nos respicit, injectum lumen imbibat, partim opaca, scil. à tergo, ut more speculi lumen repercutiat.

DIFFICULTAS IX.

An colores nubium, avium & maris sint veri.

DICO 1. Nubes habent veros & proprios colores. Ita Pontanus in suis meteoris; Ratio est, quia proprio insunt corpori sc. exhalationi, quæ permixta vapori una cum lumine transparet; & si exhalatio pinguis sit & copiosa, nubes erit rubicunda; si pauca subflava, si terrea, cineritij coloris &c. Neq; dicas, colores iridis esse colores nubis, quia respond. colores iridis non spectare propriè & absolutè ad nubem, alias semper deberet cõspici iris, sed consurgere ex varia receptione & repercussione luminis intra nubem certo modo, i.e. certa raritate vel densitate dispositam, nubi verò suum esse peculiarem & positivũ colorem, quem habet ab exhalatione multa, pauca, pingvi, terrea, &c.

Colores iridis non spectant propriè ad nubem.

DICO 2. Colores avium sunt veri, non apparentes. Ita Aquil. lib. 1. opt. prop. 41. Conn. l. 2. de anima c. 7. q. 2. a. 2. & alij communiter contrà quosdam qui ideò apparentes putant, quod ad omnem penè aspectus diversitatem ipsi commutentur: Hoc autem ideò evenire docet Aquilonius, quod plumarum vitti non uno undique colore sint aspersi, sed unã parte unum, altera alterum exhibeant, quod etiam ex arte quosdam homines sagaciores exhibere videmus præsertim in texturis sericeis. Quod tamen hi colores exquisito lumine sint spectabiliores, ideò fit, quia lumen repercussũ devehit colores ad spectantiũ oculos: sunt autẽ non tantum veri hi colores, sed etiam plures uno contra Rhodiginum, qui sentit unum esse colorem & videri varium pro varia inclinatione plumarum & luminis irradiatione: Nam si hoc esset, cur eo honore privarentur milvi, accipitris, aliarumque avium plumæ, quæ sunt aptæ ut inclinentur & irradientur?

Colores avium sunt veri.

DICO 3. Color viridis, purpureus, candidus, cæruleus & subviridis maris est apparens. Ita Conn. citati, Arist. lib. de coloribus & alij plures contrà Aquilonium, qui colorem subviridem non planè herbaceum sed cæruleum virore permixtum docet esse proprium aquæ & naturalem: Sed prob. conclusio: mari nullus hujusmodi colorum est proprius & innatus, ergò omnes sunt apparentes, nullus verus. Prob. antec. nam canescit mare, cũ spumantes undæ à longinquo cernuntur, quæ velut tanqnã candor

Color maris est apparens.

qui-

quidam occurrunt, quia omnis spuma est candida ut & nix propter aërem aquæ immixtum: purpura sit, cum ex adverso solis radio eminus mare perspicitur, quia miscetur hæc rubedo cæruleo, quæ ab exhalatione aëri permixta cum sole translucet: Et conspicitur hic candor potissimum circa occiduum, cum plurima exhalatio diuturno calore in sublime evecta nubes occupavit. Vide pluribus Rhodiginum lib. 26. c. 18.

DIFFICULTAS X.

In quibus conveniant aut discrepent colores veri & apparentes.

Suppono, etiam elementis suos inesse colores proprios ex Arist. l. de sens. & sens. tum l. de coloribus, ex Aquil. l. 1. opt. prop. 39. Scalig. exerc. 325. l. 8. & alijs quamplurimis qui hoc idem probabile putant contra Conn. 2. de animac. 7. q. 3. a. 1. ubi docent nullos veros colores inesse elementis, eo quod nascantur ex permixtione primarum qualitatum qua careant Elementa: Quod si autem ignis verè colorem flavum habeat, id ajunt effici ab opaci terrei admistione; sed ex hac opinione sequeretur, elementa esse invisibilia, cum tamen instituta sint ad usum animantium, & præsertim hominum qui perspicaci visu sunt prædìti. Ad rationem ipsorum Conn. respondetur, quod ex primis qualitatibus oriantur colores non simplices in ordine ad mixtionem & in genere qualitatum tangibilium. Et hinc dicitur albedo consistere & fundari in sicco, videl. in terra; viriditas in humido crasso, aquâ; color cæruleus in humido tenui, aëre; & flavus in calido, igne condensato. Jam

Etiam Elementis sui sunt veri colores.

DICO 1. Omnes colores tam veri quam apparentes conveniunt 1. in hoc, quod sint res veræ. De primis hoc verum esse nemo dubitat; sed nec de secundis ambigendum est, quia veram & propriam entitatem habent, unde etiam tantùm ideò apparentes dicuntur, quod fixi & stabiles non sint, quod non observent veram naturam colorum, esto oriantur ex certa primarum qualitatum mistione, adeoque ex analogia ad veros colores habeant nomen colorum. 2. Conveniunt in hoc, quia utriq; sensum visus, id est, aspectum movent, atque ita rationem objecti visus induunt. 3. nulli aspectum movent, nisi sint in corpore sufficienter denso & terminato, in quo visus noster figi possit, & hinc etiam ignis in loco proprio ob summam raritatem non admittit visum, qui proinde ad cœlum lunæ penetrat.

DICO 2. Differunt veri colores ab apparentibus 1. in hoc, quia apparentes sunt formaliter lumen, veri autem qualitates secundæ. 2. hi habent esse fixum & stabile manentq; semper nisi mutetur temperies primarum qualitatum ex quibus oriuntur; Illi verò sunt fluxiles varièq; mutantur ex diversitate luminis, situs & aspectus, ut patet ex dictis.

DICO 3. discrepant etiam inter se colores apparentes ex parte subjectorũ. Prob. vel sunt in corpore terminato, vel interminato: si primũ, oriuntur sæpè in vario oppositu verorũ colorũ ad lumen, & tales vel naturâ conjuncti sunt, ut patet in pennis pavonum, vel per artem, ut in texturis sericeis & laniciis; Tunc enim fiunt alii novi colores ex incidentia luminis & radiorum, quando hi radii, sive sint recti sive reflexi sive refracti, sive denique alio modo se habeant, reciprocantur; Et sic sæpè fit ut in parietibus ex præsentia aliarum rerum coloratarum novos colores videamus. Si secundùm, proveniunt similiter novi colores ex irradiatione luminis ad luminosum, ut apparet quando radii solares corpora vitrea, quæ multis distincta sunt angulis, ingrediuntur & penetrant, quia videmus tunc maximam colorum varietatem & distinctionem, præsertim si vitrum in altum levemus, &c.

DIFFICULTAS XI.

Unde producantur colores.

Magnus profectò est colorum numerus, magna eorum varietas & multiplex mistio; adeò etiam ut incertum sit, an ullibi natura copiosius operata fuerit, melius luserit, pulchriusq; res omnes sublunares, quas mira colorum varietate induit & distinxit, commendaverit; Et hinc non mirum si magna virorum ingenia tam priscis quàm nostris sæculis & temporibus omnes colorum difficultates explicare causasq; singulorum inquirere multis laboribus semper contenderint: Nam fecit id inter antiquos omnes unus post Platonem in Timæo Aristoteles multis in locis, tum verò lib. de sens. & sens., lib. de coloribus, li. r. meteor. cap. 5, lib. 3. ejusd. operis cap. 4. lib. 5. de gen. animal. cap 4. 5. & 6. & lib. 2. de anima cap. 7. Gal. lib. 2. de temper. cap. 5. Contarenus lib. 5. de Elementis, Simon Portius lib. de coloribus, Scalig. exerc. 325. in Card. Scarmilionius Medicus & Professor Viennensis, libello integro, & aliis, quos vide apud Bernh. Cæsium lib. de mineralibus.

DICO 1. Colores omnes generatim producuntur vel per simplicem generationem, quomodo colores simplices elementorũ emanant ab eorum formis sicut potentiæ ab anima tanquam propriæ affectiones; vel per mixtionem, quo pacto resultant medii colores ex mistione extremorum, videlicet albedinis & nigredinis, vel per suppositionem, sicut interdum pictores, ut aliquem colorem faciant apparere, cumque reddant manifestiorem, alium superimponunt, verb. grat. cum in aqua vel in aëre volunt aliquid apparere, non secus ac sol qui licet secundum se albus videatur, per caliginem tamen & fumum puniceus apparet.

DICO 2. Veri colores non solùm oriuntur mediatè ex temperie primarum qualitatum, quod non accidit in elementis, in quibus proinde nec temperies nec color mixtus deprehenditur, sed etiam à forma corporis colorati, vel ut Vega docet p.140. ex diversa mixtura elementorum, non quà sunt calida, frigida, &c. sed quà lucida, perspicua vel opaca. Primum probatur ex definitione primarum qualitatum, quà dicuntur origo secundarum; quod autem mediatè oriantur colores ex qualitatibus primis, prob. ex eo, quia immediatè fiunt ex temperatione perspicui & opaci, quod utrumque dependet à primis; Deinde albedo reperitur in rebus calidis, frigidis, humidis & siccis, quod fieri non posset si immediatè fierent ex qualitatibus primis, quia variatis his primis variarentur etiam secundæ. Probatur secundum, colores sunt proprietates corporum si non omnium, saltem plurimorum, ut patet in calce, cui competit albedo, in corvo, cui nigror, in igne cui rubedo, &c. ergò oriuntur à forma substantiali.

Colores unde oriantur immediatè

DICO 3. Colores immediatè oriuntur ex permistione lucidi & opaci. Probatur: albedo est in corporibus frigidis, calidis, &c. quod idem de reliquis intellige, ergò non oriuntur immediatè ex permistione primarum qualitatum, sed lucidi cum opaco. Hoc patet in calce & nive, in quibus reperiuntur contrariæ qualitates, & tamen idem specie color albus, qui proinde debetur perspicuitati & opacitati. Confirmatur ex hoc, quia quæ plus habent opacitatis, sunt nigriora, quæque plus perspicuitatis, albiora, ut patet in fructibus, qui tum incipiunt albescere quando humores attenuantur in iis fiuntque per raritatem magis perspicui. Et hinc Arist. 5. de gen. animal. c. 6. docet, calorem esse causam albedinis, quia cæteris paribus rarefacit & perspicuum reddit, propterea etiam ventres animalium quæ sunt calidiora, ut vulpis, lupi, &c. plerunq; sunt candidi, quia magis calent quam reliqua membra: In carbonibus autem calor est causa nigredinis, quia extrahit humorem & relinquit tantùm partes terreas, quæ condensatæ opacitatem quandam efficiunt. Cæterùm quomodo omnes in specie colores generentur, vide Arist. l. de coloribus, Cæsium l. 2. de mincr. cap. 8. Card. l. 4. de subtilit. p. 136. Conii. 2. de anima c. 7. q. 3. a. 1. singulorum tamen rationem reddere omninò est difficile, quia hæc dependet à naturis propriis quæ nos latent. Quis enim dicat, cur, si gutta olei tartari vel ex fæce vini in infusum violarum injiciatur, statim puniceus color in viridem immutetur, tinctura cupri insigniter viridis evadat in cyaneum injecto sale ammoniaco, & mille alia? Quomodo colores artificiales ex applicatione activorum ad passiva fiant, vide Aquil. l. 1. opt. propos. 39.

DIFFICULTAS XII.

Quinam sint effectus coloris.

EFfectuum alii sunt agenti similes & ejusdem speciei, ut dum calor calorem, homo hominem producit. Alii sunt dissimiles & diversæ rationis, ut dum calor à frigore gignitur, mors à gladio, ægritudo à crapula, æstu solis, &c. De utrisque quæritur, an & quinam ex iis producantur à colore.

DICO 1. Color non potest producere effectum sibi similem, id est, alium colorem. Prob. color est qualitas secunda, id est, ex genere earum, quæ non sunt activæ, ergò non potest producere effectum sibi similem. Quod si quæras, in quo consistat, ut prima qualitas producat ejusmodi effectum & non secunda; v.gr. color, cùm tamen hæc etiam sit præstantissima qualitas & cadat maximè sub sensum. Resp. non sufficere ad hoc ut aliqua qualitas sit productiva alicujus effectus sibi similis, quod cadat sub sensum, quia multæ sunt ejusmodi qualitates, quibus tamen nulla vis inest agendi, ut forma & figura; Nec quod sit tangibilis, quia etiam mollities & durities sunt tangibiles, licet nullam habeant vim aliquid producendi. Nec etiam quod habeant contrarium, quia etiam raritas habet contrariam densitatem, quorum tamen nulla est activa; Tota igitur ratio fundatur in hoc, quod primæ qualitates habeant hanc naturam formæque potentialitatem, ut in alieno subjecto, modo capax illud sit, producant effectum sibi similem, id est, formam accidentalem, quam secundæ propter imperfectionem producere non possunt: Quod autem de colore, idem de aliis secundis intellige.

Unde est quod calor calorem & non etiam color colorem producat.

DICES, Odor potest producere odorē, ergò & color colorē, quia par est ratio. Resp. neg. conseq. quia odor est magis activus quàm color, potestque reipsa diffundi producendo alium odorem sicut sonus sonum; Nam qualitas fixa qualis est color, non opus habet, ut se undique producat & diffundat, sicut odor qui in subjecto non est durabilis, ideòque materiam requirit, ut seipsū gignere facilè & multiplicare possit, quod idem de sono & aliis intellige.

Odor sese multiplicat.

DICO 2. Præter effectum formalē, qui est facere rem coloratam, & finalem, qui est pulchritudo universi, habent colores multos effectus quos producunt in genere causæ efficientis. Probatur inductione; Nam color albus, qui inter cæteros colores proximè accedit ad lucem, ideoque præstantissimus est, ex naturâ sua spiritus dissipat, oculi calorem intendit & visui officit, ut habet Aristoteles sect. 31. probl. quæst. 20 nigror verò eosdem spiritus in contrarium cogit & densat, adeoque caliginem inducendo visum hebetat & imminuit, ut experiuntur illi qui multo tempore in carcerib. locisq. subterraneis & tenebricosis detinentur; Et hoc est quod Arist. l. 10. met. cap. 13. docet,

cum

cum ait candorem disgregare visum, nigrorem verò congregare, quia videl. per candorem qui luci & splendori similis est spiritus dissipantur, per nigrorem verò condensantur: Reliqui colores intermedij, sive simplices sint sive compositi, cum ab extremis recedant, faciunt acquiescere oculum, aspectum cum leni blandoque obvio affici, nihil debilitari, imò corroborari & refici ut ait Arist. citatus. Quod autem oculorum varietas tanta sit ad ornatum & pulchritudinem universi, desumitur ex mira blanditie, suavitate & jucunditate eorum quibus præstantissimus hominis inter sensus externos visus recreatur, & ad contemplandam laudandamque divinam bonitatem, sapientiam & munificentiam incitatur.

DIFFICULTAS XIII.

Quid sit sonus.

ETiam sonus est è genere qualitatum sensibilium, quia omnes cum ad quamvis fermè corporum collisionem facilè audimus, difficulter tamen ejus naturam intelligimus, & quomodo producatur tū ad aures nostras deferatur. Ad præsentem a. imprimis quæst. &c.

DICO 1. Sonus non est ipse motus corporum collisorum seu sese collidentium. Est communis hæc doctrina & Prob. 1. sonus est qualitas patibilis, id est, ad tertiam speciem pertinens; sed motus non est qualitas, ergo. 2. sonus fit motu; sed à seipso nihil potest effici, ergò 3. sonus pervenit ad eas partes, ad quas nullus diffunditur motus, ut patet in piscibus, qui clamorem audiunt in aquis, ubi tamen nullus existit motus, ergò. 4. sonus est sensibile proprium, motus verò commune.

DICES, Sonus est ens successivum, ergò est motus. Resp. neg Conseq. vel distingu. antec. quia sonus per se & intrinsecè non est ens successivum, sed per accidens, quia partes ejus accomodant se ad successionem motus quem sequuntur.

Sonus quid. DICO 2 Sonus est qualitas sensibilis à corporibus ad sonandum idoneis ex violento motu medij producta, auditu perceptibilis, id est, sonus est qualitas sensibilis quæ auditu percipi potest, ut habent Conn. 2. de anima c. 8. q. 1. a. 1. Explicatur definitio. Dicitur qualitas, sc. secunda, non quidem dependens à primis propriè & immediatè, neque ex earum mistione resultans sed tamen ijs posterior; potest autem dici qualitas 2. eò quod sonus à duritie & soliditate corporum in sublunaribus immediatè oriatur, durities & soliditas a primis, & sic consequenter ab his sonus media duritie & soliditate: Ad hæc non est opus, ut sonus sit qualitas. 2. quæ immediatè oriatur à primis, quia illa divisio in primam & secundam non est adæquata, cum lumen & plures aliæ abstrusiores non oriantur ex primis, & nec vocentur primæ aut secundæ, tametsi sint veræ qualitates: Unde colligitur, sonum non dici qualitatem secundam, quod oriatur ex primarum permistione sicut color, odor, sapor, sed quia vel supponit qualitates primas aut prima corpora illis qualitatibus affecta, vel quia eget corporibus quibusdam alijs qualitatibus jam præditis, videl corporibus duris, lævibus, concavis, aëreis, &c. Cætera quæ sunt definitiones, intelligentur ex seqq. sicut & illud, quod penè infinita detur sonorum varietas, quæ omnis ex varia collisione corporum, rarefactione aëris & natura seu qualitate corporum sonativorum oritur.

Divisio qualitatum in 1. & 2. non est adæquata.

Unde sonus dicatur qualitas secunda.

DIFFICULTAS XIV.

Quomodo fiat sonus.

NOta sonum ex se quidem fieri in instanti, quia fit in ipso contactu corporū, & contactus fit in instanti; Nihilominus tamen per medium multiplicari in tempore, quia ad aliud atq; aliud corpus fit allisio, atq; ita successivè defertur usque ad auditum; hinc prius videmus ictum, quàm audiamus sonum, quia species in instanti pervenit ad oculos, sonus autem successivè ad aures.

DICO 1. Sonus effectivè non producitur immediatè à motu, ictu aut fractione aeris intermedij. Prob. primum, quod non fiat à motu, quia ille est ejusdem rationis in quocunq; corpore, nō autem sonus; Deinde interdum est vehemens motus cum exiguo sono, ut cum ligna complodumtur, contra verò exiguo ictu impulsa campana magnum edit sonum. Eadem est ratio ictus & fractionis medij, quia manente eadem percussione & fractione, si diversa sint corpora, diversi etiā eduntur soni: Negandum tamen non est, hæc omnia esse velut necessarias dispositiones aut conditiones, sine quibus soni excitari nō possunt, ut de motu & ictu patet, quia sine illis nihil sonat. De fractione vero liquet inde, quod propterea corpora sonora oporteat esse plana ut aerem intermedium possint frangere

DICO 2. Sonus immediatè producitur ab ipsis corporibus sonoris per qualitatem quandā propriam. Prob. quia nihil aliud potest assignari in corpore, quod sonū edat præter hanc qualitatem, ergò. Antec. prob. quia si esset quippiā aliud, maximè vel esset quātitas vel qualitates primæ; sed quantitas esse nō potest, quia hęc mutato sono nō mutatur; nec primæ qualitates, quia sive campana sit calida sive frigida, semper similē edit sonū, ergò. Et hinc Colligitur 1. hanc soni productionē ab illa qualitate esse quidē naturalē sed requirere motū violentū medij tanquā conditionem necessariam. 2. ad sonum requiri omninò collisionem corporum factam per motū localem. 3. necessariū esse ut corpora sint tersa & plana, unde lana lanæ affricata vel illisa non facit sonum, vel sit unū ex corporibus latum, unde acus non edit sonum nisi cadat in corpus planum. 4. non opus semper esse, ut corpora sint solida, ut patet in tonitru & fulmine aëreo, sicut & in aquis ex alto cadentibus, quæ quod sibi nō facilè cedant motusq; sit vehemēs, sonū excitant. 5. nullā dari causam partialem soni per se, sed tantū per accidēs, sicut mot⁹ local⁹s

Unde producatur sonus

non eſt cauſa caloris per ſe, ſed per accidens. *Cauſa per ſe quid.* Cauſa enim per ſe illa dicitur, ex cujus influxu poſitâ causâ per ſe ſemper ſequitur effectus, & talis nulla datur partialis in productione ſoni, aliàs poſito corpore ſonativo vel etiam ejus motu ſemper produceretur ſonus, quod tamen nõ eſt univerſaliter verum. Et ſic colligitur 6. motum localem, contactum & impulſionem aëris vel corporis ſonativi non eſſe cauſas ſoni, ſed tantum conditiones requiſitas ad ſonum. *Sonus quid* 7. ſonum nihil eſſe aliud quàm qualitatem à corporibus ſonativis inter ſe colliſis productam, motivam potentiæ auditivæ. 8. ſonum eſſe qualitatem brevi ſaltem tempore durantem & petire ſenſim ſicut ejus ſpecies & impetus projectorum, ut patet experientia. Vide fuſius Dand. l. 2. de anima comm. 116.

DIFFICULTAS XV.

Quid ſit odor.

Odor quid. DICO, Odor eſt qualitas 2. ſenſibilis facta à ſucco terreo ſapido in humido aëreo. Hæc definitio deſumitur ex 2. de anima c. 9. & continet 1. naturam odoris, quod videl. ſit qualitas ſenſibilis. 2. cauſam efficientem, quia fit à ſucco terreo. 3. materiam vel ſubjectum in quo fiat, nimirum humidum aëreum. Dicitur itaq; qualitas 2. ſenſibilis, quia orit' im̃ediatè ex qualitatibus primis; unde falſum eſt odorem eſſe exhalationem ſive evaporationem, ut fingebant quidam veteres apud Ariſt. l. de ſenſ. & ſenſ.; Similiter Avicenna l. 6. de natural. p. 2. de odore Gal. l. de inſtrum. olfactus & alij; Nam ſi odor eſſet evaporatio, jam eſſet ſubſtantia nec caderet ſub ſenſum per ſe. Neq; dicas, odores nutrire, eſſe nocivos, replere cerebrum, &c. quia de hoc agetur infrà. Quod ſi etiam ſubinde Ariſt. odorem vocet fumeam exhalationem, non loquitur formaliter, ſed ſubjectivè, quia odor plerunq; reſidet in habitu. Dicitur 2. ſucci ſapidi, quia non poteſt eſſe quicquam odoriferum, quod non ſit ſapidum, ut habet Ariſt. loco cit. & probat inductione; Nam metalla habent ſaporem, & ideò etiam odorem ſicut & mare; lapides autem quia minus habent ſaporis, ideò & minus odoris. Dicitur 3. in humido, quia odores fiunt ex permixtione humidi & ſicci, ut patet ex pluvia in terram valdè aridam & ſiccam tempore æſtatis. Verùm non quævis permixtio humidi & ſicci eſt cauſa odoris, quia quando abundat humor, diffluit odor, ut conſtat ex aqua roſacea, quæ paulatim odorem amittit, ſi multum aquæ naturalis ei affundatur: *Odor plus ſicci quam humidi requirit.* Et hac de cauſa manifeſtum eſt, pauca animalia eſſe odorifera, multas verò plantas, quia in iis abundat humidum, & plantæ odoratiores ſunt in regionibus calidioribus & ſiccioribus ut Syria, Arabia, &c. Quod a. res magis oleant quando accenduntur, ut patet in thure, fit propterea, quod exhalationes, in quibus eſt odor, per calorem & rarefactionem erũpant, atq; ita odorẽ in aëre multiplicent, vel certè quia ſemper ad odorem requiritur aliquis calor. Et hinc colligitur 1. quomodo odor tanquam 2. qualitas in mixtis reſultet ex concretione primarum qualitatum, dominante videl. ſiccitate & calore humidum decoquente & exiccante: *Quomodo reſultet odor.* Dicitur autem ideò in mixtis corporibus, quia elementa in ſtatu puro non habent odorem; & additur ſiccitate dominante, quia ſiccitas eſt quaſi materia odoris: Et quamvis tam ſapor quam odor ex humido ſiccoque oriantur, hoc tamen inter utrumq; intereſt, quod in odore ſiccum, in ſapore humidum dominetur. Colligitur 2. quare ex roſis aqua fiat odorifera & non ex cariophyllis, quia ſc. roſę habent odorẽ in modico humore, qui ab igne non facilè abſumitur, unde docet Card. 8. de ſubtil. ſi cariophyllis addantur aliæ plantæ humidiores, poſſe ex iis fieri aquam odoratam.

DICES, multa ſunt mixta præhumida & tamen odorifera, ergò odor etiam conſiſtit in humido dominante. Reſp. neg. conſeq. quia licet hujuſmodi mixta, v. gr. aqua ſtillatitia, balſamũ, lilium, &c. ſint humida & liquida, abundant tamen exhalationib⁹, & in his exiſtit odor, qui proinde ſequitur portionem magis ſiccũ.

DIFFICULTAS XVI.

Quotuplices ſint odores.

DICO 1. Numerus odorum non eſt facilè determinabilis. Ita conſtat ex Ariſt. & eſt communis tam philoſophorum quam medicorum opinio. Ratio autem, quia ſenſum, quo odores percipimus, minus exquiſitũ habemus, & quia natura & differentia odorũ non eſt tam perſpecta nobis, ut propriis vocibus eos appellare poſſumus, unde etiã tranſlatitiis utimur & quærimus ſpecies ex ſaporibus, qua de re vide Ariſt. 2. de anima c. 9. & Dand. eod. lib. com. 132. ubi habent, ideò ſpecies odorum ex ſaporibus eſſe quærendas, quod hi manifeſtius deprehendantur, & quod odores cum iis magnam habeant affinitatem: *Species odoris non facilè habentur, quia difficilè cognoſcuntur.* Et hinc ex ſaporibus alius dicitur dulcis, alius amarus, auſterus, &c. Impropriè verò ex odoribus alius dulcis, alius amarus, &c. quia in his omnibus ſpeciebus ſequimur guſtabilia. Hinc etiam *Adverte*, plures eſſe odores quàm ex Ariſt. conſtare poſſit, cujus ratio eſt, quia ipſe tantum eos complectitur odores; qui cum ſaporib. & guſtatu conjuncti ſunt, ſcil. odores alimentales, de quibus tantùm videtur Ariſtot. egiſſe, quia hi tantum poterant apud ipſum ex ſaporibus colligi.

DICES, Si ex ſaporibus odores quærendi ſunt, ſequitur ſemper cũ ſapore dulci odorem dulcem & gratũ, & contrà eſſe conjunctũ, quod tamen falſum eſſe conſtat in ſtyrace, aloë & ſimilibus, ubi odor gratus eſt & ſapor amarus, eſto fiat in multis aliis, in croco v. gr. melle, &c. ubi odor & ſapor ſunt ejusdem ſpeciei, ergò odores non ſemper cognoſcuntur ex ſaporibus; nec odor in eodem ſubjecto denominandus

dus

[illegible] odores sequuntur sapores & eorum naturam.

dus est juxta naturam saporis, Resp. quamvis aliquando fiat, ut odor & sapor non correspondeant in eodem subjecto, universè tamen magis saporem habere sibi adjunctum odorem ejusdem speciei, nec sensus ullius Authoris est, quasi semper id fieri oporteat, sufficit si ut plurimùm contingat. Quare autem saporem similem non semper odor similis sequatur, causa est, quia ut ait Dand. cit. imbibitum sapidum aliquando digreditur, & ad cognatum aliquod propriamque privationem deflectit, & quia qualitates secundæ primarum commistionem sequuntur, fit interdum ut sicci & humidi permistio eodem modo comparatione saporis & odoris sese habeant, interdum diversò. Cæterùm primos & quasi extremos odores dicimus jucundos & molestos sive suaves & ingratos, dulces & putridos; medios autem eos, qui nec magnoperè delectant, nec vehementer displicent. Hinc colligitur difficilem esse odorū cognitionem, eamque ut plurimum ex gustatu desumi, cum habeant similitudinem quandam & analogiam, ideòque species odorum cum saporum speciebus distingvi in suaves, molestos, dulces, amaros, &c. ijsdemque nominibus utrobique appellari, ipsum autem gustatum esse certiorem & exquisitiorem, quod fiat per immediatum contactum quasi, scil. per admotam lingvam.

Species odorum.

DICO 2. Odores per se non nutriunt. Ita Arist. l. de sens. & sens. Et ratio est, quia id tantum nutrit, quod potest converti in substantiam viventia; sed odor non potest id præstare non tantum quia est qualitas, sed etiam quatenus exhalationi conjungitur, quia talis non potest à calore vitali decoqui, ergò oor ndon potest esse nutrimentum viventis nec converti in sangvinem.

Odores non nutriunt.

DICES, Non tantum famelici protrahunt vitam odoribus, sed & ægri ijsdem reficiuntur, sicut in contrarium sani fætoribus & putrilaginosis odoribus offenduntur, quæ omnia non possunt fieri absque nutritione, ergò verum est odores nutrire. Resp. falsum esse famelicos ideò protrahere vitam, quod odoribus nutriantur, unde etiam historiæ Plinij & aliorū omnes fabulosæ sunt & sine fide; Valent tameu nihilominus in ægris & animo linquentibus odores ad fovendam & sustentandam vitam, vel quia ex natura sua viventi & spiritibus vitalibus aut animalibus grati sunt, vel quia exhalatio & vapor cui odor inest, amic° est cerebro & cordi ut quotidie fit in affectibus frigidis cerebri, quia tales coërcet exhalatio odorifera si calida sit, vel frigida si affectus sit calidus, siccus, humidus, &c. quia omnes à contrario demulcere & lenire cōvenit. Major tamen est difficultas per quid odores aliquando deliquium pariant, præsertim fœminis gravidis, recreent animum, reficiant spiritus, &c. putandum est omninò id fieri propter aliquam excedentem qualitatem quæ illos comitari soleat & meatus corporis cum tetra exhalatione cui inexistunt subeat: Nam talis est in putrilaginosis humoribus, quæ mirè nares ferit & humores commovet; est etiam talis in forti aceto rebusque similibus in quibus summa acrimonia cerebrum stimulat & convellit, cum è contrà omnis odor qui blandum benignumque temperamentum comitatur, spiritus reficiat, & animum cum corde & cerebro exhilaret, nisi tamen peculiaris aliqua subsit & lateat antipathia, ut quotidiè in multis & præsertim in fœminis gravidis advertitimus, quæ ad quosvis odores gratos & cordiales extrema patiuntur incommoda, quia nimirum commovent spiritus arteriosos, de quibus autem alibi. Falsum itaque est, odore spiritus nutriri & sustentari, si id de odore ut sic intelligatur, & de nutritione propriè dicta, verum autem si de aërea substantia quâ odor defertur, & de nutritione impropria, qualis est eà quâ lucerna oleo & aëre circumfuso sustentatur; Nam ejusmodi substantia aerea beneficio odoris & aliarum qualitatum, quæ odorem comitantur, mirificè spiritus fovet & conservat, ut consentiunt Coun. 2. de anima c. 9. q. 1. 2. a.

Odores quomodo reficiunt [illegible].

[illegible] quomodo deliquiū pariant.

Quomodo reficiunt spiritus.

DIFFICULTAS XVII.

Quid sit sapor & quomodo generetur.

OMissa quorundam veterum opinione, qui volebant saporem esse substantiam, quæritur quid sit sapor ad eum modum quo de odore quæsitum fuit. Investigandum autem erit prius causa efficiens, deinde materia, finalem esse constat talem ut gustu percipiatur.

DICO 1. Causa efficiens sapors est sapida siccitas cooperante calore, vel quod idem est sapor fit agente calore. Nam statim ex sicco terreo sic coperimisto cum humido aqueo gignitur; Odor verò præter hanc mistionem opus habet exhalatione à calore facta, ut in suffimentis cernitur: Et ideo Arist. prius exposuit quid sit sapor, deinde quid odor, quia prior est & simplicior saporis quā odoris generatio, quià calore in sapidum corpus agente excitatur odor, ut videre est ex Arist. sect. 12. & 13. probl.; Omnia autem quæ odore carent, carent etiam sapore & contra, quæ odorem habent, habent etiam saporem. Confirm: quia sapores generantur per concoctionem, quod patet ex fructibus, qui quo melius concocti & maturi, eo sunt meliores: Idcirco juxta omnium opiniones fructus in regionibus septentrionalibus sunt minus sapidi ob defectum caloris qui minus concoquit; propterea etiā fructus pensiles sunt dulciores, quia agitatione aeris crudi humores evanescūt, atque ita concoctio fit per calorem ut tradit Arist. 4. meteor. cap. 2. fiunt autem sapores ex sicco & humido ita, ut humidum prædominetur quod experientia ipsa & Arist. secundo de anima c. 10. satis ostendit. Itaque concurrunt ad saporis generationem tria, videl. siccitas terrea, humiditas aquea & calor; siccitas quæ terrea non ignea esse debet, demonstratur in omnibus rebus sapidis: humiditas inde manifestatur, quia res multæ tunc fiunt sapidæ quando

Causa efficiens sapor.

Omnia quæ odorem habent, habēt etiam saporem & contra.

Ad gener. saporis quæ cōcurrant.

hu-

humectantur; Et debet hæc humiditas esse non aërea, quia facilè evanescit, sed aquea, quia in hac reperitur vis altiva, saporque ob materiam compactam densamque excitatur. Quod etiam humor siccitati dominari debeat, patet ex dictis de odore. Calor denique requiritur tanquam humidi & sicci decoctor, quique congruè utrumq; commisceat, quia hic unus est cujus beneficio omnia coquuntur & digeruntur, quod in omnibus fructibus videmus, qui sicut caloris decoctione maturescunt & dulcescunt, ita frigore intereunt & amarescunt.

Sapor quid DICO 2. Sapor est passio à sicco facta in humido, gustatum, quiest in potentia, ad actum per alterationem deducens. Ita Arist. de sens. & sens. clarius autem definiri potest hoc modo, sapor est qualitas secunda sensibilis orta à calore agente in siccum terreum & humidum aqueum, quæ potest gustum movere. Primùm est qualitas secunda, quia post à debitâq; concoctione oritur ex temperie primarum qualitatum, ideo qualis est concoctio, talis etiam ferè est sapor: Duæ sequentes particulæ, quod fiat à calore in sicco terreo & humido, patent ex prioribus. Deniq; cum dicitur movere gustum, non petitur principium, quia supponitur tantum confusa cognitio gustus, cujus distinctam cognitionem habemus per saporem: habemus ergò omnes 4. causas saporis; Efficiens enim est calor concoquens, materialis siccum terreū & humidum aqueum, finalis gustus, forma ipse sapor. Hinc etiā patet, quomodo differat sapor ab odore; In efficiente conveniunt, in materiali differunt, quia sapor plus habet humidi quam sicci, & contra odor plus sicci quam humidi: Deinde humidum odoris est aereum, saporis aqueum, quia cum gustus fiat per contactum, humidum aqueum aptius est ad tangendū quā aereum sicut contra ad species odoris repræsentandas organo olfactum aptius est humidum aereum. Quod sine differant, ex se manifestum est. *Adverte* tamen, sensum definitionis non esse quasi sapor nullo modo sit in sicco, quia hoc falsum esse testatur experientia in Zingibere, &c. sed quod multò magis sit in humido, vel certe quod nunquam percipiatur res sapida, nisi habeat in se humorem vel actu vel potentia vel ab extrinseco, videl. à saliva humectante.

Omnes 4. causæ saporis.

DIFFICULTAS XVIII.

Quotnam sint sapores, & qui cum medij tū extremi.

Sapores sunt 9. DICO 1. Tametsi ab Arist. 2. de anima c. 10. & l. de sens. & sens. tantum 7. & ad finem ubi de saporibus agit, 8. numerentur, communiter tamē novem species statui solent: primus enim sapor est dulcis ut in melle, & hic fit ex perfecta mistione & temperatione humidi cum sicco. Secund⁹ est pingvis ut in butyro, oleo, aliisque unctuosis, & fit à calore temperato ut dulcis. Terti⁹ acut⁹ vel acer ut in pipere, & est à calore vehementiori in sicco terreo cum pauco humido. 4. austerus, qualis est fructuū imaturor.; fit ex plurimo humido indigesto pauco q; sicco. Quint⁹ Stipticus, astringens, austerus, cōvenit cum priori, & reperitur in mespilis sorbisque immaturis. Sextus est acerbus in malis citrijs à frigore, sicut etiam priores. 7. acetosus ab ijsdem causis cum prioribus, ut à frigore & ex plurimo humido indigesto. 8. salsus, qui siccitatem habet cum aliquo humore temperatum. 9. amarus qui multum habet sicci crassi cum pauco humido. Quod autem Arist. aliquando pauciores numeraverit, signum est eum nonnullos ad alios revocasse; sic enim potest salsus ad amarum revocari, pingvis ad dulcem, austerus ad stipticum, &c. non quod sint planè eædem species, sed quod sequatur unus alium, ut pingvis dulcem, salsus amarum, &c.

DICO 2. Juxtà Gal. l. 4. simpl. medic. c. 10. Concil. differ. 145. omnesque medicos, sapores extremi sunt acer & austerus. Ratio prima est, quia maximè ad extremas qualitates primas accedunt, acer nimirum ad calorem & austerus ad frigus. Secunda est, quia maximè sensum offendunt, quod proprium est qualitatum extremarum, dulcis verò non offendit, sed magis reficit & delectat. Tertia, quia non solet fieri transitus in qualitatibus per extremum sed per medium, quod tamen fit in dulci, Nam cum fit transitus ab acerbo ad acrem, fieri debet per dulcem.

DICO 3. Juxta Philosophos extremi sapores sunt dulcis & amarus. Ratio unica est, quia hi duo maximè contrario modo potentiam afficiunt, sapor dulcis optimè, amarus deterrimè, cum ille oriatur ex temperie optima, hic ex pessima. Itaque non eodem modo considerant sapores Philosophi & Medici, Nam hi considerant sapores quoad primas qualitates & in ordine ad subjectum sive corpora, quatenus ad sanitatem conferunt, quorum prior est calidus, posterior autem frigidus; philosophi verò cum Arist. considerant eos secundum propriam eorum rationem, videl. quatenus gustum movent, non aliter quam extremi colores ponuntur candor & nigror, non quod primis qualitatibus excedant, sed quod maximè afficiant visum, candor quidem disgregando, nigror verò condensando. Quod autem sapor dulcis & amarus maximè sensum afficiant: prob. quia cum sapores fiant ex permistione humidi cum sicco per caloris concoctionem, illi erunt perfectissimi sensuique maximè accommodati, qui absolutissimam humidi concoctionem fortiuntur, uti dulcis, & illi imperfectissimi, qui pessimam, ut amarus. Ad rationes Medicorum resp. & primò ad primam, concedendo saporem acutum maximè accedere ad calorem summum, & austerum ad frigus, negando autem contrarietatem saporum ex primis qualitatibus desumendam esse. Ad secundam respondetur, in saporibus læsionem oriri ex excessu primarum qualitatū, & hunc in extremis non requiri, imò peculiare esse saporibus ut unus extremus, videl. dulcis, nō valde

Extremi sapores qui

Unde dulcedo.

de lædat, quia non habet excessum alicujus primæ qualitatis. Ad tertiam respond. excessum primarum qualitatum esse in causa, cur per saporem dulcem fiat transitus ab uno extremo ad aliud v.gr. ab acri ad austerū, & hoc quidem nō per se sed per accidens, quia nimirùm sapor austerus & acer multum de extremis qualitatibus possident; proinde necessum est, ut in remissione & revocatione ad temperiem, sub qua existit sapor dulcis, ipsi ambo infriugantur. Ad hæc fieri potest, ut in qualitatibus secundis aliquando fiat transitus à medio per extremum, ut patet in cœruleo, quod evadere potest nigrum, & in nigro quod transire potest in pūnicum vel aliū colorē. Tandem quod dicatur in cōmuni axiomate, ab extremo ad extremū non dari transitū sine medio, id intelligitur de motu locali, aut ēt de intensione & remissione qualitatū ejusd. speciei, non de ijs quę specie differunt, quorū unūquodq; immediatè produci potest; immediatè enim unusquisq; sapor ex permistione humidi cum sicco fieri potest, ideòq; præter dulcem & amarum cæteri sapores nō dicuntur medij nisi per similitudinem, proindeque per accidens est si per illos motus fiat; Nam cum è dulci fit amarum, fiet prius salsum, acre, &c. quo argumento optimè probari potest dulce & amarum esse sapores extremos. Hinc si

Quomodo non detur transit. ab uno extr. ad aliud sine medio.

DICAS, Fruct. imediate ex amaris fieri dulces proindeq; ab extremis dari imediatum trāsitum ad extrema. Resp. in concoctione fructuū actionem aliquando esse tam vehementem, ut producantur ad dulcedinem sine ullo vel certè exiguo cum medio, quod tamen absurdum non est. Si

QUÆRAS, an sapores medij componantur ex extremis, sintque cum ijs ejusdem vel diversæ speciei. Resp. si ex causis naturalibus ita producantur, specie differunt tam inter se quā ab extremis; si autem per artem fiant, non differunt specie ab alijs. Plura vide apud Dand. l. 2 de anima Comm. 151.

Sapores quomodo differant.

DIFFICULTAS XIX.

Quid sit gravitas, quid levitas.

Suppono, non dari tantum gravitatem, de quo nulla est controversia, sed etiam levitatem, quod aliqui ideò negant, quia dicunt elementa quędam propterea ascendere, quod gravia descendant, proinde quæ carent gravitate, necessariò evolare ut illis cedant. Sed quod hæc opinio falsa sit, probatur 1. inde, quia etiam aere quiescente ignis ascendit, & non per descensum corporis gravioris, quia aer quiescit, ergò per levitatem. 2. non est major ratio, cur terræ tribuatur gravitas, & non igni levitas. 3. ridiculum est unius guttulæ aquæ descensu aerem ascendere, quia nulla invenitur ratio. Quod autem detur tam gravitas quam levitas, hinc manifestum est, quia elementa & mixta moventur à suis formis substantialibus, neq; à raritate & densitate, sed à qualitatibus motivis, ut infrà patebit.

Nota, Platonem olim definiisse, quasi grave sit illud, quod pluribus partibus ejusdem generis constet, & leve quod paucioribus. sive quod rarius est, & prius quod densius. Quod autem hoc falsum sit, patet experientià, qua constat sæpè densitatem à gravitate & levitate à raritate separari; Cœlum enim rarum est in plerisq; partibus, in nonnullis densum, & tamen neque rarum est neque leve. Nubes densiores sunt aere, cum à nobis videantur, aer autem non videatur, & tamen feruntur suprà aerem, flamma item densior est aere, & tamen levior; oleum est densius aqua & tamen levius, quia aquæ supernatat, ergò distincta est raritas à levitate & densitas à gravitate. Quare relicto Platone videndum est, quomodo Aristoteles utramque & levitatem & gravitatem definierit.

DICO, plures sunt quidem definitiones gravitatis & levitatis, duæ tamen apud Aristotelem quæ ambæ ab omnibus approbantur. 1. est 4. cœl. c. 2. grave est quod movetur ad medium sive deorsum, leve est quod movetur à medio sive sursum. Secunda est eodem libro cap. 4. Leve simpliciter est quod supereminet omnibus, grave simpliciter quod omnibus subest; Media sunt quæ medio modo se habent. Jam prob. has definitiones esse bonas, quia traduntur per operationes & effectus, quemadmodum res naturales definiri solent: Cum autem duplex sit effectus gravitatis & levitatis, sicut etiā naturæ motus & quietis, ideò prior definitio traditur per motū, cum dicitur grave esse id quod movetur ad medium; posterior autem traditur per quietē, cum dicitur grave simpliciter esse id quod omnibus subest. Ut autem melius intelligantur definitiones, aliquot argumenta sunt proponenda & solvenda. Itaque

Grave & leve quid.

DICES 1. Si grave est id, quod movetur ad medium, lapis, qui violenter detinetur sursum, non est gravis, quia non movetur ad medium. Resp. has & similes definitones quæ traduntur per verba significativa actus secundi, in pręsenti intelligendas esse de potentia, ut sit sensus, grave est quod tendit ad medium, id est, quod aptū est tendere ad medium, & si nihil obstet; Non enim necessū est, ut id quod grave est, semper actu tendat deorsum, quia satis est quod possit.

DICES 2. Quando lapis projicitur sursum, movetur à medio, ergò levis est, & tamē est aptus descendere deorsum. Resp. in datis definitionibus intelligendum esse quod movetur à natura sua; lapis enim projectus in altum non movetur naturaliter, sed violenter; Et sic grave non est quod quovis modo tendit deorsum, sed quod naturaliter.

DICES 3. Contraria non possunt esse ab eadem causa; sed motus & quies sunt contraria, ergò non possunt esse ab eâdem causa; superiores autem definitiones sunt partim per motum & partim per quietem. Resp. rectè negari, motum & quietem esse propriè contraria; quando autem hujusmodi privativè contraria sunt sibi invicem subordinata, ita ut unum sit finis alterius, negatur tunc quod non possint esse ab eâdem causa; atque ita se res habet

Motus & quies non sunt propriè contraria.

bet in præsenti; siquidẽ quies est finis motus, ac proinde rectè dicitur eandem naturã esse principium motus & quietis, & eandem gravitatem esse causam motus deorsum & quietis; Idem enim est causa & finis mediorum, quæ sunt ad eum finem, & quies est finis motus, ergò ab eadem causa sunt motus & quies : deinde eadem est causa motus & termini motus; sed quies est terminus motus, ergò id quod est causa motus, est etiam causa quietis.

DIFFICULTAS XX.

Unde oriatur gravitas & levitas.

DICO 1. Gravitas & levitas non oriuntur solum à forma substantiali elementorum, ita ut forma substantialis Elementi v. gr. ignis sit adæquatum principium levitatis, forma terræ gravitatis. Prob. 1. in mixtis non sunt formæ elementorum actu, & tamen in mixtis sunt qualitates motivæ, ergò qualitates motivæ non oriuntur à sola forma elementi. Deinde in exhalatione est forma terrę, in vapore forma aquę & tamen in neutro est gravitas, ergò ad gravitatem non sufficit forma elementi.

DICO 2. Neque oriuntur gravitas & levitas à sola raritate & densitate, ut jam patuit, quia in cœlo est densitas & raritas absque gravitate & levitate : Deindè quò densiora essent mixta eò etiam graviora essent contrà experientiam, quia ferrum densius est plumbo ex Arist. 4. phys. c. 9 ad finem, & tamen non est gravius, ergo non est gravius quod densius.

DICO 3. Neque oriuntur ex solis primis qualitatibus, quia calor est in igne qui est levissimus, & etiam in terra quæ est gravissima. Calor item in aere & igne, neque tamen aer est æquè levis ac ignis: Præterea media regio aeris est frigida & humida, & tamen non habet gravitatem aquæ : Mixta etiam v. gr. lapis, aurum sive sint frigida sive calida, æquè sunt gravia; Neque responderi potest gravitatem & levitatem oriri ex conjunctione harum qualitatum, ita ut levitas oriatur ex siccitate & calore, gravitas ex frigore & humore ; Nam aqua calefacta est æq; gravis atq; antea, & tamen non habuit eandem conjunctionem qualitatum quam prius : Item ferrum calefactum & candens est æquè grave ac prius, & tamen mutavit conjunctionem qualitatum, &c.

Gravitas & levitas à quo principio. DICO 4. Gravitas & levitas oriuntur ex primis qualitatibus, si adsit debita raritas & densitas, probatum est duabus proximis conclusionibus has qualitates u otiv[illegible]non oriri à sola raritate & densitate, neq; à sola dispositione primarum qualitatum, jam asseritur utrumque requiri, & prob. 1. requiri dispositionem primarum qualitatum, quia Arist. 1. cœl. c. 3. ostendit cœlum ideò neq; grave esse neq; leve, quod careat contrarijs, id est, primis qualitatibus quę inter se sunt contrariæ ; At si gravitas & levitas nullo modo orirentur ex primis qualitatib', vitiosa esset Aristotelis argumentatio, ergò. 2. Omnia accidentia quę conveniunt corporib. corruptibilib. per mutationẽ aliquam, oriuntur à qualitatib' primis, quia omnis actio reducitur ad qualitates primas, ut docet Arist. 4. met. c. 1. & patet experientia, quia nullam videmus fieri mutationem nisi per calefactionem, frigefactionem, &c. ergò etiam qualitates motivæ oriuntur à primis: prob. posterius, quod videl. requiratur certa raritas & densitas; 1. videmus aquam rarefactam, ut est vapor, fieri levem. 2. aerem frigidum esse levem, ventum ẽt frigidissimum esse propter raritatem levem, ergò posita raritate & densitate oritur levitas & gravitas; Et hinc Arist. sæpe docet densum esse grave & rarum leve.

DICES 1. Si oriuntur gravitas & levitas à primis qualitatibus, factâ minimâ earum mutatione corrumpentur illæ, novæq; producentur, quia quælibet pars cõcurrit effective ad totam gravitatem & levitatem; sublata autem causa partiali efficiente, nec Dei virtute potest existere actio individualis, consequenter neque effectus nisi nova actione conservetur. Resp. 1. negando id quod infertur, esse absurdum sicut nec est absurdum, quando tegitur parva pars objecti visi, quod corrupta priori nova producatur visio. Resp. 2. gravitatem solum in fieri accipere esse suum à primis qualitatibus, in facto autem conservari à Deo sicut forma substantialis, proinde negatur sequela. Hinc patet motum gravium & levium solum produci à qualitatibus motivis, ut patet in speciebus sacris, à forma subst. denominativè.

DICES 2. L. 2. de part. animal c. 3. docet Arist. gravitatem & levitatem oriri à primis qualitatibus, & hoc non tantum confirmat harum definitio, sed etiam argumentum ejus rei est, quod terra, quando nimium incalescit, in exhalationem convertatur fiatque levis; similiter aqua frigore concreta gravior efficiatur. Resp. concedendo totum argumentum, sed interveniente simul raritate & densitate, ut habetur ex proxima conclusione & Arist. 4. physic. c. 9.

DIFFICULTAS XXI.

Quomodo differant gravitas & levitas.

Controversia est, an & quomodo tũ inter se tum à forma substantiali distinguantur.

DICO 1. Gravitas & levitas sunt qualitates motivæ distinctæ à formis substantialibus tam elementorum quam mixtorum. Ita communis est doctrina contra Vales. l. Phil. c. 48. Prob. illud est distinctum à forma vel substantia alicujus subjecti, quod potest ab eo separari; sed gravitas & levitas possunt separari à substantia tam elementorum quam mixtorum, ergò; fumus enim est essentialiter terra, & vapor aqua, & tamen tam fumus quam vapor & exhalatio naturaliter ascendit, ergò à terra & aqua potest naturaliter separari gravitas. Si dicas cum Valesio, gravitatem esse formam substantialem cum densitate qua caret exhalatio ; Contrà est, quo

enim

enim aliquid esset densius, eò etiam esset gravius, quod tamen est contra experientiam; Oleum enim est vino densius & tamen levius; similiter lignum, glacies & alia sunt aqua densiora, & tamen supernatant; Ad hæc vapor ascendit per levitatem quæ non est forma substantialis, quia levitas non venit à forma, sed à calore & raritate.

Gravitas & levitas quomodo differant.

DICO 2. Gravitas & levitas distingvuntur inter se specie. Prob. duæ qualitates seu virtutes motivę solo num. distinctę non possunt movere ad diversos terminos; sed gravitas & levitas tam in elementis quàm in mixtis hoc faciunt, ergò distingvuntur inter se non numero, sed specie; Nam calor cum raritate generat levitatem, frigus autem cum densitate gravitatem: Et mirum esset, duas qualitates, à quibus tamen diversi sunt effectus, ut motus sursum & deorsum, & quidem non per accidens sed per se, quæque sunt tam diversarum naturarũ, non differre inter se specie, sed tantũ num. quod proinde statuere absurdum, imò nefas esset; sed an gravitas quæ non tantum reperitur in terra & aqua, sed etiam in ligno & plumbo, dicenda erit ejusd. speciei, quod idem de levitate intellige: Resp. &

Gravitas in diversis corporibus non differt.

DICO 3. Gravitas una tam in diversis elementis quam mixtis non distingvitur ab altera. Est contra Conn. in fine libr. cœl. probl. 3. de aere, tum alios, quorũ rationes sunt istæ, prima quia movent ad distinctos terminos; Nam ignis movetur sursum simpliciter, aër autem secundum quid, & terra deorsum simpliciter, aqua secundum quid. 2. quia Arist. 4. cœl. c. 4. & 5. ex qualitatibus motivis colligit numerum elementorum, ex distinctione autem numerica qualitatum non potest colligi distinctio elementorum 3. quia aqua non tendit naturaliter ad centrum terræ, quod non fieret, si ejus gravitas esset ejusdem speciei cum gravitate terræ, existeret etiam aqua violenter extrà centrum terrę: sed ante responsionem ad hæc argumenta Prob. conclusio 1. calor intensissimus non distingvitur essentialiter ac specie à remisso, sed tantum accidentaliter secundum magis & minus, ergò nec gravitas simpliciter & summè intensa à gravitate remissa & secundum quid. 2. gravitas simpliciter intendit gravitatem secundum quid, ergo ab ea non distingvitur specie. Prob. antec. Nam gravitas terrę intendit gravitatem aquæ, sicut levitas ignis levitatem aeris cum videl. aqua in terram, & aer in ignem convertitur. 3. Si gravitas terrę distingveretur essentialiter à gravitate aquæ, & levitas ignis à levitate aëris, sequeretur quod idem deberet fieri in mixtis, adeòq; gravitas plumbi deberet distingui à gravitate ligni, cupri, argenti, &c. quia utrobique est par ratio, desumpta videl. à raritate & densitate materiæ; sed hoc absurdum est, ergò & illud. *Ad rationes* Conn. & aliorum respondetur primo neg. conseq.; Nam licet ignis moveatur supra aerem, non sequitur tamen ipsius levitatem ab alterius distingui specie, quia motus ille est à maxima raritate. Ad secundam Arist. rationem respondetur, hinc nihil sequi aliud aut colligi, quam quod ipse viderit ignem esse diversum ab aere & terram ab aqua, propter diversas proprietates quæ sunt qualitates alterativæ & motivæ, licet ipsæ non distinguantur invicem specie & essentialiter. Ad tertiam respondetur, verum esse quod aqua non tendat naturaliter ad centrum terræ, nec aer ad concavum lunæ ideò, quia aqua nõ est summè gravis nec aer summè levis, non autem quod utraque gravitas & utraque levitas differant essentialiter, quia sufficit accidentalis, quæque secundum magis & minus nuncupatur.

DIFFICULTAS XXII.

Quid sit densum, rarum, durum, molle, viscosum, aridum, glabrum, asperum.

Densũ quid Rarum.

DICO 1. Densum est, quod sub parvis dimensionibus multum habet materię & rarum quod contrà sub magnis parum, velut habet Arist. in Categor. de qualitatibus, densum est cujus partes sunt propinquæ, & rarum cujus distantes: Et meritò quidem, quia quæcunque corpora sub parva quantitate multum habent materiæ, ut videre est in plumbo, auro, argento, &c. hæc densa & coagmentata esse oportet; Quæ verò sub magno spatio parum cõtinent materiæ, ut patet in aere, vapore, fumo, spongia, &c. hæc rara sunt, quia non habent partes conjunctas & propinquas, sed distantes, ut habet Aristoteles. Quod si

DICAS, Aristotelem negare rarum & densũ esse qualitates, quia loco cit. ait, rarũ & densum asperumque ac læve apparere quidem qualitates, re tamẽ vera à qualitatis divisione videri remota: Deinde ex divisione densi & rari patet, utrumque non esse qualitatem sed quantitatem, quia ex definitione non colligitur modus qualitatis sed situs potius & extensio. Tandem in corporibus cœlestibus reperitur densitas & raritas, ut consentiunt Philosophi, & tamen neutra ex ijs censenda est qualitas, ergò eadem quoq; ratio erit in sublunaribus. Resp. ad primum Aristotelem loco cit. accipere densum & rarum juxta eam rationem, qua situm & positionem partium significant, & sic verũ esse; quod quantitatẽ & non ad qualitatem spectent; Quod si tamen considerentur secundum formalem rationem densitatis & raritatis, prout hic considerati debent, veræ & propriè dictæ sunt qualitates. Similiter Resp. ad secundum, in definitione densi & rari non explicari utrumque sub ea formali ratione qua sunt qualitates, sed explicari id quod connotatur à denso & raro, videl. partium situm & positionẽ. Ad tertium respondetur juxta quorundam sententiam cœlo inesse densitatem & raritatem & hanc utramque nec qualitatibus primis annumerandã esse, nec ab ijs oriri, prout fit cum raritate & densitate corporum sublunarium, sed habere sicut lucem aliasque cœlestium sphærarum qualitates, quarum origo diversa est ab origine sublunarium, proindeque nec primas esse nec secundas:

Quomodo densum & rarum ad quantit. spectant

Quomodo sint qualitates.

cundas: Confirmatur ex hoc, quia raritas & densitas, esto sint & in cœlis & in hoc mundo inferiori ejusdem speciei ex communiori & probabiliori Authorum opinione non necessario tamen habent eundem ubique effectum, ut patet in lumine quod apud nos colorem producit, quem in cœlo nunquam producit; Et sic nec raritas erit causa levitatis & mollitudinis, nec densitas effectrix gravitatis & duritiei in cœlis sicut in terris.

Durum & molle quid. DICO 2. Durum est quod per summam partem tactu non cedit, contrà verò molle quod cedit: Ita Arist. l. 4. meteor. c. 4. primum patet in lapide, in ferro, in quibus pars nulla quantumvis fortiter apprehensa & attacta cedit, secundum in cera liquefacta, in pulmento, in butyro & similibus, quæ ad quemvis contactum facilè cedunt; Hinc tamen excipit Arist. aquam quam loco cit. ait mollitudinis expertem esse, eò quòd summa pars in imum ex compressione nō cedat, sed adverso planè teneatur conatu. *Viscosum.* Viscosum est quod certo modo humidum est, id est, cujus partes lento humore copulantur, ut patet in oleo: *Aridum.* Aridum verò quod perfecto modo est siccum ut pulvis terræ, unde viscosum & aridum, quod nullo modo per humorem copulatur, sequitur humidum & siccum. *Glabrum seu leve.* Glabrum seu læve est, dum partes omnes recta situatione sunt positæ; scabrum verò & asperum, dum partes quædam eminentiores sunt & quædam humiliores Ita Arist. de Categor c. de qualitate, ubi has qualitates vocat modos quosdam corporum sublunarium, densitatem verò & raritatem principia omnium affectuū 8. phys. c. 7. *Scabrum & asperum.* Cæterum oritur lentor seu viscositas ex accurata humidi cum sicco permistione, qualis est in oleo, cera, pice & similibus, quia humor & siccitas permutatione quadam componuntur, ita ut propter humorem res trahi possit, propter siccitatem verò si diminutatur iterum, retrahatur, quia naturaliter siccum trahit humidū ut videmus in carta bibula; *Viscositas unde.* Hinc si partes humidę bene comprehendant siccas, fit ut dum siccæ expelluntur, simul secum trahant humidas, idcoque aurum, quia partes habet siccas cum humidis optimè permistas, adeo est lentum; ista autem mistio sic fieri docetur à Zabarell. l. de gen. mist. c. 5. calor humidum valdè extenuat & dividit, quod deinde sic minutim divisum in se miscetur, unitur ac conglutinatur, quo facto forma metalli v. gr. auri vel argenti inducitur, è qua deinde proveniens frigus illas particulas commistas & unitas insuper vehementer congelat ac stringit, atque ita complementum operi imponit, &c. *Mistio in re lenta & viscosa ut auro quomodo fiat.*

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Morbo in genere.

VNa est & maxima ex miserijs humanis toto eo tempore quo vivimus, varijs morborum generibus affligi, tandemq; hic in terris desinere. Mors nimirùm in pœnam data est, & corpus varijs alterationibus subjectū, à nullo corruptibilitatis vindice reservandū: Hoc experitur cum Adamo primo tota humani generis posteritas, quâ generatio unius interdum alterius sequitur, & qua nemo firmissima licet sit compage corporis, victor à morte & data inobedientiæ pœna inultus remansit; Neque enim alia est conditio rerum sublunarium & imprimis humani corporis quam mutari, nec alia in his terris beatitudo quam ad tempus tantum durare ac demum corrumpi, cum sublatum sit donum immortalitatis per amissionem arboris vitæ; Non tamen omnes æqualiter affligimur morbis aut etiam ijsdem, quia non omnes æquali constamus structura partiū, nec eâdem connaturali complexione, nec etiam eadem cōmittimus, quorū præmium est alteratio & morbus, sed nec decebat hominem ad æternā felicitatem gloriamque natum & creatum tanto annorum spatio à cœlesti fulgentiq; summæ majestatis trono excludi, & à beatissima tot Angelorum & gloriosiss. tot civium sanctorum consortio separatum existere: Mors enim accidit post commissum peccatum, & morbus velut amicissima dispositio ad interitum, virtus vero resurgendi ex sola Dei misericordia, ne scil. homo, cujus finis est cœlestis beatituto & & fruitio conditoris Dei, in æternum hîc inter sublunaria miser esset, aut omninò desineret. Cæterum de morbo tanquam de connaturali humanarum miseriarum conditione dicetur hac præsciti disputatione, ut paulatim constet, quid homini morbo periculosè & funestè ingruente supersit: Oritur itaque imprimis

DIFFICULTAS I.

Quid sit morbus.

NOta, In morbo hæc quatuor sicut in sanitate diligenter esse observanda: primū est, quod præter naturam corpus afficit, & est morbi causa v. gr. calculus in renibus & vesica, humor frigidus, viscosus, obstruēs vias & meatus, sangvis putrescens in febribus, gladius in solu- *In morbo quæ observanda.*

ta

ta membri alicujus unitate, &c. Alterum est morbus ipse ex hac causa profectus, ut obstructio ex humore viscoso in quibuscunque meatibus & cavitatibus, calor febrilis in corde accensus, vulnus à gladio inflictum, &c. Tertium est operatio quæ à corpore ita affecto proficiscitur, ut debilis visio ab oculi vitiosa constitutione, mala ventriculi digestio ab ejus intemperie. Quartum denique à priori vix differens est affectus hujusmodi operationem comitans, i.e. accidens aut symptoma morbo conjunctũ, ut dolor qui est cũ inflamatione oculi aut membranę interioris, consumptio partium carnosarum quæ tabes dicitur, color pallidus, lividus, habitus corporis vitiosus, &c. jam quæritur, in quonam ex hic formaliter consistat morbus, an in uno vel in omnibus, & quæ potissima est difficultas, an omninò idem sit affectio seu constitutio pręternaturalis corporis, quod intemperies, solutio continui & vitiosa compositio, an verò sit aliquid superadditum & ab his omnibus distinctum.

Sunt autem variæ morbi definitiones sive descriptiones quæ extant apud Authores; Nam Christophorus à Vega l. 3. de arte medica c. 1. vocat morbum relationem. Aliqui ex Aristotelicis appellant privationem sanitatis: plerique; tam Medici quam philosophi affectum pręternaturalem. Senn. l. 2 Instit. medic. p. 1. c. 1. dicit esse impotentiam sive ineptitudinem ad actiones naturales exercendas à constitutione præternaturali provenientem; & hanc definitionem ait esse formalem, materialem verò qua morbus dicatur constitutio præternaturalis vitiatæ functionis causa, quæ definitio est Gal. l. de diffic. morb. c. 2. aliorumque medicorum.

Morbus non est relatio. DICO 1. Morbus non est relatio ut vult Christ. à Vega. Prob. 1. relatio non est ens reale & positivum, sed fit tantum per intellectum, & si quam habet realitatem, eam non habet nisi à suo fundamento ut constat ex logicis; sed morbus est ens reale & positivum, etiam antequam intellectus quicquam operetur, ergò non est relatio. 2. relatio non est activa, non habet contrarium, non suscipit magis & minus, quemadmodum de morbo constat, ergò non erit relatio.

Morbus nõ est impotentia. DICO 2. Morbus non est impotentia operandi formaliter ut ait Senn. citatus. Probatur, quia illud est formaliter morbus, quod immediatè causam morbosam & præternaturalem sequitur; sed impotẽtia & ineptitudo ad actiones naturales exercendas non sequitur immediatè causam morbosã, ergò. Prob. quia impotentia tam in naturalibus & vitalibus quàm in animalibus sequitur morbum, id est, constitutionem præternaturalem, habetque se ut signum per quod cognoscimus naturam & essentiam ipsius morbi partiumque affectarum: sicut cum in homine depravatam digestionem sive impotentiam coquendi cibos in stomacho deprehendimus, id ab ejus intemperie & vitiosa constitutione provenire judicamus; sic impotentia & defectus videndi, audiendi, &c. præsagiunt affectum præternaturalem oculorum & aurium, quod idem in reliquis omnibus actionibus fieri intellige, quia semper ex peculiari morborum constitutione sequitur earum defectus & impotentia quæ proinde sicut ex se nullam habet vim agendi in corpus, ita etiam semper morbum supponit, habetque se ut symptoma.

Nec habitus vitiosus corporis. DICO 3. Morbus etiam non est habitus corporis vitiosus. Ratio est, quia hic primum subsequitur morbum, habetque rationem signi & symptomatis, ergo non potest esse morbus. Antec. patet inductione; Nam color v. gr. pallidus, lividus, quique mortis imaginem repræsentat, est à morbo quem etiam indicat; similiter consumptio corporis, partium inanitio, atrophia, tabes, ex quibus deformitas corporis oritur, fiunt à specie & natura morbi, cujus vehementiâ hæc aliaque succrescunt symptomata, nosque in cognitionem morbi deducunt.

DICO 4. Morbus etiam non est privatio sanitatis nisi impropriè. Ratio est, quia morbus est accidens reale læditque per se operationes etiam ante omnem intellect⁹ operationem, ergò. Quod si tamen subinde appelletur privatio, id impropriè fieri solet quemadmodum sæpè Arist. inter duo contraria illud quod est imperfectius, dicere solet privationem, ut patet ex 10. Met. cap. 7. & 5. ubi nigrum vocat privationem albi tanquam id quod est albo imperfectius.

DICO 5. Morbus spectat ad prædicamentum qualitatis. Ratio prima est, quia morbus intenditur & remittitur suscipitque magis & minus ut inductione omnium morborum constat. Secunda, quia habet contrarium tam quoad se quam quoad suam causam, quocunque [illegible] modo sumatur contrarium. Tertia, quia expellitur per ea cum quibus habet di[illegible]tum. Quarta, quia activus est opprimitque vires & sanitatem, ergò. Sed qualis demum est qualitas, an ipsa conjunctio corporis p. n. an verò novum quid huic superadditum?

DICO 6. Morbus non est qualitas aliqua nova resultans & superaddita depravatæ corporis constitutioni, sed est formaliter ipse affectus sive constitutio p. n. vitiatæ functionis causa. Ita docet Fernelius lib. 1. de morbis cap. 1. ex Gal. & sequuntur Conn. lib. 2. de gener. cap. 8. quæst. 1. a. 1. omnesque passim Philosophi & Medici, qui omnes uno ore dicunt, morbum nihil aliud esse quam ipsam depravatam corporis constitutionem sive dispositionem, à qua manifestè offendantur ejus actiones vitales, sive hæc dispositio consistat in intemperie, sive in unitate soluta, sive in perversa partium configuratione & compositione. Probatur conclusio 1. sanitas definitur quod sit affectus secundum naturam, ergò è contra morbus erit affectus præter naturam, quia contrariorum eadem est ratio juxta commune axioma; *Morbus idẽ est quod constitutio p. n.*

adeoq; cum quis definitionem alicujus rei novit, etiam aliquo modo eâdem definitione ejus contrariũ cognoscit & defectum. Prob. 2. ipsa forma & esse intrinsecum morbi est constitutio corporis p.n. ergò morbus formaliter est affectus & constitutio p.n. 1. Antec. patet, quia in hoc consistit morbus, quod faciat corpus aliter se habere quam illi ex præscripto naturæ competat. Dicitur itaque imprimis morbus affectus, quia est qualitas sive accidens quod afficit corpus, & à quo dicitur homo morbosus malèque affectus. Dicitur 2. præternaturalis, quia non debetur hic affectus corpori juxtà naturalem suam exigentiam, sed accidit illi tanquam aliquid quod est vel præter vel contrà naturam. Dicitur 3. vitiatæ functionis causa, quia morbus est, à quo immediatè corpus omnesque ejus actiones offenduntur. Nam sicut sanitas est dispositio quâ præsente laudabiliter administrantur omnes actiones vitales; Ita in contrarium morbus est, quo corpus viribus & robore actionum quæ sunt ad conservandam vitam, defraudatur. Prob. 3. morbus illa est qualitas quæ à causis non naturalibus in corpus eversâ prius sanitate inducitur; sed hæc nihil aliud est quam ipse affectus & constitutio p.n. ergò. minor constat, quia præter hunc affectum, causam & symptoma nihil est à quo corpus malè afficiatur; Nec est affingenda nova qualitas, ergò ex affectu p.n. resultat, ut patet ex iis quæ jam pridem de sanitate dicta sunt.

DIFFICULTAS II.

Quid respondendum sit argumentis in contrarium.

DICES 1. Febris est morbus; sed febris non est affectus p.n. ergò nec morbus erit; minor constat ex definitione febris, quæ dicitur calor p.n. accensus in corde. Resp. neg. min. quia febris reverà est affectus p.n. corpusque ad interitum afficit: Ad probationem dico, febrem vel considerari genericè in quantum est morbus, vel specificè in quantum est hic morbus seu febris; si primum, dicitur affectus p.n. sicut & omnis alius morbus. Si secundum, est ipsius forma calor p.n. à qua specificatur accipitque esse morbi intemperiei.

DICES 2. Si omnis morbus specificus potest dici affectus p.n. ergò omnis morbus in specie est genericus, quod falsum est. Resp. si morbus specificus v.gr. febris, obstructio, vulnus, tumor, &c. consideretur genericè in quantum est morbus abstrahendo à suo specifico vel generico subalterno, verè dicitur affectus p.n.; si autem consideretur specialiter, competit illi præter hoc specialis descriptio, quæ naturam ejus explicet, cum à priori solum genericum habeat; sic febris est affectus p.n. quia morbus est, calor autem non naturalis accensus in corde, quia est affectus & morbus intemperiei; Et hoc idem intellige de reliquis in specie affectibus eodem omninò modo, quo homo rationem genericam ut est animal, & specificam ut homo participat.

DICES 3. Si morbus esset affectus p.n. sequitur è contrà sanitatem esse affectum naturalem, quia contrariorum eadem est ratio; sed hoc falsum est, ergò & illud. Prob. minor, quia sanitas essentialiter consistit in bona qualitatum primarum temperie, in laudabili connexione partium earumque continuatione & formatione. Resp. neg. minorem, quia ipsa qualitatum connaturalis temperies, &c. constituunt ipsam sanitatem sive affectum naturalem à se non distinctum ut patet ex disput. de natura sanitatis; si ergò sanitas consistit in uno; consistit etiam in altero, quod idem de morbo intellige.

DICES 4. Non omnis morbus est constitutio p.n. ergò hæc malè de illo universè prædicatur. Anteced. probatur, quia constitutio p.n. est, cum totum corpus languet & morbosum est, quod non accidit in omnibus morbis v. gr. in tumoribus, in vulneribus, inflammationibus, &c. in quibus una solùm pars corporis & aliquæ tantum actiones læduntur. Resp. quando dicitur, morbum esse affectum p.n. non intelligendum est, quod totum corpus omnesque ejus partes oporteat esse affectas, sed sufficit si una vel altera malè habeat, ut videmus fieri in affectibus particularibus, in quibus non est tantus consensus cum corde cæterisque primariis visceribus: Nam constitutio p.n. in ampla significatione extendit se ad quoscunque etiam minimos affectus, modò apprehendant aliquam partem integrantem corporis, Et hinc si

DICAS 5. Sunt morbi in quibus nullæ actiones læduntur, ergò falsum est, quod morbus sit vitiatæ functionis causa. Resp. neg. anteced. quia homo nunquam dicitur morbosus, nisi cum primùm manifesta operationum læsio deprehenditur, quia ex his in cognitionem morbi ejusque causæ & partium affectarum venimus: falsum itaque est dari affectum aliquem in quo nulla omnino actio lædatur, quia etiam in pustulis, tuberculis, scabie aliisque vix notabilibus actiones propriæ, tum nutritio, digestio, &c. læduntur.

DICES 6. Morbus non potest esse causa læsæ actionis, quia ex se non est activus, ergo mala est definitio. Anteced. patet, quia constitutio p.n. non est productiva alicujus effectus; Et confirmatur hoc à sanitate, quæ ut est affectus naturalis nihil operatur. Resp. hoc ipsò quod morbus sit constitutio p. n. lædit actiones, quia malè afficit corpus; Quomodo autem lædat operationes, & an semper æquè, infrà videbitur, sanitas operatur hoc quod constituat hominem sanum, quæ actio est præstantissima.

DICES 7. Functiones vel actiones non possunt lædi, ergo morbus non est causa vitiatæ functionis. Antec. probatur, quia operationes nihil sunt antequam egrediantur ab

Agen-

Agente. Reſp. verum eſſe quod nec potentiæ, in earum præſertim ſententia qui has ab anima non diſtinguunt, nec earum operationes per ſe & propriè lædantur; Quia tamen Medicus ex defectu actionum vitalium eſſentiam & naturam morbi colligit, adeoq; utplurimum ſenſualis eſt, idcircò vel has depravari vel omninò etiam corrumpi cenſet, eſto tantùm organa eorumq; diſpoſitiones alterentur & immutentur per ſe & primariò, potentiæ verò & actiones earum ſecundariò & concomitanter ſive per accidens.

DIFFICULTAS III.

Ad quam ſpeciem qualitatis poſſit revocari morbus.

DICO 1. Morbus revocari poteſt ad primam ſpeciem qualitatis, videl. ad habitum & diſpoſitionem. Prob. primum, morbus eſt qualitas à ſubjecto difficulter mobilis, ergò ſpectat ad habitum; Antec. patet in ſectica, quæ morbus eſt habituatus, unde & nomen obtinuit; Nam penitiores hæc occupat artus habetque dominium in univerſum corpus à quo proinde difficulter amovetur. Prob. ſecundum, quia morbus eſt vera diſpoſitio ad graviſſima cujuſq; generis accidentia, v. gr. ſcirrhus Epatis & lienis, firmata obſtructio ad hydropem, exulceratio pulmonum ad mortem, &c. Deinde priuſquam morbus manifeſtè hominem apprehendat ſolemus eam conſtitutionem vocare diſpoſitionem quia adhuc eſt facilè mobilis; contrà verò habitum, quando jam corpus manifeſtè occupavit & ſanitatem expulit.

Morbus non eſt impotentia. DICO 2. Morbus non ſpectat ad ſecundam ſpeciem, id eſt, ad impotentiam; ratio eſt, quia morbi natura & eſſentia non conſiſtit in impotentia hac, quæ nullam habet vim agendi, & morbum ut ſymptoma ſequitur.

Sed patibilis qualitas. DICO 3. Morbus eſt de genere qualitatis patibilis. Hoc patet in febre alijſque ſive defectibus ſive exceſſibus primatum qualitatum: Deinde illa eſt qualitas tertiæ ſpeciei, quæ ſubjectum afficit & in eo paſſionem excitet; ſed hoc facit morbus, ergò. Major patet ex diſput. 4. hujus lib. diffic. 5. minorem docet experientia, quia ſive morbus citò tranſeat ſive diutius duret, ſemper periculum facit in corpore, ſed & ipſa ejus paſſio & patibilis qualitas dici poteſt. Quodſi

DICAS, morbus nec eſt qualitas firmiter inhærens ſubjecto, nec eſt ad ornamentum ſubſtantiæ, i.e. corporis ęgri, ergò non eſt patibilis qualitas. Reſp. neg. antec. quia imprimis firmiter inhæret ſubjecto cui ineſt, eſto mediis naturalibus citò expellatur; ſic enim & albedo eſt qualitas firmiter inhærens in pariete, eſto hic facilè denigretur; Deinde eſt ad complementum ſubſtantiæ, i.e. corporis ægrotantis, quia pertinet morbus ad corpus ægrum, ut hoc ſine illo exiſtere non poſſit, atq; ita eſt morbus ad complementum corporis ægri, ſicut ſanitas ad perfectionem corporis ſani, & calor ad conſtituendum ignem.

DICO 4. Etiam refertur morbus ad quartam ſpeciem, i.e. ad formam & figuram. Ratio eſt, quia reperiuntur multi affectus, quorum eſſe & natura conſiſtit in deformi poſitione partium & monſtroſa terminatione materiæ ſeu quantitatis, ut patet in omnibus affectibus ſolutæ unitatis, conformationis, compoſitionis, &c. Ergò in vitioſa forma. *Adverte* tamen, non accipi hic formam pro parte eſſentiali corporis naturalis, ſed pro qualitate reſultante ex varia terminatione quantitatis, ſicut quadrangulum habet formam ex terminatione 4. linearum ad 4. angulos conſtituendos. Et hoc idem de figura intellige, quia etiam hæc accipitur propriè pro aliqua qualitate reſultante ex varia terminatione quantitatis, quomodo triangulum dicitur eſſe figura quatenus reſultat ex terminatione trium linearum ad tres angulos conficiendos, &c. *Quæ accipio formâ & figurâ.*

DIFFICULTAS IV.

An morbus lædat actiones vel ejus cauſa & quomodo.

TRia ſunt quæ in humano corpore præternaturalia reperiuntur, videl. morbus, cauſa morboſa & accidens ſive ſymptoma quod morbum ſequitur; Jam quæritur, quodnam ex his lædat operationes & vires, an unum, duo vel tria, & quomodo id fiat.

Suppono 1. Non ejuſdem rationis eſſe morbos omnes, ſed quoſdam intemperiei, alios ſolutæ unitatis, alius vitioſæ compoſitionis. 2. nec actiones, nec facultates per ſe lædi, ſed tantùm organa; His poſitis

DICO 1. Cauſa morboſa lædit actiones, ſed mediatè: per cauſas morboſas intellige quicquid ad gignendum morbum concurrit, & de quibus infrà. Prob. primum quod videl. lædat operationes, quia accidit p. n. corpori habetque ex ſe vim alterandi & movendi, ergò corrumpit actiones & ſanitatem, quod confirmatur in nimio potu v. gr. calore ſolis, diuturnis vigiliis, hauſto veneno & ſexcentis alijs, quorum injuriâ & inclementiâ corpus patitur. Prob. ſecundum quod lædat mediatè, quia non intendit ex ſe actiones corporis offendere, ſed tantum invehere intemperiem, ſolutam unitatem, &c. ergò etiam primò ſanitatem expellere morbumq; gignere, tum hoc mediante vires minuere & operationes; Antec. patet inductione variarum cauſarum; Nam gladius v. gr. non intendit perdere vim animæ in eliciendis actionibus vitalibus, ſed tantum ſolvere unitatem partium; ſimiliter calor ſolis, vinum forte, frigus obſtruens poros cutis, &c. non determinantur ex ſe ad ullas vires corporis primò & immediatè infringendas, ſed tantùm ad inducendum morbum vel intemperiem, quod idem de omnibus alijs cauſis morboſis intellige. *Cauſa morboſa mediatè lædit actiones.*

DICES, Causa morbosa ex se determinatur ad corruptionem organorum quorum beneficio eliciunt potentiæ suas operationes, ergò causa lædit immediatè; Antec. patet in ferro, quod dum venam, carnemq; ferit, ex se organum corrumpit. Resp. neg. conseq. quia dum gladius continuum solvit, morbum facit; dum calor putrilaginosus spiritus cordis incendit, febrem gignit; dum frigus externum ventriculo incumbit, intempeniem producit. Itaque semper morbus prior est prioritate naturæ si non temporis, ut patet in debilitate virium quæ accensum cordis calorem immediatè sequitur, & in mala ventriculi concoctione quæ naturâ posterior est quàm ipsa frigiditas ventriculi.

DICO 2. Symptoma nullas lædit operationes. Ratio est, quia symptoma cum sit effectus morbi, ex se nullam habet vim agendi, sed nec ullam realitatem aut existentiam nisi cum producitur vehementiâ morbi; Plura vide infrà Disp. 18. diffic. ultimâ. Quod si

Symptomata non lædunt.

DICAS, ex gravioribus & vehementioribus symptomatis oriuntur majores virium debilitates & offensæ operationum, ergò symptomata ex se lædunt operationes. Resp. neg. conseq. quia sunt morborum hæ debilitates, & quicquid in corpore morboso est ad interitum suppositi, id ad morbi vim, essentiam & naturam efficienter spectat, quod Exemplorum varietate illustratur; Nam quicquid in dolore intensiss. accidit, ut cõvulsio, virium exhaustio, sanguinis rarefactio, humorũ attractio, inflammatio, &c. id non ad dolorẽ efficienter spectat, sed ad morbũ ejusq; causam proximam & immediatam, videl. ad vaporem sive frigidum, sive calidum partes sensibiles distendentem, vel ad humores acres & mordaces, à quibus dolor & cæterorum symptomatũ series exoritur; similiter cum in vulnere sequitur maximus dolor, & hunc vigiliæ, deliria, inflammationes, humorum affluxus, tumores, &c. ad solutam unitatem à qua tot se mutuò excipiunt effectus, pertinent: Nam ubi dolor, ubi morbus est, ut alibi pluribus patebit.

DICO 3. Morbus lædit operationes immediatè, sed non semper eod. modo. Prob. 1. pars primò, morbus est à quo primò & immediatè expellitur sanitas, ergò etiam ab eo læduntur immediatè operationes; Antec. patet, quia comprimũ homo manifestè fit morbosus, langvent vires & operationes, ex quibus etiam in cognitionem morbi devenimus; deinde ad morbum pertinet solvere & corrumpere immediatè sanitatem, ergò ab hoc pendet immediatè virium & actionum vitalium corruptio. 2. febre debilitantur immediatè vires & deficiunt actiones tanquam à principio proximo, ut patet sensu & efficacia caloris, ergò quod de febre verum est, de alijs quoque morbis verum erit. 3. nihil præter morbum superest à quo immediatè lædantur operationes, ergò. Prob. 2. pars quod videl. non semper eodem modo lædantur operationes à morbis, quia diversæ sunt horum essentiæ & naturæ, ideòque etiam alium agendi modum obtinent; Nam aliter læduntur actiones vitales in intemperie, aliter in obstructione, aliter in soluta unitate, ut inductione singulorum manifestum est, & ex vi horum Agentium comprobatur.

DICES, Morbus non semper est activus sive sumatur in genere pro affectu p. n. quod nomen competit omnibus morbis, sive in specie pro intemperie, pro soluta unitate, pro vitiosa compositione, &c. ergò morbus non lædit operationes. Antecedens patet in obstructione, quæ ex se nullam habet vim agendi sicut nec soluta unitas nec vitiosa conformatio, &c. Resp. neg. antec. ex definitione morbi qui dicitur affectio seu constitutio p. n. cum hac adjectione quod sit causa vitiatæ functionis, non quidem causa materialis aut finalis, sed formalis & efficiens quocunque tandem modo. Et confirmatur, quia affectio est qualitas positiva à qua corpus præternaturaliter habetur, multasque cùm alterationes tum corruptiones circà temperiem, cõplexionem, organa, facultates, actiones nexumque & unitatem partium patitur. *Advertæ* tamen, non eandem esse vim & efficaciam omnibus morbis, quia non est omnibus eadem natura & essentia. Et utboc inductione constet, & quidem imprimis de intemperie, de quâ tamen nulla est difficultas, calor p. n. spiritus corrumpit, vires exhaurit humidumque radicale consumit; similiter frigus calorem naturalem opprimit omnesque actiones vitales, quæ ejus beneficio administrantur, corrũpit. Quod ad solutam unitatem, constat vulnus esse morbum, & hoc ex se non habere vim ullam agendi; quia sive consideretur ut est negatio unitatis, sive ut cavitas rotunda, quadrata, profunda, sinuosa; &c. activum non est; agit tamen materialiter, i. e. quia est talis affectio sive dispositio partiũ, quæ non competit animæ ad benè operandum; Nam sicut ad operationum vitalium administrationem requiritur debita & connaturalis prim. qualitatum contemperatio; Ita etiam partium organicarum conformis unitas & nexus debitus, quia hæc sunt media & accidentia quibus operetur anima. Idem de vitiosa compositione dicendum est; Nam si hæc consideretur ut est p. n. quædam magnitudo, numerus excedens, nexus depravatus, situs inordinatus, meatus & cavitas minus libera, nullam habet vim agendi, nec ad ullam actionem determinant animam ejusque potentias; si verò consideretur ut est dispositio quæ vim animæ impedit negatq; concursũ potentijs ad eliciendas actiones vitales & connaturales, activa censetur & esse causa vitiatæ functionis. Itaque omnis morb⁹ activus est qui sumitur pro ea dispositione quæ ad eliciendas operationes impedit influxum animæ, quia minimùm censetur habere vim aliquid efficiendi, quocunque tandem modo id fiat: Nam etiam umbra quæ infaotem terret virũtq; ab accessu arcet, agere dicitur, sicut & glacies, quæ incumbentem in aquas demergit & submergit, quia videl. utraque est dispositio ad incompetentes operationes; similiter absentia solis aërem refrigerare dicitur, quia sol est conditio sine quo aër nec calidus est nec tepidus.

Quomodo morbus activus sit.

DIF-

DIFFICULTAS V.

An & quomodo morbus sit qualitas facilè vel difficulter à subjecto mobilis.

ARistoteles nullibi morbi mentionem facit, nisi cum de qualitatibus agit; Ratio est, quia videtur ipse reduxisse omnem morbum ad primarum qualitatum intemperiem, & cum solum affectum agnovisse in humano corpore qui ex intemperie resultet; Medici verò aliter usurpant nomen morbi, affectus vel constitutionis, p.n. quia non tantum ille est affectus in humano corpore, qui est intemperiei, sed etiam qui consistit in solutione continui, in mala compositione, conformatione, &c. ut constat ex Fernel. l. 1. pathol. c. 1. ubi ait, affectum non appellari ea præcisè angustâque significatione quam Arist. usurpaverit, sed admodum larga & multiplici verbi potestate, quæ omnem corporis constitutionem p.n. continueat, sive hæc in substantia, sive in qualitate & temperamento, sive in conformatione consistat.

Advette, morbum dupliciter considerari posse; 1. secundum se suamq; naturam. 2. in ordine ad corpus ægrum.

DICO 1. Morbus secundum se sumptus à subjecto mobilis est. Ratio, quia est accidens & non spectat ad integritatem & complementum corporis. ergò.

DICO 2. Secundum Aristot. omnes morbi tam in ordine ad se quàm in ordine ad corpus sunt à subjecto ex se mobiles, de primo non est dubium; de 2 probatur, qualitates quæ corpori extrinsecùs, violenter vel per errorem accidunt, sunt fluxiles, factâq; primâ alteratione rursum à subjecto dimoventur, ut patet in aqua calefacta, in pariete dealbato, in spongia humefactâ, &c. sed talis qualitas est morbus qui homini extrinsecus vel per errorem accidit, ergò separabilis est à subjecto. Et confirmatur, quia hujusmodi peregrina qualitas non ingreditur naturalē constitutionem subjecti, ergò à contrario pellitur, vel recedente causa conservante removetur, vel à potentia conservativa subjecti supprimitur: Dico tamen ex se, quia si aliquando interitus sequatur, id est, per accidens tam ratione morbi quam corporis, cui ille est incommutabilis.

DICO 3. secundum Medicos, aliquando morbus est à subjecto facilè mobilis, aliquando difficulter, sæpè nunquam, primum & secundum patet experientia, quà constat apud Medicos practicos, quod sæpè vel unico solutivo aut alterativo morbum vel causam tollant; sæpè etiā difficulter id præstant; Est etiam rationis, cum præsertim non est proportio inter morbum & corpus ægrum. inter agens & patiens, inter actionem & passionem sive resistentiam, ut proinde corpus nō sufferre possit tam violentū hostem; Et accedit authoritas Galeni ex Fuchsio instit. l. 3. f. 1. c. 1. & 3. ubi ait Galenum non strictè usurpasse nomen affectus sicut Arist. fecerit, prout sc. ab habitu firmo distinctus est, habetq; rationem dispositionis facilè mobilis, sed longè & amplè pro omni affectu corporis, sive is sit facilè sive difficulter mobilis sive sit intemperiei, sive solutionis continui sive vitiosę conformationis, ex quo patet, aliquos morbos habere se ut dispositionem. aliquos ut habitum. Quod autem aliqui morbi nunquam sint à subjecto mobiles naturaliter, constat ex alibi dictis de podagra, lepra, partibus membrisq; corruptis, exulceratis, putrilaginosis, emortuis, quæque non nisi reproductionem soli Deo competentem requirunt.

DIFFICULTAS VI.

An omnis excessus à naturali constitutione corporis sit morbus.

COnstat præter integritatem omnium partium corporis bonamq; conformationem consistere sanitatem in debito & connaturali temperamento animalis; Jam quæritur, an si animal ab ejusmodi qualitatum temperatione nonnihil recedat, statim sit dicendum ægrum, id quod etiam proximâ disput. de sanitate quæsitum fuit.

Suppono, Morbum semper commensurandum esse cum actionibus seu functionibus humani corporis, ita ut iis vel multum vel parum; vel etiam nihil deficientibus homo in statu sano vel neutro existat, vel etiam magis minusque dicatur morbosus. His positis repeto nupera &

DICO 1. Falsum est quod ad quamcunq; mutationem sive alterationem naturalis temperamenti homo statim sit dicendus æger. Prob. 1. sanitas nō consistit in indivisibili 4. primarum qualitatum termino, ut videre est ex alibi dictis de sanitate, ergò nec ad quemcunq; huius defectum vel excessum accidit morbus, quod cōfirmatur ex statu neutro. qui communis est & receptus nō tam philosophis quam medicis; In hoc enim homo non dicitur verè morbidus esse, quamvis nonnihil à statu sanitatis deflexerit. Prob. 2. experientia quâ videmus, homines aliquando multis diebus inter morbum & sanitatem luctari, donec aut verè dicantur morbosi, aut evictis primis dispositionibus ad perfectam sanitatem redeant 3. Prob. Authoritate medicorum, qui ad observandas suas crises non incipiunt numerare morbum ab eo tempore; quo homo malè sentit, sed quo manifestè vires & actiones deficiunt.

DICO 2. Falsum etiam est, quod præter levem aliquam temperamenti mutationem homo dicatur ægrotare, cum circà solutionem continui & vitium compositionis nonnihil patitur, nisi sub ampla morbi sumptione. Patet hoc in levioribus tuberculis, tumoribus, cutis exulcerationibus, obstructioib⁹, exiguis vulnerib⁹, contusionib⁹, compressionib⁹, in quib. nemo nisi hypochondriacus hominē ęgrum dixerit. Hic tamen *adverte*, constitutionē p.n. quę

latius aliquando extenditur non tam esse metiendam ex actionibus læsis quàm ex duratione; Exhinc dicitur homo morbosus ex ea soluta unitate quæ actiones notabiliter lædit, tum ex mala partium compositione & confirmatione quæ durabilis est & difficulter mobilis ut gibbus, caput aut linguâ magnitudine excedens, compressio Thoracis, &c.

Quæ differentia inter morbum & affectum. DICES, Si mala constitutio, quæ est ex vitio nativæ conformationis, est inter morbos numeranda, licet parum offendat operationes, sequitur etiam statum neutrum esse morbum dicendum, quia hic æquè aut plus etiam offendit corpus. Resp. ex sententia Medicorum neg. sequelam; Ratio est, quia status neuter habet fluxum, vim & tendentiam ad esse morbi, est q; non ita durabilis; affectus autem conformationis & vinosæ compositionis nullâ habent præviam dispositionem ad morbum, sed sunt firmi & habituati, ideoq; induunt rationem morbi. Deinde differt morbus ab affectu p.n. in hoc, quod morbus sit affectio, quâ præsente homo dicatur verè ægrotare, affectus autem latius se extendat, omnemq; significet affectum corporis p.n. sive corpus parum aut omninò nihil offendat, ut sextus digitus, tertius testiculus, duplicatio dentium, oculorum in colore & magnitudine varietas, & similia quæ minutia sunt.

Colligitur, quando dicitur morbum incipere ad manifestam læsionem actionum, spectare solùm & propriè ad morbos quia causis p.n. & erroribus circà victum aliasq; res non naturales fiunt, non autem ad eos qui nobiscum connascuntur.

DIFFICULTAS VII.

Quomodo incipiat morbus.

SEnsus quæstionis est, an morbus referendus sit inter res permanentes an successivas, et si inter res permanentes, an incipiat in instanti an verò in tempore; Ratio dubitandi est, quia cum non soleamus hominem ægrum dicere quando incipit malè sentire, sed cum notabiliter deficiunt vires & actiones vitales, adeoq; toto tempore præcedente sit status quidam neuter, videtur simul fieri totus morbus atq; ita totus gigni in instanti; Cumprimùm enim desit status neuter, jam totus simul existit morbus, &c. Cæterùm hæc difficultas intelligatur, quàm Arist. l. 6. c. 5. & l. 8. c. 8. phys. perstrinxit,

Adverte primò, Inceptionem significare initium durationis rei, desitionem verò finem durationis ejusdem.

Secundò, res quę incipere & desinere possunt; esse in duplici differentia; alias permanentes, ut homo, leo, calor, &c. alias successivas ut tempus & motus.

Tertiò, rerum permanentium alias habere suum esse in instanti, & illud rursum in instanti amittere, vel sine expulsione contrarii, ut materia prima & Angeli, quorum esse incepit per creationem in instanti, & desinere potest similiter per solam annihilationem instantaneam, vel cum expulsione contrarii, ut fieri solet in formis omnibus sive substantialibus sive accidentalibus, quorum illæ in instanti, & hæ per motum & tempus in materiâ expulsâ prius formâ priori inducuntur; Nam sic anima rationalis expulsâ prius formâ Embryonis producitur, quantitas verò acquiritur successivè per motum accretionis, & amittitur per motum durationis; sic item qualitates non nisi successivè producuntur, ut morbus intemperiei & calor per successivam calefactionem.

Quartò, quando quæritur, quomodo res incipiant & desinant, nihil aliud quæri, quam quomodo se habeant instantia, quibus utrinque earum duratio clauditur, an scil. ex parte principii contineant durationis sit instans con temporé, in quo res existere dicitur, ita ut in illo jam sit & immediatè ante non extiterit, an verò pertineat ad tempus præteritum in quo res nondum erat, ita ut in ipso nondum existat, sed immediatè pòst; similiter ex parte finis, an vicel. pertineat instans ad id tempus, in quo res adhuc est, ita ut in ipso res existat, & immediatè post non sit, an verò spectet ad futurum, in quo res jam non existit, ita ut in eo instanti nō sit, & imediatè ante extiterit. Nam ex his Adverte

Terminatio intrinseca & extrinseca. Quintò, duobus modis rem aliquam posse incipere & desinere; primò positivè & intrinsecè, secundò negativè & extrinsecè. Res dicitur positivè & intrinsecè incipere ac desinere, quando incipit primum instans sui esse, & per ultimum sui esse desinit; Incipere autem dicitur per primum sui esse aliquid, quando potest assignari instans, in quo liceat affirmare, nunc res est & immediatè ante non erat, sicut desinere per ultimum sui esse creditur, quando assignatur instans in quo licet dicere, nunc res est & immediatè post non erit; & ideò positivus dicitur ille inceptionis & desitionis modus, quod rem in illo instanti ponat incipere & desinere; Dicitur v. res negativè & extrinsecè incipere & desinere, quando incipit per ult. instans sui non esse, seu per aliud instans in quo verum est dicere, nunc res non est, & immediatè post erit, & per primum sui non esse desinere, per illud scil. instans in quo possumus dicere, nunc res non est, & immediatè ante erat; & hic modus inceptionis & desitionis idcircò negativus dicitur, quod rem in tali instanti esse neget. His positis & notatis

Res quæ per motum acquiruntur non possunt incipere in instanti positivo, quia habent esse suum successivè. DICO, Morbus cum omnibus rebus successivis & permanentibus quæ successivè & per motum acquiruntur ut calor, frigus, quatenus continua & successivâ alteratione producuntur, & quantitas quatenus successiva accretione accedit, &c. non incipit ac desinit intrinsecè per primum & ultimum sui esse, sed extrinsecè tantum per ultimum & primum non esse. Ratio hujus conclusionis est, quia quorum esse nec est nec esse potest in instanti positivo, illorum esse & duratio ipsius esse non potest incipere in instanti positivo & intrinseco;

sed

sed implicat ex naturâ rerum successivarum sive etiam permanentium quæ acquiruntur per successivam alterationem, ut esse suum contrahant ad instans positivum, ergò. Non enim potest assignari ullum instans, in quo licet de hujusmodi rebus successivè acquisitis affirmare, in hoc instanti sunt & immediatè ante non erant, quia non possunt esse in instanti sive habere omnes partes componentes simul seu præsentiâ simultaneâ, sed fluenter, successivè & partem unam post aliam.

Morbus nō cessat in instanti sicut non incipit in instanti.

DICES 1. Morbus cessat in instanti, ergò etiam hoc modo incipit. Resp. neg. antec. quia nulla quies potest esse in instanti sed in tempore, cum sit negatio motus in subjecto apto & in tempore à natura constituto, proinde nec motus nec quies est in instanti, atque ita morbus non definit per ultimum sui esse, id est, in instanti, quia deberemus dicere, hoc momento existit cessatque morbus, & immediatè ante non fuit, aut immediatè postea erit. Itaque respondetur ad rationem dubitandi initio positam, falsum esse, quod quando status neuter sive sanitas ex decidentia perijt, jam totum simul existere & incipere morbum; sed aliquid ejus incipere, & in fine aliquid ejus cessare, alias non esset è genere rerum successivarum.

Morbus nō incipit nec desinit in instanti intrinsecè.

DICES 2. Si homo è fenestra se præcipitat & in medio moritur; tunc eodem instanti quo homo fit cadaver, etiam incipit moveri deorsum illud cadaver, ergò ille motus incipit in instanti positivo. Resp. neg. seq. quia erit illud instans positivum & intrinsecum ratione generationis cadaveris; non tamen respectu motus localis. Plura vide apud Philosophos quorum propriè est hæc tractatio. Cæterum quæ de morbo eadem de sanitate dici possunt ac debent.

DIFFICULTAS VIII.

Quomodo morbus expellat sanitatem.

AD intelligendam difficultatem præmittendum est, quomodo ea, quæ sunt contraria, se mutuò expellant, an per propriè dictam actionem, an verò formaliter absque ulla actione: Nam hoc potest fieri dupliciter, primò effective, ita ut præter eam actionem quâ morbus vel calor inducitur, sit alia quædã actio quâ expellitur frigus aut sanitas; secundò formaliter, ita ut ab inducto calore vel morbo cogatur recedere frigus & sanitas absque ulla actione.

Suppono, morbum & non causam morbosã expellere sanitatè imediatè, ratio, quia ille solus est sanitati formaliter contrarius, ergò & solus imediatè expellit. Dico imediatè, quia & causa expellit, sed dum morbum producit; Quamvis enim & morbus & sanitatis expulsio simul existant, illa tamẽ natura prior est, ut quã Agens ex se intendit; sic calor intendit ex se incendere spiritus vitales & producere calorẽ p.n. gladius solvere continuum, idque primò & immediatè.

DICO 1. Probabile est aliquo modo, quod corruptio contrarij, videl. sanitatis à morbo non sit actio distincta, adeòque formaliter expellatur, non effectivè. Prob. 1. quia multa sunt ejusmodi quæ formaliter tantum expelluntur, ergò si idem dicatur de contrario, nihil erit absurdi. Antec. primò ostenditur exemplo hominis qui alteri cedit & expellitur è loco; quia duo corpora non possunt simul esse in eodem loco. 2. multæ qualitates non sunt activæ ut albedo, dulcedo, & tamen expelluntur albedo à nigredine; dulcedo ab amarore, ergò expelluntur formaliter. Et hæc quidem probabiliter dicuntur sicut & illud quod hinc sequitur, nõ omne quod producitur per veram actionem & corrumpitur formaliter sine actione.

DICO 2. Sicut probabile est corruptionem contrarij non esse veram actionem sed contrarium, id est, sanitatẽ expelli tantũ formaliter à morbo; ita etiã non est improbabile, corruptionem termini à quo, sanitatis sc. & productionem termini ad quem, morbi nimirùm, esse eundem planè motum: prob. Eadem res est actio & motus; sed si contrarium expellitur formaliter, una tantum est actio qua producitur termin' ad quẽ & qua expellitur ejus contrarium, ergò tantum est unus motus, v.gr. quando sanitas corrumpitur à causa morbosa vel morbo tanquam à suo contrario, intercedit tantum una actio, ergo etiam unus tantum motus, quia non est distincta actio qua morbus inducitur & quã sanitas expellitur. Quod si dicas productionem termini ad quem & corruptionem termini à quo nec esse unam actionem nec unum motum ex hoc argumento, quod in subjecto in quod introducitur forma, vel sit jam forma contraria vel non; si primum, ergo duo motus; si secundum, erit quidem unus motus, sed nulla perditio termini à quo. Resp. non esse necessariò dicendos duos motus distinctos quoties expellitur forma contraria, cum probabiliter dicatur expelli tantum formaliter.

DICO 3. Etiam probabile, imò probabilius est, contrarium corrumpi effectivè à suo contrario, ac proinde terminum ad quem, sc. morbum, produci per actionem distinctã ab ea actione qua expellitur ejus contrariũ, nimirũ sanitas, quę est termin' à quo. Prob. 1. motus identificatur cum termino, actione & passione; sed quãdo v.gr. ex calido fit frigidũ, ex sano morbosum, & contrà, sunt termini inter se realiter distincti ejus mutationis, qua aliquid ex non morboso fit morbosum, & qua ex sano fit non sanum, &c. quia prior mutatio quã aliquid ex non morboso fit morbosum, est acquisitio termini ad quem; altera autem qua aliquid ex sano fit non sanum, est perditio termini à quo, ergo duplex & distincta est actio qua producitur morbus, ab ea actione quæ destruitur sanitas. Quod autem harum mutationum termini differant, patet, quia alterum est esse, alterum non esse. Prob. 2. productio formæ & corruptio ejusdem sunt motus oppositi, ut productio & corruptio caloris, morbi, &c. sed ita

ſe habet productio ſanitatis ad productionem morbi, ſicut corruptio ſanitatis ad corruptionem morbi, ſanitatis autem corruptio eſt diſtinctus motus à corruptione morbi, ergò & productio ſanitatis eſt motus diſtinct⁹ à corruptione morbi: Hoc tamen intellige de termino *à quo* poſitivo; quando etiam eſt privativus, eadem planè eſt mutatio, quę eſt acquiſitio termini *ad quem*, & perditio termini *à quo*.

DIFFICULTAS IX.

Quodnam ſit morbi ſubjectum.

SUppono, aliud ſubjectum eſſe denominationis & aliud inhæſionis, de quo alibi ſatis. Deinde multę ſunt partes corporis humani pręſertim verò quæ ad hanc rem faciunt, aliæ animatæ & inanimatæ; Et de his utriſque difficultas eſt an & quomodo ſint ſubjectum morbi.

DICO 1. Subjectum denominationis aliquando totũ eſt corpus, aliquando partes quædam corporis: primum patet in morbis univerſalibus, v. gr. in febribus, quæ morbi ſunt totius, quia infeſtant totum corpus. Secundum eſt manifeſtum in affectibus particularibus, quæ à membro & viſcere quod potiſſimum occupant, ſuam mutuant denominationem; ſic alius affectus eſt ſpleneticus, alius Epaticus, alius uterinus, &c. Neque

Morbus quo modo existat in partibus inanimatis

DICAS, etiam à partibus inanimatis denominari morbos, verb. gr. à bile bilioſos, à melancholia melancholicos, &c. ergò etiam partes inanimatæ ſunt ſubjectum denominationis: Quia reſpondetur, à partibus inanimatis denominari morbos cauſaliter & materialiter, verum eſt, ſubjectivè & formaliter, falſum.

DICO 2. Subjectum inhæſionis morbi non ſunt partes inanimatę, cujuſmodi ſunt ſpiritus, ſanguis, humores tam liquidi quam concreti: Prob. 1. ſanitas non inhæret ſanguini, aut humoribus, ergo nec morbus. 2. in partibus inanimatis nullæ exiſtunt potentiæ animæ, nullæ etiam exercentur operationes vitales, ergo nec morbi ſunt ſuſceptivæ, quod confirmatur, quia cum animâ careant, carent & ſenſu omnique nutritione, unde nec ſolutionem continui admittunt, nec vitioſam compoſitionem, ſed nec intemperiem quæ morbus ſit, quam licet in viſcera transfundant, ut patet in ſanguine putrefacto & ſpiritibus incenſis. Hinc ſi

DICAS 1. Febrium genera deſumuntur à ſpiritibus, ab humoribus & à partibus ſolidis ut alibi dicitur, in ſpiritibus & humoribus ſubjectantur. Reſp. febres deſumi à ſpiritibus & humoribus cauſaliter & naturaliter, non formaliter & ſubjectivè: Nunquam enim eſt febris niſi cum partes animatę afficiuntur, earumque naturalis conſtitutio corrumpitur; quicquid autem in ſpiritibus & humoribus præternaturaliter exiſtit, id rationem cauſæ morboſæ obtinet.

DICES 2. Dantur morbi materiæ, ergò certum eſt, morbos quoſdam ſubjectari etiam in partibus inanimatis; ... autem illi morbi materiæ, ubi præter ... viventes & ſolidas, quemadmodum patet in hectica, etiam magna humorum corruptorum & putreſcentium ſuperfluitas reperitur inexiſtere, ut videre eſt in febribus putridis, in cachexia, in hydrope, in calculo, &c. Reſp. morbos materiæ non dici ideò tales, quod ſubjectivè hæreant in humoribus variè corruptis, ſed quod ab his tanquam cauſis immediatis & conjunctis dependeant.

DICES 3. Multi ſunt affectus, qui nullam partem viventem afficiunt, in ſolis autem excrementis & ſuperfluitatibus corporis exiſtunt, ut vomitus, calculus veſicæ, morbus pedicularis, &c. ergò excrementa ſunt ſubjectũ inhæſivum morborum. Reſp. neg. antecedens; Nam calculus imprimis, ſive rationem cauſæ materialis ſive morbi & conſtitutionis præternaturalis habeat quatenus videl. obſtruit, coärctat meatus, verè afficit veſicam per ſe & per conſenſum partes alias, id quod etiam de humoribus intrà ventriculum corruptis intellige, ſed & de vermibus, pediculis alijſque ſubſtantijs; verè vim corpori inferunt non tantùm quà pręternaturaliter illi inhærent, ſed etiam quà toti vitioſam quandam conſtitutionem quæ formaliter morbus eſt, inferunt. Nam ſicut ſanitas conſiſtit in debita qualitatum proportione, bonaq; partium unitate & compoſitione quoad numerum, ſitum, figuram, raritatem, denſitatem libertatemque meatuum; Ita morbus in contrario; Atque ità cum vermes pediculi calculi, humores corrupti aliæque ſubſtantiæ in corpore præternaturaliter exiſtunt, ipſæ quidē materialiter conſideratæ habent rationē cauſæ tantum & materiæ morboſæ, quà verò inferunt indecentem corpori compoſitionem, id eſt, oppletionem in meatibus, qui & ipſi numerantur inter partes corporis, jam induunt naturam morbi, id eſt, conſtitutionis præternaturalis.

Calculus quomodo afficiat.

DICO 3. Solæ partes viventes ſunt verum & proprium ſubjectum morborum. Ratio eſt quia in his ſolis exiſtit & inhæret ſanitas, ut patet ex dictis, deſtruiturque connaturale temperamentum, unitas & compoſitio, ergò etiam in ijs ſolùm recipitur morbus, accidit que defectus operationum quæ competunt corpori, id eſt partibus tam homogeneis quam heterogeneis. Cur etiam per has utrasq; fiant operationes oportet etiam in utriſque exiſtere tam ſanitatem, quam morbum, quia ineſt ijs qualitatum contemperatio & proportio, unitas & compoſitio quoad numerũ, quantitatem, ſitum, figuram, connexionem, raritatem, denſitatem & alias id genus conditiones, quæ pertinent ad fabricam optimi inſtrumenti.

Solæ partes viventes ſunt ſubjectum morborum.

DICES, ad naturalem conſtitutionem partium homog. & heterog. pertinent humores; ſed ijs inexiſtit morbus, ergò & in his. Reſp. 1. duplices eſſe humores, alios qui pertinent ad integritatem partium viventium, & ſine quibus hæ nequeunt exiſtere; alios qui non ſunt continui cum partibus viventibus, ſed intrà vaſa &

sa & meatus velut excrementa vel ut alimenta continentur; primis itaque inhæreret morbus, non ultimis. 2. respondetur valdè impropriè dici morbum existere in humoribus qui ad partē viventem spectant; Nam vel hi accipiuntur in cōcreto vel in abstracto; si in hoc, falsum est iis inhærere morbum, quia sunt qualitates; si in illo, jamnihil sunt distincti à partibus, sed eas constituunt & morbum adæquarè sustentant, vel certè sunt partes quæ rotum complent & cum eo morbum recipiunt; Nam quævis substantia mixta partes habet elementares ex quibus adæquatè constituitur, ergò etiam aqueas & aereas, quæ sive plus sive minus in toto dominium habent, atque ita corpus aliquando minus humidum coagmentari faciunt.

DIFFICULTAS X.

An subjectum morbi sit semper totum corpus.

Non est in quæstione, an singulæ partes corporis adeòque rotum corpus sit capax recipiendi & sustentandi morbum, quia certum est nullum esse membrum sive homogeneum sive heterogeneum, quod non habeat constitutionem & contemperationem qualitatum vel ad sanitatem vel ad morbum: sensus itaq; controversiæ est, an quoties ægrotat homo semper totum corpus & singulæ ejusque partes afficiantur, an verò sufficiat aliquando unam vel alteram cæteris omnibus salvis affici.

Suppono, morbum aliquando consistere in intemperie vel partis vel totius, aliquando in soluta unitate, aliquando in depravata cōpositione & conformatione de quo infrà

DICO 1. Si morbus sit intemperies à corde dependens, pro subjecto totum habet corpus. Ratio est, quia hæc intemperies infunditur per spiritus vitales in universum corpus occupatque singulas partes ut patet in febribus, quę proinde morbi universales vel totius appellantur, quia videl. omnis calor qui corpus fovet factus est præternaturalis.

DICES, Omnis alteratio febrilis, est intemperies: sed dantur multę alterationes febriles, quæ non occupant totum corpus, ergò falsum est intemperiem pro subjecto habere totum corpus ejusq; singulas patres. Resp. quando dicitur intemperiem esse morbum universalem & occupare totum corpus, non intelligi hoc de quacunque intemperie, sed de ea solum quæ in corde accenditur illudque in consensum trahit, sive sit essentialis sive symptomarica; Nam etiam in magnis inflammationibus calor in corde accenditur, & in corpus diffunditur, contrà in levioribus: Et hinc

DICO 2. Non omnis Intemperies occupat totum corpus: Probatur inductione; Nam imprimis sunt multæ inflammationes & tumores à sangvine vel bile etiam dependentes, quæ sic et hominem verè afficiant, dolorem faciant & actiones nonnihil impediant, toti tamen corpori sensibilem & manifestam alterationem non inferunt, cujus ratio est, quia calorem cordis non accendunt. Deinde in refrigeratione manuum vel pedum in debilitate matricis, ventriculi, cerebri, &c. est defectus caloris vel intemperies frigida, corde nihilominus salvo & incolumi. Sed & siccitas singulis ferè membris accidere solet in atrophia & tabe particulari, in qua reliquū corpus nequicquam patitur. Tandem accedit hydrops matricis aur pulmonum, ubi peculiares tantum partes intemperie laborant humida, reliquum verò corpus constitutione & complexione naturali.

DICO 3. Reliqui morbi, sive sint solutæ unitatis sive malæ compositionis, omnes sunt ex se particulares, habentque pro subjecto eam solum partem quam occupant. Hoc totum patet ex sensu, quo tumores, pustulas obstructiones, vulnera, fracturas, contusiones, & id genus alia partibus tantum & non toti inesse videmus. Dixi tamen ex se, quia certum est multos hujusmodi affectus particulares ex accidente in totum corpus diffundi mortemque inferre; Et hic si

DICAS, sæpè puncturas nervorum, obstructiones asperæ arteriæ, compressiones pectoris, vulnera capitis, gangrænam, spacelationem, inflammationes, &c. esse affectus particulares, & tamen afficere totum corpus ejusque operationes, imò frequenter mortem inferre, ergò falsum est, hos affectus competere solùm partibus. Antec. confirmatur in corde, quod si vel leviter vulneretur mortem infert, cum tamen illa solutio non sit totius sed partis; plura sunt quotidianæ experientiæ. Resp. hos omnes affectus esse particulares per se, sed aliquando redundare in totum per accidens, quia videl. ex natura sua sunt graviores, & partium principaliorum, habentque proinde cum corde tanquā principio vitæ consensum maximum, quo se cum dispendio tam sanitatis quam vitæ nonnunquam in totum diffundunt.

DIFFICVLTAS XI.

Quot sint genera vel classes morborum.

Vel sensus quæstionis est de summo & propriè accepto genere, vel de generibus subalternis seu potius de quibusdam classibus, quæ præter unam illam summamq; rationem formalem omnibus effectibus sive morbis convenientem aliud quidpiam insuper habent, quod faciat morbum unum ab altero discrepare, & in quo similiter sub una eademq; ratione complures conveniant: Nam genus desumi solet ab eo quod commune est pluribus; sic constitutio p.n. constituit genus summum quia convenit omnib. affectibus præternaturalibus qui in humano genere reperiuntur; sic solutio continui constituit genus subalternum, quia ad illam referuntur omnia vulnera, fracturæ, rupturæ, dilatationes, &c.

Ad-

Adverte, morbos dividi posse in subalterna genera vel juxta constitutionem partium, vel secundum naturam propriam & modum operandi; Nam quia pars quælibet corporis ad integritatem sui requirit 1. temperiem bonam, 2. conformationem laudabilem & 3. continuitatem, morbus verò in contrario consistit, id est, in eo quod 1. simplicem affectionem destruit, 2. quod bonam conformationem, & quod 3. unitatem; Idcircò juxtà hanc triplicem affectionem Medici tria statuunt genera morborum, videl. intemperiem, malam compositionem seu conformationem & solutionem continui, sive morbum similarem, organicum & communem: similarem ajunt occupare partem quatenus non est organica; Organicum contrà inhærere parti sub ratione organi; communem verò inesse parti quatenus est similaris & organica. His positis

DICO 1. Unum est genus summum, sub quo omnes morbi cōprehenduntur: Ratio est, quia omnes morbi quibus humanum corpus affligitur, conveniunt in una aliqua ratione formali sive essentiali, ergò habent inter se unum summum propriéque dictum genus: Antec. patet, quia ratio formalis & essentialis, in qua omnes morbi conveniunt, est constitutio præternatoralis, &c.

Genera morb. subalterna. DICO 2. Sive morbi considerentur juxta constitutionem partium sive juxtà suam naturam & modum operandi, sive quo sanitatem expellunt, eorum genera subalterna sunt 4. ut intemperies, mala compositio seu conformatio, solutio continui, & malignitas sive morbus totius substantiæ. Est hoc contra plerosque Medicos, qui hoc quartum genus ad intemperiem omninò referunt. Sed prob. conclusionis pars prima, quod videl. constitutio partium non faciat genera morborum, quia absentibus & non existentibus his tribus generibus vel saltem ipsa intemperie in parte similari potest hęc esse malè affecta, ergò tria illa genera non sufficiunt. Antec. patet in morbo maligno, qui sæpè solus præcipitat hominem, quique cum alijs morbis manifestis nullam omninò connexionem aut affinitatem habet, ut infrà patebit. Deinde partes heterogeneæ vel organicæ ut sic afficiuntur intemperie, imò quodvis gen' morbi potest occupare partem homogeneam vel similarem, ut patet in tumoribus, vulneribus, &c. ergò ex constitutione partium malè desumitur morborum divisio generica; Neque dicas, intemperiem non posse afficere membrum organicum in esse organi; quia respondetur, intemperiem non posse afficere organum in esse organi materialiter sive in concreto, falsum esse, formaliter sive in obstracto, id est, organeitatem, verum; & Sic calor præternaturalis afficit hominem ejusq; singulas partes, ut sunt similares, dissimilares, organicæ, inorganicæ, viventes, mixtæ, &c. Denique possunt morbi, qui nō tantum diversissimè quoad modum operantur sed etiam quod rem, eandem partem quocunque modo acceptam occupare, ergò genera tria non sufficiunt: Anteced. patet in omnibus morbis malignis, qui quamcunq; partem afficiunt, in ea producunt effectum non tantum quò ad modum sed etiam quoad rem ab alijs distinctum, id est, occultam aliquam inhabilitatem sive dispositionem impotentem vitæ sustentandæ, quod de omnibus alijs morbis dici non potest, quia quamvis febres distinctissimæ diverso modo causaliter destruant calorem naturalem, in eo tamen conveniunt omnes, quod eodem modo in re eund. corrumpant, quod patet in omnibus modis quibus calor perit; Et hoc idem intellige de alijs morbis vitiosæ compositionis & solutæ unitatis, in quibus modi diversi, res autem sive effectus idem, v. gr. ipsa vitiata compositio & solutio unitatis à quocunque modo vel causa facta, ut solutio nervi à contusione, à sectione, ab ictu, &c. Prob. 2. pars quia tot sunt classes vel genera morborum, ad quot omnes morbi commodè referuntur; sed hæc sunt prædicta quatuor, ergò hæc minor ex sequentibus constabit 2. Tot sunt classes morborum quot sunt modi distincti quibus evertitur status naturalis in humano corpore; sed hi sunt 4. ergò prob. minor, quia sanitas vel expellitur per alterationem manifestam primarum qualitatum, vel per vitiosam partium structuram, vel per earundem unitatem solutam, vel denique per malignitatem, quæ naturam & modum corrumpendi ab omnibus distinctam habet: 3 Illa sunt genera subalterna morborum quæ præterquam quod habeant aliquid omnibus morbis commune, peculiare quippiam adhuc obtinent, quod non omnibus sed multis tantum est commune. At hujusmodi genera reperiuntur 4. ergò: min. prob. nam intemperies convenit cum omnibus morbis in ratione formali constitutionis p.n. & discrepat à reliquis affectibus solutæ unitatis, & vitiosæ conformationis, quia consistit in alteratione circà primas qualitates, & illi in defectu circà unitatem, numerum, figuram, situm, &c. Itaque primum genus morborum est intemperies sive alteratio circa primas qualitates sensibiles, & ad hanc spectant omnes morbi calidi, humidi, frigidi, sicci, &c. Secundum genus est vitiosa conformatio partium, cujus est excedere vel deficere in numero, magnitudine, figura, situ, cavitate, lævitate, asperitate, raritate, densitate, &c. Tertium genus est soluta unitas, ad quam referuntur omnia vulnera, ulcera, quæque consistunt in divulsione & disunitione partium. Quartum denique genus est morbus malignus sive totius substantiæ, qui præter constitutionem præternaturalem tanquam summum genericum nihil habet cōmune cum omnibus reliquis affectibus. Nam imprimis non pertinet ad solutam unitatem, quia ut sic non est cum erosione aut divulsione & corruptione viscerū, quemadmodū illa; quod si autem cum illa complicetur, ut fit in dysenteria, bubone, jam distinctum genus constituit, quam in rem dicont sic. Sed nec ad vitiosam conformationem spectat, ut liquet ex natura hujus generis & modo quo sanitatem evertit. Nec denique quod caput rei est &

contro-

controversiæ ad intemperiem revocari potest, quia imprimis nihil habet ex natura sua confinitatis cum aleratione primarum qualitatum; Deinde alius est ejus effectus & modus operandi, quia si vim & efficaciam spectes, est atrocissimus, & si naturam, malignus, occultus & contagiosus; Denique non semper nec per se conjungitur cum intemperie, sed per accidens, & nec spectat ex natura sua ad intemperiem, v. gr. ad febrem, quis non consistit in alteratione, unde etiam febris morbus est complicatus & duorum generum, sed in corruptione occulta spiritus vitalis, qui proinde ad vitam & sanitatem sustentandam fit inhabilis.

DICES 1. Morbus malignus dissolvit connaturalem corporis & præsertim cordis temperiem, ergo ad eam revocatur; Antec. patet, quia corrumpit calorem vitalem, in quo consistit temperies naturalis. Resp. 1. neg. antec. quia etiam solutio continui dissolvit temperiem, esto per accidens & diverso modo à malignitate. 2. morbus malignus corrumpit calorem vitalem intendendo vel minuendo eum, in quo proprie consistit alteratio, fallum est; inhabilitando ad actiones connaturales occultè verum: Neque malignitas est directè calori ut sic contraria, sed ut est calor vitalis & instrumentum animæ, quia alias esset etiam contraria calori qui est in igne, aere, &c. eumque corrumperet, quod tamen falsum est.

DICES 2. Nunquam est malignitas absq; intemperie; ergo non facit ab hac distinctum genus. Resp. negand. antecéd. ut infra dicetur Disp. 12 diffic. 2.

DICES 3. Sanitas consistit in bona temperie, in unitate partium, & in laudabili compositione, ergò morbus à contrario in defectu horum trium, ergò tria tantum erunt genera morborum. Resp neg. conseq. sed & antec. falsum est, ut patet in peste quę febrem adjunctam non habet, & in qua calor spirituſque vitalis latente quadam virulentia imbuuntur & corrumpuntur, ut proinde non sufficiat ad veram sanitatem, si nulla adsit intemperies, si corpus nullam patiatur solutinnem cótinui nec deformem compositionem, cum oporteat etiam abesse omne malignum: Et hinc colligitur, posse hominem mori, dum nullam etiam sentit intemperiem live alterationem, dum justam debitamque omnium partium continuitatem habet, dum demqne nulla corporis conformatione aut compositione præternaturali afficitur.

DICES, Ponere 4. genera morborum est opinio nova & contrà totam Medicorum scholam, ergo non est admittenda, cum præsertim omnes morbi salvari possint per 3. illa genera, adeòque non opus sit entium multiplicatione. Resp. duas esse causas, cur Medici tribus generibus contenti sint; prima est, quod morbos malignos sive totius substantiæ sub intemperie comprehendant; 2. quod ex partium constitutione, quarum similare itatem afficiant tantum morbi maligni, sicut alteratio simplex & præternaturalis, sua genera metiantur: Cum verò morbi maligni habeant longè aliam naturam aliumq; modum operandi & sæviendi in hominem, ideòque distinctissimi sint à reliquis morbis, debetur ipsis distinctum genus, esto non solvant unitatem, nec corrumpant ipsum esse Organi in visceribus, sed solùm invadant similaritatem debitamque qualitatum harmoniam à qua vita pendet & sanitas, corrumpant, quia ex se nullam in sanguine aut spiritibus invehunt alterationem, sed imperceptibilem quandam corruptelam & virulentiam, ex qua ob spirituum incapacitatem corruunt vitalia.

Colligitur quamvis non omninò contemnenda sit divisio morborum in tria genera; idque juxta constitutionem partium, quarum integritas consistit in bona qualitatum harmonia, laudabili conformatione & unitate, affectio verò morbosa in contrario, ita ut omnis morbosus semper unum ex tribus illis corrumpat; Nihilominus tamen divisionem quatrimam esse longe clariorem & perfectiorem ut ex dictis est videre.

DIFFICULTAS XII.

Numquid hæc 4. morborum genera habeant etiam rationem speciei.

Constat apud Logicos, speciem esse id quod de pluribus differentibus numero hoc ipso quid est prædicatur, ut homo de Petro & Paulo, equus de hoc & illo equo, pyrus de hac & illa pyro, febris de hac & illa febre, &c. prætereà constat dari genus generalissimum, specialissimum & subalternum. Genus generalissimum est, supra quod nullum aliud genus transcendit, & talia numerantur decem prædicamenta: species specialissima est, quæ alias in species dividi nequit, ut homo, febris hectica, tertiana spuria & sincera. Subalterna genera speciesque sunt, quorum unumquodque species est & genus, sed respectu diversorum; sic enim intemperies licet sit genus respectu febrium, quæ sub illa apud Medicos comprehenduntur & in multas alias species dividuntur; Nihilomin' tamen etiam species est, quia sub iicitur morbo, tanquam generi superiori habetque respectum suum ad illud. Et hine

DICO breviter, quatuor illa prædicta genera subalterna sunt habentque non tantum rationem generis sed etiam speciei. De genere probatur, quia comprehendunt sub se varias species, ut intemperies febrem ungaricam, hecticam, hydropem, cachexiam, atrophiam, &c. solutio cótinui multas fracturas, rupturas, vulnera, ulcera, quæ omnia prædicantur de suis inferioribus, ut cum dicimus, febris hectica, continua, intermittens, est intemperies; gibbus, obstructio, pes, manus, lingva, facies, caput, &c. deforme est vitium malæ conformationis aut compositionis. Est hæc autem mira rerum varietas in quibus præclarissimè ludit natura & debita perfectio multiplicium specierum,

rum, quibus Deus universum semper voluit esse exornatũ. Prob. etiam de specie, quia omnia illa genera subalterna subijciuntur generi summo, quod de ijs in quæstione quid est prædicatur, ut intemperies, solutio continui, mala compositio & morbus malignus morbo genericè sumpto subijciuntur, & hic de ijs in quæstione quid est prædicatur. Sed hæc ad Logicos vel etiam Metaphysicos spectant.

DIFFICULTAS XIII.

Quæ sit differentia morborum & unde sumatur.

SOlet illud vocari differentia quod unum ab alio facit discrepare, ut febris discrepat ab hydrope per calorem naturalem, per quem e-und. etiam differt intemperies ab obstructione, à vitio conformationis, solutæ unitatis, &c. Dividitur autem differentia à Porphyrio in cõmunem, propriam & maximè propriam sive essentialem; Communem vocat eam quæ desumitur ab aliquo accidente commune & separabili, ut albedo in pariete facit, quod hic ab alio pariete nigro distinguatur, & febris tertiana differt à quartana per calorem intensiorem & humorem. Propria est quæ sumitur ab aliqua proprietate; ut risibilitas respectu hominis, vel ab aliquo accidente inseparabili, ut nigredo in corvo, albedo in cygno, dolor pungens in pleuritide, calor p. n. in febre. &c. Maximè denique propria est, quæ sumitur ab aliquo principio essentiali, quæque rem essentialiter constituit, ut rationalitas hominem, bona complexio sanitatem; Et hæc ab alijs prioribus in hoc differt, quod faciat omninò aliud, cum illæ tantum dissimile faciant & non aliud. His positis

DICO 1. Differentiæ morborum vel sunt essentiales vel accidentales; ita docent omnes Medici & Senn. suar. inst. lit. c. 2. de morborum differentijs. Prob. morbi distingvuntur inter se partim specie & essentialiter, partim accidentaliter, ergò habent differentias tam essentiales quam accidentales: Antec. prob inductione; Nam febris v. gr. quæ est morbus intemperiei, distingvitur à morbo solutæ unitatis & compositionis, imò morbi qui sunt ejusdem classis seu generis & speciei, differunt hoc modo inter se, ut patet in hydrope, qui est morbus frigidus, & in febre continua quæ est morbus calidus, in tertiana & quartana, in continua & intermittente, &c. sed hujusmodi differentiæ sunt essentiales, quia sunt specificæ, ergò. De differentijs accidentalibus prob. quia idem morbus ut calculus, febris tertiana continua, pleuritis, hydrops, &c. aliquãdo est vehementior & periculosior, aliquando mitior & benignior, diurnus, nocturnus, hyemalis, æstualis, longior, brevior, frigidior, calidior & sic de ceteris; sed tales circumstantiæ sunt omnes accidentales ideòque non mutant speciem, ergò præter differentias essentiales habent etiam morbi suas accidentales.

DICES, Illa quæ sub unâ eâdemque specie comprehenduntur, non possunt differre specie; sed omnes febres comprehenduntur sub una intemperie, quę species est morbi in genere, ergò non possunt differre specie & consequenter nec essentialiter. Resp. distingvendo majorem; illa quæ sub specie infima seu specialissima in nullas alias species divisibili comprehenduntur, non possunt differre specie, verum est, quę autem nõ habent rationem speciei infimæ, adeoque possunt adhuc in alias species dividi, non possunt differre specie, falsum est: Intemperies autem non est species infima seu specialissima, sed talis quæ in plures adhuc inferiores species dividi potest: Et hoc verum esse testantur omnes febres, quæ sub una intemperie cõprehenduntur & in varias species dispertiuntur, non secus ac plantæ, arbores & herbæ, quæ species sunt, & nihilominus in multas adhuc species inferiores dividuntur, ut patet in pyro, malo, &c. Deinde febres prout dicunt præcisè intemperiem, non differunt specie, sed prout dependent ab alijs causis & adjunctis, atque ita

DICO 2. Differentia essentialis & specifica morborum desumitur ab essentia seu natura ipsius morbi, à partibus & causis immediatis Prob. primum, differentia essentialis morbi nihil est aliud nisi ipsa essentia seu natura morbi, id est, constitutio p.n. ergò una ab alia desumitur, unâque variata variatur & altera: Hoc patet in intemperie, cujus essentia & natura differt a solutione continui, à vitiosa conformatione seu compositione. Prob. secundum de partibus; Nam peripneumonia quæ est pulmonum inflammatio distingvitur specie à pleuritide, quæ est inflammatio membranæ intercostalis, non in quantum sunt inflammationes, sed in quantum diversas & distinctas partes occupant, ergò à partibus desumitur etiam differentia essentialis medica; Nam *Adverte*, diversarum partium nihil quidem essentiale addere inflammationi ut sic, quia calor non differt specie ab alio calore, sive in aere sive in aqua hic existat; A Medicis tamen dici & haberi essentialem in ordine ad curam, quam ob diversitatem partium in eâdem etiam morbi specie diversam observant & instituunt: tum etiam in ordine ad diversas actiones quæ læduntur. Prob. tertium de causis immediatis: Nam febris tertiana v.g. non differt à quartana ob caloris varietatem in gradibus aut modo agendi, sed quia dependet una à bile, & altera à melancholia tanquam ab humoribus inter se specie distinctis: sed tales humores sunt febrium causæ, proximæ, conjunctæ & immediatè conservantes, ergò differentia specifica in morbis desumitur à causis immediatis.

DICO 3. Differentia accidentalis desumitur ab ijs quæ naturam & essentiam morbi sequuntur, ut à magnitudine, motu, & more morbi, à tempore ab ætate, à sexu, ab eventis alijsq; circumstantijs. Explicantur singula; magnitudo

circumstantijs. Explicantur singula; magnitudo imprimis est accidens morbi ejusque naturam sequitur, nec mutat speciē, ut patet in calculo vesicæ, qui sive major sit, sive minor, eandem morbi naturam cum quibuscunque etiam accidentijs & symptomatis retinet; Et hoc idem in universis alijs morbis intellige; similiter sive febris v.gr. tertiana moveatur ante vel post prandium, sive per urinam, alvum, nares, ea trema corporis solvatur, sive in partem nobilem aut ignobilem declinet, in essentialibus nihil immutat, quia idem manet affectus sicut & tū, quando aut mitius hominem tractat aut truculentius. Nam aliquando cum pluritide, cum febre continua, cum hydrope cæterisque affectibus benigniora connectuntur accidentia, aliquando sæviora, estque non rarò morbus furiosæ belluæ similis, dum compedes & carceres suos estringendo & dituendo seipsū jugulat, sedne de rempore, ætate aut sexu aliud quippiam æstimandum est, quia eadem febris ardens, idem calculus, hydrops, phthisis, tam hyeme quam æstate, tam in juventute quam in senectute & adolescentia hominem sive virum sive fœminam apprehendit: Sic & eventus varij ejusdem speciei morbi sunt, ut patet in hydrope, qui sæpè hominem vincit & interimit, sæpè etiam ab homine vincitur & interimitur; Reliquæ omnes circumstantiæ faciunt, quod morbi alij dicantur simplices, compositi, connexi, complicati, in fieri & facto esse, primarij, secundarij, legitimi, spurij, hæreditarij, contagiosi, longi, breves, sporadici, Endemij. Epidemij, communes; Nam accidens est phthisin, calculum, podagram, febrem malignam aut pestilentialem esse morbos hæreditarios aut Epidemios, cum ea alijs quoque causis & erroribus circà potum aut cibum commissis accidere potuerint.

DIFFICULTAS XIV.

Ad quod genus morbi hæreditarij pertineant, & quomodo gignantur.

NOta, aliud esse morbum & effectum hæreditarium, aliud dispositionem ad hujusmodi affectum, unde cum aliter de morbo & aliter de dispositione loquendum sit,

DICO 1. Dispositio ad morbum hæreditarium non pertinet ad aliquod genus morbi. Ratio est, quia ad genera morborum spectant solum morbi in facto esse, è quorum serie non est dispositio; Nam cum homo dispositionem habet ad morbum, non dicitur morbosus, sed summùm in statu neutro positus, à quo cum nō semper aut necessariò delabatur in morbum, manifestum est, alterius generis & naturę dispositionem esse quam morbus qui habitus est.

Morbi hæreditarij ad quod genus spectent. DICO 2. Morbi hereditarij ad omnia quatuor genera morborum revocari possunt. Probatur ea eorundem enumeratione; Nam alij consistunt in intemperie viscerū & vitiosa 4. primarum qualitatum totidemque humorum harmonia, ut patet in ijs qui perpetuò sunt infirmi aut ita constituti, ut ad quamcunque injuriam externā aut cibum potumque inordinatius ingestum facilè afficiantur; alii sunt cum solutione continui, ut phthisis, exulceratio renum: Alii cum vitiosa compositione & conformatione ut calculus, podagra, &c. Nam cōmuniter calculosus calculosum gignit, phthisicus phthisicum, &c. Alij denique cum qualitate maligna, ut patet, in lepra, lue venerea, scorbutto alijsq; affectibus qui à parentib' degenerant in filios; Et ex his manifestum est, quoldam affectus hæreditarios ad intemperiem revocandos esse, alios ad solutam unitatem, alios ad vitiosam compositionem, & alios denique ad morbos malignos sive totius substantiæ. Cæterum si de generatione & productione iam dispositionis quam morbi hæreditarij quæras,

DICO 3. Dispositio ad morbum hæreditarium producitur principaliter à parentibus, instrumentaliter verò & minus principaliter à calore, à vi formatrice & à constitutione materiali seminum utriusque parentis. Ante probationem *Adverte*, hanc dispositionem non esse activam, qualis est illa per quam efficienter forma producitur, sed merè passivam, qualis est omnis illa quæ in genere causæ materialis concurrit ad formam. Jam prob. conclusio de parentibus: quia ad hos principaliter spectat producere materiam sementivam, imprimere illi virtutes & qualitates, & ea illa demum formare corpus organicum, ergò eorum etiam est producere dispositiones ad morbum hæreditarium in genere causæ principalis. De calore & vi formatrice communis est doctrina, & constat ex ijs quæ l. 1. disp. 3. de corpore organico ejusque formatione dicta sunt; Nam caloris, qui præcipuum animæ vegetantis instrumentum, est operari in materia & efficienter cum vi formatrice producere dispositiones ad animam recipiendam, videl. formare partes & viscera, usque tribuere præter formam quod est convenientissimum, v.gr. cerebro majorem humiditatem, ossibus soliditatem & siccitatem, cordi carnem solidam cum multo calore, ventriculo tunicas duriores, partesque omnes ita inter se connectere, ut nobilissimum illud & futurum animæ domicilium constituant. Cæterùm, quia nullū ex agentibus naturalibus quicquam producit nisi in materia præexistente & quod est in potentia materię, dispositiones verò ad morbos hæreditarios jam prius in materia sementiva immersæ sint, idcircò manifestum est, has à solis genitoribus produci, & per virtutes sem ini concessas in partes certis olim morbis proportionatas diffundi; Nam quia materia seminalis in toto corpore organico & singulis ejus partibus recipitur, prout in se affecta est, dum utrique parenti adhuc adhæreseit, ita etiā quodcunque membrum in corpore organico formandum afficit, videl. arenosum, calculosum, tartareum, feculentum, purum benignis aut vitiosis qualitatibus imbutum, &c.

DICES. Materia seminalis vel habet dispositio-

nem arenosam & calculosam diffusam per totum vel per partem; non hoc, quia est corpus homogeneum fluidum, ergò illud; ergò cùm ex toto fermenter singulæ partes, singulæ habebunt constitutionem arenosam, calculosam, quod est ridiculum; quis enim dicat, stomachum esse calculosum, aut renes phthisicos, aut intestina podagrica? *Resp.* primò virtutis formaticis esse formare partes, & in ijs formandis materiam secernere, separare, suamque cuivis membro proportionatam tribuere, ut patet in ossibus quibus data est materia seminis spissior, in venis quibus concessa est mollior, & sic de cæteris. 2. anima, cujus est opus producere calculum, arenam, podagram, non ubique eadem operati posse aut solere, quia operatur per organa, quorum beneficio hic sanguinem, ibi spiritus, alibi semen, sic alia que substantias conficit; quamvis itaque partes Epatis, vel sicuis & renum ex ead. materia calculosa formatæ sint, non tamen in omnibus anima per virtutes & potentias suas generabit calculum & arenam, quia non sunt partes pro elicienda hac actione; quia nō est vis ibi generativa calculi, arenæ; est etiā alia forma repugnans hujusmodi actioni; Et dispositio illa calculosa, si in prima formatione hisce membris & organis impressa fuerit, paulatim per vim organo propriam expellitur. *Instabis* &

Quare non ubique generetur calculus.

DICES 2. Substantia renum in qua gignitur calculus vel arena, non est ex materia sementiva, sed ex sanguine tum proprio tum matris, ergò falsum est dispositionem arenosam, calculosam, &c. esse ex primo semine. Ante responsionem *adverte*, per substantiam renum vel intelligi solam carnem, vel solas partes spermaticas, vel totum complexum; si primum; respondetur non esse ex se arenosam vel calculosam, sed tamen si secundum, sicut & si tertium, quia partes spermaticæ contraxerunt vitium à prima formatione, ab illis autem tanquam à fundamento & radice tota renū caro ex sanguine concreta, quia constituunt unam formam & unum sub ijsdem animæ virtutibus organum.

DICO 4. Morbus hæreditarius non producitur absolutè & præcisè à parentibus, sed utplurimùm ab ijsdem causis, quæ morbis producendis communes sunt. Probatur primum; quia tantū dispositiones ad morbū producuntur, ergò non morbus ipse; Antecedens patet in plerisq; dum etiam cum certis dispositionibus in multos sæpè annos valent: Dixi tamen absolutè & præcisè; quia frequenter à conceptione & partu contrahit proles vitiū matris, quo aliquando vix paucis diebus vivit & extinguitur, aliquando in menses & annos valetudinarius verèque morbosus miseram agit vitam. Prob. secundum, quia ad eundē modū gignitur morbus hæreditarius; quo quivis alij gigni solent, nisi quod in ijs facilior sit dispositio magisque determinata ad formam, nisi tamen multa diligentia & solertia evitetur: Et confirmatur inductione; Nam sicut phthisis v.gr. in homine, cujus nullæ sunt dispositiones parentales ad hunc effectum, à multo potu, multis exercitijs, studijs, vigilijs, laboribus & crebris salsisque defluctionibus producitur; Ita etiam in illo, cujus hæreditariæ sunt pulmonum qualitates ad hunc specie effectum hæc eadem phthisis ab ijsdem causis & ad eundem omnino modum, licet faciliori via & labore gigni solet: Et ead. res est cum reliquis affectibus.

DIFFICULTAS XV.

Quid sint morbi materiales, immateriales, per se & per consensum.

HÆc utraque divisio magnum apud Medicos locum & dignitatem obtinet, propterea inter alios morbos qui brevitatis causa hic omittuntur, quales sunt Sporadici, Endemij, Epidemij, &c. de præsentibus aliquid dicetur.

DICO 1. Morbi immateriales sunt, qui à causis externis producti citrà humoralem & excrementosam substantiam, quæ in morbi constitutionem causam materialem præstat, vel temperiem solam alterant, vel unionem partium & figuram immutant vel denique in occulta & indigna qualitate consistunt. Prob. singula per inductionem; Nam primi generis est febris Ephemera vel hectica; quæ est à calore cordis & singulis visceribus partibusque solidis impressa, absque humorum putrefactione seipsa conservat. Ad secundum genus spectant omnia vulnera quæ per se in sola divisione partiū continuarum consistunt. Tertij generis sunt sextus digitus, pes & manus vitiosè formatus lingva crassior, gibbus, &c. Ad quartum denique genus revocari potest malignitas vel perniciosa corporum corruptorum qualitas, quæ in corde recepta absque humoris alicujus aut substantiæ accessu & putrefactione calorem vitalem interimit & hominem:

DICES, Impossibile est, morbum aliquem aut gigni aut conservari non concurrente causa materiali: ergo falsum est dari morbos immateriales. Antec. patet, quia omnis forma sive subst. sive accid. educitur ex materia & recipitur in ea. *Resp.* quando Medici docent dari morbos immateriales, intelligunt solum eos morbos, qui sunt jam in partibus solidis habituati; neque aliundè ab affluxu novæ materiæ fomentantur; quemadmodum fit in febribus, quæ à nova humorum & sangvinis putrefactione conservantur. Unde

DICO 2. Morbi materiales sunt, qui prò potissimâ causa humorem habent & excrementa, quæ temperiem partium immutant, conformationem & compositionem vitiant; unitatem solvunt, malignitatemque in corde tanquam hostem fatalem fovent. Primi generis sunt febres putridæ, hydrops, &c. Secundi obstructiones, calculus; Tertij tumores cum erosione, abscessus, inflamationes. 4. denique febres malignæ à magnis & putrilaginosis

cum

cùm sangvinis tum humorum putrefactionibus pendentes.

DICO 3. Morbus per se vel per essentiam est, qui proprio & non alieno partiũ vitio gignitur, vel qui oritur à causa eo in loco suscitata in quo morbus ipse per se primò & immediatè lædit: Res nota est ex terminis, quia morbus hic non habet causam aliunde affluentem nec morbum à quo tam in esse & fieri quam conservari dependeat, quod confirmatur in melancholia v. gr. quæ dum essentialis est capiti originem suam habet in cerebro, ubi feculentus humor ab ipsa capitis intemperie & peculiari dispositione coacervatur: similiter obstructio Epatis, lienis, uteri, calculus renum & vesicæ, exulceratio pulmonum & intestinorum sunt morbi primarij & per essentiam, qui gignuntur in loco & parte quam afficiunt, esto causa aliunde suppeditetur; Nam per causam eo in loco ubi morbus est, excitatam intellige causam immediatam, conjunctam, nec ab alio morbo dimanantem; Et hinc colligitur, quod ad hujusmodi morbos ut plurimum requiratur aliqua debilitas & intemperies parti impressa, propter quam vitiosos humores gignat eosque non sufficienter digerat, ut habet Mercatus de morb. diff. & causis classe prima q. 176.

DICES, Obstructio Epatis, calculus renum, inflammationes, tumores, vertigo alijque quamplurimi morbi sunt semper à materia aliunde suppeditatâ, ergò raró dabitur morbus qui non sit per consensum aliarum partium. Resp. quamvis in plerisque morbis qui non sunt nativi, materia proxima & immediatè conservans aliunde affluat, id tamen non convincere consensum aliarum partium quam Medici intelligunt. Nam ille est morbus propriè per consensum, cum in aliquo viscera ex sola aliarum partium cõmunicatione ipso puro & integro & sine ulla labe existente gignitur, ut fit in dolore capitis, quia sola evaporatione humorum ex stomacho oritur. Per essentiam verò est, quando in aliquo membro debili, & a quo naturale temperamentum recessit, ex mala nutrimenti digestione materia excrementitia congeritur, quam ob defectum caloris aliarumque dispositionum separare aut expellere non potest, ideoque in varios morbos eorumque symptomata præcipitatur, quemadmodum fit in membro podagrico, quod præter ea excrementa, quæ à partibus vicinis recipit, suum etiam nutrimentum malè digerit, atque ita copiâ humorum quos ex intrinseca debilitate discutere nescit, obruitur.

DICO 4. Morbus per accidens vel per consensum est, qui secundariò & beneficio alterius afficit. *Adverte*, morbum per consensum nec simpliciter nec absolutè morbum à Medicis vocari, quia attribuitur vitio partis alterius, diciturque solùm is affectus proprius, qui malè partem afficit. Quod autem per se nõ lædat probatur, quia morbus per consensum est, qui alteri succrescit, & in ejus virtute operatur, ergò per se non afficit; Antea patet ex natura hujusmodi affect⁹, quia dependentiam & originem habet ab altero, quo oriente oritur & quo pereunte perit, ut patet in convulsione quæ sequitur puncturam aut quamcunque solutionem nervi, & in melancholia, in qua materia ex liene & vasis mesaraicis ad caput attollitur, ad differentiam ejus ubi cerebrum melancholico temperamento affectum est, adeòque spiritus crassos & tenebricosos gignendo melancholia per essentiam dicitur. Itaque morbus per consensum dicitur is, qui producitur à materia vel causa extra partem in qua morbus est, fitque omninò Medicorum judicio & unanimi consensu tribus modis; 1. quando materia ex una parte in aliam illabitur & in ea afficit, ut fit cum vapores à ventriculo in cerebrum attolluntur, & dolorem, vertiginem aliosque affectus in eò procreant. 2. quando vis aut facultas intercipitur quo minus possit in alias partes subjectas influere, ut fit in obstructione nervorum, quia ex hac interceptione accidit resolutio crurum aliarumque partiũ, peritq; sensus & motus. 3. quando intercipitur materia quæ ad agendum requiritur, ut fit in obstructis pulmonibus aut resolutis costarum musculis, aut perforato thorace, in quibus casib⁹ cu non sufficiens spiritus cũ efflatu ad laryngẽ compellatur, vox aut supprimitur aut omnino perit; Ita Fernel. l. 1. de diff. morb. c. 4. Alij aliter morbos per consensum eorumq; modos explicant, videl. generari per consensum, vel quia fit communicatio materiæ quæ de loco in locum & de parte in partem transfertur, ut accidit, quando copiosi vapores è stomacho vicinisque partibus in caput efferuntur; vel quia diversis partibus & membris eadem est vasorum communicatio, ut stomacho & cerebro substantia nervosa, quæ in capite læsa vomitum movet, vel quia duæ pluresq; partes in eandem actionem conspirant ut viscera naturalia in confectionem sangvinis, &c.

DIFFICULTAS XVI.

An detur morbus materiæ & formæ.

FErnel. lib. 1. de morb. differ. cap. 7. docet, in parte similari tria spectari, materiam, temperamentum & formam: Horum trium naturalem constitutionem & symmetriam sanitatem esse, præternaturalem autem morbum; Materiæ itaq; morbum esse immoderationem, temperamenti intemperiem, formæ corruptelam, proindeque partis similaris, in quam hæc tria incidunt, morbos 3. existere, immoderationem materiæ, intemperiem & formæ seu totius substantiæ corruptelam. Intemperies 8. numerat, videlicet simplices totidemque compositas, quæ aliquando puræ existũt, aliquando ex humorum putridorum vel intemperatorum vitio prodeant; Materiam immoderatam ait aut mollem esse aut duram, laxam aut astrictam, tenuem aut crassam, ra-

DICES, Causa morbosa ex se determinatur ad corruptionem organorum quorum beneficio eliciunt potentiæ suas operatiooes, ergò causa lædit immediatè; Antec. patet in ferro, quod dum venam, carnemq; ferit, ex se organum corrumpit. Resp. neg. conseq. quia dum gladius continuum solvit, morbum facit; dum calor putrilaginosus spiritus cordis incendit, febrem gignit; dum frigus externum ventriculo incumbit, intemperiem producit. Itaque semper morbus prior est prioritate naturæ si non temporis, ut patet in debilitate virium quæ accensum cordis calorem immediatè sequitur, & in mala ventriculi concoctione quæ naturâ posterior est quàm ipsa frigiditas ventriculi.

DICO 2. Symptoma nullas lædit operationes. Ratio est, quia symptoma cum sit effectus morbi, ex se nullam habet vim agendi, sed nec ullam realitatem aut existentiam nisi cum producitur vehementiâ morbi: Plura vide infrà Disp. 18. diffic. ultimâ. Quod si

Symptomata non lædunt. DICAS, ex gravioribus & vehementioribus symptomatis oriuntur majores virium debilitates & offensæ operationum, ergò symptomata ex se lædunt operationes. Resp. neg. conseq. quia sunt morborum hæ debilitates, & quicquid in corpore morboso est ad interitum suppositi, id ad morbi vim, essentiam & naturam efficienter spectat, quod Exemplorum varietate illustratur; Nam quicquid in dolore intensiss. accidit, ut cõvulsio, virium exhaustio, sangvinis rarefactio, humorũ attractio, inflammatio, &c. id non ad dolorẽ efficienter spectat, sed ad morbũ ejusq; causam proximam & im̃ediatam, videl. ad vaporem sive frigidum, sive calidum partes sensibiles distendentem, vel ad humores acres & mordaces, à quibus dolor & cæterorum symptomatũ series exoritur; similiter cum in vulnere sequitur maximus dolor, & hunc vigiliæ, deliria, inflammationes, humorum affluxus, tumores, &c. ad solutam unitatem à qua tot se mutuò excipiunt effectus, pertinent: Nam ubi dolor, ubi morbus est, ut alibi pluribus patebit.

DICO 3. Morbus lædit operationes im̃ediatè, sed non semper eod. modo. Prob. 1. pars primò, morbus est à quo primò & immediatè expellitur sanitas, ergò etiam ab eo læduntur immediatè operationes; Antec: patet, quia comprimũ homo manifestè fit morbosus, langvent vires & operationes, ex quibus etiam in cognitionem morbi devenimus; deinde ad morbum pertinet solvere & corrumpere immediatè sanitatem, ergò ab hoc pendet immediatè virium & actionum vitalium corruptio. 2. febre debilitantur immediatè vires & deficiunt actiones tanquam à principio proximo, ut patet sensu & efficacia caloris, ergò quod de febre verum est, de alijs quoque morbis verum erit. 3. nihil præter morbum superest à quo immediatè læduntur operationes, ergò. Prob. 2 pars quod videl. non semper eodem modo lædantur operationes à morbis; quia diversæ sunt horum essentiæ & naturæ, ideòque etiam alium agendi modum obtinent: Nam aliter læduntur actiones vitales in intemperie, aliter in obstructione, aliter in soluta unitate, ut inductione singulorum manifestum est, & ex vi horum Agentium comprobatur.

DICES, Morbus non semper est activus sive sumatur in genere pro affectu p. n. quod nomen competit omnibus morbis, sive in specie pro intemperie, pro soluta unitate, pro vitiosa compositione, &c. ergò morbus non lædit operationes. Antecedens patet in obstructione, quæ ex se nullam habet vim agendi sicut nec soluta unitas nec vitiosa conformatio, &c. Resp. neg. antec. ex definitione morbi qui dicitur affectio seu constitutio p. n. cum hac adjectione quod sit causa vitiatæ functionis, non quidem causa materialis aut finalis, sed formalis & efficiens quocunque tandem modo. Et confirmatur, quia affectio est qualitas positiva à qua corpus præternaturaliter habetur, multasque cùm alterationes tum corruptiones circà temperiem, cõplexionem, organa, facultates, actiones nexumque & unitatem partium patitur. *Adverte* tamen, non eandem esse vim & efficaciam omnibus morbis, quia non est omnibus eadem natura & essentia. Et ut hoc inductione constet, & quidem imprimis de intemperie, de quâ tamen nulla est difficultas, calor p. n. spiritus corrumpit, vires exhaurit humidumque radicale consumit; similiter frigus calorem naturalem opprimit omnesque actiones vitales, quæ ejus beneficio administrantur, corrũpit. Quod ad solutam unitatem, constat vulnus esse morbum, & hoc ex se non habere vim ullam agendi; quia sive consideretur ut est negatio unitatis, sive ut cavitas rotunda, quadrata, profunda, sinuosa; &c. activum non est; agit tamen materialiter, i. e. quia est talis affectio sive dispositio partiũ, quæ non competit animæ ad benè operandum; Nam sicut ad operationum vitalium administrationem requiritur debita & connaturalis prim. qualitatum contemperatio; Ita etiam partium organicarum conformis unitas & nexus debitus, quia hæc sunt media & accidentia quibus operetur anima. Idem de vitiosa compositione dicendum est; Nam si hæc consideretur ut est p. n. quædam magnitudo, numerus excedens, nexus depravatus, situs inordinatus, meatus & cavitas minus libera, nullam habet vim agendi, nec ad ullam actionem determinant animam ejusque potentias; si verò consideretur ut est dispositio quæ vim animæ impedit negatq; concursũ potentijs ad eliciendas actiones vitales & connaturales, activa censetur & esse causa vitiatæ functionis. Itaque omnis morb' activus est qui sumitur pro ea dispositione quæ ad eliciendas operationes impedit influxum animæ, quia minimùm censetur habere vim aliquid efficiendi, quocunque tandem modo id fiat: Nam etiam umbra quæ infantem terret viruma; ab accessu arcet, agere dicitur, sicut & glacies, quæ incumbentem in aquas demergit & submergit, quia videl. utraque est dispositio ad incompetentes operatiooes; similiter absentia solis aërem refrigerare dici, tur, quia sol est conditio sine quo aër nec calidus est nec tepidus. *Quomodo morbus activus sit.*

DIF-

DIFFICULTAS V.

An & quomodo morbus sit qualitas facilè vel difficulter à subjecto mobilis.

ARistoteles nullibi morbi mentionem facit, nisi cum de qualitatibus agit; Ratio est, quia videtur ipse reduxisse omnem morbum ad primarum qualitatum intemperiem, & eum solum affectum agnovisse in humano corpore qui ex intemperie resultet; Medici verò aliter usurpant nomen morbi, affectus vel constitutionis. p.n. quia non tantum ille est affectus in humano corpore, qui est intemperiei, sed etiam qui consistit in solutione continui, in mala compositione, conformatione, &c. ut constat ex Fernel.l.1.pathol.c.1. ubi ait, affectum non appellari ea pra cisè angustâque significatione quam Arist. usurpaverit, sed admodum larga & multiplici verbi potestate, quæ omnem corporis constitutionem p n.continear, sive hæc in substantia, sive in qualitate & temperamento, sive in conformatione consistat.

Advertte, morbum dupliciter considerari posse; 1. secundum se suamq; naturam. 2. in ordine ad corpus ægrum.

DICO 1. Morbus secundum se sumptus à subjecto mobilis est. Ratio, quia est accidens & non spectat ad integritatem & complementum corporis: ergò.

DICO 2. Secundum Aristot. omnes morbi tam in ordine ad se quàm in ordine ad corpus sunt à subjecto ex se mobiles, de primo non est dubium; de 2. probatur, qualitates quæ corpori extrinsecus, violenter vel per errorem accidunt, sunt fluxiles, factâq; primâ alteratione rursum à subjecto dimoventur, ut patet in aqua calefacta, in pariete dealbato, in spongia humefactâ, &c. sed talis qualitas est morbus qui homini extrinsecus vel per errorem accidit, ergò separabilis est à subjecto. Et confirmatur, quia hujusmodi peregrina qualitas non ingreditur naturalē constitutionem subjecti, ergò à contrario pellitur, vel recedente causa conservante removetur, vel à potentia conservativa subjecti supprimitur: Dico tamen ex se, quia si aliquando interitus sequatur, id est, per accidens tam ratione morbi quam corporis, cui ille est incommutabilis.

DICO 3. secundum Medicos, aliquando morbus est à subjecto facilè mobilis, aliquando difficulter, sæpè nunquam, primum & secundum patet experientia, quà constat apud Medicos practicos, quod sæpè vel unico solutivo aut alterativo morbum vel causam tollant; sæpè etiā difficulter id præstant; Est etiam rationis, cum præsertim non est proportio inter morbum & corpus ægrum. inter agens & patiens, inter actionem & passionem sive resistentiam, ut proinde corpus nō sufferre possit tam violentū hostem; Et accedit authoritas Galeni ex Fuchsio instit.l.3.s.1.c.1.& 3. ubi ait Galenum non strictè usurpasse nomen affectus sicut Arist. fecerit, prout sc. ab habitu firmo distinctus est, habetq; rationem dispositionis facilè mobilis, sed longè & amplè pro omni affectu corporis, sive is sit facilè sive difficulter mobilis sive sit in temperiei, sive solutionis continui sive viriosæ conformationis, ex quo patet, aliquos morbos habere se ut dispositionem . aliquos ut habitum. Quod autem aliqui morbi nunquam sint à subjecto mobiles naturaliter, constat ex alibi dictis de podagra, lepra, partibus membrisq; corruptis, exulceratis, putrilaginosis, emortuis, quæque non nisi reproductionem soli Deo competentem requirunt.

DIFFICULTAS VI.

An omnis excessus à naturali constitutione corporis sit morbus.

COnstat præter integritatem omnium partium corporis bonamq; conformationem consistere sanitatem in debito & connaturali temperamento animalis; Jam quæritur, an si animal ab ejusmodi qualitatum temperatione nonnihil recedat, statim sit dicendum ægrum, id quod etiam proximâ disput. de sanitate quæsitum fuit.

Suppono, Morbum semper commensurandum esse cum actionibus seu functionibus humani corporis, ita ut iis vel multum vel parum, vel etiam nihil deficientibus homo in statu sano vel neutro existat, vel etiam magis minusque dicatur morbosus. His positis repetò nupera &

DICO 1. Falsum est quod ad quamcunq; mutationem sive alterationem naturalis temperamenti homo statim sit dicendus æger. Prob. 1. sanitas nō consistit in indivisibili 4. primarum qualitatum termino, ut videre est ex alibi dictis de sanitate, ergò nec ad quemcunq; huius defectum vel excessum accidit morbus, quod cōfirmatur ex statu neutro, qui communis est & receptus nō tam philosophis quam medicis; In hoc enim homo non dicitur verè morbidus esse, quamvis nonnihil à statu sanitatis deflexerit. Prob. 2. experientia quā videmus, homines aliquando multis diebus inter morbum & sanitatem luctari, donec aut verè dicantur morbosi, aut evictis primis dispositionibus ad perfectam sanitatem redeant 3. Prob. Authoritate medicorum, qui ad observandas suas crises non incipiunt numerare morbum ab eo tempore, quo homo malè sentit, sed quo manifestè vires & actiones deficiunt.

DICO 2. Falsum etiam est, quod præter levem aliquam temperamenti mutationem homo dicatur ægrotare, cum circà solutionem continui & vitium compositionis nonnihil patitur, nisi sub ampla morbi sumptione. Patet hoc in levioribus tuberculis, tumoribus, cutis exulcerationibus, obstructionib⁹, exiguis vulnerib⁹, contusionib⁹, compressionib⁹, in quib, nemo nisi hypochondriacus hominē ægrum dixerit. Hic tamen *adverte*, constitutionē p.n. quę

latius aliquando extenditur non tam esse metiendam ex actionibus læsis quàm ex duratione; Et hinc dicitur homo morbosus ex ea soluta unitate quæ actiones notabiliter lædit, tum ex mala partium compositione & confirmatione quæ durabilis est & difficulter mobilis ut gibbus, caput aut linguà magnitudine excedens, compressio Thoracis, &c.

Quæ differentia inter morbum & affectum.

DICES, Si mala constitutio, quæ est ex vitio nativæ conformationis, est inter morbos numeranda, licet parum offendat operationes; sequitur etiam statum neutrum esse morbum dicendum, quia hic æquè aut plus etiam offendit corpus. Resp. ex sententia Medicorum neg. sequelam; Ratio est, quia status neuter habet fluxum, vim & tendentiam ad esse morbi, estq; non ita durabilis; affectus autem conformationis & vitiosæ compositionis nullã habent præviam dispositionem ad morbum, sed sunt firmi & habituati, ideoq; induunt rationem morbi. Deinde differt morbus ab affectu p.n. in hoc, quod morbus sit affectio, quã præsente homo dicatur verè ægrotare, affectus autem latius se extendat, omnemq; significet affectum corporis p.n. sive corpus parum aut omninò nihil offendat, ut sextus digitus, tertius testiculus, duplicatio dentium, oculorum in colore & magnitudine varietas, & similia quæ minutia sunt.

Colligitur, quando dicitur morbum incipere ad manifestam læsionem actionum, spectare solùm & propriè ad morbos quià causis p.n. & erroribus circà victum aliasq; res non naturales fiunt, non autem ad eos qui nobiscum connascuntur.

DIFFICULTAS VII.

Quomodo incipiat morbus.

SEnsus quæstionis est, an morbus referendus sit inter res permanentes an successivas, et si inter res permanentes, an incipiat in instanti an verò in tempore; Ratio dubitandi est, quia cum non soleamus hominem ægrum dicere quando incipit malè sentire, sed cum notabiliter deficiunt vires & actiones vitales; adeoq; toto tempore præcedente sit status quidam neuter, videtur simul fieri totus morbus atq; ita totus gigni in instanti; Cumprimùm enim desinit status neuter, jam totus simul existit morbus, &c. Cæterùm ut hæc difficultas intelligatur, quàm Arist. l. 6. c. 5. & l. 8. c. 8. phys. perstrinxit,

Adverte primò, Inceptionem significare initium durationis rei, desitionem verò finem durationis ejusdem.

Secundò, res quę incipere & desinere possunt; esse in duplici differentia; alias permanentes ut homo, leo, calor, &c. alias successivas ut tempus & motus.

Tertiò, rerum permanentium alias habere suum esse in instanti, & illud rursum in instanti amittere, vel sine expulsione contrarii, ut materia prima & Angeli, quorum esse incepit per creationem in instanti, & desinere potest similiter per solam annihilationem instantaneam, vel cum expulsione contrarii, ut fieri solet in formis omnibus sive substantialibus sive accidentalibus, quorum illæ in instanti, & hæ per motum & tempus in materiã expulsã prius formâ priori inducuntur; Nam sic anima rationalis expulsâ prius formâ Embryonis producitur, quantitas verò acquiritur successivè per motum accretionis, & amittitur per motum durationis; sic item qualitates non nisi successivè producuntur, ut morbus intemperiei & calor per successivam calefactionem.

Quartò, quando quæritur, quomodo res incipiant & desinant, nihil aliud quæri, quam quomodo se habeant instantia, quibus utrinque earum duratio clauditur, an scil. ex parte principii connumerandum sit instans cum tempore, in quo res existere dicitur, ita ut in illo jam sit & immediatè ante non extiterit, an verò pertineat ad tempus præteritum in quo res nõdum erat, ita ut in ipso nondum existat, sed immediatè post; similiter ex parte finis, an videl. pertineat instans ad id tempus, in quo res adhuc est, ita ut in ipso res existat, & immediatè post non sit, an verò spectet ad futurum, in quo res jam non existit, ita ut in eo instanti nõ sit, & imediatè ante extiterit. Nam ex his Adverte

Quintò, duobus modis rem aliquam posse incipere & desinere; primò positivè & intrinsecè, secundò negativè & extrinsecè. Res dicitur positivè & intrinsecè incipere ac desinere, quando incipit primum instans sui esse, & per ultimum sui esse desinit: Incipere autem dicitur per primum sui esse aliquid, quando potest assignari instans, in quo liceat affirmare, nunc res est & immediatè ante non erat, sicut desinere per ultimum sui esse creditur; quando assignatur instans in quo licet dicere, nunc res est & immediatè post non erit; & ideò positivus dicitur ille inceptionis & desitionis modus, quod rem in illo instanti ponat incipere & desinere; Dicitur verò res negativè & extrinsecè incipere & desinere, quando incipit per ult. instans sui non esse, seu per aliud instans in quo verum est dicere, nunc res non est, & immediatè post erit, & per primum sui non esse desinere, per illud scil. instans in quo possumus dicere, nunc res non est, & immediatè ante erat; & hic modus inceptionis & desitionis idcircò negativus dicitur, quod rem in tali instanti esse neget. His positis & notatis

Termini inceptionis & desitionis.

Res quæ per motum acquiruntur non possunt incipere in instanti positivo, quia habent esse suum successivũ.

DICO, Morbus cum omnibus rebus successivis & permanentibus quæ successivè & per motum acquiruntur ut calor, frigus, quatenus continua & successivã alteratione producuntur, & quantitas quatenus successiva accretione accedit, &c. non incipit ac desinit intrinsecè per primum & ultimum sui esse, sed extrinsecè tantum per ultimum & primum non esse. Ratio hujus conclusionis est, quia quorum esse nec est nec esse potest in instanti positivo, illorum esse & duratio ipsius esse non potest incipere in instanti positivo & intrinseco;

sed

sed implicat ex natura rerum successivarum sive etiam permanentium quæ acquiruntur per successivam alterationem, ut esse suum contrahant ad instans positivum, ergò. Non enim potest assignari ullum instans, in quo licet de hujusmodi rebus successivè acquisitis affirmare, in hoc instanti sunt & immediatè ante non erant, quia non possunt esse in instanti sive habere omnes partes componentes simul seu præsentiâ simultaneâ, sed fluenter, successivè & partem unam post aliam.

Morbus nõ cessat in instanti sicut nec incipit in instanti.

DICES 1. Morbus cessat in instanti, ergò etiam hoc modo incipit. Resp. neg. antec. quia nulla quies potest esse in instanti sed in tempore, cum sit negatio motus in subjecto apto & in tempore à natura constituto, proinde nec motus nec quies est in instanti, atque ita morbus non desinit per ultimum sui esse, id est, in instanti, quia deberemus dicere, hoc momento existit & cessatque morbus, & immediatè ante non fuit, aut immediatè postea erit. Itaque respondetur ad rationem dubitandi initio positam, falsum esse, quod quando status neuter sive sanitas ex decidentia perijt, jam totum simul existere & incipere morbum, sed aliquid ejus incipere, & in fine aliquid ejus cessare, alias non esset è genere rerum successivarum.

Morbus nõ incipit nec desinit in instanti intrinseco.

DICES 2. Si homo è fenestra se præcipitat & in medio moritur, tunc eodem instanti quo homo fit cadaver, etiam incipit moveri deorsum illud cadaver, ergò iste motus incipit in instanti positivo. Resp. neg. seq. quia erit illud instans positivum & intrinsecum ratione generationis cadaveris, non tamen respectu motus localis. Plura vide apud Philosophos quorum propriè est hæc tractare. Cæterum quæ de morbo eadem de sanitate dici possunt ac debent.

DIFFICULTAS VIII.

Quomodo morbus expellat sanitatem.

AD intelligendam difficultatem præmittendum est, quomodo ea, quæ sunt contraria, se mutuò expellant; an per propriè dictam actionem, an verò formaliter absque ulla actione: Nam hoc potest fieri dupliciter, primò effectivè, ita ut præter eam actionem quâ morbus vel calor inducitur, sit alia quædam actio qua expellitur frigus aut sanitas; secundò formaliter, ita ut ab inducto calore vel morbo cogatur recedere frigus & sanitas absque ulla actione.

SUPPONO, morbum & non causam morbosam expellere sanitatē immediate, Ratio, quia ille solus est sanitati formaliter contrarius, ergò et solus immediatè expellit. Dico immediatè, quia et causa expellit, sed dum morbum producit; Quamvis enim & morbus & sanitatis expulsio simul existant, illa tamē natura prior est, ut quā Agens ea se intendit; sic calor intendit ex se incendere spiritus vitales & producere calorē p.n. gladius solvere continuum, idque primò & immediatè.

DICO 1. Probabile est aliquo modo, quod corruptio contrarij, videl. sanitatis à morbo non sit actio distincta, adeòque formaliter expellatur, non effectivè. Prob. 1. quia multa sunt ejusmodi quæ formaliter tantum expelluntur, ergò si idem dicatur de contrario, nihil erit absurdi. Antec. primò ostenditur exemplo hominis qui alteri cedit & expellitur è loco, quia duo corpora non possunt simul esse in eodem loco. 2. multæ qualitates non sunt activæ ut albedo, dulcedo, & tamen expelluntur albedo à nigredine, dulcedo ab amarore, ergò expelluntur formaliter. Et hæc quidem probabiliter dicuntur sicut & illud quod hinc sequitur, nō omne quod producitur per veram actionem & corrumpitur formaliter sine actione.

DICO 2. Sicut probabile est corruptionem contrarij non esse veram actionem sed cōtrarium, id est, sanitatē expelli tantū formaliter à morbo; ita etiā non est improbabile, corruptionem termini à quo, sanitatis sc., & productionem termini ad quem, morbi nimirum, esse eundem planè motum: prob. Eadem res est actio & motus; sed si contrarium expellitur formaliter, una tantum est actio qua producitur termin' ad quē & qua expellitur ejus contrarium, ergò tantum est unus motus, v.gr. quando sanitas corrumpitur à causa morbosa vel morbo tanquam à suo contrario, intercedit tantum una actio, ergo etiam unus tantum motus, quia non est distincta actio qua morbus inducitur & qua sanitas expellitur. Quod si dicas productionem termini ad quem & corruptionem termini à quo nec esse unam actionem nec unum motum ex hoc argumento, quod in subjecto in quod introducitur forma, vel sit jam forma contraria vel non; si primum, ergo duo motus; si secundum, erit quidem unus motus, sed nulla perditio termini à quo. Resp. non esse necessariò dicendos duos motus distinctos quoties expellitur forma contraria, cum probabiliter dicatur expelli tantum formaliter.

DICO 3. Etiam probabile, imò probabilius est, contrarium corrumpi effectivè à suo contrario, ac proinde terminum ad quem, sc. morbum, produci per actionem distinctā ab ea actione qua expellitur ejus contrariū, nimirū sanitas, quę est termin' à quo. Prob. 1. motus identificatur cum termino, actione & passione: sed quādo v.gr. ex calido fit frigidū, ex sano morbosum, & contrà, sunt termini inter se realiter distincti ejus mutationis, qua aliquid ex non morboso fit morbosum, & qua ex sano fit non sanum, &c. qua prior mutatio qua aliquid ex non morboso fit morbosum, est acquisitio termini ad quem; altera autem qua aliquid ex sano fit non sanum, est perditio termini à quo, ergo duplex & distincta est actio qua producitur morbus, ab ea actione qua destruitur sanitas. Quod autem harum mutationum termini differant, patet, quia alterum est esse, alterum non esse. Prob. 2. productio formæ & corruptio ejusdem sunt motus oppositi, ut productio & corruptio caloris, morbi, &c. sed ita se ha-

ſe habet productio ſanitatis ad productionem morbi, ſicut corruptio ſanitatis ad corruptionem morbi, ſanitatis autem corruptio eſt diſtinctus motus à corruptione morbi, ergò & productio ſanitatis eſt motus diſtinct' à corruptione morbi: Hoc tamen intellige de termino *à quo* poſitivo; quando etiam eſt privativus, eadem planè eſt mutatio, quę eſt acquiſitio termini *ad quem*, & perditio termini *à quo*.

DIFFICULTAS IX.

Quodnam ſit morbi ſubjectum.

SUppono, aliud ſubjectum eſſe denominationis & aliud inhęſionis, de quo alibi ſatis. Deinde multę ſunt partes corporis humani pręſertim verò quæ ad hanc rem faciunt, animatæ & inanimatæ; Et de his utriſque difficultas eſt an & quomodo ſint ſubjectum morbi.

DICO 1. Subjectum denominationis aliquando totū eſt corpus, aliquando partes quædam corporis: primum patet in morbis univerſalibus, v. gr. in febribus, quæ morbi ſunt totius, quia infeſtant totum corpus. Secundum eſt manifeſtum in affectibus particularibus, quæ à membro & viſcere quod potiſſimum occupant, ſuam mutuant denominationem; ſic alius affectus eſt ſpleniticus, alius Epaticus, alius uterinus, &c. Neque

Morbus quomodo exiſtat in partibus inanimatis

DICAS, etiam à partibus inanimatis denominari morbos, verb. gr. à bile bilioſos, à melancholia melancholicos, &c. ergò etiam partes inanimatæ ſunt ſubjectum denominationis: Quia reſpondetur, à partibus inanimatis denominari morbos cauſaliter & materialiter, verum eſt, ſubjectivè & formaliter, falſum.

DICO 2. Subjectum inhæſionis morbi non ſunt partes inanimatę, cujuſmodi ſunt ſpiritus, ſangvis, humores tam liquidi quam concreti: Prob. 1. ſanitas non inhæret ſanguini, aut humoribus, ergo nec morbus. 2. in partibus inanimatis nullæ exiſtunt potentiæ animæ, nullæ etiam exercentur operationes vitales, ergo nec morbi ſunt ſuſceptivæ, quod confirmatur, quia cum animâ careant, carent & ſenſu omnique nutritione, unde nec ſolutionem continui admittunt, nec vitioſam compoſitionem, ſed nec intemperiem quæ morbus ſit, quam licet in viſcera transfundant, ut patet in ſanguine putrefacto & ſpiritibus incenſis. Hinc ſi

DICAS 1. Febrium genera deſumuntur à ſpiritibus, ab humoribus & à partibus ſolidis ut alibi dicitur, in ſpiritibus & humoribus ſubjectantur. Reſp. febres deſumi à ſpiritibus & humoribus cauſaliter & naturaliter, non formaliter & ſubjectivè: Nunquam enim eſt febris niſi cum partes animatę afficiuntur, earumque naturalis conſtitutio corrumpitur; quicquid autem in ſpiritibus & humoribus præternaturaliter exiſtit, id rationem cauſæ morboſæ obtinet.

DICES 2. Dantur morbi materiæ, ergò certum eſt, morbos quoſdam ſubjectari etiam in partibus inanimatis; [illegible] autem illi morbi materiæ, ubi præter [illegible] viventes & ſolidas, quemadmodum patet [illegible] abeſt ea, etiam magna humorum corruptorum & putreſcentium ſuperfluitas reperitur inexiſtere, ut videre eſt in febribus putridis, in cachexia, in hydrope, in calculo, &c. Reſp. morbos materiæ non dici ideò tales, quod ſubjectivè hæreant in humoribus variè corruptis, ſed quod ab his tanquam cauſis immediatis & conjunctis dependeant.

DICES 3. Multi ſunt affectus, qui nullam partem viventem afficiunt, in ſolis autem excrementis & ſuperfluitatibus corporis exiſtunt, ut vomitus, calculus veſicæ, morbus pedicularis, &c. ergò excrementa ſunt ſubjectū inhæſivum morborum. Reſp. neg. antecedens; Nam calculus imprimis, ſive rationem cauſæ materialis ſive morbi & conſtitutionis præternaturalis habeat quatenus videl. obſtruit, coarctat meatus, verè afficit veſicam per ſe & per conſenſum partes alias, id quod etiam de humoribus intrà ventriculum corruptis intellige, ſed & de vermibus, pediculis aliiſque ſubſtantiis; verè vim corpori inferunt non tantùm quà pręternaturaliter illi inhærent, ſed etiam quà toti vitioſam quandam conſtitutionem quæ formaliter morbus eſt, inferunt. Nam ſicut ſanitas conſiſtit in debita qualitarum proportione, bonaq; partium unitate & compoſitione quoad numerum, ſitum, figuram, raritatem, denſitatem libertatemque meatuum; Ita morbus in contrario; Atque ità cum vermes pediculi calculi, humores corrupti aliæque ſubſtantiæ in corpore præternaturaliter exiſtunt, ipſæ quidē materialiter conſideratæ habent rationē cauſæ tantum & materiæ morboſæ, quà verò inferunt indecentem corpori compoſitionem, id eſt, oppletionem in meatibus, qui & ipſi numerantur inter partes corporis, jam induunt naturam morbi, id eſt, conſtitutionis præternaturalis.

Calculus quomodo afficiat.

DICO 3. Solæ partes viventes ſunt verum & proprium ſubjectum morborum. Ratio eſt qui in his ſolis exiſtit & inhæret ſanitas, ut patet ex dictis, deſtruiturque connaturale temperamentum, unitas & compoſitio, ergò etiam in iis ſolùm recipitur morbus, acciditque defectus operationum quæ competunt corpori, id eſt partibus tam homogeneis quam heterogeneis. Cur etiam per has utraſq; fiunt operationes oportet etiam in utriſque exiſtere tam ſanitatem, quam morbum, quia ineſt iis qualitarum contemperatio & proportio, unitas & compoſitio quoad numerū, quantitatem, ſitum, figuram, connexionem, raritatem, denſitatem & alias id genus conditiones, quæ pertinent ad fabricam optimi inſtrumenti.

Solæ partes viventes ſunt ſubjectum morborum.

DICES, ad naturalem conſtitutionem partium homog. & heterog. pertinent humores; ſed iis inexiſtit morbus, ergò & in his. Reſp. 1. duplices eſſe humores, alios qui pertinent ad integritatem partium viventium, & ſine quibus hæ nequeunt exiſtere; alios qui non ſunt continui cum partibus viventibus, ſed intrà va-

ſa &

fa & meatus vel ut excrementa vel ut alimenta continentur; primis itaque inhæret morbus, non ultimis. 2. respondetur valdè impropriè dici morbum existere in humoribus qui ad partē viventem spectant; Nam vel hi accipiuntur in cōcreto vel in abstracto; si in hoc, falsum est iis inhærere morbum, quia sunt qualitates; si in illo, jam nihil sunt distincti à partibus, sed eas constituunt & morbum adæquatè sustentant, vel certè sunt partes quæ totum complent & cum eo morbum recipiunt; Nam quævis substantia mixta partes habet elementares ex quibus adæquatè constituitur, ergò etiam aqueas & aëreas, quæ sive plus sive minus in toto dominium habent, atque ita corpus aliquando minus humidum coagmentari faciunt.

DIFFICULTAS X.

An subjectum morbi sit semper totum corpus.

Non est in quæstione, an singulæ partes corporis adeòque totum corpus sit capax recipiendi & sustentandi morbum, quia certum est nullum esse membrum sive homogeneum sive heterogeneum, quod non habeat constitutionem & contemperationem qualitatum vel ad sanitatem vel ad morbum: sensus itaq; controversiæ est, an quoties ægrotat homo semper totum corpus & singulæ ejus partes afficiantur, an verò sufficiat aliquando unam vel alteram cæteris omnibus salvis affici.

Suppono, morbum aliquando consistere in intemperie vel partis vel totius, aliquando in soluta unitate, aliquando in depravata cōpositione & conformatione de quo infrà

DICO 1. Si morbus sit intemperies à corde dependens, pro subjecto totum habet corpus. Ratio est, quia hæc intemperies infunditur per spiritus vitales in universum corpus occupatque singulas partes ut patet in febribus, quę proinde morbi universales vel totius appellantur, quia videl. omnis calor qui corpus fovet factus est præternaturalis.

DICES, Omnis alteratio febrilis, est intemperies: sed dantur multę alterationes febriles, quæ non occupant totum corpus, ergò falsum est intemperiem pro subjecto habere totum corpus ejusq; singulas partes. Resp. quando dicitur intemperiem esse morbum universalem & occupare totum corpus, non intelligi hoc de quacunque intempérie, sed de ea solum quæ in corde accenditur illudque in consensum trahit, sive sit essentialis sive symptomatica; Nam etiam in magnis inflammationibus calor in corde accenditur, & in corpus diffunditur, contrà in levioribus. Et hinc

DICO 2. Non omnis Intemperies occupat totum corpus: Probatur inductione; Nam imprimis sunt multæ inflammationes & tumores à sangvine vel bile etiam dependentes, quæ licet hominem verè afficiant, dolorem faciant & actiones nonnihil impediant, toti tamen corpori sensibilem & manifestam alterationem non inferunt, cujus ratio est, quia calorem cordis non accendunt. Deinde in refrigeratione manuum vel pedum in debilitate matricis, ventriculi, cerebri, &c. est defectus caloris vel intemperies frigida, corde nihilominus salvo & incolumi. Sed & siccitas singulis ferè membris accidere solet in atrophia & tabe particulari, in qua reliquū corpus nequicquam patitur. Tandem accedit hydrops matricis aut pulmonum, ubi peculiares tantum partes intemperie laborant humida, reliquum verò corpus constitutione & complexione naturali.

DICO 3. Reliqui morbi, sive sint solutæ unitatis sive malæ compositionis, omnes sunt ex se particulares, habentque pro subjecto eam solum partem quam occupant. Hoc totum patet ex sensu, quo tumores, pustulas obstructiones, vulnera, fracturas, contusiones, & id genus alia partibus tantum & non toti inesse videmus. Dixi tamen ex se, quia certum est multos hujusmodi affectus particulares ex accidente in totum corpus diffundi mortemque inferre; Et hic si

DICAS, sæpè puncturas nervorum, obstructiones asperę arteriæ, compressiones pectoris, vulnera capitis, gangrænam, sphacelationem, inflammationes, &c. esse affectus particulares, & tamen afficere totum corpus ejusque operationes, imò frequenter mortem inferre, ergò falsum est, hos affectus competere solùm partibus. Antec. confirmatur in corde, quod si vel leviter vulneretur mortem infert, cum tamen illa solutio non sit totius sed partis; plura sunt quotidianæ experientiæ. Resp. hos omnes affectus esse particulares per se, sed aliquando redundare in totum per accidens, quia videl. ex natura sua sunt graviores, & partium principaliorum, habentque proinde cum corde tanquā principio vitæ consensum maximum, quo se cum dispendio tam sanitatis quam vitæ nonnunquam in totum diffundunt.

DIFFICULTAS XI.

Quot sint genera vel classes morborum.

Vel sensus quæstionis est de summo & propriè accepto genere, vel de generibus subalternis seu potius de quibusdam classibus, quæ præter unam illam summamq; rationem formalem omnibus effectibus sive morbis convenientem aliud quidpiam insuper habent, quod faciat morbum unum ab altero discrepare, & in quo similiter sub una eademq; ratione complures conveniant: Nam genus desumi solet ab eo quod commune est pluribus; sic constitutio p. n. constituit genus summum quia convenit omnib. affectibus præternaturalibus qui in humano genere reperiuntur; sic solutio continui constituit genus subalternum, quia ad illam referuntur omnia vulnera, fracturæ, rupturæ, dilatationes, &c.

Ad-

Adverte, morbos dividi poſſe in ſubalterna genera vel juxta conſtitutionem partium, vel ſecundum naturam propriam & modum operandi; Nam quia pars quælibet corporis ad integritatem ſui requirit 1. temperiem bonam, 2. conſormationem laudabilem & 3. continuitatem, morbus verò in contrario conſiſtit, id eſt, in eo quod 1. ſimplicem affectionem deſtruit, 2. quod bonam conformationem, & quod 3. unitatem; Idcircò juxtà hanc triplicem affectionem Medici tria ſtatuunt genera morborum, videl. intemperiem, malam compoſitionem ſeu conformationem & ſolutionem continui, ſive morbum ſimilarem, organicum & communem: ſimilarem ajunt occupare partem quatenus non eſt organica; Organicum contrà inhærere parti ſub ratione organi; communem verò ineſſe parti quatenus eſt ſimilaris & organica. His poſitis

DICO 1. Unum eſt genus ſummum, ſub quo omnes morbi cõprehenduntur: Ratio eſt, quia omnes morbi quibus humanum corpus affligitur, conveniunt in una aliqua ratione formali ſive eſſentiali, ergò habent inter ſe unum ſummum propriéque dictum genus: Antec. pater, quia ratio formalis & eſſentialis, in qua omnes morbi conveniunt, eſt conſtitutio præternaturalis, &c.

Genera morb. ſubalterna. DICO 2. Sive morbi conſiderentur juxta conſtitutionem partium ſive juxta ſuam naturam & modum operandi, ſive quo ſanitatem expellunt, eorum genera ſubalterna ſunt 4. ut intemperies, mala compoſitio ſeu conformatio, ſolutio continui, & malignitas ſive morbus totius ſubſtantiæ. Eſt hoc contra pleroſque Medicos, qui hoc quartum genus ad intemperiem omninò referunt. Sed prob. concluſionis pars prima, quod videl. conſtitutio partium non faciat genera morborum, quia abſentibus & non exiſtentibus his tribus generibus vel ſaltem ipſa intemperie in parte ſimilari poteſt hęc eſſe malè affecta, ergò tria illa genera non ſufficiunt. Antec. patet in morbo maligno, qui ſæpè ſolus præcipitat hominem, quique cum alijs morbis manifeſtis nullam omninò connexionem aut affinitatem habet, ut infrà patebit. Deinde partes heterogeneæ vel organicæ ut ſic afficiuntur intemperie, imò quodvis gen' morbi poteſt occupare partem homogeneam vel ſimilarem, ut patet in tumoribus, vulneribus, &c. ergò ex conſtitutione partium malè deſumitur morborum diviſio generica; Neque dicas, intemperiem non poſſe afficere membrum organicum in eſſe organi; quia reſpondetur, intemperiem non poſſe afficere organum in eſſe organi materialiter ſive in concreto, falſum eſſe, formaliter ſive in obſtracto, id eſt, organeitatem, verum; & Sic calor præternaturalis afficit hominem ejuſq; ſingulas partes, ut ſunt ſimilares, diſſimilares, organicæ, inorganicæ, viventes, mixtæ, &c. Denique poſſunt morbi, qui nõ tantum diverſiſſimè quoad modum operantur ſed etiam quod rem, eandem partem quocunque modo acceptam occupare, ergò genera tria non ſufficiunt: Anteced. patet in omnibus morbis malignis, qui quamcunq; partem afficiunt, in ea producunt effectum non tantum quo ad modum ſed etiam quoad rem ab alijs diſtinctum, id eſt, occultam aliquam inhabilitatem ſive diſpoſitionem impotentem vitæ ſuſtentandæ, quod de omnibus alijs morbis dici non poteſt, quia quamvis febres diſtinctiſſimæ diverſo modo cauſaliter deſtruant calorem naturalem, in eo tamen conveniunt omnes, quod eodem modo in re eund. corrumpant, quod patet in omnibus modis quibus calor perit; Et hoc idem intellige de alijs morbis vitioſæ compoſitionis & ſolutæ unitatis, in quibus modi diverſi, res autem ſive effectus idem, v. gr. ipſa vitiata compoſitio & ſolutio unitatis à quocunque modo vel cauſa facta, ut ſolutio nervi à contuſione, à ſectione, ab ictu, &c. Prob. 2. pars quia tot ſunt claſſes vel genera morborum, ad quot omnes morbi commodè referuntur; ſed hæc ſunt prædicta quatuor, ergò hæc minor ex ſequentibus conſtabit 2. Tot ſunt claſſes morborum quot ſunt modi diſtincti quibus evertitur ſtatus naturalis in humano corpore; ſed hi ſunt 4. ergò prob. minor, quia ſanitas vel expellitur per alterationam manifeſtam primarum qualitatum, vel per vitioſam partium ſtructuram, vel per earundem unitatem ſolutam, vel denique per malignitatem, quæ naturam & modum corrumpendi ab omnibus diſtinctam habet: 3 Illa ſunt genera ſubalterna morborum quæ præterquam quod habeant aliquid omnibus morbis commune, peculiare quippiam adhuc obtinent, quod non omnibus ſed multis tantum eſt commune. At hujuſmodi genera reperiuntur 4. ergò: min. prob. nam intemperies convenit cum omnibus morbis in ratione formali conſtitutionis p.n. & diſcrepat à reliquis affectibus ſolutæ unitatis, & vitioſæ conformationis, quia conſiſtit in alteratione circà primas qualitates, & illi in defectu circà unitatem, numerum, figuram, ſitum, &c. Itaque primum genus morborum eſt intemperies ſive alteratio circa primas qualitates ſenſibiles, & ad hanc ſpectant omnes morbi calidi, humidi, frigidi, ſicci, &c. Secundum genus eſt vitioſa conſormatio partium, cujus eſt excedere vel deficere in numero, magnitudine, figura, ſitu, cavitate, lævitate, aſperitate, raritate, denſitate, &c. Tertium genus eſt ſoluta unitas, ad quam referuntur omnia vulnera, ulcera, quæque conſiſtunt in divulſione & diſunitione partium. Quartum denique genus eſt morbus malignus ſive totius ſubſtantiæ, qui præter conſtitutionem præternaturalem tanquam ſummum genericum nihil habet commune cum omnibus reliquis affectibus. Nam imprimis non pertinet ad ſolutam unitatem, quia ut ſic non eſt cum eroſione aut divulſione & corruptione viſcerũ, quemadmodũ illa; quod ſi autem cum illa complicetur, ut fit in dyſenteria, bubone, jam diſtinctum genus conſtituit, quam in rem dico ut ſic. Sed nec ad vitioſam conformationem ſpectat, ut liquet ex natura hujus generis & modo quo ſanitatem evertit. Nec denique quod caput rei eſt &

contro-

controversiæ ad intemperiem revocari potest, quia imprimis nihil habet ex natura sua confinitatis cum alteratione primarum qualitatum; Deinde alius est ejus effectus & modus operandi, quia si vim & efficaciam spectes, est atrocissimus, & si naturam, malignus, occultus & contagiosus; Denique non semper nec per se conjungitur cum intemperie, sed per accidens, & nec spectat ex natura sua ad intemperiem, v. gr. ad febrem, quia non consistit in alteratione, unde etiam febris morbus est complicatus & duorum generum, sed in corruptione occulta spiritus vitalis, qui proinde ad vitam & sanitatem sustentandam fit inhabilis.

DICES 1. Morbus malignus dissolvit connaturalem corporis & præsertim cordis temperiem, ergo ad eam revocatur; Antec. patet, quia corrumpit calorem vitalem, in quo consistit temperies naturalis. Resp. 1. neg. antec. quia etiam solutio continui dissolvit temperiem, esto per accidens & diverso modo à maligoitate. 2. morbus malignus corrumpit calorem vitalem intendendo vel minuendo eum, in quo propriè consistit alteratio, falsum est; inhabilitando ad actiones connaturales occultè verum: Neque malignitas est directè calori ut sic contraria, sed ut est calor vitalis & instrumentum animæ, quia alias esset etiam contraria calori qui est in igne, ae e, &c. eumque corrumperet, quod tamen falsum est.

DICES 2. Nunquam est malignitas absq; intemperie; ergo non facit ab hac distinctum genus. Resp. negand. antecéd. ut infra dicetur Disp. 12 diffic. 2.

DICES 3. Sanitas consistit in bona temperie, in unitate partium, & in laudabili compositione, ergò morbus à contrario in defectu horum trium, ergò tria tantum erunt genera morborum. Resp neg. conseq. sed & antec. falsum est, ut patet in peste quę febrem adjunctam non habet, & in qua calor spiritusque vitalis latente quadam virulentia imbuuntur & corrumpuntur, ut proinde non sufficiat ad veram sanitatem, si nulla adsit intemperies, si corpus nullam patiatur solutionem cōtinui nec deformem compositionem, cum oporteat etiam abesse omne malignum: Et hinc colligitur, posse hominem mori, dum nullam etiam sentit intemperiem sive alterationem, dum justam debitamque omnium partium continuitatem habet, dum denique nulla corporis conformatione aut compositione præternaturali afficitur.

DICES, Ponere 4. genera morborum est opinio nova & contra totam Medicorum scholam, ergo non est admittenda, cum præsertim omnes morbi salvari possint per 3: illa genera, adeòque non opus sit entium multiplicatione. Resp. duas esse causas, cur Medici tribus generibus contenti sint; prima est, quod morbos malignos sive totius substantiæ sub intemperie comprehendant; 2. quod ex partium constitutione, quarum similareitatem afficiant tantum morbi maligni, sicut alteratio simplex & præternaturalis, sua genera metiantur: Cum verò morbi maligni habeant longè aliam naturam aliumq; modum operandi & sæviendi in hominem, ideòque distinctissimi sint à reliquis morbis, debetur ipsis distinctum genus, esto non solvant unitatem, nec corrumpant ipsum esse Organi in visceribus, sed solam invadant similaritatem debitamque qualitatum harmoniam à qua vita pendet & sanitas, corrumpant, quia ex se nullam in sanguine aut spiritibus invehunt alterationem, sed imperceptibilem quandam corruptelam & virulentiam, ex qua ob spirituum incapacitatem corruant vitalia.

Colligitur, quamvis non omninò contemnenda sit divisio morborum in tria genera; idque juxta constitutionem partium, quarum integritas consistit in bona qualitatum harmonia, laudabili conformatione & unitate, affectio verò morbosa in contrario, ita ut omnis morbosus semper unum ex tribus illis corrumpat; Nihilominus tamen divisionem quatrimam esse longe clariorem & perfectiorem ut ex dictis est videre.

DIFFICULTAS XII.

Numquid hæc 4. morborum genera habeant etiam rationem speciei.

Constat apud Logicos, speciem esse id quod de pluribus differentibus numero hoc ipso quid est prædicatur, ut homo de Petro & Paulo, equus de hoc & illo equo, pyrus de hac & illa pyro, febris de hac & illa febre, & c. præterea constat dari genus generalissimum, specialissimum & subalternum. Genus generalissimum est, supra quod nullum aliud genus transcendit, & talia numerantur decem prædicamenta: species specialissima est, quæ alias in species dividi nequit, ut homo, febris hectica, tertiana spuria & sincera. Subalterna genera speciesque sunt, quorum unumquodque species est & genus, sed respectu diversorum; sic enim intemperies licet sit genus respectu febrium, quæ sub illa apud Medicos comprehenduntur & in multas alias species dividuntur; Nihilomin' tamen etiam species est, quia sub illicitur morbo, tanquam generi superiori habetque respectum suum ad illud. Et hinc

DICO breviter, quatuor illa prædicta genera subalterna sunt, habentque non tantum rationem generis sed etiam speciei. De genere probatur, quia comprehendunt sub se varias species, ut intemperies febrem ungaricam, hecticam, hydropem, cachexiam, atrophiam, &c. solutio cōtinui multas fracturas, rupturas, vulnera, ulcera, quæ omnia prædicantur de suis inferioribus, ut cum dicimus, febris hectica, continua, intermittens, est intemperies; gibbus, obstructio, pes, manus, lingva, facies, caput, &c. deforme est vitium malæ conformationis aut compositionis. Est hæc autem mira rerum varietas in quibus præclarissimè ludit natura & debita perfectio multiplicium specierum,

rum, quibus Deus universum semper voluit esse exornatū. Prob. etiam de specie, quia omnia illa genera subalterna subjiciuntur generi summo, quod de ijs in quæstione quid est prædicatur, ut intemperies, solutio continui, mala compositio & morbus malignus morbo genericè sumpto subjiciuntur, & hic de ijs in quæstione quid est prædicatur. Sed hæc ad Logicos vel etiam Metaphysicos spectant.

DIFFICULTAS XIII.

Quæ sit differentia morborum & unde sumatur.

SOlet illud vocari differentia quod unum ab alio facit discrepare, ut febris discrepat ab hydrope per calorem naturalem, per quem e-und. etiam differt intemperies ab obstructione, à vitio conformationis, solutæ unitatis, &c. Dividitur autem differentia à Porphyrio in communem, propriam & maximè propriam sive essentialem; Communem vocat eam quæ desumitur ab aliquo accidente communi & separabili, ut albedo in pariete facit, quod hic ab alio pariete nigro distinguatur, & febris tertiana differt à quartana per calorem intensiorem & humorem. Propria est quæ sumitur ab aliqua proprietate, ut risibilitas respectu hominis, vel ab aliquo accidente inseparabili, ut nigredo in corvo, albedo in cygno, dolor pungens in pleuritide, calor p. n. in febre, &c. Maximè denique propria est, quæ sumitur ab aliquo principio essentiali, quæque rem essentialiter constituit, ut rationalitas hominem, bona complexio sanitatem; Et hæc ab alijs prioribus in hoc differt, quod faciat omninò aliud, cum illæ tantum dissimile faciant & non aliud. Hisppositis

DICO 1. Differentiæ morborum vel sunt essentiales vel accidentales; Ita docent omnes Medici & Senn. suar. instit. c. 2. de morborum differentijs. Prob. morbi distingvuntur inter se partim specie & essentialiter, partim accidentaliter, ergò habent differentias tam essentiales quam accidentales: Antec. prob. inductione; Nam febris v. gr. quæ est morbus intemperiei, distingvitur à morbo solutæ unitatis & compositionis, imò morbi qui sunt ejusdem classis seu generis & speciei, differunt hoc modo inter se, ut patet in hydrope, qui est morbus frigidus, & in febre continua quæ est morbus calidus, in tertiana & quartana, in continua & intermittente, &c. sed hujusmodi differentiæ sunt essentiales, quia sunt specificæ, ergò. De differentijs accidentalibus prob. quia idem morbus ut calculus, febris tertiana continua, pleuritis, hydrops, &c. aliquādo est vehementior & periculosior, aliquando mitior & benignior, diurnus, nocturnus, hyemalis, æstualis, longior, brevior, frigidior, calidior & sic de ceteris; sed tales circumstantiæ sunt omnes accidentales ideòque non mutant speciem, ergò præter differentias essentiales habent etiam morbi suas accidentales.

DICES, Illa quæ sub unâ eâdemque specie comprehenduntur, non possunt differre specie; sed omnes febres comprehenduntur sub una intemperie, quę species est morbi in genere, ergò non possunt differre specie & consequenter nec essentialiter. Resp. distingvendo majorem; illa quæ sub specie infima seu specialissima in nullas alias species divisibili comprehenduntur, non possunt differre specie, verum est, quę autem nō habent rationem speciei infimæ, adeoque possunt adhuc in alias species dividi, non possunt differre specie, falsum est: Intemperies autem non est species infima seu specialissima, sed talis quæ in plures adhuc inferiores species dividi potest: Et hoc verum esse testantur omnes febres, quæ sub una intemperie cōprehenduntur & in varias species dispertiuntur, non secus ac plantæ, arbores & herbæ, quæ species sunt, & nihilominus in multas adhuc species inferiores dividuntur, ut patet in pyro, malo, &c. Deinde febres prout dicunt præcisè intemperiem, non differunt specie, sed prout dependent ab alijs causis & adjunctis, atque ita

DICO 2. Differentia essentialis & specifica morborum desumitur ab essentia seu natura ipsius morbi, à partibus & causis immediatis Prob. primum, differentia essentialis morbi nihil est aliud nisi ipsa essentia seu natura morbi, id est, constitutio p.n. ergò una ab alia desumitur, unâque variatâ variatur & altera: Hoc patet in intemperie, cujus essentia & natura differt a solutione continui, à vitiosa conformatione seu compositione. Prob. secundum de partibus; Nam peripneumonia quæ est pulmonum inflammatio distingvitur specie à pleuritide, quæ est inflammatio membranæ intercostalis, non in quantum sunt inflammationes, sed in quantum diversas & distinctas partes occupant, ergò à partibus desumitur etiam differentia essentialis medica; Nam *Adverte*, diversarum partium nihil quidem essentiale addere inflammationi ut sic, quia calor non differt specie ab alio calore, sive in aëre sive in aqua hic existat; A Medicis tamen dici & haberi essentialem in ordine ad curam, quam ob diversitatem partium in eâdem etiam morbi specie diversam observant & instituunt: tum etiam in ordine ad diversas actiones quæ læduntur. Prob. tertium de causis immediatis: Nam febris tertiana v.g. non differt à quartana ob caloris varietatem in gradibus aut modo agendi, sed quia dependet una à bile, & altera à melancholia tanquam ab humoribus inter se specie distinctis: sed tales humores sunt febrium causæ, proximæ, conjunctæ & immediatè conservantes, ergò differentia specifica in morbis desumitur à causis immediatis.

DICO 3. Differentia accidentalis desumitur ab ijs quæ naturam & essentiam morbi sequuntur, ut à magnitudine, motu, & more morbi, à tempore ab ætate, à sexu, ab eventis alijsq; circumstantijs. Explicantur singula; magnitudo

circumstantijs. Explicantur singula; magnitudo imprimis est accidens morbi ejusque naturam sequitur, nec mutat speciē, ut patet in calculo vesicæ, qui sive major sit, sive minor, eandem morbi naturam cum quibuscunque etiam accidentijs & symptomatis retinet; Et hoc idem in universis alijs morbis intellige; similiter sive febris v.gr. tertiana moveatur ante vel post prandium, sive per urinam, alvum, nares, extrema corporis solvatur, sive in partem nobilem aut ignobilem declinet, in essentialibus nihil immutat, quia idem manet affectus sicut & tū, quando aut mitius hominem tractat aut truculentius. Nam aliquando cum pluritide, cum febre continua, cum hydrope cæterisque affectibus benigniora connectuntur accidentia, aliquando sæviora, estque non rarò morbus furiosæ belluæ similis, dum compedes & carceres suos estringendo & diruendo seipsū jugulat, sed nec de tempore, ætate aut sexu aliud quippiam æstimandum est, quia eadem febris ardens, idem calculus, hydrops, phthisis, tam hyeme quam æstate, tam in juventute quam in senectute & adolescentia hominem sive virum sive fœminam apprehendit; Sic & eventus varij ejusdem speciei morbi sunt, ut patet in hydrope, qui sæpè hominem vincit & interimit, sæpe etiam ab homine vincitur & interimitur; Reliquæ omnes circumstantiæ faciunt, quod morbi alij dicantur simplices, compositi, connexi, complicati, in fieri & facto esse, primarij, secundarij, legitimi, spurij, hæreditarij, contagiosi, longi, breves, sporadici, Endemij, Epidemij, communes; Nam accidens est phthisin, calculum, podagram, febrem malignam aut pestilentialem esse morbos hæreditarios aut Epidemios, cum ex alijs quoque causis & erroribus circà potum aut cibum commissis accidere potuerint.

DIFFICULTAS XIV.

Ad quod genus morbi hæreditarij pertineant, & quomodo gignantur.

NOta, aliud esse morbum & effectum hæreditarium, aliud dispositionem ad hujusmodi affectum, unde cum aliter de morbo & aliter de dispositione loquendum sit,

DICO 1. Dispositio ad morbum hæreditarium non pertinet ad aliquod genus morbi. Ratio est, quia ad genera morborum spectant solùm morbi in facto esse, è quorum serie non est dispositio; Nam cum homo dispositionem habet ad morbum, non dicitur morbosus, sed summùm in statu neutro positus, à quo cum nō semper aut necessariò delabatur in morbum, manifestum est, alterius generis & naturę dispositionem esse quam morbus qui habitus est.

Morbi hæreditarij ad quod genus spectent. DICO 2. Morbi hęreditarij ad omnia quatuor genera morborum revocari possunt. Probatur ex eorundem enumeratione; Nam alij consistunt in intemperie viscerū & vitiosa 4. primarum qualitatum totidemque humorum harmonia, ut patet in ijs qui perpetuò sunt infirmi aut ita constituti, ut ad quamcunque injuriam externā aut cibum potumque inordinatius ingestum facilè afficiantur; alii sunt cum solutione continui, ut phthisis, exulceratio renum: Alii cum vitiosa compositione & conformatione ut calculus, podagra, &c. Nam cōmuniter calculosus calculosum gignit, phthisicus phthisicum, &c. Alij denique cum qualitate maligna, ut patet, in lepra, lue venerea, scorbutto alijsq; affectibus qui à parentib⁹ degenerant in filios; Et ex his manifestum est, quosdam affectus hæreditarios ad intemperiem revocandos esse, alios ad solutam unitatem, alios ad vitiosam compositionem, & alios denique ad morbos malignos sive totius substantiæ. Cæterum si de generatione & productione tam dispositionis quam morbi hæreditarij quæras,

DICO 3. Dispositio ad morbum hæreditarium producitur principaliter à parentibus, instrumentaliter verò & minus principaliter à calore, à vi formatrice & à constitutione materiali seminum utriusque parentis. Ante probationem *Adverte*, hanc dispositionem non esse activam, qualis est illa per quam efficienter forma producitur, sed merè passivam, qualis est omnis illa quæ in genere causæ materialis concurrit ad formam. Jam prob. conclusio de parentibus, quia ad hos principaliter spectat producere materiam sementivam, imprimere illi virtutes & qualitates, & ea illa demum formare corpus organicum, ergò eorum etiam est producere dispositiones ad morbum hæreditarium in genere causæ principalis. De calore & vi formatrice communis est doctrina, & constat ex ijs quæ l. 1. disp. 3. de corpore organico ejusque formatione dicta sunt; Nam caloris, qui præcipuum animæ vegetantis instrumentum, est operari in materia & efficienter cum vi formatrice producere dispositiones ad animam recipiendam, videl. formare partes & viscera, iisque tribuere præter formam quod est convenientissimum, v.gr. cerebro majorem humiditatem, ossibus soliditatem & siccitatem, cordi carnem solidam cum multo calore, ventriculo tunicas duriores, partesque omnes ita inter se connectere, ut nobilissimum illud & futurum animæ domicilium constituant. Cæterùm, quia nullū ex agentibus naturalibus quicquam producit nisi in materia præexistente & quod est in potentia materię, dispositiones verò ad morbos hæreditarios jam prius in materia sementiva immersæ sint, idcircò manifestum est, has à solis genitoribus produci, & per virtutes semini concessas in partes certis olim morbis proportionatas diffundi; Nam quia materia seminalis in toto corpore organico & singulis ejus partibus recipitur, prout in se affecta est, dum utrique parenti adhuc adhærescit, ita etiā quodcunque membrum in corpore organico formandum afficit, videl. arenosum, calculosum, tartareum, feculentum, purum benignis aut vitiosis qualitatibus imbutum, &c.

DICES, materia seminalis vel habet dispositio-

cùm sanguinis tum humorum putrefactionibus pendentes.

DICO 3. Morbus per se vel per essentiam est, qui proprio & non alieno partiū vitio gignitur, vel qui oritur à causa eo in loco suscitata in quo morbus ipse per se primò & immediatè lædit: Res nota est ex terminis, quia morbus hic non habet causam aliunde affluentem nec morbum à quo tam in esse & fieri quam conservari dependeat, quod confirmatur in melancholia v. gr. quæ dum essentialis est capiti originem suam habet in cerebro, ubi feculentus humor ab ipsa capitis intemperie & peculiari dispositione coacervatur: similiter obstructio Epatis, lienis, uteri, calculus renum & vesicæ, exulceratio pulmonum & intestinorum sunt morbi primarij & per essentiam, qui gignuntur in loco & parte quam afficiunt, elto causa aliunde suppeditetur; Nam per causam eo in loco ubi morbus est, excitatam intellige causam immediatam, conjunctam, nec ab alio morbo dimanantem; Et hinc colligitur, quod ad hujusmodi morbos ut plurimùm requiratur aliqua debilitas & intemperies parti impressa, propter quam vitiosos humores gignat eosque non sufficienter digerat, ut habet Mercatus de morb. diff. & causis classe prima q. 176.

DICES, Obstructio Epatis, calculus renum, inflammationes, tumores, vertigo alijque quamplurimi morbi sunt semper à materia aliunde suppeditatâ, ergò rarò dabitur morbus qui non fit per consensum aliarum partium. Resp. quamvis in plerisque morbis qui non sunt nativi, materia proxima & immediatè conservans aliunde affluat, id tamen non convincere consensum aliarum partium quam Medici intelligunt. Nam ille est morbus propriè per consensum, cum in aliquo viscera ex sola aliarum partium communicatione ipso puro & integro & sine ulla labe existente gignitur, ut fit in dolore capitis, quia sola evaporatione humorum ex stomacho oritur. Per essentiam verò est, quando in aliquo membro debili, & à suo naturale temperamentum recessit, ex mala nutrimenti digestione materia excrementitia congeritur, quam ob defectum caloris aliarumque dispositionum separare aut expellere non potest, ideoque in varios morbos eorumque symptomata præcipitatur, quemadmodum fit in membro podagrico, quod præter ea excrementa, quæ à partibus vicinis recipit, suum etiam nutrimentum malè digerit, atque ita copiâ humorum quos ex intrinseca debilitate discutere nescit, obruitur.

DICO 4. Morbus per accidens vel per consensum est, qui secundariò & beneficio alterius afficit. *Adverte*, morbum per consensum nec simpliciter nec absolutè morbum à Medicis vocari, quia attribuitur vitio partis alterius, diciturque solùm is affectus proprius, qui malè partem afficit. Quod autem per se nō lædat probatur, quia morbus per consensum est, qui alteri succrescit, & in ejus virtute operatur, ergò per se non afficit; Antec. patet ex natura hujusmodi affect., quia dependentiam & originem habet ab altero, quo oriente oritur & quo pereunte perit, ut patet in convulsione quæ sequitur puncturam aut quamcunque solutionem nervi, & in melancholia, in qua materia ex liene & vasis mesaraicis ad caput attollitur, ad differentiam ejus ubi cerebrum melancholico temperamento affectum est, adeòque spiritus crassos & tenebricosos gignendo melancholia per essentiam dicitur. Itaque morbus per consensum dicitur is, qui producitur à materia vel causa extra partem in qua morbus est, fitque omninò Medicorum judicio & unanimi consensu tribus modis; 1. quando materia ex una parte in aliam illabitur & in ea afficit, ut fit cum vapores à ventriculo in cerebrum attolluntur, & dolorem, vertiginem aliosque affectus in eò procreant. 2. quando vis aut facultas intercipitur quo minus possit in alias partes subjectas influere, ut fit in obstructione nervorum, quia ex hac interceptione accidit resolutio crurum aliarumque partiū, perit q. sensus & motus. 3. quando intercipitur materia quæ ad agendum requiritur, ut fit in obstructis pulmonibus aut resolutis costarum musculis, aut perforato thorace, in quibus casib. cū non sufficiens spiritus cū efflatu ad laryngē compellatur, vox aut supprimitur aut omnino perit; Ita Fernel. l. 1. de diff. morb. c. 4. Alij aliter morbos per consensum eorumq; modos explicant, videl. generari per consensum, vel quia fit communicatio materiæ quæ de loco in locum & de parte in partem transfertur, ut accidit, quando copiosi vapores è stomacho vicinisque partibus in caput efferuntur; vel quia diversis partibus & membris eadem est vasorum communicatio, ut stomacho & cerebro substantia nervosa, quæ in capite læsa vomitum movet, vel quia duæ pluresq; partes in eandem actionem conspirant ut viscera naturalia in confectionem sanguinis, &c.

DIFFICULTAS XVI.

An detur morbus materiæ & formæ.

FErnel. lib. 1. de morb. differ. cap. 7. docet, in parte similarē tria spectari, materiam, temperamentum & formam: Horum trium naturalem constitutionem & symmetriam sanitatem esse, præternaturalem autem morbum; Materiæ itaq; morbum esse immoderationem, temperamenti intemperiem, formæ corruptelam, proindeque partis similaris, in quam hæc tria incidunt, morbos 3. existere, immoderationem materiæ, intemperiem & formæ seu totius substantiæ corruptelam. Intemperies 8. numerat, videlicet simplices totidemque compositas, quæ aliquando puræ existāt, aliquando ex humorum putridorum vel intemperatorum vitio prodeant; Materiam immoderatam ait aut mollem esse aut duram, laxam aut astrictam, tenuem aut crassam, ra-

ramaut densam, & hæc illius vitia morbos esse. Totius substantiæ nomine & insitum spiritum & divinum illius calorem & facultates ipsamque formam complectitur: Morbos itaque totius substantiæ esse, qui partium substantiam primum & per se oppugnent, sive sint manifesti, ut ulcera maligna, corruptio lienis, pulmonum, Epatis aliarumq; partium, tum dissolutio spiritus innati per vigilias, labores, studia, inedias, dolores, vel ejusdem extinctio in strangulatu extremoque frigore, &c. sive occulti qui certis ex causis totam substantiam corrumpant, ut venenati, contagiosi, pestilentes, &c. His positis quæritur, an sicut datur morbus intemperiei, ita & materiæ detur & formæ.

DICO 1. Verissimum est quod detur morbus intemperiei. Probatur 1. Morbus intemperiei est, cum naturale temperamentum à statu suo connaturali ita deflectit, ut vel omnes vel pleræque actiones offendantur; sed constat primas qualitates earumque convenientem & animali naturalem temperiem ita immutari posse, & hoc de facto fieri, ergò datur morbus intemperiei. Et probatur 2. per experientiam quæ docet, mediam ferè partem totius humani generis hac unica intemperie non tantum affligi, sed etiam perire. Probatur 3. Exceptis morbis summè violentis, in quibus animal interceptis aëre & spiritibus perit, ut fieri solet in convulsionibus, in deliquio, apoplexia, tum in magnis quibusdam passionibus cordis, vel moritur homo per excessum vel per defectum caloris nativi; sed uterque intemperies est, ergò verè datur morbus intemperiei.

DICO 2. Superfluus est morbus materiæ. Ratio prima est, quia laxitas, soliditas, raritas, densitasque corporis & partium quas Fernelius dicit esse morbos materiæ, salvari possunt per unicam intemperiem, cum tantum sint qualitates secundæ sive tactiles, quæ ex primarum certa contemperatione oriuntur, in quarum excessu vel defectu non consistit morbus, sicut consistit in calore præternaturaliter excedente aut deficiente. 2. hujusmodi qualitates nullam vim habent agendi, nec lædunt per se operationes. 3. sunt tantum dispositiones ad morbum & quidem dispositiones passivæ, quia habent se purè passivè & materialiter. 4. hujusmodi dispositiones sunt in homine etiam dum sanus est; Nam phthisicus v. gr. non est ille, qui habet intemperatos pulmones, id est, laxos, molles & spongiosos, nec calculosus qui proximam habet dispositionem ad calculum, ergò superfluus est morbus materiæ, quia sufficienter hujusmodi materiæ affectiones explicantur per veram propriéque dictam intemperiem sive per qualitates secundas, à quibus dicitur materia laxa, dura, &c. sicut à calore calida, &c.

DICO 3. Si is morbus formæ dicatur, in quo spiritus insitus, calidum & humidum innatum sicut & substantia viscerum corrumpatur, verū est dari morbos formæ, sed & materiæ; Ratio desumitur ex natura multorum affectuum, in quibus tota viscerum substantia corrumpitur; & quicquid est materiæ in partibus animatis, consumitur, ut patet in exulceratione pulmonum, in abscessibus Epatis, lienis, renum aliarumque corporis partium: Et hoc fit in omni morbo totius substantiæ secundum Fernelium, sive is manifestus sit sive occultus, dum in illo caro viscerum, in hoc verò humidum & calidum innatum corrumpitur. Sed hæc impropria est acceptio morborum, ut ex hoc principio vocentur morbi formæ, quia in omni intemperie, imò in quibusvis affectibus, qui saltem aliquo modo præternaturaliter accidunt corpori, corrumpuntur substantiæ corporis. ut caro viscerum, humidum innatum, dissipanturque spiritus insiti & vitales; sed & per inediam hoc fieri solet, dum calor internus omnium partium substantiam minus solidam in defectu novi advenientis humidi, quod ejus pabulum est, depascit non secus ac facere consuevit, dum intensior factus & corpori præternaturalis omnem humiditatem cum spiritibus & robore corporis universi devastat, attamen hi affectus non debent sed nec possunt vocari morbi formæ, quia existente morbo nulla forma substantialis corrumpitur nec corrumpi dicitur, cum in instanti esset informare, sed tantum ipsæ qualitates & dispositiones, sive organa & compositum.

DIFFICULTAS XVII.

Quinam hominum sint magis obnoxii morbis.

CErtum est, magnam esse varietatem complexionum & temperamentorum quæ ad suscipiendum morbum necessaria sunt: Certum est etiam, hominem per ętates variè immutari, ita ut jam calidior sit, jam humidior, siccior, &c. Constat præterea, multos à nativitate imbecillos esse, adeoq; debili viscerum constitutione, ut à quibusvis externis injuriis aut erroribus circà victum, potum, cęterasq; res nō naturales commissis facilè offendantur. Adhęc potest esse homo dupliciter obnoxius morbis, 1. secundum se & suum statum naturalem, quem ex complexione & conformatione nativa sortitus est; de quo solo hic quæstio; 2. secundum errores, quos in omni genere vivendi delinquit, tum etiam secundum casus fortuitos; qui nobis sæpè in hac vita contingunt, & de quo hic sermo non est.

Suppono, quando animal constat bona partium formatione viscerumq; laudabili integritate, tum sufficienti humido & calido; quod decenter & connaturaliter undiq; diffusum est, ex se non esse facilè obnoxium morbis, & evitare posse injurias externas; contrà verò, si contrario modo se habeat. His positis

DICO 1. Non quilibet hominum cuivis morbo æquè obnoxius est. Probatur 1. in fœminis, quarum peculiares affectus nunquam cadunt in viros, ut strangulatio & deliquium ab utero, &c. Probatur 2. in iis, qui à paren-

parentibus contraxerunt hæreditarias dispositiones, à quib' in morbos peculiariter suntproclives v.g in calculum phthisin, podagrã, &c.3. ad morbum facilè vel difficulter contrahendum requiritur certa internarum partium dispositio; sed hæc utraque non omnibus eadem est, ergò non omnes erunt iisdem morbis æquè obnoxij.

DICES, experientia docet, eos qui ad phthisin v.g. dispositionem nullam habent non rarò citius & facilius hac corripi quam qui contrà se habent, ergo falsum est eos qui à parentibus hæreditariũ habent vitium, huic affectui magis esse obnoxios. Resp. imprimis incertum esse, an ejusmodi homines non habuerint aliquam inclinationem in phthisin; Deinde potest fieri per accidens, robur stiores facilè incurrere hunc affectum, quia videlicet mul tos committunt errores, quod non fieret si juxtà naturæ præscriptum & temperanter viverent.

DICO 2. Ætas puerilis, quæ ad annum 14. sese extendit, maximè obnoxia est morbis. Ratio prima est, quia pueritia abundat humido, quod à calido difficulter evinci potest. Secunda, quia pueri maximè abundant excrementis; Cum enim plurimum crescant, plurimo etiam utuntur alimento. Tertia, pueri habent vasa angusta & plena eum alimentis tum excrementis. Quarta, docet Experientia nullam esse ætarem in qua homines tam crebris agitentur affectibus quam in pueritia, ergo probabile est pueros maximè conflictari morbo. Hoc confirmatur authoritate Hipp.3. aphor.27. ubi ait, grandioribus & ad pubertatem accedentibus omnes morbos, qui pueris sunt familiares, & febres diuturnas ex fluxu sanguinis è naribus accedere, ergò longè magis corripiuntur morbis quam reliqui mortales in suis ætatibus constituti; Et confirmatur, quia nullus penè morbus accidit in adolescentia, juventute aut senectute, qui pueris non eveniat, ergò hi maximè sunt morbis obnoxij. Probatur ultimò ab inductione cæterarum ætatum; Nam adolescentia, quæ incipit ab anno 14. circiter & extendit se in annum 25. aut plus aut minus juxtà innati temperamenti diversitatem, calidior est quam humida ideòque nec tot excrementa gignit, sed genita facilius decoquit; organa insuper propter caloris efficaciam ad deferendum sangvinem & spiritus habet longè accomodatiora, & est verno tempori similis, ergò minus obnoxia est morbis quam pueritia voracissima. Juventus siccior est & calidior, quæ utraque qualitas morborum generationi & humorum putrefactioni maximè resistit. Senectus denique licet sicca sit & frigida, habeatque mortis qualitates socias, nullo tamen abundat excremento, quia pauco alimento ex quo morbi gigni possint, contenta est, ergò nulla ex omnibus ætatibus magis quàm pueritia est morbis obnoxia.

DICO 3. Complexio humida & calida maximè subjacet morbis ex se. Probatur, quia nulla complexio magis est obnoxia putrefactioni; ergò hæc ad morbos gignendos est omnium facillima. Nam sicut frigus & siccitas maximè resistit putredini, ut patet in omnibus rebus naturalibus quæ cum his qualitatibus longè minus corrumpuntur; Ita calor & humor illi potissimum subjecti sunt, quod pluribus disp. de putrefact. dicetur, ergò complexio humida & calida pro morbis gignendis periculosissima est. Dixi tamen ex se, quia per accidens fit, si corpus humidum & calidum diutius à putredine & corruptione præservetur quàm frigidum & siccum.

DICES, Complexio humida & calida ex se maximè conducit ad longam vitam, ergo ex se minus subjacet morbis. Resp. neg. conseq. quia aliud est valere ad vitam longè sustentandam, & aliud subjectum esse morbis sive putrefactionibus; Illud enim est ex se, sc. propter dominium humidi & calidi in quo utroque vita consistit; hoc autem fit per accidens.

Colligitur, sæpè ex nativa corporia constitutione imbecillum & in morbos proclivem ob bonã vivendi rationem magis evitare morbos vitamque longiorem protrahere, quam eum qui bona complexione & excellenti partium & viscerum conformatione præditus in victu, potu, cæterisque rebus naturalibus delinquit.

DIFFICULTAS XVIII.

An morbus secundum totum suum esse tam in specie quam in genere possit cognosci.

ADverte, vel sensus quæstionis est an morbus tam genericus quam specificus secundum suum totum esse abstrahendo à conditionibus individuantibus, vel prout est in hoc vel illo subjecto quidditativè à Medico cognosci possit, vel an unà cum omnibus iis quæ ad morbi constitutionem in ordine ad hunc vel illum hominem faciunt, eumque vel præcedunt vel eomitantur, suntut locus & pars affecta, tum ejus generatio sive productio, adeòq; modus omnis tam essendi quam operandi, sed & cessandi clarè apprehendatur: Nam aliud est morbum in obstracto, & aliud in concreto cognoscere & an sit eo in loco eoque in homine, quum malè affectum cernimus.

Suppono 1. Morbum omnem vel esse manifestum vel occultum, & ex antecedentibus haberur. 2. cognitionem vel esse tantum probabilem & confusam, vel perfectam & evidentem. 3. Medicum de corporis humani constitutione nihil habere cognitum, nisi quod suggerant ejus certa signa, cujusmodi sunt actiones sive operationes omnium facultatum vel saltem aliquarum læsæ, habitua corporis vitiosus, colores immutati, dolores, modua prætemnaturalia, excernendorum vel retinendorum, &c. His positis

DICO 1. Naturam verborum occultorum ut

sic quidditativè nunquam cognoscit Medicus, probatio hujus conclusionis per se patet, quia desumitur ab ipso nomine, quo occulti abstrusi & incogniti dicuntur: Dico tamen ut sic, quia ut sunt morbi, cognoscuntur & habentur certi per signa, quibus manifestatur, quod sint constitutiones p.n. quæ hominem ejusque sanitatem afficiant.

DICO 2. Possunt morbi manifesti tam in genere quam in specie secundum esse suamque naturam abstrahendo ab hoc vel illo subjecto cæterisque circumstantijs de quibus in conclus.5. evidenter & quidditative à Medico cognosci. Ratio est, quia cognoscit Medicus eorum definitiones & differentias omnes; ergò. Et confirm. quia cognoscit Medicus reliqua omnia accidentia materialia, quorum esse non superat naturam morborum. ergò.

DICO 3. Possunt morbi generici, v.gr. intemperei, divulsionis, conformationis, &c. pront subjectum hoc vel illud occupant, ut plurimùm certè & infallibiliter, sæpè etiam probabiliter tantùm cognosci. Ratio est, quia plerunque habentur eorum signa certa & infallibilia; quæ quia sensibus nostris objiciuntur, manifestè nobis genus morbi, an sit intemperiei, solutæ unitatis, vel vitiosæ compositionis, exhibent. Dixi tamen ut plurimùm, ideoque sæpè tantùm probabiliter, quia cum hujusmodi affectuum cognitionem per sola signa habeamus, & hæc ex plurium morborum concursu; qui tam in uno quam pluribus simul visceribus ob communitatem vasorum & actionum accidere possunt, medium non rarò lateant, mirum non est, si is etiam judicio & experientia optimus subinde decipiatur, præsertim cum rem singularem, cujus nulla datur scientia, consideret, ac proinde sufficiat, si quod in abstracto evidenter cognoscit, id in concreto probabiliter apprehendat.

DICO 4. Morbi qui sunt in specie infima, v. gr. febris tertiana, abscessus, inflammatio, calculus, cancer in hoc vel illo subjecto aliquando certò & evidenter, aliquando dubiè & probabiliter, aliquando penitùs non cognoscuntur. Ratio tota desumitur non tam ex natura morborum, quam ex loco & parte affecta quam occupant, tum ex causa immediata & conjuncta, à quam esse, fieri & conservari dependent, & à quibus omnibus est diversitas signorum; Hinc enim quædam nobis evidenter morbos demonstrant, ut dolor pungitivus lateralis cum tussi continua, sputo subruento & febre magna pleurisin; quædam dubiè & probabiliter tantum, ut dolor lumborum calculum vel arenas renum; quędam deniq; in diversa trahunt medicũ adeoq; sæpè dementant, ut in dies & menses eventum exspectet, quod fieri solet in partibus profundis, vix sensu aliquo præditis, morbis longis, &c. Et confirmant hoc quotidiè Medici, quidum sæpè integris mensibus & annis omnes in curandis affectibus impendunt labores, vix tandem eos agnoscunt. Neq; dicas, id de Medicis minus peritis & sagacibus dicendũ esse, quia reverà spectat quoq; ad magnos Galeni filios, qui frequentissimè decipiuntur, cujus rei ratio & hæc potissima accedit, quia ut dixi versantur circa singularia, de quibus ob infinitas penè individualium dispositionum differentias nihil datur scientificum.

Cur non cognoscuntur semper morbi in specie infima.

Quod si quæras, an omnes morbi sive genericè sive specificè & in ordine ad subjectum, locum, partem affectam, modum operandi omnesq; reliquas circumstantias sumpti possint secundum suam naturam quidditativè cognosci, v.g. febris tertiana secundum primi fomitis locum, horrorem, paroxysmum, desitionem, &c. Respondeo &

DICO 5. Non omnes affectus cognoscuntur perfectè, clarè & evidenter à Medico, si sumantur cum omnibus iis, quæ ad eorum esse & constitutionem naturalem spectant, esto cognoscantur certò apprehendere hoc vel illud subjectum. Ratio tota desumitur ab eo, quod Medicus non habeat claram & evidentem cognitionem omnium eorum à quibus in esse, fieri & conservari constituuntur, tum quia parte corporis radicaliter lateant, cur tam variè operentur, incipiant, desinent, &c. ut patet in febribus intermittentibus, de quarum fomite & loco, repetitis invasionibus seu paroxismis, non una est Medicorum sententia, quemadmodum videre est infrà disp.9. de morb. intemp. diffic. 14.15.& 23. Et confirmatur hæc conclusio non tam in aliis affectibus, quam in animæ nostræ operationibus, quas in corpore exercet, & de quibus infinitæ sunt penè Medicorum altercationes, quia nec sensus noster eò pertingit, nec intellectus tam abstrusa naturæq; occulta perfectè penetrat, solùm verò probabilia judicat, quæ à sensu externo edoctus ita non aliter fieri æstimat; Vide ingentia Anatomicorum de concoctionibus, humorum separationibus, de venis lacteis, de generatione seminis, de circulatione sangu. aliisque quamplurimis volumina, quorum omnium opinio eam confirmabit; qui illam palato & captui suo conformem & probabilem satis judicabit.

Non omnes affectus perfecte cognoscuntur clarè & evidenter.

DI-

DISPVTATIO OCTAVA.

De causis tam rerum naturalium quam morborum in communi.

Est commune Philosophorum axioma, quod causa sit prior suo effectu, id quod verum esse toto hoc hominis occidentis libro ostenditur; Nihil enim præter integram generationem & corruptionum seriem occurrit, nihil præter instabiles humani generis vices, nihil denique nisi inevitabilis æterni illius decreti terminus & tristissimum fatalis horæ nuncium. Hæc nimirùm suæ præcedunt causæ, quæ omnium effectuum naturalium fœcundissimæ sunt procreatrices, & de quibus hic ante omnia agendum esse videtur; Ita enim toto universo Deus ordinem constituit, ut postquam ipse cœlos & sydera cum sublunaribus ex infinita suâ potentia condidisset, hæc ipsa tam in specie quam in individuo tuerentur, & per varias vicissitudines quibus subjecta sunt, partim corrumperent, partim producerent, causas intellige, à quibus in fieri & esse homo est, à quibus in conservari dependet omne vivens, & quarum denique ministerio & beneficio orbis posterior vivit, prior constat. De his multi multa scripserunt, extant etiam varia à philosophis inventa & dicta, ut quod causa semper sit nobilior suo effectu. Intellige in ratione causalitatis & effectibilitatis; quod nihil sit causa suiipsius; quod omnis causa physica realiter differat à suo effectu; quod quædam causæ sint sibi invicem causæ; quod quicquid est causa causæ, sit etiam causa causati; quod causæ secundæ agant in virtute causæ primæ; quod causæ inferiores subordinentur causis superioribus, &c. Cæterùm cum hisce proximius & particularius descendetur ad eas quæ sive in specie sive in genere sunt morborum, ut constet non tantum, quam multiplices sint eorundem productivæ, sed etiam quam difficulter omnium earum occursus evitari possit, cum præsertim sint rerum, quas necessariò usibus humanis applicandas novimus, & quas, quia malè corpori accidunt, non naturales vocamus. Hæ profectò in vita nobis adeò communes sunt & quotidianæ, ut si desint, nec inter viventia numeremur, nec hominibus pares æstimemur, quia his ipsis spiritum ducimus & vivimus, his delectamur & alteramur, his surgimus & cadimus, & quod potissimum est, ijs ad ultimum nostræ corruptibilitatis terminũ currimus, currendoq; defatigati naturæ debitum solvimus: sed nec secus esse potest apud eos, quibus necesse est uti rebus corruptibilibus ad conservationem & cum hac in tempore desinere. Sunt aliquæ ex iis suaves habenturque in delitiis, & nihilominus non raræ sunt causæ ad interitum; aliæ molestiam cordi inferunt illudq; sæpè vel suffocant vel resolvunt, omnes autem inter causas efficientes vel ad bonum si connaturales sint, vel ad malum si excedant, numerantur, ut proinde, si absolutam earum naturam spectes, nihil aliud esse videas quam entia ejusmodi, a quibus si fortè passiones quasdam exceperis, omnes dispositiones ad vitam conducibiles sustententur; si defectum & errorem, res planè tales quas Medici meritò non naturales vocant, quia juvant & conducunt ad interitum; si numerum, esse tot quot infrà videbis; si denique vim & efficaciam, solas verè & potissimas extrinsecus advenientes, à quibus homo in statum morbosum præcipitetur. De causis itaque in communi rerum naturalium, tum in specie morborum, ut sunt aër, cibus & potus, somnus & vigilia, motus & quies, excreta & retenta, animique demùm passiones, omnia in compendium quasi collecta manifestabunt sequentia, quid nimirùm de iis ex optimorum Authorum sententiis & conclusis dici possit, quam pulchra etiam, utilis & necessaria sit Medico & cuivis viro bono, qui rerum naturalium ordinem, statum & dependentiam cogitat hæc earum investigatio & cognitio, ut appareat quid quantumque possint res omnes naturales, quam conservationem habeant ab altissimo, & quam nihil sit in hoc mundo terreno, quod non perpetuo causarum occursui subjiciatur: Ut itaque paulò altiùs sumatur exordium ab eo, quod Philosophi de tota causarum natura scripserunt, & quod omninò ad Medicum quoque spectat, si præsertim intrinsecum morbum cognoscere cupiat, sit

DIFFICULTAS I.

Quid sit causa & quid causalitas.

ADverte, causam sumi 1. pro eo latissimè, quod quocunque modo est principium vel occasio & conditio sine qua non, quo modo etiam privatio causa dicitur. 2. minus propriè pro sola causa efficiente. 3. propriè pro re positiva, quæ dat esse alteri cum dependentia.

Suppono autem, dari rerum naturalium causas, quia quæ fiunt de novo, non fiunt à seipsis, ergò ab aliis sive causis.

DICO 1. Quamvis Aristoteles nullam post

 sere-

se reliquerit definitionem causæ, nihilominus tamẽ aliquot ejus apud Philosophos extant quidẽ variæ apud varios, inter quas optima censetur illa, quod causa sit principium influens in aliud, vel ex Conn. 2. phys. c. 7. q. 1. a. 1. quod *Causa quid* sit id, à quo aliquid per se pendet. Principium loco generis ponitur, per se influens excludit privationem, circumstantias & conditiones sine quibus non, ut approximationem, locum, tempus, &c. similiter principia per accidens, & quæ non influunt physicè, ut punctum in linea. Dicitur in aliud, scil. in effectum, quia effectus antequam accipiat suum esse, nihil est & eget alio, per quod ex nihilo ad esse veniat; Et hinc excluditur Deus, qui licet influat in filium, non tamen influit in aliud, quia filius non est aliud à patre: Deinde filius Dei non accipit suum esse ex nihilo, sed semper est æqualis & coæternus patri.

DICES, Non omnes causæ dant esse, sed solùm formalis & efficiens, illa quidem quatenus complet proprium & specificum esse, hęc verò quatenus influit realiter, ergò non rectè attribuitur illa definitio causæ in communi. Resp. neg. antec. quia etiam materia dat esse in suo genere, quia dat suam entitatem; finalis etiam eo modo quo movet, dat esse & influit: Verum tamen est quod influere & dare esse conveniat maximè efficienti & formali propter datas rationes.

Causalitas quid. DICO 2. Causalitas sive causatio & ratio causandi est influxus sive actualis concursus, quo quælibet causa in suo genere influit in effectũ, vel ut alij, est exercitium potentiæ, quo transit res de non esse ad esse. Probatur: illud dicitur causalitas, propter quod res aliqua causat effectum, & unde est & denominatur causa; sed per influxum actualem sive exercitium potentiæ dicitur aliquid causa, ergò: Et hinc

Collige, causam ut sic nec esse nec concipi posse in creatis nisi in ordine ad effectum, cujus est causa, id est, essentialiter in sua ratione involvere relationem ad effectum, & per eum in esse causæ constitui. Dico in creatis, quia etiam Deus est causa sicut & finis, & tamen in utroque nulla est relatio prædicamentalis sive transcendentalis, quia potest Deus esse causa & est, licet non dicat essentialem respectum ad effectus, quomodo etiam non dicit relationem transcendentalem ad creaturas possibiles, quia est manetque Deus dum etiam nullam producit creaturam producibilem.

DIFFICVLTAS II.

Quot sint genera causarum.

EX jam data causæ definitione communiter hæ sequentes proprietates profluunt, primo, quod causa ut causa sit independens à suo effectu. 2. quod causa sit nobilior suo causato, quia beatius est dare quàm accipere. 3. quod causa sit prior effectu saltē natura. 4. quod causa sit cognoscibilis per effectum & contra. 5. quod à causa in ratione causæ semper augeatur effectus, ut patet in calore, qui quo major est, eo magis calefacit. 6. denique ubi causa nobilior & perfectior, ibi quoque effectus sit perfectior, dummodo illa sese effectui communicet.

DICO 1. 4. sunt genera causarum, nec plura nec pauciora, ut est communis doctrina. Probatur hoc modo ab omnibus, tot sunt genera *4. sunt causarũ genera* causarum, quot sunt modi causandi, sed tales sunt 4. ergò: hæc minor probatur sic; Quicquid causat aliud, vel causat intrinsecè vel extrinsecè; Si illud, vel causat per modũ potentiæ seu partis materialis, & erit materia, vel per modum actus informantis & erit forma; Si hoc, vel per veram actionem, & erit causa efficiens, quia seipsũ nihil producit, vel per motionẽ metaphoricam & erit finis, qui movet intentionaliter. Et confirmatur, quia hactenus summa etiam contentione ingeniorum novum genus exquiri non potuit: referuntur autem causæ instrumentales ad efficientem, dispositiones ad naturalem, quia materiam disponunt, vel etiam ad formalem, quia materiam non nisi informando disponunt; Objecta cum suis speciebus si moveant physicè potentias cognoscitivas, pertinent ad efficientem, si metaphoricè, ad finalem, &c. Cæterùm, quia variæ subdivisiones causarum ad prædicta 4. genera causarum tanquam ad præcipua capita referri possunt, idcircò

DICO 2. Causarum imprimis alia est prima, & hæc vel prima simpliciter ut Deus, vel in certo genere, ut materia prima inter materias, cœlũ inter creatas ac naturales causas efficientes; alia est secunda, & tales sunt omnes res creatæ respectu Dei, res sublunares respectu cœli, & materia cum accidentibus respectu materiæ primæ. 2. causarum alia est principalis, alia instrumentalis; Illa est, quæ principaliter seu principali virtute producit effectum; hæc verò quæ virtute inferiori & dependenter influit; Et hæc rursum vel est conjuncta ut manus in fabro, vel separata ut manus à calamo vel contra. 3. causarum alia est univoca, alia æquivoca: Illa est, quæ sibi simile in specie producit, ut homo hominem; hæc, quæ dissimile ut Deus creaturam, cœlum, mineralia in terræ visceribus. 4. causarum alia est totalis, alia partialis: Illa est quæ præstat totum influxum; hæc quæ per se sola non sufficit, sicut inter multos trahentes currum singuli sunt causæ partiales illius motus. 5. causarum alia est physica, alia moralis; Illa physicè influit in effectum, hæc moraliter; sic qui jubet aliquid fieri, dicitur causa moralis, & qui facit, causa physica. 6. causarum alia est purè naturalis ut ignis, qui approximatus materiæ combustili necessariò agit, alia libera ut deambulatio, &c. vel animalia ad aliquid amplectendum vel renuendum. 7. causarum alia est in fieri tantum, à quo scil. res in fieri dependet tantum, alia in conservari tantum, ut materia & forma ab invicem dependens, &c.

DIF-

DIFFICULTAS. III.

An omnia 4. causarum genera reperiantur in morbis.

RAtio dubitandi est, quia imprimis causa finalis nō videtur admittenda esse, quia morbus non habet rationem boni: Deinde quia Sennertus de caus. morb. in genere cap. 1. postquam quæsisset, de quonam genere causarum in morbis Medico agendū sit, respondit de formali sermonem non esse, nec de materiali, cum morbus sit accidens, sed nec finalem in eo reperiri, quod etiam Mercatus & communiter alij Medici docent.

Adverte 1. Per causas intelligi posse vel agentia extrinseca, quæ morbum constituunt, vel morbum ipsum, prout corpus sub diverso genere causarum lædit, de quo tamen Medicis sermo non est, quia quando docent in morbis potissimum esse Medicis de causa effic. agendum, non intelligunt morbū, prout hic corpus afficit, sed agentia extrinseca quatenus efficienter morbum producunt.

Adverte 2. Quamvis causa materialis in sis tantum compositis quærenda sit, in quibus forma sive subst. sive accid. producenda est, ut in ligno forma ignis, in corde totoque corpore vivente febris; nihilominus tamen etiam apud Medicos extendi ad id quod immediatè morbum facit & conservat, ut sanguis & humores putridi, & si quæ sunt aliæ substantiæ, quæ intra viscera præternaturaliter continentur, ut calculi, aqua, aer, sanguis grumosus omnisque generis excrementa.

Conditiones causæ materialis. Suppono autem conditiones causæ materialis esse 1. ut actu existat, quia aliàs res naturales dicerentur creari & non generari, cum nō fierent ex actu præexistente, sed ex nihilo actus: 2. ut materia sit intimè præsens formæ, quia aliàs non possent uniri vel esse unitæ. 3. ut materia sit affecta quantitate, quia agens necessariò requirit passum extensum ut in illud agere possit. Hic *Adverte*, materiam per se non postulare talem extensionem ad suam causalitatem actu exercendam, sed potius quia est talis entitas, quæ natura sua postulat talem propinquitatem, ita ut quantitas sit proprietas potius consequens talem causam materialem quam conditio præ requisita ad causalitatē ejus: Hinc si Deus per miraculum conservaret materiam absque quantitate, posset ab ea adhuc sustentari forma, quantum est ex sua parte, licet aliunde, id est, ex parte Agentus & dispositionū, quas consequitur talis conjunctio formæ cum materia, requiratur quantitas, unde etiam introductio dispositionum in materiam sanguinis, carnis, &c. est tantum necessaria vel ex parte Agentis, quod non nisi medijs dispositionib⁹ potest introducere novam formā in materiā, vel ex parte formæ, quæ postulat tales dispositiones. Jam

DICO 1. Si de primo sensu difficultatis sermo sit, omninò concurrit tam agens extrinsecum quod inducit formam quàm compositum quod recipit, in genere causæ materialis; patet ex conditionibus causæ materialis & ex natura omnium Agentium materialium, quæ ad effectus per principia sua partesq; essentiales physicas, videl. per formam & materiam adeòque tam in genere causæ effic. quam materialis concurrunt, ut videre est in vapore maligno & habitu putrido, qui vitalia penetrant & corrumpunt, tum in sanguine & humoribus, qui juxta suam diversitatem diversas quoque febres accendunt; Et idem intellige de morbis vitiosæ compositionis, v. gr. de obstructionibus, de tumoribus, pustulis, &c. in quibus omnibus varia concurrit materia ad gignendos affectus diversos. Quod autem partes viventes corporis ad recipiendos quoscunque morbos in genere causæ materialis concurrant, manifestum est, quia sunt eorum proprium subjectum, nec creari dicantur juxta primam conditionem causæ materialis.

DICO 2. Ad generationem morbi concurrit etiam Agens in genere causæ efficientis & formalis. Patet, quia imprimis producitur morbus per veram actionem physicam, ergō ab aliquo efficienter & in genere causæ efficientis: Deinde producitur ab Agente physico per propriam hujus substantiam & naturam, & non per solas qualitates, ergò in genere causæ formalis, v. gr. ignis ad producendum ignem, gladius ad infligendum vulnus, bilis ad gignendum febrem tertianam, &c.

DICO 3. Etiam agentia extrinseca invehunt morbum tanquam effectum quem pro fine suo intendunt, non quidem ex se & primariò, sed secundariò & per accidens, & ut diriguntur à causa prima sive superiori: Prob. primum, quia Agentia purè naturalia non cognoscunt finem suum nec appetunt cum appetitu cognoscitivo, ergò ex se non intendunt illum primariò. Prob. secundum, quia agentia naturalia non tantum agunt ut sunt purè talia, sed etiam ut sunt à primo Agente à quo diriguntur, ut patet in concursu causæ primæ apud physicos & infrà diffic. ergò licet primo modo non operentur propter finem, operantur tamen, quatenus sunt à primo Agente; & sic vinum v. gr. producendo calorem præternaturalem in homine, operatur propter finem, sive id fiat per se & primariò sive secundariò, quia dirigitur & accipit hanc virtutem à primo Agente. Quod autem morbus habeat rationem mali, quem proinde Agens ut finem intendere non possit, id est, merè per accidens; neque intendit eum Agens naturale ut est morbus qui subjectum propriū corrumpat, sed ut est effectus purè naturalis qui Agenti per se debetur, ut intentio caloris in stomacho vinō forti; solutio musculi gladio; obstructio humori viscoso, calculo, arenæ, &c. Et in hunc modum intenditur morbus finaliter ab Agentibus physicis, non ut est via & medium ad corruptionem sui subjecti, sed ut est effectus naturalis consequens vim & effica- *Morbus quo modo intendatur ut finis.*

ficaciam Agentis, quia hoc est per se & primariò, illud per accidens & secundariò, quemadmodum calor solaris per se intendit in homine calorem & spiritus vitales, per accidens autem alterat corpus corrumpitque sanitatem, quomodo etiam ignis olim ab Angelis producendus totum orbem conflagrabit.

DICO 4. Si causalitas morbum tanquam agens physicum respiciat, habet hic verè rationem causæ efficientis. Hæc conclusio est manifesta ex natura morbi, quem constat maximè activum esse, & invehere quotidiè mortalitatem in genus humanum.

Morbus habet rationẽ causæ materialis moraliter.

DICO 5. Morbus afficiendo hominem non habet rationem causæ materialis nisi moraliter. Ratio, quia non est opus, ut quævis res naturalis in sua natura includat omne genus causarũ, sicut fieri constat in accidente & qualitate, quę licet materialis sit, & è potentia subjecti materialis educatur, habeat etiam rationem materialem, in suo tamen conceptu quidditativo excludit rationem alicujus substantiæ, quæ in genere causæ materialis concurrat ad producendam ægritudinem. Quod autem morbus possit habere rationem causæ materialis moraliter, constat apud Theologos & experiuntur id frequentissimè suo bono mortales, qui dum prius Dei & æternitatis obliti fuerant, jam morborum injurijs afflicti ad creatorem recurrunt, vitæque prioris pertæsi novum hominem induunt.

Et formalis

DICO 6. Etiam morbus habet rationem causæ formalis. Prob. causa formalis est ipsa entitas formæ apta ex se ad actuandum & informandum, omnesque res naturales in suo esse constituuntur per causam formalem; sed morbus est res naturalis, ergò etiam in se habebit rationem causæ formalis, videl. ipsius entitatis formæ qua informat & informando constituit rem in esse: Quod autem causa formalis seu proximum principium causandi sit ipsa entitas formę, probatur & confirmatur conclusio, quia morbus non requirit aliam formam superadditam, cum causet seipsam exhibendo materiæ. Deinde forma morbi est essentialiter actus actuans, ergò de essentia ejus est aptitudo ad actuandum & informandum, adeòque dum morbus vires absumit corpusque & sanitatem corrumpit, id per suam naturam & essentiam facit, ut patet in calore præternaturali, qui essentialiter febris est, & per intrinsecum suum esse omnes partes viventes actuat & informat.

Etiam morbus finaliter agit.

DICO 7. Etiam morbus qui hominem p. n. afficit, physicè finem habet. Patet ex dictis, quia quicquid agit, propter finem agit, ergò & morbus; Et potest alius finis esse physicus, alius moralis, ad quem utrumque dirigitur à Deo: primus est, variè alterare & afficere corpus, secundus ut homo suæ corruptibilitatis recordetur, & ab impietate ad meliorem vitam retrahatur.

DIFFICULTAS IV.

Quis sit ordo causarum & qualis connexio.

SUppono, causas tam inter se quàm ab effectu realiter & ex natura differre, ut videre est apud Physicos, nisi tamen una & eadem res sub diverso munere cum diversis rebus conferatur; primum patet ex causalitatibus quæ cuique causæ sunt propriæ. Secundum inde, quia nisi esset talis distinctio, idem esset omninò causa & effectus ante operationem intellectus, & causa sui ipsius essentialiter causa. Tertium de intellectu, qui habet rationem causæ effic. si cum intellectione conferatur, & materialis si cum habitibus & scientijs, quas in se subjectivè recipit; similiter de anima rationali, quæ collata cum materia & toto composito habet rationem causæ formalis, cum potentijs, materialis, cum actibus potentiarum, efficientis, & deniq; cum generatione, quæ ad illam tendit & ordinatur, finalis. Jam

DICO 1. Non tantum perfectione entitatis, sed etiam in ratione causandi præcipuæ causæ sunt efficiens & finis. Probatur, quia efficiens & finis conveniunt etiam propriè & quidem primo enti increato, non verò materialis & formalis. Deinde finis & efficiens sunt completæ in genere entis, non autem formalis & materialis. Quod ad rationem causandi, hanc habet tempore & natura prius, ut entitate perfectiores. Si quæras de ordine inter finem & efficientem. Resp. Si efficiens operetur actione ad extrà sive transeunte, finis potior est in causando; Ratio est, quia movet efficientem ad intentionem & actionem; Nam commune est apud Philosophos, quod principium actionis sit finis qui moveat Agentem, intellige tamen id de causis naturalibus & creatis.

DICO 2. Si causæ spectentur respectu effecti & compositi, magis intrinsecę sunt forma & materia, qua ratione etiam spectatæ erunt potiores cæteris; forma verò collata cum materia & in ratione causandi & entis perfectior est & prior. 1. pars patet, quia istæ duæ uniuntur essentialiter & per se ad corporis naturalis constitutionem, suntque ejus partes intrinsecæ & essentiales, non verò finis & efficiens, quia propterea causæ extrinsecæ vocantur. 2. pars inde liquet, quia cum forma sit actus per se & principium perfectionum & operationum, non potest esse perfectior puta potentia tam in ratione entis quam in ratione causandi: Accedit, quia forma dat esse rei & distinctionem, vocaturque communiter essentia rei, ergo. Quod si tamen forma spectetur, quatenus educitur de potentia materiæ. & ab illa dependens est, sic materia prior est natura, & communicat suum esse prius.

DICO 3. Causæ possunt sibi mutuo esse causæ in diverso genere causæ. Patet hoc in sanitate, exercitio, deambulatione, medicina &

alijs;

alijs ; Nam sanitas est causa finalis ; cætera verò sunt media & causa efficiens sanitatis.

DICO 4. Causa & effectus ut sunt relata, simul sunt natura & tempore , causa autem ut sic, natura prior est effectu, tempore aliquando prior aliquando non. Primum notũ est logicis ; secundum patet inde , quia quod dat esse alteri , debet eo prius esse saltem ordine naturæ ; sed omnis causa tribuit esse effectui ; ergò. Ultimum prob. exemplis; patet enim qui est causa filij , prior est tempore filio ; Deinde sol non est prius tempore creatus quam lumen ipsius, &c.

DICO 5. Causa imprimis ut sic est nobilior effectu ut sic. Ratio, quia nobilius est dare quam accipere , & causa est independens ab effectu , contra verò effectus dependens à causa. 2. Causa omnis efficiens univoca est ejusdẽ perfectionis essentialis cum effectu, quia hoc semper intendit producere sibi simile. 3. Causa æquivoca potest esse nobilior suo effectu licet non necessariò ; primum patet in Deo, secundum in cœlo , quod secundum multos viventia producit. 4. Causa instrumentalis potest esse & nobilior & ignobilior suo effectu : primum patet in Angelo ; quem Deus in creando v.gr. lapide tanquam instrumentum adhibet , quo posito causa illa instrum. v. gr. Angelus nobilior est lapide tanquam effectu Secundum in accidente, quod concurrit ad substantiã producendam. 5. Causa exemplaris aliquando est perfectior effectu , ut patet in homine vivo, ad cujus imaginem depingitur homo mortuus , aliquando æquè perfectus , ut patet in aliqua imagine, ad quam velut ad exemplar alia ejusdẽ perfectionis depingitur. 6. Finis ultimus verus semper est nobilior effectu, ut patet in Deo, contrà verò finis non verus , ut patet in re aliqua inepta aut impia , quam aliquis sibi velut finem ultimum statuit.

DIFFICULTAS V.

Qualis sit dependentia effectuum à causis.

NOn est sensus quęstionis, quomodo Agentia naturalia suos producant effectus , sed an imprimis idẽ num. effectus possit à pluribus causis totalibus produci ; Deinde an effectus qui ab una causa totali productus est , potuerit etiam ab alia totali produci, v.g. Socrates ab alijs parentibus.

Causa tota quid & quotuplex. Adverte 1. Causas totales vel esse ejusdem ordinis ut duo calores, vel diversi , ut sol & homo. 2. Effectus vel esse primò per se & natura sua , quomodo ignis est ab igne, calor à calore, homo ab homine; vel per accidens , quomodo morbus est à multo cibo ingesto , forma cadaveris à veneno: Neq; enim cibus qui morbum intulit , intendebat hunc morbum per se, sed tantum repletionem stomachi, quam sequebatur tum morbus per accidens ; similiter venenum non intendebat producere formam cadaveris , sed tantum invehere alienas qualitates, &c. Jam

DICO 1. Idem num. effectus potest produci à duabus causis totalibus ejusdem generis, id est, efficientibus vel finalibus, diversi tamen ordinis. Dico efficientibus vel finalibus, quia non dantur causæ materiales vel formales quæ sint diversi ordinis: Prob. ad productionem ejusd. effectus concurrit causa prima ut Deus, & secunda , quæ sunt diversi ordinis & in suo genere totales ; sol & homo generant hominem, cum utraque sit ejusdem generis, diversi autem ordinis, una sc. æquivoca ; altera univoca.

DICES, Causa totalis est illa , quæ ex se potest affectum sola producere ; sed sol non potest hominem solus producere , ergò non est causa totalis ; Neque dicas in suo genere esse causam totalem , quia hoc modo quævis causa efficiens erit totalis ad diversos effectus. Resp. majorem veram esse in causis ejusd. ordinis ; non diversi; quo modo neque sol solus neque homo solus producit hominem , sed uterque simul, licet in suo ordine sint completæ ; Et hinc

DICO 2. Idem effectus non potest per absolutam Dei potentiam à duabus causis effic. totalibus ejusdem ordinis produci v.gr. calefactio stomachi à duplici vino totali. Probatur: causa totalis ea dicitur , quæ se sola producit effectum absque ministerio alterius ejusdem ordinis; sed per potentiam divinam non potest idẽ num. effectus à duabus causis esse , quarum unaquæque peculiariter sumpta illum affectum producat , ergò. Probatur minor , quia aut unica producit aut utraque ; Si illa , ergò non hæc, habeturq; intentũ; si utraq; ergò neutra se sola & absq; beneficio alterius totum producit effectum , ergò per absolutam Dei potentiam non potest idem num. effectus à duabus causis totalibus produci. *Causa tota lis quæ.*

DICO 3. Effectus qui product9 est ab aliqua causa per accidens , idem num. potuit ab alia produci. Probatur, eadem forma cadaveris ; quæ sequitur ex hausto veneno , potuit etiam ex gladio , aqua , igne vel alia causa violenta produci ; sed hæc forma cadaveris est effectus per accidens, ergò. Difficultas itaque est de effectu ; qui producitur ab aliqua causa per se ; & hinc

DICO 4. Effect9 qui ab una causa totali productus est, non potuit idem num. ab alia naturaliter produci ; Est hæc doctrina omnium *Socrates nõ potuit ab alis patre generari.* etiam imperitorum , qui lumine naturæ credunt se nunquam natos fuisse , si parentes sui non fuissent in rerum natura, quod hoc modo confirmatur; si idem num. effectus, qui ab una causa totali productus est, potuisset ab alia produci, tunc ab ea causa à qua productus est, non per se, sed tantum per accidens dependeret , quod est contrà rationem effectus ; hæc seq. prob. quia effectus per se non dependet ab ea causa, à qua non est determinatè productus ; sed effectus ille, qui ab alia causa produci potuisset, non est ab aliqua causa determinatè productus,

ductus ut constat, ergò effectus ille per se non dependet à causa, qui ab alia eâdem non produci potuisset.

DICES 1. Mors Petri potest inferri à duabus causis totalibus æqualiter, ut gladio, veneno, &c. ergò similiter verû est, Petrû productû à Paulo, potuisse etiam produci ab alio. R. neg. conseq. quia plura requiruntur ad esse conferendum quam ad auferandum, & facilius est hominem perdere quam producere.

DICES 2. Conservantia sanitatis fieri potest à diversis causis totalibus, v.gr. à bono cibo, ab aëre, &c, ergò. R esp. sanitatem productam à Medicina non esse eandem num. cum ea quam producit cibus, potus: Deinde non sunt hæ causæ totales, quia mutuam operam conferunt in producenda sanitate. Ad hæc sanitas non intenditur immediatè & per se ab aëre, cibo, potu, &c. quorum est primò & per se producere & conservare temperamentum naturale.

DICO 5. Effectus, qui ab una causa totali productus est, potuit divinitus produci ab alia. Prob. Deus vel per seipsum immediatè, vel per aliam creaturam instrumentaliter id omne præstare potest, & omnem effectum producere, quem per quamlibet aliam causam secundam & particularem producit, ergò effectus ab aliqua causa efficienter productus, ut hic calor ab hoc cibo in stomacho, hæc sanitas ab hac medicina, potuit per divinam potentiam ab aliqua alia causa efficiente idem numero produci.

DIFFICULTAS VI.

Quid sit causa materialis, & quæ ejus causalitas.

Effectus causa materialis. SUppono 1. Effectû primarium causæ materialis & per se à natura intentum esse compositum naturale, proximum verò formam, tum generationem & unionem. 2. duplicem causalitatem exerceri in materia, unam transeuntem, quam babet respectu rei in fieri, aliam verò permanentem, quam exercet respectu rei in facto esse. Jam

Causa materialis quid. DICO 1. Materia est causa ex qua insita sit aliquid. Ita Arist. 1. phys. c. ult. in fine. Particula *Ex* denotat habitudinê subjecti tanquam interni principij, quod cum forma unum constituit compositum. Particula *aliquid* licet capienda sit propriè de composito substantiali, extendi tamen potest etiam ad quodvis compositum artificiatum & accidentarium, ut morbus receptus in sanguine, corde, &c. Denique fit ut insit, scil. aptitudine, id est, fieri potest vel fieri natum est ut insit: Et hinc dici potest materia permanens principium, ex quo veluti formæ subjecto compositum sive naturale, sive artificiale, sive quodvis aliud eo pacto natum est fieri ut insit, quod postremum additur propter contrarium, ex quo quidem aliquid fieri dicitur, sed non ut ex principio permanente; cum abijciatur per generationem.

DICO 2. Causalitas transiens materiæ est generatio inhærens materiæ, seu quæ causatur à materia seipsa & non per aliam causalitatem. *Causalitas materiæ transiens.* Prob. causalitas materiæ est influxus quo posito dicitur actu causare; at posita generatiõe causat materia actu, ergo ipsa generatio est causalitas; sed nõ causatur per aliam causalitatem, ergò per seipsam. Confirm. sicut actio per seipsam causatur immediatè ab efficiente in genere causæ efficientis; ita generatio immediatè pendet à materia in genere causæ materialis; quia materia immediatè in se sustentat generationem absque ullo alio addito, quod sustentare nihil aliud est quam ipsum causare materiæ.

DICES, Effectus ipse non est causalitas; sed generatio est effectus materiæ, ergo. Resp. diversa ratione generationem dici causalitatem & effectum: illam quatenus materia inhærens eam dicitur actu causare, hunc verò quatenus pendet à materia.

DICO 3. Causalitas materiæ quatenus est actu causa formæ & compositi in fieri, est ipsa generatio inhærens actu materiæ. Prob. per generationem actu inhærentem, & per nihil aliud causat materia actu formam & compositum, ergò.

DICO 4. Causalitas materiæ permanens, seu ut est causa formæ & compositi in facto esse, est unio inter formam & compositum. Probatur: illud est causalitas materiæ, quo posito denominatur actu causans: sed posita unione & secluso quovis alio, materia est & denominatur actu causans formam & compositum, ergò: confirm. quia sublatâ unione materia non potest causare, ergò posita unione actu causat. Et hinc colligitur 1. duas esse causalitates materiæ ex natura rei distinctas, generationem sc. & unionem. 2. materiam cœlorum exercere causalitatem unionis in facto esse, nõ tamen generationis in fieri, illud, quia cœlum est verè compositum naturale, hoc autem, quia cœli non sunt per agens naturale producti.

DIFFICULTAS VII.

An & quomodo formæ accidentales pendeant à materia.

ACcidentia vel considerantur in concreto vel in abstracto, & hinc

DICO 1. Accidentia in abstracto considerata non habent materiam ex qua intrinsecè & physicè componantur. Ratio, quia ipsa in entitate sua sunt formæ. Dixi physicè, quia metaphysicè componuntur ex genere quod se habet instar partis materialis, & differentiâ quæ est instar partis formalis. Dixi tamen quod non habeant materiam ex qua, quia pendent à materia cui tantum inhærent.

DICO 2. Accidentia in concreto habent causam materialem sibi intrinsecam ex qua com-

componantur. Probatio hujus conclusionis desumitur ex comparatione materiæ cum forma substantiali, sicut enim hæc unita materiæ primæ facit compositum per se & substantiale; ita forma accidentalis unita materiæ vel composito physico facit compositum accidentale ex subjecto & accidente.

Accidentia quomodo recipiantur. DICO 3. Quædam accidentia recipiuntur immediatè & sustentantur à substantia, quædam mediatè. Prioris generis est quantitas interminata quæ est causa materiæ; hac verò mediante recipiuntur alia accidentia, ut qualitates tam primæ quam secundæ, quæ proximè & immediatè insunt quantitati, & remotè substantiæ tanquam subjecto principali: Et hinc tam substantiæ exercent causalitatem materialem accidentium tanquam formarum in se receptarū, sed etiam accidentia respectu aliorum accidentium, quas immediatè in se recipiunt, ut patet in quantitate quæ in se accidentia tā absoluta quā respectiva recipit; in qualitatibus quæ sunt immediata subjecta similitudinum; in habitibus operationis, qui immediatè inhærent potentijs, ut scientiæ & artes intellectui, virtutes voluntati, &c.

Accidens accidenti an accidere possit. DICES, Unum accidens non potest accidere alteri accidēti, ergo falsū est, quod unū sit subjectū alterius. Resp. hoc dictū vel intelligi de subjecto *quod*, vel de prædicatione accidentali, qua unā accidens dicitur accidentaliter de altero, ut cùm dicitur Musicus est niger, hæc prædicatio non oritur ex eo, quod unum accidens accidat alteri, sed quod ambo in uno tertio accidentaliter conveniant. Et hinc collige, omnē substantiam creatam posse esse causam materialem accidentium: ratio. quia omnes sive completæ sive incompletæ sunt aliquo modo imperfectæ & potentiales, ergo capaces accidentium, quæ sustentent, & à quibus magis perficiantur, quod in Deo locum non habet, in quo res omnes earumque perfectiones tam formaliter quam eminenter continentur: Et hoc confirm. inductione, quia Angeli habent accidentia spiritualia, scil. intellectum & voluntatem variaque dona tam naturalia quam supern: quod idem de anima rat. intellige; formæ vero materiales seorsim non sunt receptivæ accidentium, quia hoc modo non possunt existere, cum in fieri & conservari dependeent à materia; ratione verò compositi quod componunt, etiam possunt dici recipere quædam accidentia, quæ recipiantur in composito ipso, quia hoc est receptivum accidentium.

DIFFICULTAS VIII.

An materia sit subjectum immediatū quantitatis an verò compositum.

OPinio 1. est Thomistarum, materiam primam non existere entitate propria, ac prodde non esse sufficientem, ut materialiter causet aliquod accidens, sed necessariò prius uniendam esse formæ substantiali. 2. admittit hanc sufficientiam & docet quantitatem tanquam ac- eidens materiæ proportionatum immediatè recipi in materia, mediante ea cipi in materia, qua mediante tum recipiantur alia accidentia.

Quantitas inhæret materiæ. DICO 1. Materia est subjectum proprium, cui soli quantitas inhæret. Probatur 1. materia est coæva & cōgenita quantitas, ergo ipsi soli immediatè inhæret. Antec. patet, quia nūquam generatur vel corrumpitur, ergo semper inhæret estque ingenita. Quod autem quantitas non corrumpatur, prob. hunc in modum: quicquid corrumpitur, vel corrumpitur per se & à contrario, vel per accidens & à corruptione subjecti, vel ex defectu dispositionū, quas in subjecto præ requirit; sed quantitas nullo illorum modorum corrumpitur, ergò. Prob. minor; *Quomodo aliquid corrumpatur.* Nam imprimis quantitas non corrumpitur à suo contrario, quia caret hoc, ut constat; Deinde nec corrumpitur per accidens ad corruptionem subjecti, quia hoc est materia ingenerabilis & incorruptibilis; Nec deniq; corrumpitur ex dispositionum defectu, quia nullas requirit. Et Dices fortassis, quātitatem mutari; respondetur, terminatam mutari non interminatam. 2. Prob. quantitas est quædam proprietas materiæ naturalis à qua dimanat. 3. quantitas est quædam dispositio materiæ, per quam ipsa fit subjectum aptum alterationis & dispositionum ad receptionem formæ substantialis. 4. materia habet sufficientem entitatem & substantiam ut recipiat & sustentet quantitatem. 5. quantitas in materia est prior forma substantiali, ad quam etiam ordinatur: ergo.

DICO 2. In omni composito ex quacunque forma materiali materia est immediatum subjectum quantitatis, licet probabile sit, etiam eam inhærere formis materialibus. Probatur, in homine sola materia est immediatum subjectum quantitatis, & per consequens hæc cum illa unitur immediatè, ergo: Et hæc unio non est diversæ rationis in alijs compositis. Deinde ipsa quantitas ut patet, est proprietas intrinseca substantiæ corporeæ, ergo debet habere subjectum connaturale & proportionatum in quo hæreat; At si esset in toto composito, esset præter naturam suam, eò quod in forma esse non possit, ergo immediatè erit in materia & sum in composito. An etiam reliqua accidentia & qualitates inhæreant materiæ & quomodo, patet ex disp. 4. diffic. 11. hujus Libri.

DIFFICULTAS IX.

Quid sit causa formalis & quæ ejus causalitas.

QUæ sint divisiones formæ, vide l. 1. disp. 9. diffic. 2. Cæterum

Adverte, 3. potissimum assignari conditiones formæ ut actu causet, scilicet existentia ejus, ultima conjunctio eum materia & præviæ dispositiones, quæ singulæ per se manifestæ sunt & claræ.

Suppono autem proprium & primarium effectum causæ formalis esse compositum naturale. Ratio, quia compositum intrinsecè & essentialiter constat ex forma, habetque ab ea suam speciem, ut constat: Nam licet forma non sit proprie causa materiæ quasi det ei formaliter existentiam, est tamen aliquo modo causa ut à se dependeat, cum det naturaliter existere & actualis existentiæ conservationem, quia materia semper est cum forma aliqua substantiali, quod signum est, eam ex se postulare consortium formæ. Jam

Quid causa formalis.

DICO 1. Proximum principium causandi est ipsa entitas formæ apta ex se ad actuandum & informandum. Ratio, quia forma est actus essentialiter actuans, ergo de essentia ejus est aptitudo ad actuandum. Dixi esse ipsam entitatē formæ, quia non requirit aliam superadditam, cum causet exhibendo seipsam materiæ vel composito, quod confirmatur simili; Nam sicut potentia materiæ non est aliud ab ejus entitate, ita & in forma quæ per se aut suam entitatem apta est, aptitudo illa est ipsa ratio essentialis formæ. Deinde ex materia & forma ideò fit unum per se, quia nulla interveniente proprietate vel accidente uniuntur, sed immediate per seipsas ob proportionem & mutuam aptitudinem, quam habent per suas ipsas entitates incompletas ad idem genus pertinentes.

Et ejus causalitas.

DICO 2. Causalitas formæ nihil aliud esse potest quam actualis unio formæ cum materia. Prob. non est forma nec materia nec compositum, & præter hæc tria nihil aliud superest, ergò. Antec. prob. materia esse nō potest, quia hæc est distinctum genus causę, estque separabilis causalitas formæ à materia, quando scil. forma actu non causat: neq; forma, quia causalitas est medium quid inter causam & effectum; deinde causalitas formę est separabilis à forma: Neq; est cōpositum, quia hoc præter formam includit etiā materiam. Confirm. positâ hac unione formę cum materia forma jam actu exercet suam causalitatem, & hac unione ablatâ impossibile est eā exercere, quia per hanc unionem forma seipsā communicat materiæ, unde per se consurgit compositum naturale.

DICES, Unio qua anima rationalis unitur materiæ non est ejus causalitas, ergo conclusio non est universaliter vera Antec. patet, quia illa unio est effectivè ab anima, quæ creata à Deo in corpore disposito seipsam unit corpori, ergo unio erit potius causalitas efficientis quam formę. Resp. controversiam esse, an anima seipsam uniat corpori, quia etiam dici posset hanc unionem fieri à generante, vel à dispositionibus, vel à Deo solo creante qui eam simul corpori uniat, prout videre est l. 1. disp. 11. diffic. 4. Deinde concesso quod unio hæc fiat à causa effectivè, nihil tamen obstat, quominus eadem sit formale vinculum quo anima corpori conjungitur, ut actus suæ potentiæ: Nec repugnat unionem fieri ab anima in duplici genere causæ, videl. efficientis & formalis; Nam ut anima est efficiens, sic effectus ejus potest dici unio quæ producitur per actionem unitivam, quæ dicitur unitio, cujus terminus formalis est unio; Anima autem ut est forma, habet unionem ut causalitatem per quam formaliter causat & cum materia dat compositum. Unio itaque accipitur pro actione uniendi quæ dicitur unitio, & pro modo unionis, sive termino unitionis, quo modo manet in composito, diciturque vinculum formale, nexus, copula, informatio, inhærentia.

Unio animæ ration. unde.

DIFFICULTAS X.

Quid de causa formali accidentali dicendum.

QUæ de subordinatione plurium formarum in eodem subjecto dicenda sint, vide l. 1. disp. 9. diffic. 18. Hic autem de forma accidentali tria maximè quæri possunt, primò an etiam sint causæ formales accidentales. 2. quænam earum causalitas. 3 quis effectus.

Adverte, accidentia dividi posse in intrinseca & extrinseca; Illa insunt rei cui accidunt, ut calor igni, vino, piperi, frigus aquæ. Hæc extrinsecè tantum denominant, neque complent substantiam, ut Musica hominem, albedo parietem actiones transeuntes agens naturale.

Causare formaliter quid, & qua ita causent.

DICO 1. Accidentia intrinseca, quæ habent entitatem intrinsecam & distinctam à subjecto, verè causant formaliter. Ratio, causare formaliter nihil est aliud quam formam unire subjecto; sed accidentia formaliter uniunt & per accidens componunt, ergò formaliter causant. Hoc patet in sangvine fervescente, qui calorem in visceribus producit unitque materiæ.

Causalitas accidentium quid.

DICO 2. Causalitas accidentium est unio actualis sive inhærentia, per quam accidens substantiæ inhæret & seipsum illi communicat. Probatur: illud est causalitas formæ alicujus per quod actu causat compositum, seu per quod se communicat composito; sed hoc fit in accidentibus per unionem sive inhærentiam, ergò.

Et quis eorum effectus.

DICO 3. Proprius effectus & formalis accidentia est compositū per accidens sive accidentale. Ratio, illud est effectus alicujus formę, quod oritur ex forma accidentali, ergò. 2. compositum accidentale essentialiter dependet à forma accidentali, ergo est effectus ejusdē formæ. *Adverte* tamen 1. substantiam non dependere ab accidentibus per se ut à causa propria, sed tantū ut à dispositionibus, quæ se habent ex parte materię vel à dispositionibus consequentibus. *Adverte* 2. effectum formalem horum accidentium esse duplicem, positivum & privativum; Ille consistit in constitutione compositi accidentalis, & hic est principalis; alter in formæ contrariæ expulsione, estque minus principalis; sic albedo dicitur formaliter expellere nigredinem & calor frigus; prior intrinsecè & formaliter sive essentialiter includit formam tanquam partem componentem, posterior minimè. Si

QUÆRAS, quid de modis & actionibus extrinsecis sentiendum sit? Resp. &

DI-

DICO 4. Modi accidentales causant quidem compositum, ut figura rem figuratam, sessio sedentem; sed diverso modo, quia non causant unione ab ipsis distincta, sed seipsis immediatè conjunguntur subjecto, ac proinde in his causa formalis & causalitas non distinguuntur: deinde accidētia extrinseca verè & formaliter non causant, sed tantum per proportionem & similitudinem. Prob. prima pars inductione, quia actio v.g. non est in agente nec vestis in vestito, ergò nequeunt cum subjecto suo componere quid unum, cum non inhæreant nec propriè uniantur, quod requiritur ad effectum formalem. Posterior pars declaratur, quia licet vestis non propriè uniatur corpori, tamen aliquo modo ipsi adhæret, quæ adhærentia aliquo modo dici potest unio sive inhærentia.

DIFFICULTAS XI.

Quid sit causa efficiens & quæ ejus causalitas

SUpponio, præter Deum alias quoque dari causas inferiores, quæ ad effectus suos speciales efficienter concurrant, quia non aliam ob causam concessit Deus rebus omnibus tam diversas virtutes & qualitates, quam ut per eas diversimodè quoque operentur. Quod si S. Scriptura dicat, Deum omnia in omnib. operari, nō intelligendū est quasi homo aut alia quævis causa inferior nihil efficeret, sed hoc tantum, quod Deus ad omnes effectus necessariò debeat concurrere, licet non se solo sed unà cum causis inferioribus, ut infra patebit. Jam

DICO 1. Causa efficiens est id, undè est primum principiū mutationis & quietis, vel est primum principium & causa, a qua prima est oritur; mutatio vel quies. Ita Arist. 2. phys. c. 3. Dicitur principium, id est, causa, quæ particula est loco generis. Dicitur autem primum principium, ut distinguatur à forma, quæ est terminus mutationis, & non primum principium: Nam in omni generatione causa efficiens tanquam primum principium supponitur, forma autem tanquam finis & terminus producitur. Dicitur à quo primò est mutatio & quies, quia hæc recipiuntur in materia, terminatur ad formam, fit propter finem & ad exemplar. *Adverte* tamen, aliquos per mutationem non malè intelligere actionem, ut hoc modo hæc definitio etiam conveniat Deo creatori, adeòque Deus creando aliquid dicatur verè causa efficiens, quæ creatio non est propriè mutatio, ut patet apud physicos.

DICO 2. Circà causalitatem causæ efficientis duæ celebres sunt opiniones, quarum prima est D. Thomæ, Suarij, Conn. 2. phys. c. 7. q. 7. a. 2. & multorum aliorum, videl. causalitatem causæ efficientis cōsistere in actione, quod probant hoc modo: illud est causalitas causæ efficientis, quod constituit actu agentem; sed hoc facit actio, ergò. Hæc minor prob. quia actio immediatè superadditur potentiæ; ita ut hac sublata non possit potentia intelligi actu agens, hac autem positâ abstrahendo à quovis alio superaddito intelligatur actu Agens, ergò. Secunda est multorum recentiorum, qui docent causalitatem causæ efficientis consistere in ipso influxu in effectum. *Adverte*, influxum si consideretur in actu 1. nihil aliud esse quam virtutem ipsius causæ per quam efficienter concurrit ad productionē effectus; si vero in actu secundo nihil aliud quàm modū aliquem sive actualem applicationem causæ effic. ad opus & actionem exercendam. Jam probant hoc modo, in eo consistit causalitas causæ efficientis, sine quo causa efficiens, nō est causa formaliter; sed sine actione causa effic. intelligitur formaliter causa, ergò Major vera est, minor prob quia causa effic. est formaliter causa respectu actionis, & ipsa actio est effectus causæ effic. ergo sine actione causa efficiens est formaliter causa: Vide de his plura apud physicos. Conn. ideò primam amplectuntur opinionem, quia frustrà dicunt & sine ulla necessitate poni in causa ejusmodi influxus, & ut efficiens causa agat satis esse actionem qua effectum per se attingat. Quisque sequatur quod volet.

Influxus causæ effic. quid.

DIFFICULTAS XII.

An agens semper debeat esse distinctum à passo.

COnditiōes in causis effic. hæ requiruntur: 1. actualis existentia, intellige causam effic. physicam immediatè in effectum in suo genere influentem. 2. dissimilitudo inter Agens & patiens. 3. Indistantia Agentis & patientis. 4. distinctio inter Agens & patiens. De hoc habet Arist. 1. gen. c. 7. hæc, necesse est inquit aliquo modo eadem esse & faciens & patiens, aliquo modo altera & dissimilia ab invicem: Cujus ratio redditur hæc, quia Agens vult sibi assimilare passum, ergò si illud jam est perfectè simile, non aget, quia tunc cessat finis agendi, qui erat passum sibi assimilare: similiter debent aliquo modo esse eadem, quia non omne Agens potest agere in quodlibet, sed tantum in illud quod habet patibiles qualitates respectu agentis, quia ignis nō potest exurere aquā sicut lignum, nec potest emollire lapidem sicut ceram.

Agens & patiens debent esse similia & dissimilia.

Adverte autē triplices esse actiones. 1. est emanatio sive resultantia naturalis quâ producuntur passiones. 2. est phys. seu corporea, ut calefactio. 3. est im̄anens, quia manet in potentia à qua producitur, ut intellectio, volitio, visio, &c. Jam

Actio physica triplex

DICO 1. In actione emanativa proximum efficiens non est quidem re distinctum à recipiente, ille tamen effectus reducitur simpliciter in causam effic principalē distinctā à passo. 1. pars manifesta est in potentijs, quæ manant ab anima & in eâdem recipiuntur; hoc tamen intellige de potentijs & proprietatib. im̄aterialibus, quia in materialib. ferè semper principiū efficiens saltē *ut quo* differt à ratiōe recipiēdi hanc proprietatē, v.gr. frigus rosæ, calor vini, &c. manāt à forma rosæ & vini, & recipiuntur in materia. Prob. 2. pars, quia proprietas nō manat ab essentia ut ab Agente principali: sed potius ut ab instrumento generantis, ergò ille effectus tribuendus est generāti ut causæ principali: sed generans est distinctum à genito & ejus potentijs, ergo.

Proprietates unde emanent.

Actio trāsiens. DICO 2 Omne Agens physicū quod agit per motum physicum & actionem transeuntem distinguitur aliquo modo realiter à passo. Ratio à priori est, quia idem non potest esse secundum idem simul in actu & potentia, ut habetur apud Arist. 7. phys. cap. 1. & 8. phys. c. 4. cujus dicti sensus est, quod idem compositum materiale non possit seipsum alterare per se seu secundum eand. partem, sed secundum proximam; sic enim ignis non calefacit se, sed corpus proximum.

Immanens. DICO 3. In actionibus immanentibus non distingvitur necessariò Agens à passo; ratio, eadem potentia eliciens actionem recipit eand. ut patet in intellectionibus & volitionibus.

DICO 4. Agentia spiritualia non distingvuntur re à mobili, ratio est, quia spiritus movent se & moventur; Neque in ijs cum indivisibiles sint, est assignare partes, unam moventem, alteram motam. Et hinc colligitur, hoc axioma physicum intelligendum esse de motibus physicis.

DIFFICULTAS XIII

An & quomodo Deus actu & necessariò concurrat cum causis secundis & unde determinetur actio.

Actiones Dei quæ. PRæter actiones Dei immanentes quæ sunt actus voluntatis ipsius, solent ipsi triplices aliæ respectu creaturarum assignari. Prima est creatio, qua ex nihilo creaturam producit. 2. est conservatio qua easdē in esse suo conservat, ne pereant aut desinant, quod futurum esset, si vel momentum subtraheret suam actionem conservantem. 3 est concursus cum causis secundis ad earum operationes.

Concursus Dei cum causis secundis quid. Adverte autem, Concursum Dei, qui aliàs in genere vel est mediatus, ut cum Astra in hunc mundum influunt, vel im̄ediatus, ut cum calor stomachi cibum coquit, esse ipsam actionem causæ 2. prout à prima provenit. Vide Rubium à phys. tract. 4. de causa effic q. 8. & Conn. 2. phys. c. 7. q. 13. a. 2. Contrà Thomistas & nonnullos alios, qui volunt hunc Dei concursum esse aliquid reale ipsis impressum ordine naturæ præcedens actionem, id est, prius applicari causis secundis quàm operentur, & id vocant præmotiones physicas vel prædeterminatiões; præmotiones quidem, quod illis excitetur homo antequam agat, physicas autem, quod illis excitatus ita determinetur ad agendum, ut renuere nullo modo possit: Sed his omissis

DICO 1. Deus actuali & imediatò influxu influit in effectum causæ secundæ. Est non tantū S. Scripturæ, ut quod 1. Cor. 12. omnia in omnib. operet, & quod act. 27. in ipso vivamus &c. sed ê rationis, quia in causis essentialiter subordinatis inferior non agit nisi dependenter à superiori, ita ut hæc ad ipsius actus simul concurrat; sed causæ secundæ sunt essentialiter Deo subordinatæ, ergò non agunt nisi Deo ad earum actum concurrente. Confirm. quia quævis creatura in fieri & esse est Ens per participationem, ergò in utroque dependet à Deo tanquam ab Ente per essentiam; sed qualibet actio causæ secundæ est creatura in fieri, ergò.

DICES, Concursus Dei est sufficiens ad omnem effectum producendum, ergò superfluus erit concursus creaturæ. Resp. neg. conseq. quia statuit Deus nunquam absque creaturæ operatione concurrere.

DICO 2. Impossibile est à Deo creaturam tantæ perfectionis creari, quæ in agendo sit independens à cōcursu divino. Ratio, quia sequeretur talis implicantia, qualis ex eo sequitur, quod scil. daretur creatura independens à Deo in essendo: sic enim creatura esset & non esset: esset ex suppositione; non esset, quia res creatæ habent ex natura sua ordinem essentialis dependentiæ à causa prima, qua si careret aliqua creatura, per consequens non erit.

DICES, Si Deus concurrit ad actionem causę secundę, erit causa partialis & imperfecta, quia duo agentia non concurrunt ad eandem actionem, nisi propter imperfectionē. Resp. hęc duo agentia nō componere unam causam totalem, sed unumquodque esse perfectum in suo ordine; nec dicenda esse agentia partialia, quia pars effectus non fit ab una & pars ab altera, sed totus effectus fit à singulis; itaq; istæ causæ singulæ sunt totales & completæ in suo ordine.

Quomodo fiat concursus Dei cum causis secundis. DICO 3. Concursus Dei cum causis secundis sic explicatur; Deus ab æterno decrevit has causas secundas producere, & nō alias, hoc tempore cum hoc ordine, cum his motibus &c. decrevit ē cum illis concurrere ad earund. actiones pro ipsarum capacitate. Porro sicut omnia distinctissimè in particulari scivit, ita ē divina ipsius voluntas distinctè decrevit tali tempore & non alio, ad hanc actionem & non ad aliam, cum tali causa secunda & non cum alia concurrere, ut proinde concursus hic non sit casualis, sed per se & ex instituto, quod provenit ex modo operandi, ut ex scientia ac providentia Dei: Et hinc quod sequitur

Causa secunda determinat primam in agendo. DICO 4. Causa secunda determinat primā quoad specificationem & exercitium actus. *adverte* ante probationem, triplicem dari determinationem causæ. 1. dicitur quoad specificationem actus, ut cum homo æger determinatur ad sumendam medicinam. 2 quoad exercitium actus, ut cum æger determinatur ad medicinam jam & ex tali pharmacopolio. 3. quoad singularitatem actus, ut cum homo determinatur ad talem medicinam & non aliam. Iam prob. conclusio: causa prima de se est indifferens ad omnes actus cujuscunq; speciei, ad agendum quolibet tempore, sola autem causa secunda est ratio, cur talis speciei & non alterius actum producat, cur hic & nunc agat, tali modo & non alio, v. gr. medicina purgans facit, ut Deus concurrat ad purgationem & non ad constipationem, facit item ut hic & nunc, tali modo & tempore agat, quia cum Deus se causis secundis accommodet, faciunt etiam, ut cum ipsæ volunt agere, Deus quoque cum illis agat. Confirm. hoc in causis liberis, quæ modo [illegible] hoc.

hoc modo illud faciunt, ergò non accipiunt à causa prima quod tales talisq; speciei actus eliciant contrà impiam Calvini doctrinam.

DICO 5. Causa secunda non determinatur à prima quoad singularitatem actus, sed à circumstantiis & Conditionibus individuantibus objecti & dispositionum, v.g. vinum in stomacho ad producendam hanc numero calefactionem non determinatur à causa 1. sed ab hac materia, ab hoc locó, ab his qualitatib⁹ alijsq; circumstantijs & dispositionib. quę sunt in materia. Prob. cōcursus Dei est omninò uniformis, ergò nō causa diversitatis, quę cernitur inter effectus num. differentes causarum secundarum. Et hinc colligitur, concursum Dei nō esse eund. cū omnibus causis secundis, sed varium juxta diversitatē causarū secundarum, adeoq; sicut ad effect⁹ num. diversos tribuit concursus num. distinctos, ita quoq; ad actiones specie distinctas tribuere concursus specie distinctos, &c.

DIFFICULTAS XIV.

An per divinam potentiam omnia fieri possint, & unde sit, quod aliquid per eam fieri non possit.

POtentia divina vel est ordinaria vel absoluta; illa respicit communem & usitatum cursum ordinemq; rebus inditum; altera eandem simpliciter & sine ulla limitatione considerat.

DICO 1. Multa sunt quæ non possunt fieri secundum potentiam Dei ordinariam, possunt tamen fieri secundum absolutā. Prima pars prob. quia si cibus calidus in stomachum ingeratur, non potest Deus non concurrere cum eo ut calefaciat, quia requirit id lex ordinaria, quę hujusmodi concursum rebus creatis subministrat. Prob. altera pars, quia potest Deus præter consuetum & naturalem ordinem vim agendi rebus creatis denegare, ut fecisse constat, cum in fornace Chaldæorum vim ustivam ab igne tribus pueris sustulit: Nam ut ajunt Theologi, virtus divina non est subjecta ordini causarum secundarum, sed ei potius hic ordo subjectus est, ut qui nō necessitate naturę, sed arbitrio voluntatis ab eo procedit quia si voluisset, alium ordinem pręscripsisset, vel præscribere potuisset.

Deus potest facere quicquid non involvit contradictionē.

DICO 2. Potest Deus potentia sua absoluta facere, quicquid non involvit contradictionē. Hæc conclusio est ab omnibus pro irrefragabili axiomate assumpta & approbata. Ratio autem ejus est, quia ubicunque extrema non includunt repugnantiam contradictionis, apta sunt, quantum ex parte ipsorum est, per aliquā potentiam conjungi, nisi ex parte hujus sit defectus, qualis in Deum planè non potest cadere. D. Thomas p.p.q. 21. a. 3. hanc dat rationem, quia inquit esse divinum, in quo ratio divinę potentiæ fundatur, est infinitum, continetque in se perfectionem totius esse; unde quicquid potest habere rationem entis, comprehenditur sub possibilibus respectu divinę potentiæ absolutæ; Nihil autem rationi entis opponitur, nisi non ens, seu quod involvit esse & non esse simul, ex quo sequitur ea omnia ac sola, in quibus reperitur contradictio, absolutam Dei potentiam effugere. Quod si

Non fit ex defectu aliquo quod Deus non faciat contradictoria.

QUÆRAS, An propterea non possit aliqua imperfectio vel defect⁹ divinę potentiæ adscribi. Resp. negativè; Nam nec defectus ullus aut imbecillitas aliqua potest Deo irrogari, quod ea non possit facere, quæ contradictionem important, quia hæc ex natura sua sunt talia ut nō pertineant ad ullam potentiam, unde etiam nec mirum est, quod ea Deus facere non possit; Nā nec auditus etiam infinitus audit colores, nec visus videt sonos, non ex aliqua imbecillitate, sed ideò quia non pertinet hæc ad objecta ejusmodi facultatum; Deinde, quod impossibile est, nunquam potest fieri possibile, ut patet ex terminis; unde licet divina potentia sit infinita, propterea tamen concedi aut admitti non debet, posse Deum ex se id producere, quod simpliciter est impossibile.

DICO 3. Causa vel ratio interna cur unumquodque sit producibile, est ipsa natura terminorum vel actio consequens naturam entis veri eo modo quo risibilitas consequitur naturam hominis; Nam sicut essentia hominis est causa vel ratio interna, cur homo sit risibilis, ita natura cujusq. rei est causa seu ratio interna cur sit producibilis. Causa autem externa activa à qua unumquodq; effici potest, & in ordine ad quem producibile dicitur, est potestas divina rerum omnium effectrix, sicut & virtus causæ creatæ, tū causa ultima etiam externa divina essentia, in quam ut in fontem & mensuram omnium Entium fit resolutio: Et hinc à dissimili nō est difficile intelligere, cur aliquid à Deo fieri aut effici nō possit, videl. interna natura terminorū est causa, quam sequitur repugnantia, ne invicē conjungi possint, quæ repugnantia inde oritur, quia tales terminus, producibile nimirum & productivum, quæ duo se mutuò respiciunt, a participatione primi & veri esse omnino absunt.

Cur aliquid à Deo fieri non possit.

DIFFICULTAS XV.

Quænam circà creationem Deo propriam dici possint.

DE hac pauca dicam ex Physicorū placitis, cætera ijs sicut & Theologis relicturus; scripserunt autem de ea nihil veteres, quia eum sit productio ex nihilo, probabiliter eam ignorarunt perpetuò, negantes aliquid fieri posse ex nihilo. Cæterùm quid Aristoteles senserit, dubium est, ut patet ex alibi dictis: Nam dicendo mundum esse ab æterno, videtur eam penitus tollere, aliquando verò admittere, dum in libro Physic. omnia ab uno principio & motore pendere dicit, animam etiam rationalem extrinsecùs corpori advenire. Cæterum an etiam in creaturam cadere possit creatio,

Adverte 1. Causam alicujus actionis esse duplicem, instrumentalē quę virtute agentis princi-

 cipa-

cipalis operatur, & principalem quæ effectum virtute intrinseca sibique propria & congentia producit. 2. creationem posse duobus modis ab aliqua causa principaliter oriri, videl. independenter ab ulla alia superiori, & contrà dependenter alterius causæ superioris interventu. 3. Creationem vel esse totius entis creabilis, vel alicujus tantu min particulari. His positis

Creatura quomodo creationem attingit.

DICO 1. Potest creatura esse causa instrumentalis creationis; Est communis hæc doctrina, quia causa instrum. ea dicitur quæ virtute agentis superioris & principalis attingit effectū; sed hoc modo potest creatura attingere creationem, ergò.

An creatura possit aliquid, alterius principaliter creare.

DICO 2. Nulla creatura etiam dependenter potest creare omnia entia possibilia. Ratio, quia aliàs seipsam posset creare quod tamen absurdum est: sed an creatura possit principaliter saltem aliquod Ens creare, litigant Theologi & Philosophi Christiāi, quia negat hoc D. Thomas, Soarius & alij, affirmant autem quamplurimi ex modernis & recentioribus. Ratio priorum est, quia inquiunt ubique in sactis Litteris creatio soli Deo attribuitur; Deinde ad creationem requiritur virtus sine proportione major quam ad eductionem alicujus ex materia, ergò vis creativa debet esse infinita. Ad hoc utrumque respondent ultimi, creationem actualem soli Deo, convenire, non possibilem; vel creationem soli Deo tribui posse independenter ab alio, & creaturæ dependenter à concursu Dei; vel creationem totius entis possibilis convenire Deo, & alicujus etiam creaturæ. Ad secundum Resp. neg. conseq. quia ajunt, non opus esse ut improportionata infinitè distent, sed satis esse quod sint diversi ordinis, cum proportio tantùm attendatur inter res ejusdem ordinis, atq; ita quod vis creativa sit sine proportione major quàm adductiva alicujus ex passivâ potentia subjecti, arguere tantù virtutē illā esse alteri⁹ & altioris ordinis, nō verò esse infinitā; & distare infinitè à virtute educendi aliquid ex potentia passiva subjecti. Et hinc ratio fundamentalis horum affirmantium est, quod ad hujusmodi opus non requiratur vis infinita, quod ex eò effectu tantùm arguatur virt⁹ infinita, qui aliqua ratione tantùm dici possit infinitus; sed effect⁹ alicujus creationis non potest haberi in. finit⁹, quia est ens finitum & limitatū, ergò. Deinde si quæ esset ratio, ob quā infinita potentia agendi ad quamvis creationem exigeretur, foret illa, quod Ens & nihil infinitè distent, quia ex his dependeret creatio; sed hanc ajunt nullā esse, ergò. Nam ens & nihil nec propriè distare nec differre, cum ratio hujus utriusque inter entia realia propriè que dicta consisteret: Plura vide apud ipsos.

DIFFICULTAS XVI.

Quotuplex sit causa efficiens Morborum apud Medicos.

De divisione causæ efficientis physicæ actum est alibi; hic de ea quæ Medicorum est, quæque ad morbos propriè spectat, inquiritur: Et quamvis multæ variæque sint hujus denominationes, ut quod aliæ sint evidentes & occultæ, aliæ primitivæ seu procatarcticæ, antecedentes, continentes & conjunctæ, proximæ & remotæ, principales & sine quibus, per se & per accidens, totales & partiales, &c. quemadmodū videre est apud Fernel. Senn. Merc. & alios; iis tamen brevitatis causa omissis

DICO 1. Omnes causæ, quæ Medicis observandæ sunt, commodissimè in externas & internas, proximas & remotas dividi possunt; Et ratio est, quia omnes sub quocunq; nomine ad has revocari possunt, ita ut opus nō sit multiplicare entia sine necessitate, hisque cognitis & explicatis reliquæ omnes cognoscantur & explicentur: quod confirmatur, quia quæcunque morbum efficienter producunt, ea sunt vel externæ & internæ, vel proximæ aut remotæ; sive sint latentes & manifestæ, magis aut minus principales, per se & per accidens, instrumentales, univocæ, æquivocæ, purè naturales, vel præstigiatoriæ, occasionatæ, adauctrices; conservatrices, antecedentes, conjunctæ, continentes, &c. Dixi commodissimè, ut non arguantur Medici alicujus erroris, dum pro sua sollicitudine quarundam differentias nimis anxiè disquirunt. Cæterùm quod de sola causa efficiente morborum Medici agere soleant neglectis aut rejectis reliquis, ratio est, quia nihil ad praxim medicam conferunt, aut certè materialem sub efficiente considerant, v. gr. sanguinem, humores, excrementa corporis, agentia extrinsecùs advenientia, &c. his positis

Cur Medici solius causa efficientis rationem in morbis habeant.

Causa remota.

DICO 1. Causa remota est, quæ remotè & mediante alio morbum producit attingitque effectum, ut constitutio aëris est causa remota anginæ, quia sunt multæ intermediæ, quæ ab illa tanquam primitiva concitatæ in hunc effectū concurrunt, ut humorum coacervatio sive digestio & diffusio, capitis repletio, caloris intensio, sanguinis rarefactio, vasorum apertio, partis recipientis debilitatio, &c. Eodem modò solis æstus, fortis deambulatio, ingurgitatio vini calidioris sunt causæ remotæ febrium, quia inflamant & incendunt spiritus & humores, unde putrefactio & febris. Et hanc quidem Medici à primitiva & procatarctica distinguunt, sed nullo fundamento; Nā sive causā procatarcticam cum Gal. l. de causa morb. c. 2. dicas extrinsecùs advenire & altera re corp⁹ sive cū Fern: l. de morb. diff. c. 11. extrinsecùs aut corpori aut contentis vim inferre; sive cum Senn. de caus. morb. in genere c. 1. manifestè corpus nostrum afficere, latentesque causas movere ad morbum producendum; sive cum Gard. esse principium illius motus quo sit morbus; sive cum Plemp. l. 4. de fundam. Medic. c. 2. esse causam extrinsecus advenientem vel saltem Ita evidentem, cui morbi principium etiam à quovis attribuatur; sive cū Authore introductionis Galeno adscriptæ c. 8: esse causam, quæ dum morbum fecit, separatur ut frigus, calor, &c. sive cum Merc. de caus. morb. class. 1. quæst. 175. esse causam manifestam sensuque cognoscibilem, sive in cor-

corpore sive extra illud existat, nihil reperitur in omnibus quod non etiam conveniat causæ remotæ, quæ & ipsa est primitiva, præincipiens, externa, prægressa, manifesta, occasionem faciens, &c. Sed cum quivis scrupulosus aut natura rixosus libenter quærat, an caper omnis hirsutus sit aut barbatus, poterit & hic contendere, aliud esse causam remotam, aliud primitivam; huc autem quoque pertinet causa antecedens, quæ non immediatè jungitur morbo, sed eum antecedit, estq; vera ejus & propriè dicta dispositio, tum passiones animi, quæ humores & sanguinem facilè ad morbum futurum disponunt.

Causa proxima quid. DICO 3. Causa proxima est, quæ proximè & immediatè attingit effectū, ut sangvis qui ruborem facit & tumorem, humor crassus & viscosus qui obstructionem gignit, humor mordax, calidus & biliosus vapor, qui dolorem in membris sensibilibus gignit; Hæc eadem est cum continente, cujus solius Medici mentionem faciunt & à conjuncta distinguunt, licet nulla quippiam ab altera diversum explicet; Nā sive causam illam, quâ positâ ponitur morbus, & quâ ablatâ rursum aufertur, continentē, morbo cohærentem, conjunctam, sive proximam & immediatam appelles, perinde est, quià quæstio non de re, sed de nomine est, & indigna de qua viri doctiores litē contestentur, quia quicquid per unam, id etiam per aliam intelligitur. An autem primò omnis causa primitiva, procatarctica seu remota possit dici externa & evidens & an in omni morbo sit necessaria. Secundò, An omnis morbus habeat causam antecedentem semperque præcedat hæc continentem sive proximam. Tertiò, an eadem res quæ est causa antecedens, possit fieri continens. Quartò, an omnis morbus habeat causam continentem sive proximam. Quintò, an eadē res possit esse causa procatarctica sive remota, & proxima sive continens respectu ejusdem morbi, &c. consulendi sunt Medici, qui studiosius iis his morantur, præsertim verò Plempius citatus:

Externa morbi causa quid. DICO 4. Causa externa morbi effectiva est, quæ extrinsecus advenit corpori illudq; alterat ut aër, ventus, pluvia, cibus, potus, gladius, &c. Hæc ita necessaria est in omni morbo, ut teste Fern. l. 1. de morb. caus. c. 11 neque corporis neque causarum interiorum firma constitutio ulla sit, quæ non ejus gravi impetu à connaturali statu præcipitetur; Est autem aliquando remotior, aliquando proximior; illud quidem cum austrina aëris constitutio cerebrum humido copioso replet facitque ex supervenіente calore illud resolvi delabique in pectus, aut cum malum unicum affert tristitiam, quæ perturbet animum motusque humoribus & sanguine corpus alterat & inflammat; hoc verò cum gladius substantiam corporis & cordis ferit, aut restis collum stringit vitamque adimit.

Causa interna. DICES, Etiam inter causam remotam & externam nulla est differentia, ergò divisio nihil valet, ℞. neg. antec. quia etiam externa potest esse proxima, v. gr. gladius solvens continuum; differt tamē etiam externa à proxima, quæ propriè talis dicitur, quod sit tantū talis in fieri, altera in fieri & conservari, sed hæc minima sunt, & pro cujusque captu & placito explicantur.

DICO 5. Causa interna est, quæ extrinsecùs gignitur & p. n. afficit, ut temperamentum sive complexio inconveniens; sangvis, humores, excrementa, animi passiones, &c. patet hoc ex Fernel. cit. de causa interna, ubi postquam causarum efficientium duo summa genera, quarum videl. aliæ nobis sint congenitæ & insitæ, aliæ autem adventitiæ, recensuisset, iostas ait esse vel naturales, quæ temporum ætatūque decursu sensim nos immutant tandemque; absumpto humido radicali conficiunt, vel præternaturales quæ seminis materniique langvinis vitio exortæ morbos tandem generant.

DIFFICULTAS XVII.

Quænam res induant officium causæ efficientis morborum.

AEternùm viveret homo is, qui nec internis corporis vitijs & in contraria agentibus lacesseretur, nec extrinsecis rerum naturalium injurijs offenderetur, quia nihil haberet, à quo calidum & humidum adeòque vita impeteretur. Cum itaque de utrisque sit difficultas,

Causæ internæ morborum. DICO 1. Causæ internæ, quibus producitur morbus, sunt qualitates malignæ à parentum vitioso semine & sangvine visceribus impressæ, complexio vitiosa & affectiones quæ eam sequuntur, humores, excrementa, sangvis, spiritus, & omnis generis superfluitates in corpore p. n. detentæ morbumque imediatè foventes. Nā vel gignuntur hæc in ipso corpore, vel recipuntur in partibus ejus solidis, suntque immediatè conjuncta cum visceribus, quæ proinde iisdem qualitatibus imbuunt, quibus ipsa affecta sunt; Deinde pendent ab ijs affectus immediatè & proximè, ut patet in febre ephemera; quæ sicut immediatè pendet ab incensione spirituum, ita etiam hac cessante & pereunte ipsa quoque cessat & perit, quod idem de cæteris affectibus putridis aut humoralibus intellige.

Humores in gen. ra causa materialis & efficientis concurrunt ad gener. morbi. DICES, Sangvis, spiritus, humores, excrementa, &c. sunt substantiæ merè passivæ, habentque rationem solius causæ materialis, ergò falsum est quod spectent ad numerum causarum efficientium. Resp. 1. neg. antec. quia sangvis, spiritus, humores & excrementa spectantur aliquando pro sola materia, quæ est altera pars compositi, & abstrahunt à qualitatibus quibus imbuuntur; aliquando verò prout sunt substantiæ & entia physica, quib⁹ varia debentur accidentia; primo modo concurrunt ad productionem morborum in genere causæ materialis. 2. in genere causæ efficientis. Deinde per causam efficientem intelligunt Medici non præcisè eam, quæ verè & propriè productiva est effectus similis, ut dum ignis ignem producit, calor calorem, homo hominem, sed quæ ad morbum gignendum quocunq; modo con-

currit, ut cum cerasi nucleus in faucibus, hominem suffocat, calculus vesicæ mortem accelerat, phlegma ad præcordia è cerebro delapsum spiritum intercludit & respirationem impedit, gladius solvendo continuum lethale vulnus infligit, & sexcenta alia quæ verè sunt productiva morborum.

Externæ causæ quæ. DICO 2. Causæ externæ, quæ ad morbū concurrunt, sunt aer, cibus & potus, motus, quies, labores, medicinæ perperam adhibitæ, ignis, gladius, calor solaris, & quicquid ab extrinseco corpori incōvenienter accidit; ut canis qui mordet, tegula quæ ex alto decidens caput ferit, bonum vel malum nuncium, quod animum commovet, &c. Non est tamen, quod *notandum*, eadem semper causa externa quæ evidens, ut nonnulli opinantur, quia potest causa occultissima esse externa, ut patet in aere & vapore maligno, qui extrinsecùs adveniens corpus & imprimis cor subingreditur, & in eo calorem spiritusque vitales corrumpit: Sunt autem inter omnia illa, quæ morbum gignunt & corpus ab extrinseco alterant, quædam ita in se constituta, ut sine ijs vivere & ad extremū usque senium ab eorum injurijs tuti & securi esse possimus, cujusmodi est calor solaris hominem feriens, ignis adurens, gladius carnem solvens; quædam verò ita nobis ferenda sunt, ut dum vivimus, ea declinare nullo modo possimus v. gr. aer, cibus & potus, somnus & vigilia, motus & quies, excernenda & retinenda, tum animi passiones, etsi nobis aliquando culpa nostra præternaturaliter accidant: Et de his quæ à Medicis res non naturales, in ordine scil. ad morbum gignendum, dicuntur, in sequentibus agetur.

DIFFICULTAS XVIII.

Quot & quid sint res non naturales.

NOta, res vel esse purè naturales, quomodo ignis naturaliter calefacit & lapis descendit, vel differentes, id est, nec bonas nec malas, idque partim ex se, ut ambulare, comedere; partim ex usu, ut cibus, potus &c. vel non naturales, aut quod idem est, præternaturales, ut somnus, quies, motus, cibus, potus, si excedant aut vitiosis qualitatibus imbutæ sint; vel cōtra naturam, ut cum equus gignit catulum aut vitulum, lapisq; sponte feruntur sursum; vel deniq; supra naturam, ut cum creatura producit effectum infinitæ virtutis, qualis est restitutio visus in cæco, resuscitatio mortui, &c. Hic de sola præternaturali, quia medica est.

Res non naturales quæ. DICO 1. Res non naturales unanimi consensu à Medicis numerantur sex, videl. aer, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigilia, excreta & retenta, & passiones animi. Probantur, ab earum effectu, quem in corpus exercent, & plerumq; solę mortem & interitum homini intendunt. Dicuntur non naturales in ordine ad morbum quam producunt, quia vel indebitè applicantur, vel modum excedunt, vel naturali statu deflectunt, cum ex se naturales sint, & aliquæ ex ijs ab homine in delitijs habeantur; sunt quædam ex ijs extrinsecæ ut aer, cibus & potus; aliæ intrinsecæ ut somnus & vigilia, excreta & retenta; aliæ denique veluti mediæ, ut motus & quies animique passiones.

DICES, plura esse, quæ in se naturalia sunt, præternaturalia verò cum hominem afficiunt, ut gladius, lapis, ignis, calor solaris, &c. ergo non sufficiunt sex illa à Medicis recepta. Resp. ideò solum à Medicis numerari sex illas res non naturales, quod ad sustentandam vitam ijs necessariò cogamur uti; neque unquam à nobis absint dum vivimus, ad sanitatem si connaturalia sint, ad corruptionem si præternaturalia, reliqua verò ut gladius, lapis, ignis, nobis fortuitò accidant.

DICO 2. Res non naturales sunt, quæ dum intrà corpus assumuntur aut extrinsecùs accidunt, manifestè illud lædunt, induuntque naturam causæ morbosæ. Dicuntur 1. non naturales, in ordine scil. ad corpus cui noxam inferunt, non autem in ordine ad se, cum sint res purè naturales. Dicuntur 2. corpus manifestè lędere, si non in re saltem in effectu, ut patet in aere, qui si maligna qualitate sit imbutus & contaminatus occultè quidem reipsa lædit, sed manifestè in effectu qui sensibilis est. Dicitur 3 induere rationē causæ morbosæ, quia verè morbū efficienter producunt & concurrunt insuper in genere causæ materialis & formalis, ut patet in aere maligno, qui præterquam quod efficienter & materialiter ad febres malignas & Epidemias concurrat, etiam induit rationem causæ formalis per intrinsecam malignitatem sive virulentiam, cui similem in specie gignit in alieno subjecto. Dicitur ultimò dum intra corpus assumuntur, aut intrinsecus eidem accidunt, quia non omnes observant eundem agendi & alterandi modum; Nam quædam extrinsecùs haustà lædunt, ut aer, cibus & potus; alia intrinsecùs per vitiosam sive qualitatem sive quantitatem afficiunt; alia movent humores & alterant corpus, ut passiones animi, id quod in sequentibus patebit. *Res ex se naturales quomodo fiant non naturales.*

DIFFICULTAS XIX.

Quomodo aer lædat aut conservet.

DE hujus essentia & natura alibi satis actum est; hic effectus ejus in ordine ad sanitatem vel alterationem corruptivam hominis dicentur, & quis item aër ad vitam hominis conservandam sit commodior.

DICO 1. aer ad vitam in homine est simpliciter necessarius. patet ex disp. l. 1. de vita, de respiratione: & ratio est, quia non potest homo vivere absque respiratione per quam aer ad cōttemperandum cordis calorem attrahitur;

Cum

Cum enim calor cordis adeò intensus sit, ut nisi continua ventilatione moderetur, seipsum & animal suffocet, providissima natura de certis organis prospexit, quibus adustas fuligines excludat & denuò benignissimum aerem, quo calidissimus sangvis & spiritus contemperentur, admittat, quod in animalibus corde præditis est videre; Omnia autem hæc respirant nullumque vivit absq; respiratione ut habet Arist. l. de spiritu alijsque in locis; & quo intensiorem calorem habet animal, eò citius respirat ducitq; aerem magis copiosum, quod in febrientibus & quibus est calidissimum cordis temperamentum, videmus, cum è contrà in frigidioribus, quæq; in latibulis multò sæpè tempore latent, tardam levemque respirationem advertamus. Confirmatur conclusio in ijs quibus collum & fauces stringuntur, quia nullam aliam ob causã tam citò pereunt, quàm quod ob negatum aeris ingressum calor seipsum opprimat & suffocet, quod etiam in igne undique occluso & inaperto observamus.

DICO 2. Lædit aër vitiosus & corruptus, quique peregrina qualitate est imbutus. Ratio est, quia immediatè per respirationem subintrat cordis substantiam, eâdemque virulentiâ quâ in se affectus est, & sanguinem & spiritus vitales in totum corpus diffundendos imbuit; Et testatur experientia, quod nunquam morbi crebrius in homines grassentur, quam cum cœlitus est aër, humidus, frigidos, aut vitiosis & maximè malignis qualitatibus inquinat', quod videre est in peste alijsque morbis epidemijs, à quibus non rarò integræ provinciæ, sed & magna pars totius orbis affligitur.

DICO 3. Etiam aër qui non est vitiosus aut peregrina qualitate affectus, non omnibus convenit hominibus. Ratio est, quia non omnis aer est cuivis homini proportionatus, sed aliquando nimia siccitate vel humore vel raritate ab eo distat: Et confirmatur hoc experientia, quæ docet, non tantum cuivis pisci quamlibet aquam, nec cuivis bruto quamcunque patriam ob diversam aeris constitutionem competere, sed & morbosos certum determinatumque aerem expetere, jam sicciorem, jam humidiorem, jam leniorem, &c. quod idem de sanis verum est, qui ob hanc causam subinde rem domesticam deserere aut totas provincias mutare coguntur. Et quid de Asiaticis aut extremis Indiæ populis dicendum, qui non secus vitam apud nos Europæos, quam eorum stirpes nonnullæ suas virtutes deponunt. Hinc

DICO 4. Qui humidioris sunt naturæ aut obnoxij multis defluxionibus, ijs convenit aer siccus; ratio, quia consumit hic omne superfluum; Qui autem sicci nimis sunt, his potius conducit aer humidus, quia aer siccus magis acuit calorem ideòque humidum absumit & siccat: Quod autem de corpore sano, idem etiam de ægro intellige; Qui enim morbi à multo & copioso humido dependent, ut sunt destillationes, inflammationes, hydrops, caebexia, &c. hi minus ab aere sicco, plus ab humido detrimenti accipiunt, & contra qui morbi in sicco consistunt, ut febris hectica, marasmus, ab aere sicco intenduntur, unde etiam phthisicis ob ulcus sordidum pulmonum, aër siccus convenit, vehementer autem nocet ob calorem hecticum; Qui cæterùm morbi ex singulis annorum constitutionibus sequantur, vide Hipp. l.3. aphor. quamvis doceat in genere siccitates esse salubriores lib. de loc in homine. probl. de aere legi possunt apud Arist. & alios, tum maximè apud Thom. Grossium Medicum lib. de rebus non naturalibus. Colligitur autem in genere illum aerem convenire, qui temperamentum & complexionem naturalem hominis, in quo est sanitas, conservat, aut præternaturalem emendat.

DIFFICULTAS XX.

Quæ sit efficacia in cibo & potu.

INeptiunt quidam pueriliter, cibum non esse corporis alimentum, sed retundere taotùm & impedire calorem, ne agat in humidum radicale; Sed bis missis quæritur de cibo, quam efficaciam habeat in animalibus, quia hunc omnia sibi convenientem volunt, appetunt & in sui substantiam convertunt, de potu verò, an aqua propriè potus sit, quæ melior, quibus conveniat, an melior cruda vel cocta, an vinum omnibus hominibus conveniat, &c.

DICO 1. Licet cibus sit primum & potissimum medium excepto aere, quo vita animalis conservetur, est tamen etiam una ex crebrioribus causis morborum. Dixi excepto aere, quia non eget homo semper cibo sicut aere, quem etiam dum nascitur, ad vitæ conservationem necessariò trahit, licet eò tempore nullo reficiatur cibo. Probatur primum 1. quamprimum nascitur animal, appetit cibum convenientem, eòque negato perit, ergò post aerem est primum medium maximèque vitæ humanæ conservandæ necessarium. 2. calor continuò depascit humidum, eoque absumpto perit animal, nisi ab alimentis reparetur, ergò cibus conservat calorem & vitam. 3. ex cibo gignuntur humores conficiturque sangvis & spiritus vitalis. 4. Crescit animal & augetur, nutriturque dum vixit, quod absque cibo fieri non potest. 5. Videmus in ijs qui multo tempore famem patiuntur, quam rugosa cute, quam deformi vultu quam nigra facie, quamque consumpta carne vix ossibus hæreant, nulla alia ex causa quam quod ijs subtrahatur cibus & alimentum, ergò ad restaorationem hoc maximè opus habent. Prob. secundum primò, potissimæ causę morborum sunt ab erroribus in victu commissis, ergò à cibo. Antec. patet experientia & consensu omnium Medicorum, qui prætetquam quod potiores morbos erroribus in victu commissis adscribant, nihil etiam magis inter curandum attendunt quàm bonam victus rationem, de qua videri potest Hipp. tota sect. 1. aph. 2. quicunque morbi asscribuntur

tur

tur causis internis ut vitio sangvinis, humorum &c. ij cibo quoque asscribi possunt, ergò ejus copiosior ingestio intempestiva sumptio, & vitiosæ qualitates crebros morbos parit. Cibus itaque in universum si temperatus sit, si hominis complexioni proportionatus, si boni succi facilisque concoctionis, si debito tempore & in quantitate convenienti sumatur, vitam & sanitatem conservat, contrà verò si contrario modo se habeat.

Potus quis. DICO 2. Non tantum aqua naturalis, sed etiam vinum, cerevisia, mulsum, aliæque res liquidæ rationem potus habent; Est Hipp. l. de alimento, ubi in fine ait, illud esse propriè potum, quod alimentum per corpus vehit & sitim sedat: Et hujusmodi sunt aqua naturalis, artificialis, succi herbarum, qui non sunt medicinæ, vinum, cerevisia, aqua mulsa, &c. Hic tamen adverte, quamvis hæc omnia sint potabilia, nō tamen excludere omnē vim alimentalem, quia habent multas partes terreas & aereas, ideòque non tam spectant ad potum quā ad alimentum, ut patet in vino, mulso, cerevisia, quæ hominem sæpè multis diebus absque ullo vel exiguo saltem cum cibo conservant.

Quæ aqua optima. DICO 3. Illa aqua censetur optima quæ pura est, tenuis, levis, proximèque ad naturam elementi accedit, unde etiam tam sanis quam ægris absque ulla decoctione convenit. Ratio prioris est, quia hujusmodi aqua extinguit sitim, non trāsit in flat⁹, nec subsistit in hypochondrijs diu, ut docet Gal. 9. meth. c. 5. Et de hac aqua agit etiam Hipp. 4. Epid. in 6. ubi ait, aquas procellosas esse malas quia crassæ & impuræ, pluviosas autem cum tonitru cadentes bonas, eò quod propter copiosas admixtas exhalationes sint factæ tenuiores. Secundum prob. ex Hipp. l. de victus ratione in morbis acutis, tum alijs in locis, in quibus cum Gal. lib. 9. m. m. in febribus biliosis & synochis, ubi nulla adest viscerum inflammatio, copiosè aquam frigidam esse dandam concedit, habita tamen interim ratione & consideratione ætatis, consuetudinis, naturæ, regionis & temporis. De tertio res manifesta est, quia hujusmodi aquę ex se bonę sunt, nec alienis qualitatibus inquinatæ; Aliquando tamē non tā ratione sui, quam alicujus scopi, quem in homine intendim⁹, decoquendæ sunt, ut videl. partes impuriores consūantur & attenuentur; Deinde ut alienis virtutibus roborentur, v. gr. Hordei, quod abstergit, cinamomo, zingibere, galanga, quæ ventriculum confortant; Eupatorio, Capillis veneris, radice graminis, quæ obstruunt, fœniculo, aniso, quæ discutiunt, &c.

DICO 4. Vinum convenit homini in specie, sed non omnibus ejus individuis: Primum docet experientia, & ratio est, quia habet substantiam quæ facilè digeritur, & qualitates humanæ complexioni cognatas, patet etiam ex diversis qui de vino ejusque natura fusè scripserunt; Alterum testantur morbosi & quibus peculiaris est cum vino dissensus vel antipathia; Ao autem in febribus & in quibus, tum quo tempore exhiberi possit, vide Thom. Gross. lib. de 6. rebus non naturalibus q. 8. & alios.

DIFFICVLTAS XXI.

Quid motus & quies præstet in homine.

SOlent hic Medici cum Gal. 2. de san. tuenda c. 2. motum dividere in motum simpliciter quatenus opponitur quieti, in exercitationem quam dicunt esse motum ad sudorem & respirationis frequentiam, & deniquè in laborem, quem lassitudo terminat. Similiter quies, quæ apud physicos est carentia motus, dicit aliquando motum exiguum, qui animali ejusque sanitati competit. Jam si quæratur imprimis de motu quid mali vel boni præstet in humano corpore; Deinde de quiete, quomodo hæc conducat homini, & an ad concoctionem magis conferat quam motus, Resp. &

DICO 1. Motus, cum dicit exercitium moderatum, est ad sanitatem conservandam, contrà verò cum vehemens & validum, est ad alterationem & corruptionem, quia producit parvos & vitiosos effectus. Prob. primum: Nam ideò dedit natura homini potentiam motivam, corpusque varijs membris & organis ad motum accommodatis instruxit, ut sese de loco in locum moveat, malumque vel fugiat vel bonum quærat; Et accedit, quod motus, si connaturalis sit, calorem excitet, concoctiones juvet, spiritus vitales recreet, omnis generis humores & excrementa discutiat, omnesque corporis actiones foveat & laudabiliter administret, id quod experientia in ejusmodi animalibus docet, quæ laboribus motuque continuo occupata fortiora sunt, alacriora, vitamque ducunt sanam & diuturnam. Prob. secundum: Nam præterquam quod spiritus & substantiam solidarum partium exhauriat & dissipet, corpusque universum consequenter refrigeret, etiam impedit concoctionem, & vasa venasque rumpit aut sanguine & spiritibus sive rarefactis sive succensis copiosos vapores capiti summittit & in eo novos dolores excitat febresque putridas incendit. Deinde si corpus vitiosis humoribus repletum sit, hi motu nimio agitati & rarefacti caput replent, & vel ad partes nobiles vel ad alias quascunque delati apostemata, inflāmationes, tumores, ulcera, febres, &c. producunt: Et hinc suadendum est, ut corpora cibis repleta non exerceantur, ne humores crudi in viscera aut habitum corporis deferantur.

DICO 2. Quies pro otio & ignavia sumpta non conducit homini. Ratio est, quia replet caput varijs excrementis, auget pituitam obtundit calorem nativum, impedit coctionē & distributionem alimenti redditque corpus ignavum & invalidum.

DICO 3. Ad concoctionem ciborum magis conducit quies quam motus, & consequenter quies debito moto sumpta utilis est. Ita Hipp. 6. Epid. s. 2. & Gal. 3. acut. Comm. 103. & 1. aphor. Comm. 17. Prob. nunquam melior est con-

concoctio quam dum calor ventriculi collectus est; sed per motum dissipatur, per quietem verò colligitur, ergo per hanc magis viget concoctio, ergò ad concoctionem magis conducit quies quam motus. Minor probatur, quia motu partes rarescunt calorque toto corpore ad exteriora diffunditur, quiete vero omnia subsident, & calor vitalis in visceribus collectus efficacius operatur.

Dicitur tamen quies debito modo sumpta, non in quantum est omni modo carentia motus, sed prout dicit moderatum corporis exercitium parvumque levem commotionem, per quam calor & spiritus per viscera diffunduntur fiuntque vivaciores.

DICES 1. Qui multum student, quiescunt; sed in ijs calor non benè digerit, ergò neque in his. Resp. etiam eos qui student, moveri, si non corpore, saltem animo & spiritibus, quorum consumptione minuitur calor & concoctio.

DICES 2. Si quies potior est quam motus, sequitur noctu fieri meliorem concoctionem, quod tamen falsum esse experientia testatur in multis cruditatibus per noctem collectis, quæ aliâs per diem facilè dissipantur; Deinde communiter suadetur à Medicis, ut prandium sit lautius, cœna parcior, videlicet propter futuram concoctionem, cum tamen à prandio ad cœnã vix septem sint horæ, ab hac verò ad prandium sequentis diei is & plures. Ante responsionem *Adverte*, multa fieri nobis dormientib⁹ quę non fiunt dum vigilamus; Quando enim vigilamus spiritus diffusi sunt per totum corpus & sensuum organa, pori aperti, vigentque omnes actiones; somno verò calor retrahitur ad stomachum, & spiritus non occupantur circà actiones sensitivas aut intellectivas; sunt etiam pori corporis strictiores, &c. Jam Resp. noctu fieri meliorem concoctionem cæteris paribus & per se, pejorem per accidens; ratio est quia cum noctu exteriora corporis quiescunt porique clausi sint, nulla fit exhalationum aut vaporum evacuatio, sed vel ad caput delati subsistunt, vel ad musculos acti condensantur, vel quod caput rei est, in ipso stomacho remanent excrementa, chyloq; commixta omnem coctionem depravant; interdiu verò cum fit ciborum digestio, omnes superfluitates & excrementa per eandẽ vim concoctricem seperantur & per quosvis corporis meatus excernuntur vel etiam insensibiliter expirant, atque ita dum chylus ab hujusmodi impuritatibus secernitur, calor naturalis seu vitalis perfecti⁹ coquit & digerit: fieret itaq; noctu perfectior ciborum digestio, nisi ab excrementorum commistione impediretur, quod interdiu propter earundem separationem & ejectionem non accidit: Et confirmant hoc ebrij, qui vigilantes facilè crapulam, dormientes autem difficulter deponunt, quia vapores vinosi motu & exercitio dissipantur, quiete verò & somno intrà sensuum organa, & maximè in ipso cerebro condensantur.

DIFFICULTAS XXII.

Quid somnus & vigilia conferant.

HIpp. 2. aphor. 3. scribit malum esse si somnus & vigilia modum excedant, ex quo sequitur, conducere si moderetur. Est autẽ ex Arist. l. 5. de ortu animal. c. 1. vigilia prior somno, tũ quia est veluti habitus cujus privatio est somnus, tum quia per somnũ est animal, sensus enim est vigilia & operatio quam sequitur somnus ut fiat restauratio spirituũ & viriũ; Deinde quævis res incipit à perfecta & naturali conditione: Est autem vigilia nihil aliud quam functio & usus sensuum. Ut itaq; constet quid utrumque in homine vel boni vel mali præstet; *Somnus est privatio vigiliæ.*

DICO 1. Somnus naturalis, qui propter diversas conditiones & circumstantias individuales non cuivis animali aut æquè brevis aut longus, semper bonus est, si fiat debito tempore neque modum excedat; malus vero si contrà se habeat. Dico debito tempore, quia non convenit cuivis ætati aut etiã cuivis individuo quodlibet sibi tempus pro somno capere, v.gr. immediatè post assumptum prandium vel cœnam ut infra dicetur: Est autem somnus moderatus ideò bonus, quia dissipatos spiritus recolligit & reficit, vires prostratas recreat, coctionem complet & juvat, calorem in visceribus conservat, adeòq; omnes dispositiones vitales confirmat; Nam ubi sopiuntur sensus, calor & spiritus, qui prius varijs actionibus invigilabant, idcòque distrahebantur, ad ventriculum & reliquas concoctionum officinas concurrunt, & quicquid effectuum in se continent, id ad bonum publicum conferunt: Quod autem somnus immoderatus nocivus sit, ratio est, quia naturales evacuationes, cujuscunque eæ sint generis, detinet, crudos & pituitosos humores colligit, calorem corporis obtundit, spiritus præsertim animales ob copiosam pituitã in cerebro collectam reddit languidos & torpidos totumq; corpus ignavum, pallidum, lividum, si non omnibus, saltem ijs quibus somnus non est naturalis. Quantum somnus meridianus noceat pulchrè describit Avic. 3. primi, doct. 2. c. 9. ubi ait, in die dormire malum esse eò quod generet morbos humidos, cathatros, corrumpat calorẽ vitalem, gravet splenem, debilitet nervos, efficiat pigritiam, tollat appetitum, &c. Id tamen non de omnibus intellige.

DICO 2. Vigiliæ moderatæ ad vitam protrahendam maximè conducunt, malæ verò sunt si excesserint. Ratio prioris est, quia faciunt hominem vivacem, confortant viscera, distribuunt calorem & spiritus in omnes partes, consumunt superflua, impediunt collectionem excremẽtorũ, &c. Ratio posterioris est, quia inprimis vigiliæ si excedant, spiritus dissolvunt, vires corporis consumunt, coctionem impedi- *Somnus quid conferat.*

unt

unt gignuntq; copiosas cruditates; Deinde corpus & potissimum cerebum exiceant, quia absumunt humidum, bilemque multam generant & acuunt. Ad hæc per se sunt causæ morborum calidorum, ut febrium acutarum per humorum succensionem, per accidens verò frigidorum, quia calorem nativum debilitant, dissipant, humidumque radicale absumunt. Vide quæ l. 1. disp. 21. de seni. intern. dicta fuerunt.

DIFFICULTAS XXIII.

Quantum possint excreta & retenta.

UT intelligas quid monstri sit excretum & retentum, Advette, ex ingesto alimento, quo corpus nutriri & restaurari solet, semper post digestionem tam in ventriculo quam in Epate venisque remanere humores inutiles & excrementitios, quos natura per varios corporis ductus & meatus propellit, reliquum verò quod utile est & alimentale, refundi ab Epate in venas habitumque corporis, ut longa decoctione tandem deperditam corporis, omnium membrorum & viscerum substantiam resarciat. Ex his utrisque difficultas est, si videlicet justè retineantur quæ retineri debent, & excernantur quæ excerni debent, quod bonum aut quem fructum adferant corpori; Et rursum è contrario, si retineantur quæ excerni & excernantur quæ retineri debent, in quod periculum vel incommodum præcipitent hominem.

DICO 1. Quando retinentur in corpore quæ sunt utilia, & excernuntur superflua sive excrementitia, benè accidit animali; Ratio est, quia excretio noxiorum & retentio utilium sunt actiones naturales & laudabiles corporis vel hominis sani & benè sese habentis: Per utilia intellige non tantum humores laudabiles & alimentales, sed etiam multa superflua, quæ licet ad corpus nutriendum ordinata non sint, aliquem tamen præstent usum corpori competétem, cujusmodi sunt semen quod ad conservandam speciem reservatur; lac infanti nutriendo datum; serum sangvini per corpus devehendo concessum; bilis excrementitia pro irritanda facultate expultrice intestinorum servata; phlegma pro temperando calore bilis, vel tempore inediæ pro sangvinis generatione aliisve usibus distinatum; melancholia pro appetitu in stomacho excitando collecta, &c. Per superflua intellige omnes humores corruptos, qui nullius sunt usus intrà corporis habitum, ut urina, arena, calculus fæces intestinorum, pus, bilis vitellina cæterique humores variè corrupti. Sicut autem ex horum profusione & eorum retentione colligimus materiam benè & laudabiliter operari, ita experimur ex utrisque effectibus benè fieri corpori ejusque sanitatem conservari, si tamē & cætera adsint, quæ corpus in statu suo naturali tuentur; Nam possunt etiam in corpore morboso utilia retineri & noxia excerni, quia videlicet aliæ causæ p. n. accidunt corpori independentes ab excernendis & retinendis.

DICO 2. Malum est, si humores & succi utiles intempestivè & immoderatè evacuentur, aut si excrementa, quæ nullius sunt usus & commodi, retineantur. Ratio prioris, quod etiam ex dictis habetur, est, quia vires debilitantur & detracto alimento corpus consumitur, ut fieri videmus in nimiis excretionibus sangvinis, chyli, &c. quæ fiunt in hæmorhagiis narium, diarrhæis, sudoribus, ubi præter modum & ordinem naturæ excernuntur quæ ad nutriendum corpus ordinata fuerant. Ratio posterioris eadem est proportionaliter, quia sive hujusmodi superflua in suis cavitatibus & meatibus conclusa hæreant, sive in alienas partes decumbant, malum est, quia corruptione deteriores semper qualitates induunt faciuntque dolores, tumores, putrefactiones, inflammationes, obstructiones, febres, &c. sic calculus in vreteribus & vesica existens gignit dolorem & impedit urinæ excretionem, quæ suppressa regurgitat in genus venosum, suffocatoque calore producit morbos frigidos; sic reclusis meatibus inferioribus, retentisque non tantum urinâ, sed etiam flatibus aliisque crassioribus recrementis, non tam præcordia quam hypochondria medijque ventris viscera distenduntur mirisque doloribus excruciantur. *Adverte* loco excretorum & retentorum multos inanitionem & expletionem intelligere, & fortè non malè, quia licet ex natura sua differant, ut patet ex eorum terminis, illa tamen per hæc, & vicissim hæc per illa satis commodè explicantur ut patet, in repletione præternaturali quæ eadem est cum retentione vel cum retentis præternaturalibus, & similiter in inanitione quæ eadem est excretione vel excretis convenit.

DIFFICULTAS XXIV.

Quid præstent passiones animi.

PAssio animi est effectus sive actio notissima & in humano corpore creberrima, & quidem actio minus placida animæ, quia nihil æquè hominem movet, perturbat & affligit, unde etiam passio, perturbatio sive affectus animi dicitur, quia quoties corpus immutat, toties etiam producit in eo sensibiles qualitates; Quamvis autem variè accipiatur, ut alibi patet; hic tamen accipitur tantum physicè pro commotione appetitus sensitivi, quæ quia semper est cum immutatione corporis, vocatur passio ejusdem sive perturbatio: Et hinc operæ pretium videtur, ut hæc passio quæ planè physicæ & medicæ est considerationis, multamque ad hominis tam alterationem quam corruptionem facit, paulò altius repetatur, nimirum quid propriè sit, à qua causa, quotuplex, &c. Nam alterius considerationis est passio, quæ tertiam speciem qualitatis constituit, quæ quo-

ejusdem est naturæ cum patibili qualitate, & rursum alterius de qua imposterum agetur. Omissa autem opinione Stoicorum de essentia passionis, quam dixerunt commotionem contra animi naturam, perturbationem rectæ rationi adversam, vehementem animi motum, ut proinde in animam sapientis cadere non possit.

Passio quid. DICO 1. Passio est actio appetitus sensitivi circà bonum vel malum, sensu & imaginatione perceptum cum deformi corporis mutatione. Dicitur imprimis actio loco generis, reliquæ particulæ sunt loco differentiæ, quod videlicet differat à reliquis actionibus naturalibus. Dicitur secundò appetitus sensitivi, ut excludatur appetitus rationalis, in quo propriè non reperiuntur passiones seu perturbationes. Hinc amor, gaudium, &c. non vocantur passiones Angelorum vel hominum, sed tantum quatenus excitantur in parte sensitiva, & motum seu perturbationem in corpore efficiunt. Dicitur tertiò circa bonum vel malum sensu & imaginatione perceptum, ut excludatur bonum vel malum, quod ratione & cognitione percipitur, vel ut declaretur, quod sicut intellectus voluntatem ad bonum persequendum & malum aversandum regit, ita etiam imaginatio dirigere debeat appetitum sensitivum, ut bonum sensibile prosequatur & malum fugiat, & sic passiones suas in se excitet. Dicitur quartò cum aliqua corporis immutatione, quia quoties excitantur tales passiones, cor semper contrahitur vel dilatatur & æstuat, primum quidem in tristitia, secundum verò in gaudio, & tertium in ira. Hinc

DICO 2. Multæ passiones sunt ad producendum morbum vel dispositiones morbosas, multæ autem ad conservandam vel reducendam sanitatem, si tamen modum non excedant. Ratio, quia nonnullæ ex passionibus sunt quibus nihil aliud producitur quam quod est conforme naturali temperamento vel complexioni, & contrà multæ sunt quibus effectus contrarius gignitur, ergo quædam sunt ad conservandam, quædam ad reducendam sanitatem, & quædam ad producendum morbum. Antec. prob. in gaudio, amore, spe, desiderio, &c. in quibus cor dilatatur & spiritus vitales copiosius gignuntur quibus via in universum corpus expanditur & aperitur; Contrarium verò docet experientia in tristitia, invidia, timore, odio, &c. in quibus incenso vel constricto corde iminuuntur & vel aluntur spiritus, calidum & humidum nativum consumitur, viscera exiccantur, vires debilitantur, &c. Dixi si modum non excedant, quia passiones quædam cum Imaginatione circà bonum, ut est gaudium, periculosæ sunt si excedant, quia subitò resolvunt spiritus & calorem vitalem cordis adeoq; animam exolvunt ut sæpius factum fuisse historiæ testantur; Et hoc idem de intenso amore intellige, qui licet hominem non præcipitet subitò in vitæ periculum, ita tamen eum à seipso alienat & abstrahit, ut cogitationibus extrà proprium animæ subjectum directis sensum adimat, appetitum naturalem tollat, subtractoque corpori alimento illud totum consumat & emaciet.

Colligitur, passionem sive perturbationem spectare ad animam sensitivam ejusque potentiam non sentientem sed appetentem, quia tunc solum perturbamur cum aliquid appetimus aut respuimus. *Passio ad quam potentiam spectat*

DIFFICULTAS XXV.

Quot sint passiones.

Hic non tantum quæritur de numero, sed etiam de principatu, de prioritate, de bonitate denique & malitia. Hinc

NOTA, appetitum sensitivum esse duplicem, unum concupiscibilem, alterum irascibilem; ille fertur in bonum absolutè sumptum, ut cum filius à patre donum gratum & jucundum appetit; hic verò in bonum arduum & acquisitu difficile, ut cum fera ab altera, cum qua ob parem fortitudinem & ferocitatem pugnandum est, prædam appetit. His suppositis

DICO 1. Communiter dividuntur passiones juxta duplicem appetitum, ut aliæ dicantur esse appetitus concupiscibilis, aliæ irascibilis; priores numerantur 6. ut amor, odium, desiderium, fuga, gaudium, tristitia; posteriores autem quinque, ut spes, desperatio, timor, audacia & ira; Et ex his quæ numero 11. sunt, aliæ circa bonum prosequendum, aliæ circa malum aversandum occupantur, ut fusè habetur apud Ethicos & Philosophos morales, breviter autem patebit in sequentibus. *Passiones quot.*

DICO 2. Si passiones spectentur, quod sint animi motus, qui fiant cum aliqua corporis commotione, sive sint virtutis appetentis sive apprehendentis, multæ sunt, ut amor, odium, cupiditas, invidia, æmulatio, amicitia, mœror, ira, timor, & candescentia, indignatio, commiseratio, mansuetudo, verecundia, confidentia, &c. si autem considerentur quod sint à solo corde cum ejusdem commotione, tunc paucissimæ sunt, ut desiderium, gaudium, timor, tristitia, ad quas reliquæ omnes revocantur; Nam hæ verum habent cordis motum, quia ibi propriè est virtus appetens, ut multi docent, tum universum objectum perturbationum & appetitus, bonum & malum, præsens etiam & absens, amplectuntur illud gaudium & tristitia, hoc desiderium & timor, quæ dum bona sunt, dilatatione, si mala contractione faciunt: Quod autem omnes sint species distinctæ, ostendit diversus modus operandi, tum objectum distinctum formale præsens & absens.

DICO 3. Illæ perturbationes sunt naturâ primæ quæ circà bonum versantur, quia bonũ naturâ prius est quam malum, tum quia illud habitus est, & hoc privatio, tum quia malum sine bono non est, bonum verò sine malo esse potest; speciatim tamen amor & odium principia sunt illarum quatuor, quæ propriè primæ

N dicuntur,

dicuntur, inter quas prima est desiderium seu concupiscentia boni, unde concupiscens appetitus vocatur timor mali; Deinde sequitur gaudium seu voluptas boni adepti, tristitia verò præsentis mali; Et hinc

DICO 4. Falsum est & contra ratione, quod omnes sint malæ, ut quondam docebant Stoici. Nam quatenus sunt entia quædam, manifestum est, eas bonas esse bonitate transcendente quæ ubique comitatur, quatenus autem prædita sunt bonitate morali, nec bonæ sunt nec malæ; ut aptæ sunt obedire rationi, fiunt bonæ si obediant, malæ si non obediant & sint causa peccati, de quo vide Philosophos morales; Nam eam omninò vim habent in actionibus humanis, ut si præveniant rationem, magnoperè minuant, si subsequantur, augeant actionis bonitatem aut malitiam; hinc si perturbatio à ratione in bono imperetur, augetur bonitas, quod actus intensior, & cum majori animi applicatione fiat; si non imperetur sed sponte accedat, perfectionem indicat actus & bonitatem; Et idem judicium esto de malitia mali actus; Unde

Appetitum semper præsupponit cognitionem. Colligitur, appetitum semper præsupponere cognitionem, quâ etiam amplectendi bonum & fugiendi malum moveatur, adeoque sæpè ex imaginatione pendere, ut per hanc re vel bonâ valdè vel malâ propositâ plurimùm commoveatur, tametsi nulla condigna ejusmodi commotionis causa subsit.

DIFFICULTAS XXVI.

Quæ sint causæ passionum animi.

Causæ passionum. DICO 1. Passionum seu perturbationum causa principalis & totalis est animal sive compositum, partialis anima & quidem sensitiva, instrumentalis appetitus sensitivus, & conditionalis apprehensio ipsius objecti. De primo nullum est dubium sicut nec de secundo, quia omnium eorum quæ fiunt in corpore, causa principalis totalis est homo & partialis anima: Quod autem sit anima sensitiva, probatur, quia non est vegetativa, cum arbores & plantæ non lætentur propriè nec irascantur; nec rationalis ut sic, quia huius potentiæ & actus sunt immateriales, nec quicquam habent commune cum rebus materialibus, quomodo sensitivæ, quia reverà bestiæ tristantur, lætantur, irascuntur, adeoque has actiones habent communes cum hominibus; Cætera per se clara sunt, quia appetitus sensitivus non est nisi animæ sentientis, & objectum prius apprehendi debet sive ut bonum sive ut malum; perturbatio autem inordinata & rationi rebellis plures habet causas, scil. naturalem corporis defectum & pravam illius temperationem, unde fit ut homine a natura sua ad hoc vel illud vitium inclinent; præterea ignorantiam vel imperitiam ut nesciat quid sit bonum quidve malum; pravam item educationem & consuetudinem, qui enim à puero assueverunt vel indulserunt nimium nonnullis perturbationibus, hisce facilè deinceps per totam vitam affliguntur.

DICO 2. Causa materialis remota perturbationum est subjectum animæ sensitivæ, proxima verò illud membrum, in quo residet vis appetendi, sive illud sit cerebrum sive cor ut potioribus placet, & ipse Arist. l. 1. & 3. c. 4. de part. anim. id confirmat, ideò quod in omnibus perturbationibus advertamus statim cor alterari.

Definitio passionis. DICO 3. Formalis causa explicatur per definitionem ipsius passionis, quæ est animi motus per appetitum sentientem in malum vel bonum imaginatione apprehensum ob animalis conservationem. Hic nota, in passionibus cor aut dilatari aut constringi; primum contingit in metu & tristitia, & est animali minus salutaris, secundum autem fit in gaudio, & quidem cum motione naturæ animalis magis accommodata, nisi tamen gaudium excedat; Deinde qui sunt delicatioris constitutionis, facilius sæpius ac vehementius perturbantur, cujus rei causa est, quia perfectioris sunt complexionis, unde etiam apprehensio perfectior, appetitus vehementior & totius corporis commotio major.

Causa finalis. DICO 4. Causa finalis est conservatio animalis, prout tamen perturbationes sunt quædam commotiones naturales. Nam propterea dedit eas natura animalibus, ut quærendo bonum & avertendo malum vitam suam & incolumitatem tuerentur; Et ut sensum dedit, quo utilia dijudicarent & noxia, ita & appetitum adjunxit, quo bonum prosequerentur & malum fugerent; sed perturbatio quæ est rebellis rationi & contraria, vehementius scil: incitata, nullum sanè à natura propositum finem habet; Natura enim semper bonum quærit, & perturbatio immoderata malum ubique adducit & damnum non tantum naturæ, dum judicium rationis pervertit & impedit, ne verum à falso discernat, sed etiam corporis, dum plurimos sæpè ac gravissimos morbos, vel etiam interdum mortem adfert, quod absque corporis motu & passione fieri non potest, quia amor sanguinem accendit ac spiritus, & qui amant, *Effectus amoris et tristitiæ.* calescunt & ardent, unde semper amatores sunt calidiores; tristitia verò spiritum incrassat & sanguinem, & qui sanguinem spiritusque crassos habent, tristitiæ obnoxii sunt, sicut qui tenues & puros, lætitiæ. In timore & spiritus & sanguis relictis exterioribus ad cor confugiunt, unde tremor partium exteriorum; contra in gaudio, spe, desiderio & voluptate à corde ad partes omnes diffunduntur, unde etiam facilius ex his causis quam ex prioribus moriuntur homines consumpto scilicet & effuso spiritu extra cor, quod in senibus valdè periculosum est, quibus aliàs deficiunt spiritus, sicut autem omnes hæ perturbationes ideò quod sanguini & spiritibus convenientem adimant dispositionem, statum & situm, causæ possunt esse morbi vel etiam mortis; Ita etiam possunt subinde ex accidente bonum elicere effectum,

effectum, in anima quidem, si ut par est cohibeantur, unde etiam materia virtutum esse possunt, in corpore verò si sanguis v.g. frigidior nonnihil ex amore incalescat, aut ex ira aliave perturbatione ad meliorem temperationem pertrahatur. Et hinc collig. tunc cor dilatari, quando passiones circà bonum prosequendum occupatæ oriuntur, tunc verò contrahi, quando circa fugam mali.

Quando cor dilatetur & quando contrahatur.

DIFFICULTAS XXVII.

Quid sit amor & quomodo alteret corpus.

MIssis omnibus iis quæ de amore veteres Philosophi & Poetæ scripserunt, hic quæri solet 1. quid sit amor, 2. quodnam ipsius objectum. 3. quot sint species amoris & quomodo differant, 4. cur non omnibus eadem pulchra placeant & amentur, 5. qui sint aptissimi ad amandum, quæ sint signa & effecta amoris, 7. quæ causæ.

Adverte, amorem semel latè accipi pro quacunque inclinatione naturali in bonum, sive hæc sit ex sola natura ut lapidis descensus, sive ex imaginatione, ut in brutis, sive cognitione: ut in homine; semel strictè pro amore solo sensitivo qui residet in appetitu & hic proprius est. Hunc duplicem statuunt Theologi, unum amicitiæ, alterũ concupiscentiæ; prior est quo rem propter se & suam perfectionem amamus; posterior quo rem non simpliciter propter se & suam perfectionem, sed propter nos ipsos amamus, ut equum ad iter faciendum; Et huic duplici amori respondet quoque duplex odiũ, primum inimicitiæ, quo aliquid odio prosequimur ex sola sui displicentia; secundũ abominationis, quo aliquid odio prosequimur, quia nobis inimicum judicamus, ut pastor lupum. Jam

Amor residet in appetitu sensit.

Amor quid.

DICO 1. Amor est passio appetitus sensitivi, qua in bonum tanquam sibi conveniens per imaginationem propositum fertur, ita docent communiter Philosophi morales. Dicitur primo passio appetitus sensitivi, ad differentiam alterius amoris, qui est in Deo, in Angelis & aliquando in anima rationali cum non eget phantasmatis. Dicitur secundò quod in bonum tanquam sibi conveniens per imaginationem feratur, quia cum rem ex se & tota sua natura malam amamus, v.g. puer pulverem tormentarium, homo sanus rem aliquam sanitati noxiam, æger medicinam ingratam, &c. in hanc ut bonam & nobis convenientem ferimur, eamque imaginatione acceptabilem apprehendimus. Arist. 8. & 9. ad Nicom. & in 2. magn. moral. c. 12. affirmat, amicitiam esse virtutem remque ad vitam maximẽ necessariam; quicunque verò amor vel amicitia est propter jucunditatem & utilitatem, imperfectus est, inconstans, non durabilis & cum expostulationibus & querimoniis; contrà verò alter qui est propter virtutem & honestum, perfectus, constans, &c. Unde etiam qui se mutuò amant, absolutè amici sunt, ex accidente verò qui id faciunt propter voluptatem & utilitatem, licet in utraque requiratur redamatio & amor mutuus; Et hinc etiam colligitur, Deum non ideo esse amandum ut nobis temporalia concedat in hac vita & in futuro æterna, sed quia in se absolutè propter suam bonitatem infinitam est amore & honore dignus; Unde etiam

DICO 2. Ratio boni adæquatum objectum amoris est, sicut è contrà odii ratio mali, prob. ex Arist. c. 51. Ethicorum, ubi ait appetitum omnem esse boni; & in 8. morial. c. 2 non quodlibet amari sed quod est amabile, id est, honestum, utile, & jucundum.

Objectum amoris.

DICO 3. Multæ sunt species amoris, ut amicitia, dilectio, caritas, cultus, benevolentia; quamvis alii tres tantum species, ut amorem, amicitiam & dilectionem faciant. Differt autem amor ab amicitia, quod ille multò latius pateat affectumque significet, hæc habitum; Deinde amor universè acceptus pertinet ad appetitum sensitivum, estque perturbatio quædam seu principium perturbationum; amicitia autem virtus est moralis, & spectat ad voluntatem & electionem; Amor etiam non est in solo homine, sed in brutis quoq;, quæ licet non formaliter ut homines, materialiter tamẽ convenientia cognoscũ; Amicitia autẽ est solius hominis propriè, quia nascitur hæc ob virtutem & honestatem ex electione. Dilectio differt ab amore, quia est soli homini propria & pertinet ad voluntatem, ut proinde verum sit, cum qui diligit remissius, amare ardentius, & si ad amorem, qui est appetitus sensitivi, accedat dilectio, quæ est voluntatis, magnoperè tum augeri. Caritas est magnæ & pretiosæ cujuspiam rei & caræ, v. g. matris erga prolem, hominis erga patriam, parentes, Deum, &c. Cultus est veluti signum amoris, & benevolentia quasi effectus amoris, quo rei amatæ bonum volumus.

Species amoris.

Amicitia est solius hominis.

DICO 4. Non eadem pulchra amantur ab omnibus; Causa est naturalis connexio inter cognitionem & appetitum vel quod eam consequitur, sensuum vigor, maior convenientia vel sympathia, & vehementior operatio circa pulchra. Nam compertum est, ad inducendum amorem habere aspectum vim maiorem quam cæteros sensus, quia est omnium præstantissimus, efficacissimamque & jucundissimam habet operationem; fit etiam ut casu & fortuitò unum potius quam alterum amemus, quia casu hoc & non aliud objectum occurrit; sed hoc fit rarò & non necessariò, quia aliquando eiusmodi objecta sunt turpia, cum è contra pulchrum & bonum cognitum plerumque ametur, ideò, quod in illud appetitus naturaliter semper feratur, nisi potentia cognoscens malè affecta sit, accedit necessariò temperamenti convenientia & similitudo & individualis natura correspondens;

Quare unũ potius quã alterum amemus.

Omnis enim similitudo plurimum valet ad conciliandum amorem, cum per hoc quasi nos ipsos aut aliquid nostri amemus; hoc apparet in omnibus animalibus, in parentibus ergà proles & contrà, in omnibus rebus antipathicis & sympathicis.

Qui ad amandum sint aptissimi. DICO 5. Ad amandum aptissimi sunt primo sanguinei; ratio est, quia sunt calidi, affabiles, hilares, jucundi, faceti & ad convivandum comparati, quæ omnia amorem conciliant & fovent. Cholerici licet calidi sint, nimis tamen sunt austeri, inaffabiles, impatientes, intractabiles. Melancholici & pituitosi sunt frigidi, injucundi, angusto animo, nec spe magna viventes; Hi tamen, si amore capiantur, vix unquam amplius liberantur. Deinde juvenes, quia facilè amant & redamant, sunt calidissimi, sperant, sunt creduli & simplices, jucundi, hilares, ambitiosi, honoris cupidi; habent spiritum & sanguinem tenuem, calidum, clarum. Adhæc pulchri & gratiosi, quia bonum & pulchrum sive animi sive corporis est amabile. Ultimò qui doctrina aliisque virtutibus præstant, quia hæc sunt amabilia, & cum facilè amentur ab aliis, etiam ipsi redamant, &c.

Effectus amoris. DICO 6. Effectus amoris sunt in amantibus lumptio seu macies & squalor, melancholia, amentia, furor, delirium, suspirium, neglectus sui & aliorum omnium, inconstantia, mutabilitas, timor, pallor, quorum omnium ratio & causa est sanguinis inflammatio, adustio, exiccatio, consumptio spirituum, cruditas ventriculi & epatis, &c. Nam amantes vel fraudant se cibo, vel quem sumpserunt, propter continuas curas animo versantes, concoquere non possunt. Hinc non malè concludit Sand. l. 3. de anima, com. 157. ex amore omnes perturbationes oriri, ut ira & mansuetudo, timor & fiducia, commiseratio & indignatio, spes & desperatio, voluptas & dolor, verecundia & inverecundia, zelus & zelotypia, &c.

Causa amoris. DICO 7. Causa amoris efficiens & realiter influens ad illum producendum est vel principalis ut anima, vel instrumentalis ut appetitus sensitivus incitatus ex pulchritudine rei sibi propositæ. Causa movens est, quod in re amabili cernitur, tum pulchrum, quod utrumque vocat attrahitque amantem; Accedit cognitio objecti amabilis, quia impossibile est, ut bonitas quæ in objecto amabili residet, moveat appetitum eumque ad amorem excitat, nisi prius cognoscatur juxtà illud, ignoti nulla cupido. Plures aliæ causæ annumerari solent, ut similitudo inter amantes, quia similibus similia gaudent, & homini homo jucundissimus est, intellige per se, quia per accidens figulus figulum odit ob impedimentum in arte.

Odii quid. *De Odio*, quod omnibus seriò fugiendum est, ideo nihil hic dicendum videtur, quia directè apponitur amori, unde etiam ex iis quæ de amore dicta fuère, facilè cognoscatur.

DIFFICULTAS XXVIII.

Quid sit desiderium & fuga.

Si res cognita atque appetitui grata sit absens, tunc oritur desiderium illius obtinendæ sive animæ motus ex complacentia illa profectus qui amor dicitur; Et hoc modo prosequimur bonum illud quod non habemus aut quod minus perfectè obtinemus, ideò dilatatur cor ut omni ex parte bonum illud amplectatur eoque fruatur; similiter diffunditur spiritus & sanguis ut ad prosecutionem addatur virtus omnibus membris & facultatibus; Itaque desiderium alio nomine concupiscentia dicitur, estque actio aliqua appetitus concupiscibilis in bonum absens sed acquisitu facile.

Adverte, desiderium vel accipi latè pro quacunque appetione boni absentis ad quem sensum pertinet concupiscentia animi & corporis, vel strictè & propriè pro illa passione, quo appetitus sensitivus concupiscibilis fertur in bonum absens. Jam

Desiderium & concupiscentia quid. DICO 1. Desiderium vel concupiscentia est passio seu motus appetitus sensitivi circà bonum absens; per bonum absens differt ab amore, qui non tantum in absenti sed etiam in præsenti bono versatur; tum etiam à gaudio, quod tantum de obtento & possesso bono est. Differt autem desiderium à cupiditate vel concupiscentia, quod hæc sit sensus, illud voluntatis; hæc versatur circà jucundum ut finem & utile ut medium illud circà honestum quod ratione cognoscitur.

Desiderii causa. DICO 2. Causa efficiens principalis est anima, instrumentalis appetitus sensitivus, movens bonitas rei ejusque apprehensio: Itaque præter animam tanquam causam principalem duæ sunt præcipuæ causæ desiderii: altera objectum cognitum & bonum, sed absens sive re ipsa sive apprehensione; altera amor & complacentia ipsius; Nam ideò rem desideramus quia bona est, tantoque majus est desiderium, quantò aut majus est bonum aut magis placet & amatur; Et hinc tam diversa sunt hominum & animalium desideria, ut diversi existunt amores, aliaque & alia objecta placent.

Desiderium in quibus. DICO 3. Facilius & ardentius desiderant juvenes, quia facilius & ardentius amant vigentque spiritibus, & quantò calidiores, tantò magis desiderant, sunt magis impatientes, quousque obtinent quod optant: Contra frigidi sunt segnes & tardi, sed pertinaces quia patientes; Audaces facilè & vehementer desiderant, quia sunt calidi & putant omnia se posse consequi.

sequi. Timidi, mulieres, senes & pueri plurima quidem desiderant ob defectum & imperfectionem, sed ob sanguinis & caloris inopiam facilè cadunt animo & desperant; Et primum quidem faciunt, quia sentiunt se plurimis indigere timentque ne omnia sibi desint.

Effectus. DICO 4. Effectus desiderii ferè iidem sunt qui amoris. Ratio, quia in continuis desideriis degentes quasi extra se constituti sunt, nihilq; de victu & potu solliciti toto sese corpore consumunt, varia solicitudine agitantur, vario mœrore, variis suspitiis & lacrymis conflictantur, tandemque de sua valetudine & incolumitate deturbantur. De fuga nihil aliud dici potest, nisi quod sit abominatio mali absentis &

Fuga quid. & opponatur desiderio sicut odium amori: Et cum unum oppositorum facilè cognoscatur ex alio, etiam cognito desiderio facilè intelligetur, quid de fuga dicendum sit, quæ est abominatio sicut illud appetitio boni absentis.

DIFFICULTAS XXIX.

Quid sit gaudium & qui effectus ipsius.

GAudium & tristitia circà præsens versantur objectum, hæc circà malum, illud circà bonum; parum autem interest, sive voluptatem dixeris sive gaudium, hilaritatem, alacritatem, lætitiam, jucunditatem, exultationē, delectationem; quamvis latè sumptum gaudium & voluptas significent omnem lætitiam, quæ de bono obtento percipitur, sive illa fuerit in voluntate sive in appetitu sensitivo, strictè verò quietem animi in præsenti bono, quibus opponatur tristitia quam adfert malum, quomodo

Gaudium ubi resideat. gaudium residet in solo appetitu sensitivo; hilaritas in vultu tanquam affect' interioris gaudii spectari solet; Alacritas significat bonam animi moderationem cujusque affectus; lætitia est dilatatio cordis ad amplum boni: Jucunditas est lætitia aliquo signo particulari testata. Exultatio est cum gustu corporis: delectatio est finitio quædam præsentis & amati boni. Jam

Gaudium quid. DICO 1. Gaudium est passio quædam appetitus sensitivi in bono possesso quiescentis. Ratio, quia gaudere nihil aliud est quam in bono cum satietate quiescere. D. Thom in 1. 2. q. 31. dicit gaudium esse solius hominis proprium, & in voluntate rationem consequi, delectationem autem sensum sequi & esse cum belliis communem. Dand. cit. ait delectationem in voluntate esse non minus quam gaudium, quod ut est voluntatis, non est perturbatio seu passio, cum talis omnis ponatur in appetitu sensitivo, & non in rationali, in quo nulla est commotio.

Voluptas alia corporis, altera animi. DICO 2. Duo sunt voluptatum genera, unum corporis, alterū animi; Quæ sunt animi, meliores sunt ac præstantiores, quia præstat anima corpori & intellectus sensui, qui eum multiplex sit, multiplices etiam habet voluptates: sunt etiam majores, vehementiores ac perfectiores, quia magis delectant, constantius & perfectius, & homo plus gaudii aut voluptatis percipit intelligendo quam sentiendo, quod inde patet, quia nullus ferè est, qui si rationis sit compos, vel à maximis voluptatibus sensibilibus sponte sibi non temperet, ne honoris, qui

Honor est bonum intellectibile. intellectibile bonum est, jacturam faciat. Hinc plerique convertunt se ad sensiles voluptates, inter quas præstant illæ quæ præstantiorum sunt sensuum, quæque ad cognitionem magis conferunt ut aspectus & auditus; sed vehementissimæ sunt illæ; quæ per tactum & gustum

Voluptate quæ sunt vehementissima & quare. hauriuntur, tum, quia immediatam habent conjunctionem cum objecto, tum quia, ad vitæ conservationem & necessitatem spectent, vehementissimè illas applicamus. Quæ autem voluptates sunt bonæ, quæ malæ, quæ licitæ quæque illicitæ, vide Ethicos.

Causa gaudii & voluptatis. DICO 3. Gaudii & voluptatis causæ sunt variæ, inter quas prima est pulchrum & bonum; Delectamur enim iis quæ pulchra sunt & nobis bona videntur; Deinde gaudemus etiam & delectamur varietate rerum & similitudine: Nam communiter gaudet natura hoc utroque, ut habent proverbia, varietas scil: delectat, & simile simili gaudet. Adhæc spes & memoria alicujus boni pariunt in nobis gaudium, quia sive habeamus spem alicujus boni acquirendi, sive recordemur alicujus nobis olim grati & accepti, excitatur in nobis novus lætitiæ motus, quasi bonū illud jam nobis adesset præsens.

Effectus gaudii. DICO 4. Effectus gaudii aliquando boni sunt, si videl. moderati sint, aliquando perniciosi si contra se habeant. Movent enim delectationes ad risum, expellunt curas, anxietates, humores melancholicos, dilatant cor, effunduntque spiritus & sanguinem ad partes exteriores, adeoque plurimum faciunt ad conservationem sanitatis. Quod si tamen excedant, plurima pariunt incommoda & præsertim ea, quæ nimiam effusionem sanguinis & spirituum consequi solent.

DIFFICULTAS XXX.

Quid & quotuplex sit tristitia & qui effectus ipsius.

HÆc est contraria voluptati sive gaudio, quia est præsentis mali sicut illa præsentis boni: Ad eam spectat dolor, mœror & ægritudo: dolor est sensus, maximèque viget in tactu, & est affectio quædam sive læsio ab objecto minus proportionato; mœror est diuturnior & quasi permanens tristitia, ut hæc sit veluti actus, ille ut habitus; ægritudo non tantum est corporis sed etiam animi. Cæterùm tristitia quæ tanquam contrarium gaudii ob peculiares quasdam difficultates non potest omitti sicut fuga & odium, aliquando latè patet, quatenus in voluntate & appetitu sensitivo residet, aliquando strictè, quatenus est in solo appetitu sensitivo, quia malum præsens vel re ipsâ vel secundum

apprehensionem aversatur, quod fit per contractionem spiritus ad cor tanquam ad suum principium. Jam

Tristitia quid. DICO 1. Tristitia est passio appetitus sensitivi de malo præsenti vel in re vel in apprehensione. Dicitur appetitus sensitivi, quia residet tantum in anima sentiente & in potentia appetente. Dicitur vel in re vel in apprehẽsione, quia tristitia oritur, quando malum in præsenti contingere videmus, vel quando apprehendimus illud contingere, ut videre est in melancholicis. *Obiectum eius.* Unde liquet, objectum esse malum præsens cognitum & apprehensum, sive illud sit verum sive apparens, quia sæpè opinio plus obest quam res ipsa, & res parva quam magna.

Causa tristitia. DICO 2. Causæ tristitiæ sunt multæ & variæ. 1. Est dilatio boni quod sperabatur, aut certè non assecutio ejus. 2. Jactura ejus quod possidebatur, & quod animum faciebat hilarem. 3. Malum præsens vel re vel apprehensione tantum. 4. Est amor & desiderium, quod utrumq; si non assequatur animal quod cupit & intendit, doloris & tristitiæ causa existit. 5. Certa & peculiaris complexio corporis melancholica, quâ laborantes facilè incidunt in magnas tristitias.

Species eius. DICO 3. Communiter numerari solent 4. species tristitiæ, ut anxietas, commiseratio, invidia & æmulatio, de quibus Arist. l. 2. Rhetor. c. 8. 10. & 11. Angustia sive anxietas est animæ aggravatio inde profecta, quod non appareat quomodo aliquis præsens malum possit evadere; hæc si immobilem reddat hominem & exteriora membra ptivet operatio, acedia dicitur, maximèque apparet in repentinis motibus. Commiseratio dicitur esse quædam tristitia ex apparente malo alterius, & huic videtur opponi posse indignatio quæ est veluti tristitia propter adversas res indignè illatas, id est, propter mala illata in bonos, & bona in improbos, ut in aulis principum fieri solet. Invidia commiserationi proxima est, cui etiam videtur opponi; Differt tamen in hoc, quod invidia sit tristitia ob evenientia bona alteri, non tamen indigno ut indignatio, sed æquali & simili, idque propterea quod illius bonum apprehendimus tanquam nobis malum, opinantes inde bonum nostrum minui & offendi; proinde invidiæ objectum sunt honores, divitiæ, gloria, &c. quibus obnoxii sunt æquales & similes: Hæc passio propria est ambitiosis, avaris, pusillanimis, gloriosulis, eamque sequitur pallor, livor, aspectus tristis, &c. Æmulatio proxima est invidiæ, quia & ipsa est tristitia quædam propter bona, quæ nobis similibus eveniunt, non tamen propterea quod aliis eveniant, sed quod non item nobis.

DICO 4. Tristitia omnium perturbationum tum corporis tum animi est pessima, quia omnem operationem tollit, dum gaudium tollit & à partibus exterioribus ad interiores calorem revocat, sine quo nulla fieri potest operatio; Ita tristes vix videntur aliquid operari aut certè tardè & imperfectè; Nam privat tristitia corp' sanguine, exiccat viscera, corq; nimiũ gravat, ut oppressus homo vix respiret, unde gemitus, suspiria aliique affectus gravissimi,

DIFFICULTAS XXXI.

Quid sit spes & desperatio.

SPes est passio appetitus irascibilis, pertinet ad desiderium, versaturque circà bonum absens ut habet Arist. l. de memoria & reminiscentia c. 1. & 1. Rhetor. c. 11. unde quod colligitur,

DICO 1 Spes est passio appetitus sensitivi circa bonum absens: hæc definitio est eadem quæ desiderii, quia utraque eodem modo versatur circa bonum absens. Qui enim desiderat aliquam rem, ille sperat eâ potiri, & qui sperat, desiderat eam, multum sperant ebrii & adolescentes ex Arist. in probl. 1. sect. 30. senes autem parum, quia illi calidi sunt promptique ad desiderandum, nec vident difficultates & impedimenta tam ex ignorantia & inexperientia quam ex perturbata ratione, unde etiam stulti omnia tentant & adgrediuntur, contrà autem senes, quia sunt prudentes, & vident an res sperari possit nec ne. *Spes quid.*

DICO 2. Duplex est spes, una scil. appetitus sensitivi, quæ propriè est turbatio; altera voluntatis, quæ quia circa Deum immediatè versatur, à Theologis constituitur una ex illis 3. virtutibus theologicis: Illa enim est homini propria sed communis cum brutis, quia oritur ex amore & desiderio, quæ duo sunt appetitus sensitivi; Et quia bruta non minus tendunt in bonum absens, ut patet de cane qui dum leporem insequitur, hunc se consequi posse sperat. *Spes duplex*

DICO 3. Causa, quæ movet nos ut speremus, est bonum apprehensum & arduum, hoc patet ex dictis sicut & alterum, quia aliqui multum, aliqui parum, alii facilè & omnia, alii difficulter & parum sperant. Cæterùm spes dilatat cor & spiritum caloremque diffundit & voluptatem & delectationem, quam comitem habet cum opinione futuræ voluptatis, si videl. fiat consecutio illius boni quod speratur, & hinc etiam juvat & promovet actiones omnes, egentique & animum & vires addit.

DICO 4. Desperatio opponitur spei & versatur circà idem bonum ratio, quia utriusque idem est objectum, ut patet in eâdem sanitate, quam aliqui ex habito morbo sperant, quia putant se infallibiliter media ad hunc consecuturos; aliqui autem eandem desperãt, quia non vident quomodo possint acquirere media ad sanitatem, ideòque difficultate ejus potiundæ deterriti secumbunt. Quod si tamen quæras an desperatio sit solius boni; ratio dubitandi est, quia hoc ipso quod quis desperet, in malum tendit, ergo etiam erit mali. Resp. desperationem materialiter esse boni, formaliter autem mali; Nam quando aliquis difficultate boni acquirendi desperat illudque non cupit amplius insequi, dicitur desperare circa bonam materiam, id est, materialiter: Dicitur verò esse mali formaliter, quia desperatio formaliter nihil aliud

aliud est nisi fuga & aversio quæ tendit in malum, scil. in non amplectendum, quod est privatio alicuius bonitatis. Et hinc colligitur, desperationem summoperè obesse tum propter cordis contractionem, unde omnia membra desperantibus concidunt, tum propter mœrorem & injucunditatem operationis, quâ quis absque ullo fructu operaturum se putat.

Effectus desperationis.

DIFFICULTAS XXXII.

De audacia & timore.

AUdacia nascitur ex spe, sicut ignavia quæ illi est cōtraria, ex desperatione. Qui enim sperat se posse consequi bonum optatum, audacter illud insequitur, & hinc audaces omnia tentant, quia multa sperant: huic audaciæ opponitur ignavia proles desperationis, quia qui desperat in aliqua re consequenda, ille statim cadit animo, nihilque amplius tentat. Inter hæc utrumq; est media confidentia, quia qui nimis temerè sperat, audax est, qui nihil, ignavus, qui benè & moderatè, in medio confidens versatur, & ea quæ speranda sunt, cum ratione sperat, quæ desperanda, desperat.

Inter audaciam & ignaviam media est confidentia.

DICO 1. Audacia sumitur semel fusè pro omni actione quæ versatur circa bonum arduum consequendum, sive sit appetitus rationalis seu voluntatis, sive irrationalis, id est, sensitivi; semel strictè pro sola actione appetitus sensitivi irascibilis, quia hic fertur in acquisitionem boni futuri, quod prius speravit, & propterea vult illud quoquo modo sepositis etiam omnibus difficultatibus consequi.

DICO 2. Causa prima hujus audaciæ est obedientia caloris in corde; Nam omnes qui sunt cordis calidi calidæque complexionis, sunt audaces, & nulla facilè timent pericula, & videmus quotidiè in biliosis & martialibus. Secunda causa est spes de consecutione illius boni quod appetitur, hinc etiam audaciores sunt illi, qui justa de causa aliquid aggrediuntur, quia in auxilium divinum confidunt. Effectus hujus passionis sunt tremor & frigiditas extremorum ob regressum caloris ad suum principium.

Causa audaciæ.

DICO 3. Timor est passio appetitus sensitivi circa malum imminens & futurum. Arist. 3. moral. c. 6. ait timorem esse expectationem mali, & rursum l. 2 Rhetor. c. 5. dicit esse perturbationem quandam ad tristitiam ex imaginatione futuri mali corrumpentis & dolorem inferentis; Et hinc patet non quævis timeri, sed quæ inducunt magnas corruptiones, quæque proxima sunt adeoque imminent ut vix evitari possint. Cæterùm sumitur hic timor sicut & omnes aliæ perturbationes dupliciter, quatenus videl. spectat ad appetitum rationalem & sensitivum; Nam timor latè pro ea actione sumptus, quâ horremus imminens malum evitatu difficile, pertinet ad utrumque appetitum, strictè verò spectat ad actionem solius appetitus sensitivi, qua quis metuit futurum & imminens malum.

Timor quid.

DICO 4. Maximè timent inexperti, pueri & mulieres, quia tales non inveniunt consilium, & maiora adhuc suspicantur mala quam de facto sint; sed & mulieribus est frigida corporis complexio, quæ timidum facit sicut & calida audacem, quod patet in omnibus animalibus, ut leone, tigride, &c. Nam cum in timore maximè cor laboret, ut testatur palpitatio & pulsus concitatus cordis, undique colliguntur spiritus, sanguis & calor ad ejus defensionem, quia quæque virtus dum periclitatur, contrahit & colligit sese ad sui defensionem; Et hæc collectio in senibus mulieribus & aliis non est facilis, quia frigidi sunt habentque exiguum calorem, spiritum & sanguinem.

Qui maximè timeant.

DICO 5. Effectus timentium imprimis frigus est, pallor & tremor ob calorem ad interiora recurrentem; Deinde magna sitis, ut patet in afficiendis supplicio, quia calor in interioribus collectus inflammat, exiccat & absumit roridam substantiam. 3. Profusio alvi & urinæ, quia calor ad ima descendens diffundit, liquefacit, dilatat, attenuat & omnes vias aperit non secus ac herbæ calidæ aliæque medicinæ. 4. Pavor, animi repentina perculsio, consternatio & aliquando mors, quia calor & sanguis nimius suffocant cor, & reliquæ partes eo omninò destitutæ necessariis etiā destituuntur functionibus. Unde etiam sequitur subinde privatio sensuum; Nam abscedente omni ferè calore & spiritu anima nihil sentit. 6. Canities, ut notat Scal. excre 312. de quodam reo, & constat aliis quamplurimis experientiis; Canities enim putredo, cruditas & ægritudo pilorum est, ut habet Arist. 10. prob. 36. & l. 5. gen. anim. c. 1. & 4 quia contracto calore ad interiora materia pilorum non loquitur sed putrescit.

Timoris effectus.

DIFFICULTAS XXXIII.

Quid sit ira & qui effectus ipsius.

ETiam hæc dupliciter sumitur. 1. latè pro omni actione qua appetitur vindicta, quo modo comprehendit appetitum rationalem & irrationalem. 2. Strictè pro sola actione appetitus sensitivi irascibilis vindictam appetentis: Ita autem sumpta ira habet tres species, Fel nimirùm, maniam & furorem. Fel dicitur ira statim excandescens; Mania ira inveterata, Furor ira omnem quietem negans, quousque vindicta de illatis injuriis sumpta fuerit. Cæterùm continet ira tristitiam ob malum offendens & ultionis desiderium quo malum hoc removeatur; Et hi duo motus sunt contrarii à duabus causis formalibus diversis, vel ab una sub duabus distinctis formalitatibus. Jam

Species iræ.

DICO 1. Ira est passio appetitus sensitivi irasci-

Ira quid.

irascibilis vindictam appetentis, vel ut ait Arist. in 2. Rhetor. c. 2. Ira est appetitus apparentis ultionis cum tristitia ob apparentem despicientiam vel sui vel suorum cujuspiam eamque immeritam. Causæ variæ sunt, præcipua tamen anima, quæ est omnium passionum causa principalis; Instrumentalis est appetitus sensitivus; movens contemptus sui ab alio, unde ultionem quærit, majorem aut minorem pro ratione contemptus, tum corporis temperies, quia ut notant Medici, longè faciliùs irascuntur cholerici quam pituitosi.

Eius causa.

DICO 2. Differt ira ab odio primo ex Arist. 2. de art. dicend. c. 4. quia habent se ut causa & effectus, & ira inimicitiæ odiique causa est. Secundo versatur ira circà ea quæ pertinent ad nos ipsos aut ad nostros, sc. ad nostram aut nostrorum despicientiam; odium verò ad alios sese extendit. Tertio, Ira spectat ad hunc vel illum, odium verò ad omnes homines, ut apud illum Atheniensem Timonem, qui universum genus humanum odiebat, & apud Cæs. Caligulam, qui omnibus unicum caput à se unico ictu decutiendum optabat. Quartò, Ira semper est cum tristitia & dolore ob illatam injuriam, odium verò sine dolore esse potest, & non apertè sed latenter malum inferre cupit. Quinto, Irati rursum placari possunt, odientes autem omninò illum perdi cupiunt quem odiunt. Sexto, Ira repentina est, odium diuturnum & firmatum, unde etiam deterius. Septimo, iræ objectum bonum est haberque comitem justitiam, quia ultio est actio justitiæ & non tendit ulterius quam ut par pari referatur & injuria tollatur; Odium autem modum non habet & malum quærit, quia quem odimus, vellemus omninò non esse, unde colligitur causam iræ esse malum offendens, ut despicientia, violentia, injuria, contumelia, quæ omnia debent repelli.

DICO 3. Iracundi sunt cholerici natura sua, quia facilè sedantur; frigidi contrà se habent, qui tamen iram diutius retinent; facilè irascuntur sanguinei propter calorem, remittunt autem propter humorem, quod idem de superbis, & qui elati sunt animi, intellige. Irascimur illis, qui nos irridēt, contemnunt, convitiantur & aculeatis dictis lacessunt, qui resistunt nobis aut nostris, qui contemnunt nos in paupertate positos; Amicis etiam magis quam inimicis irascimur, si ab iis offendamur, quia ab illis nullam injuriam sed amorem omneq; subsidium in rebus adversis expectamus.

Effectus iræ.

DICO 4. Effectus iræ sunt palpitatio cordis, ebullitio sanguinis circà cor, tremor corporis, præpeditio linguæ, vultus igneus, oculorum exasperatio, &c. Accedit autem his omnibus effectus longè pessimus ideoque maximè dignus qui moveat nos de ira fugienda, videl. perturbatio rationis, ut docet experientia; Nam ira facit ut nec præsens nec futurum periculum & malum timeamus, proinde major est in ea commotio quam in tristitia; In amore etiam fervet sanguis in corde sed cum dulcedine, hic autem cum amaritudine; pallescunt aliqui irati, quia sanguis contrahitur; alii rubescunt, quia calidior & mobilior est sanguis; palpitat cor, quia sanguis accenditur spiritusque commoventur, vox & sermo præpeditur, quia ratio turbatur, rubent oculi, quia sanguis incenditur. Et ex his effectibus quantus morborum cumulus sequi possit, videantur medici practici.

DIFFICULTAS XXXIV.

An ad omnes morbos gignendos sufficiant hæ sex res non naturales.

SEnsus quęstionis est, an omnes morbi quotquot hominem afficiunt, ab his rebus sex non naturalibus, de quibus hactenus effectivè producantur, nimirum ab aere vitioso, à cibo & potu peccante, à motu ac quiete excedente, à somno & vigilia deficiente, ab excretis & retentis præternaturalibus, & denique à violentis animi passionibus.

SUPPONO, alios morbos esse intemperiei, alios solutæ unitatis, alios vitiosæ compositionis sive conformationis, & alios denique totius substantiæ, de quibus in sequentibus.

DICO 1. Ad intemperiem corporis gignendam non sufficiunt sex res non naturales. Prob. 1. Sol calore suo incendit spiritus vitales gignitque febrem diariam: similiter aqua frigida, si quis eâ demergatur, facit pororum obstructiones producitque febres & alias alterationes; sed nec sol nec aqua sunt è genere sex rerum non naturalium, ergo. Nisi tamen sub aere intelligantur omnia corpora simplicia, quia solent frequenter Authores promiscuè aerem & virtutes cœlestes usurpare. 2. Gignitur febris hectica tum ex corruptione viscerum, tum aliis ex causis, habentque internæ partes suarum qualitatum contrarios occursus, ubi nihil hostile ab his rebus non naturalibus nisi remotè dum à cibo & potu omnia corpori ejusque visceribus suppeditantur, accedit, ergo ad constituendam intemperiem aliis quoque agentibus opus est.

DICO 2. Nec ad morbos solutæ unitatis requiruntur sex res non naturales, nisi aliquando consecutivè & remotè. Hæc conclusio desumitur à natura solutæ unitatis, quæ mediis violentioribus fieri solet, quam sint res non naturales; quæ etiam ab intrinseco non habent vim solvendi continuum, nisi motus aliquando excedat, faciatque interiora rumpi. Dixi consecutivè & remotè, quia potest ex vario circà potum & cibum errore gigni inflammatio ex quo solvatur continuum sicut & ex motu vehemēti.

DICO 3. Nec omnes morbi conformationis sive compositionis oriuntur à solis sex rebus non naturalibus: probatur ab inductione eorum affectuum, qui ad materiam seminalem & vim primam formativam spectant, quia hujus est construere corpus organicum & dare partibus suam

figuram

figuram; situm & connexionem naturalem, non autem aëris, cibi, potus, &c. Dixi tamen non omnes, quia calculus & si quæ sunt aliæ meatuum obstructiones, oriuntur potissimùm ab erroribus circà victum, motum somnum, quietem, vigilias, &c. commissis.

DICO 4. Nec morbi totius substantiæ pendent in fieri semperaq his rebus non naturalibus, patet ex iis quæ infrà de harum causis & generatione dicentur; Nam pestis, quæ ex immediato contactu hominem corripit, non eget aere medio, cujus beneficio vitalia penetret; deinde febres malignæ, quæ frequenter in corpore ex peculiari sanguinis & humorum putrefactione gignuntur, aliquando fiunt, dum nec aer nec cibus & potus aliaq; id genus corpori nociva sunt, quia emanat malignitas & virulentia à putrefactione, ad quam internæ qualitatum actiones disponunt, ergo morbi totius substantiæ non semper dependent in fieri à rebus non naturalibus. Dico non semper, quia raro febres malignæ non pendent à magnis corruptionibus in his sublunaribus, quas præter Astrorum influentias peculiares cum elementorum tum mixtorum qualitates & dispositiones exuscitare solent.

DICO 5. Habent tamen vim maximam & potissimam in producendis morbis 6. res non naturales hactenus descriptæ adeò etiam ut pleræque ægritudines quibus pereunt mortales, ad eas efficienter sive proximè sive remotè referantur. Prob. ab inductione singulorum affectuum & causarum eorundem. à quibus producuntur; Vix enim morbus est, qui non causam suam referat in aeris vitium & constitutionem præternaturalem, in errores cibi & potus, in motum corporis volentum, in desidium seu vitam otio & quieti deditam, in somnum longum, vel vigilias multas, in passiones sive perturbationes mentis, &c. prout constat ex singulis morborum descriptionibus & generationibus. quæ fusè apud diversos medicos practicos habentur.

DIFFICULTAS XXXV.

An finis verè & propriè sit causa realis.

NOTA, Varias esse finis definitiones, ut quod primò finis alius sit cuius gratia & alius cui: primus est, cuius obtinendi gratia aliquid fit ut sanitas, quam per medicinam conamur restituere: secundus est, in cuius gratiam aliquid fit, ut medicina ægroto ad sanitatem recipiendam. Secundò, alius finis est generatio tantum, ut forma alicuius rei quæ intenditur, alius est qui resultat ex actione, ut sanitas ex euratione. Tertiò, alius finis est actionis, ut curationis ipsa sanitas, alius operis ut sanitatis finis est recta administratio omnium actionum naturalium. Quartò, alius finis est objectionis, alius formalis; illa est ipsa res possessa, hic est actio immanens quâ possidetur finis; sic formalis finis hominis, qui ex ægro sanus factus, est ipsa sanitatis possessio, objectiv' ipsa sanitas, sic beatorum finis formalis est ipsa Dei visio, objectivus ipse Deus, adæquatus utrumque. 5. finis alius est proximus, in quam proximè tendit & cadit intentio; alius remotus in quem finis proximus ordinatur, sic eleemosinæ finis proximus est ipsa honestas hujus virtutis, remotus est satisfactio.

DICO finis non tantum est verè ac propriè causa, sed etiam omnium prima, 1. pars prob. primò, omne bonũ est reale; sed finis est bonus, ergo: secundo, causa realiter causans est realis, sed finis realiter causat, ergo: tertio finis est, cujus gratia fit aliquid: sed unumquodq; pendet per se ab illo cujus gratia fit, & omne illud, à quo aliquid per se pendet, verè ac propriè illius causa est, ergo: posterior pars hac ratione fundatur, quia cum efficiens nõ nisi alicuius gratia operetur, necesse est antequam agat, & materiæ formam inducat, moveri à fine, & sic finis motio causalitates omnium aliarum causarum saltem origine antecedit: primum itaque locum obtinet finis, secundum efficiens, tertium materialis, quartum formalis; Deinde quod finis non tantum origine sed etiam dignitate primas obtineat, ita probatur, quia id quod movet, præstantius est eo quod movetur; sed finis movet omnes reliquas causas, nec ab iis movetur, ergo. Quod si tamen antiquitatem absolutè spectes, primas obtinet materia; si rationem quidditatis, forma; si rationem motionis physicæ, efficiens; si denique modum excitandi & impellendi, finis. *Finis est causa prima ex reliquis.*

DICES 1. Omnis causa est principium; sed nullum principium est finis, quia hic est in quod desinitur, principium verò è quo incipitur. R. min. neg. quia licet finis non sit principium sub ea ratione, qua sumitur pro extrinseco, est tamen verè principium, prout designat causam finalem, & à quo sua principia dependent; vel non est principium secundum executionem, conceditur, secundum intentionem, negatur.

DICES 2. Causalitas finis consistit in impropria motione, ergo causat impropriè, ergo finis non est propriè causa. R. finis motionem esse impropriam in genere motus non in ratione causandi; Nam licet finis metaphoricè moveat, causat tamẽ propriè, quia propriè pendet ab eo id quod ab ipso causatur; Et hinc colligitur, rationem causæ finalis consistere absolutè in eo, cujus gratia cætera fiunt aut sunt; Dico cætera, ut intelligantur omnia media quæ eriguntur propter finem, tum ipsa etiam electio mediorum, quæ mediis natura prior est, imò etiam intentio seu finis propositio, & quæ ad hæc ullo modo pertinere possunt.

DICO 2. Finis non movet secundum esse intentionale solùm seu intelligibile, sed etiam secundum esse reale. Prob. finis secundum illud movet Agens ad agendum, secundum quod ab ipso agente desideratur obtineri; sed finis non desideratur obtineri ab agente secundum esse solum intentionale, sed ut intelligatur

quid

quid ille sit, sed secundum esse reale; v.g. æger non movetur ad sanitatem, ut illam obtineat tantum secundum esse intentionale, sed potius ut esse ejus reale realemque bonitatem consequatur, ergo. Ex quo colligitur primo, Agens in finem per intellectum ferri, quia aliàs non desideraret nec appeteret eum: secundo, illud esse reale finis secundum quod movet, semper esse futurum vel possibile, nunquam præsens, quia nihil appetitur nisi absens & futurum.

DIFFICULTAS XXXVI.

Quæ sit causalitas & quæ virtus causandi causæ finalis.

NOTA, duplicem esse motionem, propriam unam, quæ fit per veram & positivam actioné, ut cum ignis aquam calefacit; Impropriam alteram, ut est ea quæ dicitur movere id quod sui amorem & appetentiam facit ideoq; hominem ad se trahit. Quæstio itaque est an causalitas finis consistat in motioné illa impropria seu metaphorica qua res quæ finis dicitur, ex sui desiderio causam agentem ad operandum rapit. Jam

Causalitas finis in quo consistat.

DICO, Causalitas finis consistit in metaphorica quadam motione, qua res cognita appetitum excitat, hoc tamen non respectu cujusvis agentis sed creati tantum. Hanc conclusionem ut intelligas, *Adverte*, 4. hic consideranda esse quæ exemplo sanitatis nota fiunt; primò enim in sanitate v.g. cernitur peculiaris quædam entitas, quæ est animali connaturalis nihilque aliud quam primarum 4. qualitatum permistio & temperies corporisque bona constitutio & compositio. Secundò, quæ illam entitatem sequitur, est relatio convenientiæ seu bonitatis formalis. Tertiò venit relatio appetibilis, quia propter bonitatem & convenientiam unumquodque appetitur. Quartò denique accedit relatio finis, qua sanitas ad media, quæque ipsius gratia fiunt, refertur. Jam prob. conclusio, quia talis motio non pertinet ad causam efficientem, quia hæc verè & non metaphoricè movet: neque ad cæteras causas, ut facilè patet, qui singularum modos causandi considerat. Quod autem hæc motio metaphorica sit causalitas finis tantum respectu entis creati, ratio est, quia licet Deus externis suis actionibus operetur propter finem, nullus tamen finis divinam voluntatem alliciendo causalitatem erga illam exercet, cum internæ Dei actiones quæ sunt ipse Deus, nullam causam habere possint.

Quid dicatur motio metaphorica.

DICES 1. Motio metaphorica non est vera actio, ergo finis non est vera & realis causa. Resp. neg. antec. quia motio illa est vera actio hærens in voluntate, quæ prout fit effectivè à voluntate, dicitur vera & realis actio; respectu autem finis cogniti dicitur motio metaphorica, non quod non sit vera actio, sed quia finis eam actionem causet ratione diversa à causa efficiente, quæ diversitas à Philosophis dicitur motio metaphorica.

DICES 2. Etiam ea quæ cognitionem non habent, propter finem operantur, & tamen non alliciuntur à fine, quia hujusmodi allectio non fit nisi præeunte notitia, ergo allectio non requiritur ad causalitatem finis. ℞. Verum esse antec. quod hujusmodi agentia non alliciantur à fine per se, nec in ipsum per se intendant, sed quatenus diriguntur à prima causa, in qua eorum finis cognitio & amor præexistit; atque ita motio illa metaphorica; qua finis appetitum excitat ejusque actionem causat, ita convenit soli enti creato, ut non omni conveniat.

Colligitur, bonitatem rei esse rationem proximam sub qua finis moveat seu alliciat causam efficientem, & sic sanitas v.g. movet voluntatem, quia sanitas ipsa bona cognoscitur.

DIFFICULTAS XXXVII.

Quinam sint effectus causæ finalis.

QUæstio est de effectibus causæ finalis respectu voluntatis creatæ, quæ agentia intellectualia operantur propter finem, sed *Adverte*, effectus finis esse duplices, alii sunt in ipsa voluntate, ut actus ab ipsa voluntate eliciti. v.g. amor, desiderium, intentio, fuga, mali, tristitia, gaudiũ, &c. alii sunt extrà voluntatem, quia ex efficacia & motione voluntatis producuntur, ut ambulatio, locutio, &c.

DICO 1. Electiò mediorum verè & propriè est effectus finis. Ratio, quia electio est propriissimè propter finem, ergo pendet à fine. Confirm. finis apprehensus & amatus causat electionem mediorum, secundò, ipsa electio est medium propter finem, ergo est ejus effectus.

DICO 2. Actus qui versantur circà ipsum finem & antecedunt executionem finis, ut sunt amor, intentio: desiderium, &c. verè sunt effectus finis: Ratio, quia nascuntur ex amore finis, ergo sunt eius effectus, imò ipse amor finis est ejus effectus, quia est actus humanus & liber propter finem, ergo est ejus effectus.

DICO 3. Actus voluntatis qui versantur circà voluntatem jam possessam, ut sunt amor & gaudium, sunt etiam effectus finis. Ratio, quia hic amor & gaudium causantur à fine jam obtento, qui elicit voluntatem ad sui amorem.

DICO 4. Omnes actiones extrà voluntatem, & effectus earum, qui procedunt ab Impetio voluntatis creatæ operantis propter finé, sunt effectus huius, ut ambulatio v.g. sanitatis causa suscepta: si verò præter has actiones fiat aliquis effectus permanens, etiam hic erit effectus

effectus finis; sic domus quæ fit per ædificationem, est effectus finis, videlicet inhabitationis, quia domus est propter inhabitationem, ergo pendet ab inhabitatione mente concepta & apprehensa; Deinde illæ actiones sunt media, quibus finis comparatur; sed media ad finem sunt effectus, ergo.

DIFFICULTAS XXXVIII.

An agentia merè naturalia agant propter finem.

SUPPONO, in triplici gradu & differentia esse res tendentes in finem. In primo gradu sunt, quæ non tantum finem apprehendunt ut sibi bonum & convenientem, sed etiam cognoscunt media ad finem, & illa ad eundem ordinant, ut Deus, Angeli & homines, qui soli sese movere dicuntur in finem & agere, quia ex ductione & actione propria liberè operantur, in secundo gradu sunt ea, quæ suum finem agnoscunt materialiter sub ratione boni & convenientis, ut cum bos aut equus compellente siti moventur ad aquas, aut quævis animalia instinctu naturæ aguntur in finem. In tertio demum gradu sunt res omnes cognitionis incapaces, ut plantæ, elementa, cæteraque inanimata; Jam

Agentia naturalia semper agunt propter finem.

DICO 1. Agentia merè naturalia non agunt temerè, ut Antiquioribus placuit; Est Arist. 2. phys. c. ult. & penult. & ratio est, quia nulla in rebus naturalibus est convenientia aut consensus, nisi in aliquod commune bonum, quod rationē finis habet, universæ conspirassent; Deinde quia in animalibus tot membra sunt tam ordinatè & prudenter effecta, tot partium descriptiones non ad speciem solum & elegantiam, sed etiam ad usum aptæ, tot organorum apparatus, totque vires & potentiæ, quæ omnia ad agendum atque adeò alicuius finis gratia facta esse oportet. Ad hæc quia id testatur brutorum animantium in fœtibus educandis amor, in operibus conficiendis artificium, in quærendo cibo industria, in se suâq; specie tuenda & conservanda sollicitudo, &c. quæ omnia non possent tanta sagacitate & claritate ab iis fieri, nisi propter aliquod commodum & bonum facerent. Denique quia confirmant hoc elementa & mixta, imò ipsa corpora cœlestia, quæ omnia nunquam rerum corruptiones, productiones & vicissitudines nisi ob aliquem certum finem intendunt, & ut verbo dicam, quia unaquæque res naturalis ex propensione naturæ propriæ habet certam & definitam operationem, certum modum operandi & certum terminum in quem tendit ista operatio, ergo agentia merè naturalia non agunt casu.

DICO 2. Actiones horum agentium naturalium sunt propter finem; ratio, istæ operationes vel actiones non tantum sunt ab ipsis rebus merè naturaliter agentibus, sed simul à primo agente, ut patet ex eius concursu cum omnibus rebus & agentibus naturalibus, ergo licet non sint propter finem primo modo, saltē ideò erunt, quia simul sunt à primo agente. Declatur exemplo medicinæ; Nam hæc ex se non agit propter finem, quia illum non agnoscit nec appetit, sed potius agitur ab alio in finem, atq; ita etiam dicitur agere finaliter QUÆRES, si per impossibile subtraheretur actionibus rerum naturalium concursus causæ primæ, ita ut nihilominus moveretur v.g. ignis sursum, lapis deorsum, an nihilominus agerent ex intētione finis. R. Affirmativè, saltē ex intentione mediata propter virtutem motivam, quæ ob certum finem indita est ab Authore naturæ.

DICES, Si agentia naturalia agunt ex intentione primæ causæ, ergo nunquam aberrabunt, ut monstra gignantur, quod tamen est contra experientiam. R. neg. hanc seq. quia intentio Dei non est semper efficax & absoluta sed conditionata.

DIFFICULTAS XXXIX.

An & quomodo bruta agant propter finem.

CONtroversia est, an bruta operentur propter finem discursu propriè dicto, an solo naturæ instinctu, & quid sit hic instinctus.

OPINIO fuit veterum, etiam bruta habere rationem licet non tam perfectam sicut homo, & ad confirmandam hanc opinionem usi sunt quibusdam argumentis & experientiis infrà adferendis.

DICO 1. Bruta non habent rationem, proindeque nec discurrunt; patet imprimis ex l. t. disp. de sensu interno diffic. 8. estque tam certum, ut contrarium communis hominum sensus explodat & irrideat; Nam si brutum haberet quoque rationem, non differret ab homine, cum ratio faciat esse rationale; Nec juvat dicere, in bruto esse rationem imperfectam, quia ratio quæ facit vivens rationale, est planè indivisibilis; deinde major ejusdem rei perfectio non facit naturæ discrimen, Adhæc si bruta haberent rationem, jam agerent ex delectu & liberè, proindeque caderent in ea meritum & culpa, quod absurdo absurdius est.

Bruta non habent discursum.

DICES, Leones sunt magnanimi, Elephantes prudentes, &c. Deinde æmulantur homines in certis artibus, ut hirundo in nidificando, &c. tertio. præsagiunt pluvias & tempestates; quarto, capiunt disciplinas, ut psittacus loqui, Elephas servire hominibus, ergo signum est, etiam brutis inesse rationem. Resp. neg. conseq. quia hæc planè non sufficiunt; ut brutis ulla ratio & discursus adscribatur; Nam ut alia omittantur, sunt quædam bruta, quæ nobiliorem phantasiam sortita sunt, ut proinde non tantum causarum naturalium impressione moveantur, sed etiam humanam rationem & interdum prudentiam imitentur, sine tamen discursu, sed interno, tantum sensuum opera & ductu, id est, solo naturæ instinctu, qui est hujus controversiæ scopus. Unde

Instinctus naturæ quid.

DICO 2. Bruta contendunt in fines suos naturæ instinctu. Ad hunc paulò fusius explicandum *Adverte*, de hoc non esse

omnium eandem opinionem; Nam aliqui putant esse naturalem quandam impressionem à Deo injectam non tanquam habitum, sed per modum actionis & auxilii cujusdam naturalis, quo Deus cum brutis ad necessarias eorum operationes seu functionès administrandas peculiariter concurrit, ferè ad eum modum quo cum hominibus supernaturaliter ad actiones naturæ vim superantes concurrere solet. Alii censent, instinctum esse qualitatem quand. ab Authore naturæ superadditam phantasiæ, quæ sit quasi ars naturalis brutorum; Hi enim ajunt, bruta accipere à principio naturalem quandam æstimationem ad noxia & salutaria cognoscenda, quia id propriâ investigatione assequi non poterant: sed quod bruta non habeant species consignatas ab ipso ortu, hinc prob. quia nec homo eas habet ab ortu, qui licet sit præstantioris speciei; Deinde quia etiam infantes habent naturalem quandam instinctum, sed nec phantasiam nec intellectum ullis rerum imaginibus à Deo consignatum, ergo nulla est necessitas eas brutis attribuere. Instinctus itaque ex potiorum doctrina nihil aliud est quam operatio phantasiæ determinata ad judicium commodi vel incommodi, & determinans appetitũ ad fugam vel prosecutionem; probatur, quia instinctus brutorum dicitur, quod instigentur & dirigantur ad operandum, quod præstat phantasia objiciendo appetitui cõveniens vel inconveniens: Quod autem instinctus pertineat ad phantasiam, patet ex Arist. l. de an. c. 3. ubi ait, id cuius ductu bruta operantur, esse imaginem seu phantasiam; unde patet, operationem brutalem, in qua actualis eorum instinctus consistit, oriri ab ipsa phantasiæ potentia, quæ est instinctus habitualis, concurrente simul causa prima per concursum generalem. Si tamen quæras, unde oriatur in brutis tanta actionum varietas, si omnium brutorum phantasia sit ejusdem speciei ut plerique sentiunt. R. sicut hominis potentia cogitativa cum gradu rationali conjuncta discurrit circa singularia ut multis placet; Ita phantasia diversorum brutorum, quia oriuntur à diversis formis, sortitur vim tam variam in operibus suis faciendis; Est autem hic *advertendum*, sicut homines nullum actum intelligendi sine speciebus à sensu haustis eliciunt; Ita nec bruta quicquam apprehendunt aut instinctu judicant absque speciebus à rebus mutuatis, cum omnis operatio à speciebus oriatur; Itaque hunc in modum hirundo operatur, intuetur lutum, deinde ex intuitu illius imaginem admittit in phantasiam; *Hirundo quomodo operatur.* tum æstimat conveniens id apprehendere & deferre versus hunc aut illum locum, atque ita nidificat, non quidem sine specie, sed tamen sine specie innata: Non enim ab initio statuit apud se, quo modo nidus totus sit struendus, sed dum singulas luti particulas applicat, phantasia sigillatim dictat ut unam alteri hoc modo adnectat & applicet. Et hinc colligitur bruta non cognoscere proportionem mediorum ad finem, quia ad hoc requiritur vis collativa unius cum altero quod est altioris virtutis & potentiæ, vide Conn. 2. phys. c. 9. q. 5. a. 3.

DISPVTATIO NONA.

De morbis Intemperiei.

HOc primum morbi genus primùm occurrit, quia creberrimum est, & cõmunissimum inter mortales, quos etiam magna ex parte consumptis exhaustisque viribus in interitum trahit.

Nec mirum quod natura puniat primis qualitatibus, quia convenientissimæ sunt, quæ corrumpant, & facillimæ, quæ vitam auferant; sunt enim gratæ & affabiles hospites homini, si intra debitam harmoniam ludant, hostes autem & depopulatores si terminos excedant, factæque intensiores non in vitam, sed in interitum alterent. Hoc experimur, dum calorem sentimus, & malo nostro luimus, cum æstuamus, incendio diffluimus, & in totum dementati in vermium escam abripimur. Est ita corpus nostrum à natura constitutum, ut facilè, cum in victu, potu, aliisque rebus erramus, hujus pœnam demus, & corio nostro in quo tam suaviter sæpè peccavimus & lusimus, pessum eamus; Nec immeritò, quia non uni, sed mille causis, quæ corruptionem intentant, subjecti sumus, & non unam, sed plures alterationes sustinere cogimur, ut humanitatis nostræ memores æternitatem in his terris non expectemus. Sunt autem multi variique hujus generis morbi, quibus affligimur & corrumpimur: resistimus quantum possumus, imusque obviam viribus quousque nos sustinent: si vincimus, id brevis est victoria: si vincimur, id vitæ nostræ est dispendium, quia verum est hominem fuisse mortalem antequam nec formam habuisset nec carnem. Ut itaque sciamus, qui simus, & cognoscamus quâ naturæ fragilitate compacti existamus, disputatio hæc de morbis, qui in primarum qualitatum excessu vel defectu existunt, prodibit, & docebit, quam res levis & caduca sit temperamentum nostrum, & quam dubia brevisque vita, quæ ab illo deducitur. Primùm itaque sit

DIFFICULTAS I.

In quo conſiſtat morbus intemperiei.

MOrbus intemperiei vocatur etiam à Medicis ſimilaris, ut patet apud Plemb.l.4. de fund. Med.c.3.ubi ait, celebratiſſimam eſſe morbi diviſionem in ſimilarem, organicam & communem, id eſt in eum ut alii ſentiunt, qui intemperiei, vitioſæ conformationis ſeu compoſitionis & ſolutæ unitatis dicitur. Morbum ſimilarem ajunt occupare partem aliquam quatenus non eſt organica: Organicum verò contrà inhærere parti ſub ratione organi; communem denique ineſſe parti quatenus eſt ſimilaris & organica. Itaque dicunt partem aliquam affici primò, quatenus habet ſubſtantiam ejuſdem ubique rationis, quo modo conſtituitur à forma ſua & contemperatione primarum qualitatum. Secundò, quatenus habet diverſæ rationis ſubſtantiam, quo modo non tantum conſtituitur à certa qualitatum temperie formâque ſimplici, ſed adjunctis inſuper peculiari forma, magnitudine, partium conſtituentium numero, ſitu, &c. Et hinc definit morbum ſimilarem Plemb. loco cit. quod ab eo principaliter tantùm lædatur functio partis, quatenus non eſt organica.

Cæterùm hanc in tria ſumma genera diviſionem partim vitioſam eſſe patet ex Diſp.7. hujus l.c.11 partim obſcuram & non ſatis claram ex concluſionibus mox dicendis. Non enim imprimis ſufficit ut ad comprehendendam totam morborum latitudinem vel totum pel pars conſtet vitioſis qualitatibus temperamenti cōſtitutivis, ut habeat defectum conformationis vel compoſitionis, & ut patiatur ſolutionem continui, ut videre eſt loco citato. Deinde nec pars ſimilaris, etiam ut ſic, excludit morbum compoſitionis, nec membrum aliquod in eſſe organi intemperiem ſive alterationem; Nam reverà organum in eſſe organi materialiter vel in concreto afficitur ab intemperie, eſto non formaliter ut in abſtracto, id eſt, ipſa organitas, quæ eſt ratio formalis conſtituendi organum in eſſe organi, ergo diviſio in 3. genera præterquam quod ſit vitioſa propter morbos malignos qui ad nullum eorum referri poſſunt, non eſt etiam ſufficienter clara, licet non contemnenda. Et hinc quia

Suppono, Intemperiem conſiſtere in ſolâ purâque alteratione qualitatum ſenſibilium; Idcircò

DICO 1. Intemperies non conſiſtit in hoc, quod non afficiat partem aliquam in eſſe organi aut continuitatis. Prob. Cor, Epar, ventriculus, ſemper ſunt organa, nec poſſunt eſſe non organa; ſed patiuntur intemperiem, ergo in eſſe organi, quod non excludit alterationem; Nam quodvis membrum ut eſt organicum, ſimilare, diſſimilare, vivens, mixtum, &c. poteſt affici à quocunque etiam morbo generico.

DICO 2. Nec morbus intemperiei conſiſtit in hoc, quod præcipuè occupet partem aliquam ſimilarem; Ratio eſt, quia etiam occupat partem diſſimilarem, ut patet in febre, quæ toto eſt diſperſa corpore: ſimiliter omne genus morborum occupat partes ſimilares, ut patet in tumoribus, ſolutionibus, &c. Deinde reverà intemperies afficit partem diſſimilarem in eſſe organi, etiamſi non deſtruat compoſitionem, quia aliud eſt afficere organum, & aliud deſtruere compoſitionem, ut itaque pateat in quo formaliter conſiſtat morbus intemperiei nullo habito reſpectu ſubjecti quod alteratur.

DICO 3. Morbus Intemperiei eſt affectus præternaturalis ſolo exceſſu vel defectu primarum qualitatum operationes lædens. Affectus p. n. eſt loco generis, cætera loco differentiæ: Nam per hoc quod primæ qualitates aut intenſiores ſint aut remiſſiores quam naturalis conſtitutio corporis & ſanitatis requirit, exoritur morbus intemperiei, qui à cæteris morborum generibus differt, ut proinde exceſſus vel defectus primarum qualitatum ſit ratio formalis, cur homo ſit morboſus & alteratus, præſertim ſi exceſſus vel defectus ſit manifeſtus. Et hic uterque cum conſiſtat in ſimplici alteratione, poteſt uniformiter difformiter afficere & apprehendere quamcunque partem ſive ſimilarem ſive diſſimilarem & organicam, quia omnes habent potentiam recipiendi alterationem: Quando autem Plembius aliique paſſim Medici vocant morbum intemperiei ſimilarem, faciunt id ad differentiam morbi organici, quem ajunt reſultare ex mala partis conformatione, quamvis ſit ipſa partis vitioſa conformatio; Et licet intemperies integrum occupet organum, non tamen idrircò dici morbum organicum, ſed potius ſimilarem, quod non corrumpat membrum in eſſe organi, id eſt, conſtitutionem organicam, quæ conſiſtat in bona conformatione decentique compoſitione, ſed in eſſe partis ſimilaris, quatenus videl. conſtruitur ex bona temperatione primarum qualitatum. *Morbus intemperiei quid.*

DICES 1. Defectum nihil eſſe poſitivi, quia ſignificat carentiam caloris naturalis; ergo non lædit operationes. Reſp. neg. antec. quia ſicut per exceſſum intelligitur caloris dominium, id eſt, calor intenſivus, ita per defectum ejuſdem remiſſior & productio frigoris, ad quod ſeipſis concidunt operationes vitales, quæ à calore naturali reguntur & adminiſtrantur.

DICES 2. In omni Intemperie conjungi exceſſum vel defectum, videl. in calida exceſſum caloris & defectum frigoris, in frigida, contrà, &c. ergo malè additur copula conjunctiva *vel.* Reſp. quamvis unum ex his ſemper dicatur per ſe & alterum per accidens, totum tamen fieri propter calorem vitalem, cujus ſolius habetur ratio in eliciendis actionibus vitalibus, quia hic eſt per quem anima regit corpus, & ſive hic excedat ſive deficiat, ſemper læduntur vel deficiunt operationes vitales.

Colligitur, per intemperiem non deſtrui

rationem organi, id est, organeitatem, sed solas qualitates primas sive sensibiles earumque harmoniam corpori naturaliter constituto competentem.

DIFFICULTAS II.

Quotuplex sit morbus intemperiei.

COncernit tantum hæc difficultas qualitates occultas & materiam ex quibus utrisq; Medici morbos formant, eosque ad intemperiem reducunt: Nam de qualitatibus primis earumq; excessu vel defectu nulla est controversia, quia constat tot esse tamque varios morbos intemperiei, quot modis primæ qualitates in homine vel excedunt vel deficiunt.

Morbi maligni non spectant ad intemperiem.

DICO 1. Morbi maligni & totius substantiæ non spectant ad morbos intemperiei. Ratio est, quia horum essentia & natura non consistit in calore, frigore, aut aliqua primarum qualitatum combinatione. Deinde non habent eundem modum agendi in humanum corpus, nec similiter ab eodem expelluntur. Cætera vide alibi.

DICO 2. Non malè spectant ad intemperiem morbi quos Fernelius & Gardinius materiæ vocant. Est contra Sennertum, Plembium & alios Medicorum. Ratio est, quia mollities, durities, densitas, raritas crassities, &c. sunt qualitates secundæ & effectus qualitatum primarum; sunt etiam dispositiones tantum passivæ ad morbum, nec habent ex se vim ullam agendi. Quod si dicas, reperiri aliquando in homine tantam ossium v.g. mollitiem, quæ reverà lædat actiones. Resp. Id mirum non esse, quia oritur à nimio humido, ideòque affectus hic ad intemperiem spectat: Crassities & tenuitas si excedant & morbi sint, ad vitiosam conformationem, videl. ad magnitudinem vel auctam vel diminutam referri possunt. Instabis, ossa aliquando esse tam fragilia etiam in viris, ut vix corpus vel partem incumbentem sustentent, vel certè facilè frangantur. Resp. Id accidentibus, quæ materiam hanc informant, adscribendum esse, si tamen cui morbos materiæ vel aliter appellare placeat, per me licet, quia de oleastro non certatur.

Divisio morbi intemperiei.

DICO 3. Intemperies dividitur juxtà numerum qualitatum primarum. Ratio est, quia hæ quatuor activæ sunt, licet humor & siccitas minus, & tam calori quam frigori per necessariam quandam consecutionem annectantur: Verè enim & propriè corpus p. n. afficiunt, ejusque actiones efficienter corrumpunt, ut patet inductione: Nam imprimis est morbus calidus ut febris, tum frigidus ut cachexia, humidus ut hydrops, siccus ut tabes, atrophia & febris hectica; Et ex his semper una dominium habet, dum etiam alteram comitem compatitur: hinc si

DICAS, dari plures morborum combinationes quam quatuor, quia propter combinationes simplices dantur etiam compositæ, ut patet in febre hectica, quæ est morbus calidus & siccus, in febre putrida, quæ est morbus calidus & humidus, &c. Deinde solemus etiam habere rationem in curando non unius tantum sed duarum qualitatum excedentium, ut patet in hectica, quam, quia est calida & sicca, curamus frigidis & humidis. R. quando dicitur 4. esse morbos intemperiei juxtà numerum 4. primarum qualitatum, non intelligi quasi ex his præcisè consurgant tantùm 4. morbi simplices intemperiei nullique compositi, sed quod constituantur tot ex dominio, & quod semper morbus intemperiei suum habeat esse ab una qualitate ex primis, ut febris calida & sicca à calore, hydrops frigidus & humidus à frigore: Nam quod uni ex primis qualitatibus in morbis annectatur altera, v.g. siccitas calori in febre, id non fit tantum ex naturali quadam omnium prim. qualitatum combinatione, quæ semper reperitur in corporibus mixtis, sed accidit id etiam ex absoluta quadam necessitate, quâ primæ qualitates se in actionibus suis sæpè per se, sæpè per accidens consequuntur; sic enim sequitur in febriente calorem siccitas, quia consumit ille humidum; sic jungitur cum calore p. n. humor copiosus ut sit ejus pabulum & nutrimentum; sic in hydrope adnectitur humor frigori, quia deficit calor qui humorem digerat, &c.

DICO 4. Aliquando est intemperies cum influxu vel affluxu materiæ, aliquando sine hoc. Prob. explicatione hac medica; si enim ad locum vel partem aliquam materia confluat & intemperiem tum excitet, tum foveat, dicitur intemperies cum affluxu materiæ, ut fit in omnibus putrefactionibus ex quibus consurgunt febres putridæ: Quod si autem intemperies sive calor p. n. absque humoris alicujus congestione excitetur, ut fit à sole, balneo, vino, nimio exercitio, &c. vocari solet intemperies immaterialis aut sine affluxu materiæ, quæ tamen vel rara est vel minus durabilis, nisi ob copiam humoris in corpore aberrantium & debilitatem unius vel alterius partis nova materia congeratur, quæ paulatim corrumpi incipiat & intemperiem invehat, vel certè ob calidam nimis & siccam corporis constitutionem hecticam & marcorem funeralem inferat.

Colligitur, quando lingua v.g. alieno sapore afficitur, aut humores oculi peregrino calore imbuuntur, non tam esse morbos secundarum qualitatum quam vitiosæ conformationis ex accessu vaporosæ materiæ poros linguæ & spatia oculi occupantis & vitiosâ qualitate deformantis.

DIFFICULTAS III.

Qui sint morbi Intemperiei tam in genere quam in specie.

NOn errat, quisquis juxta numerum 4. prim. qualitatum 4. tantum morbos simplices intemperiei, intellige primarios dixerit, sive iis adhuc totidem compositos, sc. secundarios, ex earum qualitatum combinatione, sed & nomen insuper adjunxerit, ut patet dum pars aliqua vivens, cui ex natura debetur dominium frigoris & humoris, quale cerebrum v. g. est, ab aliquo agente extrinseco ad æqualem velut temperationem violenter deducitur.

Morbi calidi. DICO 1. Inter omnes morbos intemperiei tam in genere quam in specie primùm occurrit febris, quæ est morbus calidus. Hanc conclusionem probat cùm ratio tum experientia; illa quidem, quia non est inter omnes qualitates alia vel efficacior vel convenientior, quæ propter confinitatem & facilem alterandi modum hominem magis affligere ejusque vires opprimere possit; Hæc verò quia est creberrima, & ita familiaris humano generi, ut hac solâ pars magna hominum pereat; habet etiam rationem veri propriéque dicti morbi, à quo multi alii affectus gignuntur, non autem ab his ipse, & patet in hydrope, cachexia, hectica, quæ ut plurimum vel distructis visceribus & calore naturali suffocato, vel hoc eodem post febres continuas in partibus solidis impresso producuntur. Quod autem febris sit morbus primariò calidus, probat ejus natura & generatio, judicat etiam sensus docentque effectus. Nam tactum ferit calor febrilis, si præsertim cordi velut æstuario cuidam manum admoveat; Deinde ratio & effectus docent id quod ejus naturæ convenit, ut sitis, consumptio substantiæ roridæ, virium exhaustio, vigiliæ, dolores. &c. hæc enim aliunde non veniunt, nisi ab igneo quodam calore qui vitæ sanitatique hominis non competit.

Morbi frigidi. DICO 2. Affectus frigidi sunt cachexia sive refrigeratio viscerum naturalium, hydrops omnis, & si quæ sunt aliæ caloris naturalis oppressiones, quæ post obstructiones, profusiones sanguinis & spirituum, longosque & diuturnos morbos vel in toto vel in partibus remanent. Hos effectus frigidos esse & ad intemperiem frigidam spectare, præter sensum docent omnes actiones vitales & effectus qui frigus sequuntur; Nam in his gignuntur cruditates sanguisque serosus, pallescit corpus, intumescunt extrema, deficiuntque omnes operationes quæ beneficio & ministerio caloris vitalis in visceribus administrari solent; Et sicut caloris est digerere cibos in stomacho, sanguinem conficere in Epate & Venis, alimentum corpori adaptare, & quicquid ex humoribus est superfluū, concoquere, rarefacere, absumere, propellere, &c. Ita frigoris est condensare recrementa in unum cogere, digestionem impedire & actiones quæ vitæ sunt comites, retardare: Et hæc videmus in hydropicis & iis quibus morbi sunt frigidi; Nam propter oppressionem caloris, qui in eliciendis & administrandis actionibus vitalibus optimum & perpetuum est animæ instrumentum, deficit concoctio, nutritio, & accretio, gignitur sanguis frigidus & serosus, marcescit corpus, languentque cuncta quæ in usum vitæ & sanitatis fieri convenit.

DICES. Affectus si frigidi non morbi sunt sed symptomata, quia sunt accidentia quæ sequuntur calorem suppressum & suffocatum. Resp. in cachexia, hydrope, &c. duo spectari, primo ipsam vitiosam digestionem, serosi humoris collectionem, intumescentiam, colorem pallidum, &c. Secundo, ipsam intemperiem frigidam in visceribus: primo modo considerati affect' hi sunt symptomata, secundo morbi, qui per ejusmodi accidentia explicari solent, cum aliud nomen proprium non habeant.

Morbi humidi. DICO 3. Affectus humidi sunt ferè iidem qui frigidi, ut hydrops uteri, pulmonum & thoracis, cerebri, ventris inferioris, vesicæ totiusque corporis in urinæ suppressione feroque per omnes partes diffuso. Dico ferè, quia probabile est non semper frigori connecti humidum abundans, ut patet in tympanitide, quamvis hoc ut plurimum ex defectu caloris qui rarefaciendo consumat & consumendo corpus exiccet, paulatim in cavitatibus viscerum colligatur. Quod autem in hisce affectibus dominetur humidum, patet ex mollitie, fluctuatione & excretione seri; Quamcunque enim quis partem tangit, hanc mollem tumidamque reperit; Et quodcunque in latus quis se vertit, illuc serum devolvi & fluctuare sentit; Et ubicunque membrum solvitur & aperitur, aqua crudusque humor profluit. &c. Sed an hydrops primariò sit morbus frigidus an humidus, sicut febris primariò est calida, & secundariò sicca? Resp. esse primariò frigidum, quia humiditas sequitur frigus, & quia viscera naturalia sunt frigida, ideò sequitur mala concoctio, &c.

Morbi sicci. DICO 4. Morbi sicci sunt partim ex calore p.n. siccante; partim ex inanitione, partim ex subtractione nutrimenti: primi generis sunt febres omnes, & præsertim hectica, quia caloris est consumere humidum, cujus depastione sequitur siccitas. Deinde gignitur intemperies sicca, quando ex sudore, nimio alvi profluvio, & sanguinis profusione corpus humido destituitur: Nam calor omnis & spiritus cum sanguine & humoribus diffluit & excernitur, manetque corpus exiccum & exangue ad nullas actiones vitales habile. Ex tertio genere sunt atrophia, marasmus & tabes omnis, & defraudato videlicet alimento; Cum enim calor naturalis continuò substantiam humidam & roridam depascat, nisi

hæc per novum alimentum resarciatur, jam corpus marcescit & consumitur, ut patet in certis obstructionibus meatuum, ex quibus impeditur effluxus nutrimenti, in extremo senio, ubi propter nimiam duritiem & soliditatem partium, collabuntur meatus, nec viscera nisi superficietenus tantum rigantur; In magnis denique inediis & annonis, ubi fame, quæ mortis est comes & socia, iisdem de causis homines enecantur.

Etiam qual. 2. spectant ad intemperiem. DICO 5. Morbi Intemperiei non desumuntur tantum à qualitatibus primis sed etiam à secundis; constat hoc ex dictis, & probatur ex pupilla & humoribus oculi, qui si vitioso colore imbuuntur, officiunt visui; Et idem de lingua intellige, quæ peregrino sapore imbuta gustatum amittit, de nimia ossium mollitie, de laxitate pulmonum, de scabritie linguæ & asperæ arteriæ, &c.

DIFFICULTAS IV.

De quibus Morbis Intemperiei potissimum agant Medici.

EXistunt omnis Intemperiei affectus qui & actiones lædunt & morbos novos pariunt, ut proindè ad conservandum hominem omnes & Medicum & medicinas requirant: Cum tamen verum sit, non omnes ejusdem esse naturæ aut ab iisdem causis produci, non omnes æquè crebros & communes existere, nec in ore hominum adeò versari aut tantam deniq; Medicis difficultatem ubique parere; ideò in præsenti quæritur, quinam hujus generis morbi, quorum esse consistit in alteratione, à Medicis potissimùm tractentur.

DICO 1. Falsum est, quod morbi calidi maximam habeant difficultatem in curando. Ratio est, quia morbi frigidi humidi & sicci pendent ut plurimùm à causis pertinacibus omnique medelæ magis resistentibus: Deinde quia facilius est calorem in quo vita consistit, reducere & ad statum naturalem revocare si excedat, quàm eundem si depressius sit, restituere; Et confirmatur experientia, quia docet hæc, difficillimum esse auxiliari hecticis, hydropicis & quorum calor vitalis & nativus cum viscerum corruptione periit.

DICO 2. Falsum etiam est, ideò Medicum potius de morbis calidis quam de frigidis, humidis aut siccis agere, quod sint notiores aut crebriores. Prob. 1. quia æquè cogniti sunt morbi frigidi & humidi quam calidi, quia omnes primæ qualitates æquè cadunt sub sensum, ergo. 2. Etiam de affectibus raris ut lepra, scorbutto, atrophia, &c. non minus est Medicorum agere quam de iis qui sunt quotidiani: Et incertum est, nunquid æquè crebri sint morbi frigidi, humidi & sicci, tum quod calidis aut annectantur aut succedant, tum quod ex se & à propriis causis oriantur; Denique morbi calidi ut sic solo tactu deprehenduntur, frigidi autem, humidi & sicci non tam tactu quam visu, cui etiam vel corporis imminutio vel nimia augmentatio occurrit.

DICO 3. Medicus nihilominus inter morbos Intemperiei agit potissimùm de morbis calidis. Ratio est, quia morbi calidi non tantum sunt frequentissimi, sed constituunt etiam ex se propriè morbum, quod de morbis humidis, frigidis & siccis ut plurimùm non est verum; Nam omnes febres sunt verè propriéque dicti morbi, nec aliis morbis nisi paucis succedunt & annectuntur; affectus autem frigidi, humidi & sicci vel semper vel ut plurimum dependent ab aliis affectibus, habentque velut rationem symptomatum, unde etiam sub eodem nomine tractantur & explicantur. Exemplum sit hydrops, qui affectus est frigidus habetque rationem & morbi & symptomatis, & dependet ab aliis morbis, v.g. ab obstructione, scirrbo, intemperie viscerum naturalium, &c. Dixi primò & ut plurimum, quia etiam intemperies viscerum aliquando est morbus, qui per se primò à causis certis & determinatis gignitur; ut patet in frigiditate stomachi, quæ verè morbus est, & intemperies independens ab alio nisi à causis externis. Dixi secundò, nisi paucis, quia omnes febres symptomaticæ succedunt & annectuntur aliis affectibus, v.g. magnis vulneribus, viscerum corruptionibus & quibuscunque solutionibus continui; unde conclusio de febribus essentialibus intelligenda est. *Quare præter intemperiem calidam reliqua non sunt propriè dicti morbi.*

DIFFICULTAS V.

Quid sit febris.

SUPPONO hic primò, febrem esse genus, quod sub se multas & varias species comprehendat ut patebit ex sequentibus. Secundò, calorem febrilem esse ejusdem speciei cum nativo. Tertiò, febrem non esse symptoma sed morbum. Quartò, consistere formaliter in calore præternaturali.

DICO, febris est calor præternaturalis è corde in universum corpus diffusus. Ita Fernel. de febr. c. 1. & alii juxta decreta Gal. & antiquorum Medicorum tam Græcorum quam Latinorum & Arabum, qui omnes febrem vocant calorem p.n. id est, nativum cordis calorem in igneum conversum; Vide Mercat. l. 1. de essent. febris, tum alios. Jam explicatur definitio; Dicitur primò calor p.n. quia per hunc tanquam propriam suam formam distinguitur ab omnibus reliquis morbis facitque distinctum genus. *Adverte* tamen, non quemcunque caloris excessum esse febrilem, ideò quod hic calor stabilis non sit, nec dependeat ab aliqua causa morbosa & permanente; sed & calor ut plurimùm in hujusmodi casibus non est intensivè major, quia talis apparet ex commotione & diffusione sanguinis & spirituum, &c. Dicitur

secun-

Secundò corde diffusus in corpus, quia omnis calor influit à corde per arterias foverque corpus & conservat si naturalis sit, corrumpit autem & destruit si contrario modo se haber, ut febrilis; Neque enim ab Epate per venas, quæ licet in omnes partes diffundantur, neque à cerebro per nervos influit, quia imprimis in sanguine subsisteret & tepesceret; Deinde à cerebro tanquam membro frigidiori remittteret; In corde verò ut in fonte & principio caloris efficitur febrilis, quia bic in igneum mutatur & cum spiritibus per arterias quaquaversum effunditur; Et adverte, quanquam hic calor febrilis fit & accensus antequam cum putrido vapore substantiam cordis subingrediatur (nam fit ex putredine sanguinis vel humorum in locis à corde remotioribus) nihilominus tamen febrilis non dicitur, tum quia in corde primo formam accipit mutaturque in igneum, tum quia non occupat universum corpus nec facit morbum totius; hoc enim fit cum per venas aliosve meatus in corde divertit, incensusq; & adauctus in arterias in omnia membra excutitur: Et hinc plerique Medicorum ajunt febrem esse calorem in corde accensum indeque in corpus diffusum, quæ opinio & doctrina vera est, si intelligatur, calorem cordis à luperveniente putrido succendi & ex nativo in igneum converti, adeòque calorem rotum in corde verâ febris formâ interminari, secus verò si sensus sic, halitum putrescentem è fomite locoque primæ putrefactionis ad cor elevatum ibi magis intendi, quia ferver dum remotior est à corde. Sensus itaque definitionis est, quod febris sit calor quidam incensus & p.n. qui cum halitu sive vapore putrido cordis substantiam ingrediatur ejusque calorem succendat, tum verò in formam febris immutatus rotum corpus occupet & præternaturaliter afficiat.

Calor p. n. non dicitur febrilis, nisi in corde primùm accendatur.

Colligitur, calorem præternaturalem esse formaliter & essentialiter morbum febrilem, non verò affectum sive constitutionem quæ ex illo caloré p.n. resultar, prout nonnullorum figmentum est, dum entia sine necessitate multiplicant, quia omnia quæ ex illo calore sive cōstitutione & dispositione calida præternaturali resultant, rationem habent symptomatum.

DIFFICULTAS VI.

An febris solùm sit calida, an simul humida vel sicca.

NOn est sensus quæstionis, an calor qui constituit febrem, ita sit simplex, ut nullum ex reliquis primis qualitatibus secum patiatur, quia hoc falsum esse demonstrant combinationes prim. qualitatum, cum omnia corpora totius universi, quæ præterquam quod sint calida, semper vel humorem vel siccitatem annexam habent, Sensus itaque quæstionis est, an febris in esse febris requirat adhuc aliam qualitatem p.n. per quam in esse & conservari constituatur, & si aliam, an humorē vel siccitatem, quia potest corpus esse præternaturaliter calidum, naturaliter verò humidum & siccum.

DICO I. Febris in esse febria constituitur solùm per calorem p.n. adeòque est sola intemperiea calida per se. Probatur primò, solus calor p. n. lædit actiones in homine febriente; ergo in eo solo consistit febris; Antec. patet, quia nec humor lædit nec siccitas, nec quicquam aliud superest; ille quidem quia passivus est & omninò naturalis, hæc verò quia est effectus caloris humidum absumentis & igneo suo vigore partes a u entis. Secundò, calor p.n. febria est; sed nec humor nec siccitas ingredituressentiam caloris p.n. ergo nec febris. Tertiò probatur authoritate Gal. qui 8. meth. c. 1. de diff. febr. c. 2. de diff. morbor. cap. 5. & de caus. morb. c. 2. expressis verbis definit febrem per abundantiam caloris nullâ alterius qualitatis factâ mentione, id quod ex communiorum Medicorum definitione manifestum est.

Febris sola constituitur per calorem p. n.

DICES 1. Calor febrilis est igneus, ergò febris erit calida & sicca. Resp. 1. siccitatem conjungi per accidens calori, quia videlicet absumit humidum. 2. Hanc siccitatem non habere rationem morbi ideòque nec ingredi essentiam ipsius febris.

DICES 2. Non tantum calori, sed etiam siccitati adhiberi remedia, ut patet ex 1. aphor. 16 ergo febris erit etiam sicca. Resp. neg conseq: Quod autem febrientium victus potius debeat esse humidus quam frigidus, rationes sunt, ut docet Gal. 8. meth. c. 1. & 11. c. 9. quia humores per frigida incrassantur fiuntque inhabiles ad concoctionem, gignuntur etiam obstructiones; humidis autem fovetur & conservatur humor nativus, & præcavetur nimia siccitas viscerum, quam calor producit: Itaque administrantur humida tum propter siccitatem per accidens advenientem, tum propter calorem nonnihil obtundendum, tum ad humidum nativum restaurandum, proindeque humida tam calori quàm siccitati occurrunt, illi quidem primario & essentiali Agenti, huic verò secundario & accidentario & quod effectivè per calorem inducitur; Et hinc

DICO 2. Nunquam est calor febrilis sive febris absque humore & siccitate. Ratio est, quia febris non potest subjectari nisi in substantia partim humida partim sicca, ergo. De humore patet, quia nunquam est vivens absque humido, in quo consistit vita, ergo fine eo nunquam existet febris: Neque tamen Dices, humorem per se spectare ad essentiam febris; quia respondetur, indirectè tantum esse necessarium humorem ad febrem constituendam, quia videlicet pertinet ad corpus in quo exercentur actiones vitales, & recipitur febris. Probr. de siccitate, quia hæc est effectus caloris, si non primarius, saltem secundarius, ut patet in luto, quod primò calefit, tum rarefcit, tandem

Calor febrilis an possit esse absq; humore aut sic.

tandem in cineres mutato humido & in auras volante siccessit: Et confirmatur conclusio, quia nunquam recipitur calor nisi in corporibus vel humiditate vel siccitate imbutis, ut patet inductione; nam in elementis vel est calor cum siccitate ut in igne, vel cum humiditate ut in aere, quod idem de universis mixtis intellige, cujus ratio est, quia calor non existit naturaliter per se, sed semper inhæret subjecto, quod vel humidum vel siccum esse oportet.

Colligitur, febrem esse intemperiem simplicem calidam per se & primariò, per accidens verò & secundariò humidam, quia convenit calorem vitalem esse in subjecto humido, tum siccam, quia calor p.n. depascit humidum corpusque siccum relinquit.

DIFFICULTAS VII.

Qui sint effectus caloris febrilis.

Effectus febris vel sunt primarii vel secundarii, per se vel per accidens, de quibus hic omnibus quæritur.

F[illegible] primarius [illegible]

DICO 1. Effectus febris primarius per se est calefacere, intendere calorem nativum & producere effectum sibi similem. Prob effectus primarius & per se caloris sive naturalis sive p.n. est calefacere, & intendere alium in gradu minorem; sed febris est calor. p. n. ergo. Et confirmatur hoc ab eventu, quem observamus dum à calore non naturali cor incalescit, quia subitò diffusus hic mediis arteriis corpus & sanguinem universum incendit.

DICES, si primarius caloris febrilis effectus est, producere ubiq; similem sibi calorem, sequitur, quod etiam producat eundem quoad gradum; sed hoc falsum est, ergo & illud; Nam corpus febrientis non est æqualiter calidum sicut nec corpus hominis sani. Resp. non esse necessum ut calor in corde accensus ubique in corpore producat eundem caloris gradum, sed sufficere si similem, id est, p.n. producat. Deinde calor febrilis in corde accensus ubique producit calorem etiam in gradu sibi similem nisi aliunde quid obstet, ut innata humiditas, frigiditas, soliditas, pars externa frigori exposita, &c. Adhæc incertum est, numquid omnes partes, internæ saltem, æqualiter sint intensæ quoad calorem, si non mathematicè saltem physicè & quoad sensum; Nam probabile est, calorem in corde succensum, quando unà cum spiritibus per totum corpus diffunditur, in medio paulatim deficere & imminui tum ab innata viscerum humiditate, tum ab admixta eorundem frigiditate, qua calorem intensum nonnihil obtundunt.

An calor febrilis sit in toto corpore æquè intensus.

Effectus secundarii febrilis caloris.

DICES 2. Effectus secundarii per se multi sunt, ut rarefactio partium carnosarum & humidarum, consumptio spirituum vitalium, dissolutio virium, depascentia totius humidi, læsio actionum, &c. Rarefactionem probat experientia in rebus aliis quæ rarescunt mutanturque in vaporem, exhalationem & aerem, præsertim si sint humidæ: spiritus vitales partim deficiunt materialiter partim formaliter: illud quidem quia deficit materia, sanguis sc. ex quo gignuntur, hoc verò, quia spiritus omnes qui in febrientibus fiunt, sunt ultrà debitum terminum intensi, proindeque nec competunt actionibus vitalibus; Et hinc est quod vires dissolvant, sicut & nimius calor corpus ejusque membra propter eandem causam depascat, pabuli videl. copiosioris indigus, actiones verò & potentiæ læsis organis deficiant, ipsumq; tandem vivens, si hostiles injuriæ nimium urgeant, in interitum ruat.

DICO 3. Effectus secundarii per accidens aliquot recensentur. Nam imprimis est inanitio ex consumptione & dissolutione partium omnium carnosarum & humidarum, tum ex prostrato appetitu, quo deficiente nihil alimenti stomacho subministratur, unde siccitas, tabes, & marasmus. Secundus est humiditas frigiori juncta ex corrupto suffocatoque calore; Nam corpore sic affecto cessat virtus regitiva corporis, nec humidum sufficienter nec ad bonum corporis distribuitur. Tertius pallor & intumescentia propter eandem causam; Et videmus id in omnibus corporibus, in quibus calor p.n. omnia prius depascat, tandemq; suo pabulo destitutus & se & vivens conficiat; Plura docet experientia & Medicorum praxis; ex qua observantur quotidie in febrientibus ariditas linguæ, dolor capitis, delirium, convulsiones, singultus, sudor frigidus, nauseæ, vomitus, diarrhæa, finis, & quod malorum maximum & horribilissimum est, mors & interitus.

DIFFICULTAS VIII.

Unde horror sive rigor febris prænuncius.

Supponο, horrorem & rigorem, qui plerunque febres præcedere solent, differre tantum secundum magis & minus: Nam horror est debilissimus rigor. De causa utriusque non est eadem opinio. Nam

Prima est, rigorem illum sive horrorem excitari per flatus quosdam frigidos ex cibo & potu genitos, qui permeando partes sanguine plenas, eas quoque frigefaciant, & totum corpus horrore compleant, eòque amplius; quò plures fuerint ejusmodi flatus, quoque majore impetu ferantur; His favere videtur Arist. l.1. suorum probl. 29. dum ait; Itaque per æstatem quod frigidum est dissolvitur, id est in vapores & flatus attenuatur, ob calorem extrinsecum diffusumque rigores excitat.

Secunda est Hipp. l. de morbis, ubi hujus rei causam in materiam biliosam & pituitosam refert; permisceri ait cum sanguine pituitam & bile

& bilem ac inde sanguinem refrigerari; frigescente autem sanguine rigescere totum corpus, cui rigori succedat tremula corporis concussio.

TERTIA est, humorem quendam initio febrilis accessionis è venis majoribus in quibus conditus erat sanguini mistus, in corporis habitum propelli, cujus humoris occursu summæ corporis partes rigore concutiantur vel horrore; dehinc humorem sensim incalescere, inflammari & putrescere, donec demum attenuatus in sudorem dissipetur, & sic accessionem febrilem finiri, dum nova redeat, præsertim in febribus intermittentibus. sed hanc opinionem refutat Fernel.l.4.de febr.c.9.& 10.tum quia hinc sequeretur, febrium causam solùm in venis esse, non etiam in mesenterio aut visceribus, quod ait falsum esse, tum quia non potest tam repentè hic humor sanguini permistus (crassa præsertim & lenta pituita aut atra bilis) à puriore venarum sanguine secerni, & momento ad exteriora effundi.

QUARTA itaque Fernelii opinio multis probabilissima est, materiam febris & rigoris non esse venarum succum alendo corpori destinatum, sed humorem aliquem excrementitium, qui è jecoris sanguine prolectus in sua conditur receptacula, antequam sanguis Epar transcendat; Et tertianæ quidem materiam bilem esse flavam, quartanæ atram, quotidianæ veræ pituitam mucosam in ventriculo intestinisque collectam, &c. His positis

Causa rigoris. DICO *breviter*, causa rigoris sive horroris est humor sive vapor putridus & corruptus è loco & fomite putredinis elevatus, qui dû per cæcos meatus & cavitates principium vitæ repetit initium febris facturus, partes intermedias quæ sensu prædita sunt, percellit, & dum molestius pungit, totum corpus in consensum trahit, & rigorem efficit. Hæc conclusio duo dicit; primò causam rigoris esse vaporem corruptum; secundò, dum cordis substantiam subingreditur, partes intermedias, quia vehementer sensiles sunt, mirè percellere, concutere & mordacitate sua convellere, minus quidem in febribus in quibus putrefactio non procul abest à corde, magis autem in iis, quarum sedes distat. Et hæc omnia cum nullo sensu manifesta sint, necessum est ratione sola constare, præsertim cum experientia nihil convincat. Ratio autem est, quia imprimis immediatè rigor febrem & calorem p.n, antecedit, dum videl. materia sive cordi proxima in venis majoribus, sive remota ab eo circà viscera naturalia corrumpitur halitumque mordacem & putrilaginosum in substantiam cordis immittit; Deinde quia nihil est, quod partes omnes sensu exquisito præditas ita in consensum trahere possit, quam hujusmodi vapor putridus, qui antequam in corde febrem incendat, prius rigere facit partes; parum quidem aut nihil in febribus magnis & continuis, in quibus putrefactio est cordi proxima, multum verò in intermittentibus, quæ longius à corde distantem habent materiæ sive putrefactionem. Cum itaque omnium borum sedes sit circùm præcordia, ventriculum, diaphragma, mesenterium aut cava jecoris, hinc quando humores & vapores corrupti sive calore, sive frigore, sive alia quacunque qualitate molestius pungunt, & majore impetu in partes circum præcordia sentientes irruunt, fit, ut si ipsæ doleant, subitò totum corpus in consensum trahant, & ob exquisitum membranarum nervorumque sensum rigere faciant. Quamvis etiam fieri possit, ut dum bilis in certis quibusdam febribus accessionis initio putrescens quasi turgescit, & impetu majore in præcordiorum membranas irruit, hæc in reliquum corpus, maximè in cor & caput malignum aliquem halitum & vaporem effundat, adeòque præcipua sit causa oscitationis, rigoris vel horroris, pulsus obscurioris, &c. Cæterùm an verum sit quod Fernel.c.9.loci citati addit, videlicet ob hujus rei ignorantiam nondum ullius febris intermittentis veram curationem esse perceptam, & solutionem illius sponte sæpius quam arte succedere, viderint Medici. Ego non tantum in hisce febribus, sed etiam in multis aliis morbis id verissimum esse judico, ubi Medici multum sæpius laborant, naturâ se interim solâ curante & conservante, nisi tamen subinde à diversis medicinis obruatur & impediatur. Tot enim sunt operationes materiales animæ circà concoctiones, sanguinis & humorum distributiones, segregationes, motum, partium connexiones & secreta alia, ut in corpore vel bomine vivo nunquam satis explorari possint; minus in mortuo.

DIFFICULTAS IX.

Quæ sit divisio ex differentiis febrium.

DE hac utraque multi scribunt, adeòque fusa quæ etiam legenti nauseam pariant, ut videre est inter alios apud Merc.lib.2. de diff. febr. Dividit autem quilibet febres pro arbitrio & libitu, eas vel à modo caloris operantis, vel à materia & loco ubi primum fundantur, vel à putredine & adjectis qualitatibus distinguit.

Fernel.l.4.de febr.c.2. dividit febrem ut est genus summum in genera tria subalterna, nimirum in simplex, putridum & pestilentiale; febrem simplicem, cujus calor tantum naturalis temperamenti limites excedat aut in igneum conversus sit, asserit esse triplicem, Ephemeram, synocham & hecticam; primam in solo spiritu inflammato consistere, secundam in sanguinis effervescentia citrà putredinem, & tertiam in substantia cordis omniumq; partium corporis, omnes autem in excessu vel intensione caloris. Putridam subdividit in intermittentem & continuam, & hanc quidem in primariam, quæ accendatur ex putrefactione humo-

humorum in venis majoribus, & in symptomaticam, quæ consequatur partis alicujus inflammationem. Pestilentem denique non tam calore quam malignitate pernitiosam dicit aliquando humores & aliquando partium substantiam contaminate. Cæteri autem Medici communiter dividunt febres in diariam sive ephemeram, in putridam & hecticam: sub diaria comprehendent synochum simplicem; sub putrida continuam & intermittentem putridam; sub hectica primariam cordis & secundariam singularum partium. Febris pestilentialis morbus complexus est, continetque febrem & malignitatem sive morbum totius substantiæ species toto genere distinctas, ideòque febris hæc ad nullum certum genus spectat, præsertim in eorum sententia, qui malignitatem cum quavis febre subsistere posse docent. His positis

DICO *breviter*, optimè dividitur febris in Ephemeram vel diariam, in putridam & hecticam, & harum quælibet in alias atque alias species inferiores. Ita communiter Medici, & ratio est, quia per hanc tripartitam divisionem & differentiam tota febrium omnium series evidentissimè comprehenditur & explicatur: Nam per diariam intelligitur febris & accensis spiritibus & sanguine citrà putrefactionem; per putridam comprehenduntur omnes febres intermittentes & continuæ quibuscunque ex humoribus corruptis gignantur, per hecticam explicantur omnes febres habituatæ & in partibus solidis fundatæ, sive sint primariæ cordis, sive secundariæ cæterorum corporis membrorum.

Colligitur, hanc divisionem non esse absolutè essentialem, quia non desumitur à calore præternaturali, sed ab aliis quibusdam differentiis & proprietatibus individuantibus quæ faciunt, ut febres in diversa genera subalterna & species dividantur, quod etiam fieri cernimus in brutis animantibus & vegetabilibus, quorum divisio & distinctio non desumitur à forma substantiali, quæ & in sensitivis & in vegetativis eadem est, sed ab aliis differentiis & proprietatibus, à quibus omnibus immunis est solus homo in sublunaribus propter excellentiam tam animæ quam totius speciei contrà impiissimum & indoctissimum fabulatorem, Paracelsum, qui nescio quot & quas hominum species singulis elementis inhabitantes nuper ausus fuit confingere.

DIFFICULTAS X.

Quæ sint causa febrium in genere.

QUæritur hic de causis quomodocunque sumptis; Nam constat calorem febrilem rarò produci à simili; sed ab agentibus accidentariis & indirectis, quæque vim habent immutandi complexionem naturalem & statum sanitatis inflectendi.

GALENUS de causis morb. c. 2. & 1. de diff. febr. c. 3. quinque causas febrium ut & aliorum affectuum calidorum recenset, motum sc. contactum rei calidæ, constrictionem corporis sive retentionem calidi effluvii, ea quæ intrinsecùs assumuntur, ut cibus, potus, aer, &c. & denique putredinem. Hæ causæ cum ab omni Medicorum schola recipiantur, etiam ita sufficiar, ut ad eas facilè omnes possint revocari, adeò ut paulò fusius explicentur.

DICO 1. Per motum potest causari calor præternaturalis, non quidem per se sed per accidens: ante probationem *Adverte* 1. alium motum esse ad quantitatem, alium ad ubi seu ad locum, & alium ad qualitatem de quo hic sermo. 2. Motum dividi in naturalem, violentum, medium, tardum, velocem, directum, reflexum, regularem & irregularem. 3. Motum vel fieri in viventibus ut semine, vel in rebus inanimatis ut aqua, ferro, &c. in quibus aliquando calor excitatur, illud quidem, quia motâ aquâ calidè exhalationes evaporant; hic verò, quia partes contritæ accenduntur & rarefiunt, ut patet non tantum in rebus duris & solidis, sed etiam in ipso mari, quod crebrò ventorum motu agitatum tepescit. 4. Causam per accidens & æquivocam esse, quæ sua natura non respicit aliquem effectum illiusque productionem assequitur, ea tamen efficit quibus positis effectus ponitur, quemadmodum ex collisione duorum lapidum rarefiunt partes lapidum, rarefactæque; incalescunt aut etiam incenduntur. Jam quod motus non sit causa per se & univoca febris vel caloris, cuius est tendere ad productionem effectus similis, prob. motus non potest esse causa per se & univoca caloris, nisi per se ad illum terminetur; sed motus localis de quo hic sermo est, non terminatur per se ad calorem, sed ad ubi, ergo. Confirmatur, causa univoca & effectus sunt ejusdem rationis; sed motus & calor non ita se habent, ut patet, ergo. Quod autem motus sit causa per accidens & æquivoca, probatur multis experientiis in corporibus motis & contritis, v. g. in chalybe & silice, in sagitta per aerem emissa, &c. De modo saltem quo calor excitatur, dubium est. Quidem ex Philosophis dicunt calorem motu productum virtualiter extitisse in corporibus quæ fricantur; sed hoc non explicat quo modo ille calor excitetur & eliciatur; Alii & inter eos D. Thomas putant, motum localem ideò esse causam caloris, quia cum sit primus inter motus, est causa reliquorum & consequenter calefactionis; sed nec hæc opinio docet modum producti caloris. Omnium optimè sentit Alb. M. 1. meteor. c. 1. tr. 1. motum sc producere calorem per rarefactionem partium in corporibus quæ colliduntur. Nam inquit, cum unum corpus super aliud celeri motu fertur, amboque corpora confricantur, rarefiunt eorum partes, ipsamque tum raritatem vel sequitur vel comitatur calor, ut patet quando duo corpora solida colliduntur, quia aer intereà magis atteritur, attenuatur & rarescit, quam raritatem calor ejus comes sequitur;

Divisio febrium.

Causæ febrium.

Motum quo modo causet calorem p. n.

Motus est causa æquivoca caloris.

Calor quo modo producatur per motum.

tur; et hoc eodē modo incalescit corpus nostrū dum agitatur, & attenuātur spiritus & humores nostri, sive illud fiat proximè per motum localem, sive remotè per passiones fortesque apprehensiones.

DICO 2. Etiam res omnis calida sive virtualiter sive formaliter potest producere calorem p.n. Hæc conclusio patet ex disputatione de alteratione & productione formarum accidentalium; Et pertinent huc lumen & corpora luminosa, tum res omnes naturales quæ vel extrinsecus adhibitæ vel intrinsecus assumptæ nativam complexionem alterant, ut aër calidus, ignis, æstus solaris, frigus austrinum, cibus, potus, &c. De lumine res manifesta est, quia hoc in speculi cavitatem projectum vel à corpore solido reverberatum producit calorem; Nec aer tantum sed æqua sed & homo hoc luminis calore exæstuat & incenditur; quo eodem malo iis affliguntur oculi qui vel intentiùs luminosa corpora aspiciunt ubi diutius inter nives ambulant; Nam lumen nimis vehemens reflectitur in organo, tantumque caloris producit quantum tempe- ries pupillæ ferre non potest. Intrinsecus assumpta habentur ex antecedentibus.

Constipatio pororū quomodo calorem intendat. DICO 3. Constipatio cutis & pororum producit etiam calorem & intemperiem in homine. Hæc infrà docentur de antiperistasi. probatur etiam ex adustis fuliginibus calidisque halitibus, qui si intrà meatus concludantur, rarefiunt motuque incalescunt, adeòque sanguinem incendunt & calorem intendunt, ergo constipatione pororum & prohibita transpiratione producitur calor & intemperies, si non ut à causa univoca & per se, saltem ut ab æquivoca & per accidens, sive ut à certa conditione & dispositione. De putrefactione & calore per eam producto dicetur paulò post.

DIFFICULTAS XI.

Quodnam sit subjectum febris.

AGitur hic tantum de subjecto inhæsionis; quia constat alterum denominationis esse totum suppositum. Et hinc

Quando febris sit in humoribus. DICO 1 Nulla febris pro subjecto habet sanguinem, humores & spiritus. Hæc conclusio est conformis doctrinæ de morbo & sanitate; Nam propter quam causam hæc in solis partibus animatis sedem habet & de iis prædicatur, propter eandem fundatur etiam in iis omnis morbus omnisque febris. Quod si febris diaria pro subjecto dicatur habere spiritus, alia humores, &c. Id causaliter & materialiter intelligendum est ut habent antecedentia.

DICO 2. Omnes partes viventes sunt subjectum febris. Probatur iisdem argumentis, quibus probatum fuit morbum habere pro subjecto solas partes animatas, & additur primo, febrem esse morbum universalem & occupare totum corpus; Secundo, omnes partes foveri à spiritu vitali p.n. calido. Tertio, omnes esse capaces & receptibiles caloris excessivi. Quarto, omnes functiones lædi, præsertim verò quæ à Medicis naturales & à Physicis vegetantes dicuntur, ergo totum corpus & singulæ ejus partes subjiciuntur febri formaliter, & causaliter humores, sanguis, spiritus aliæque substantiæ inanimatæ.

Quare non omnis calor est hecticus. DICES, si febris occupat omnes partes, ergo etiam solidas, ergo omnis febris erit hectica quod tamen falsum est & cuntra doctrinam Medicorum. Resp. neg. ultimam consequentiam; Nam febris hectica sive habituata non consistit in hoc, quod partes solidas pro subjecto habeat, quia hoc etiam reliquis febribus convenit; Nec etiam in hoc quod aliunde non fomentetur, quia constat ex definitione febris hecticæ, quod calor hecticus primùm cordi inhæreat, ab eoque in reliquum corpus diffundatur; Deinde quod hunc eundem foveant corruptiones viscerum, quæ si restitui & emendari possent ipsum quoque extinguerent, si non in tertio saltem in primo & secundo gradu, ubi non omnis substantia rorida est absumpta, adeòque corpus novi humidi receptibile; Nec etiam in hoc quod calor hecticus magis penetret partes solidas quam fieri soleat in aliis febribus, ut sensit Fernel. c. 16. de febribus, quia etiam calor p.n. in febribus putridis afficit & penetrat partes solidas, imò magis quam in hectica, quia acrior est, intensior & magis consumptivus, ut ratio & experientia docet. *Febris hectica in quo consistat.* Consistit itaque febris hectica in hoc, quod primis temporibus fomentetur quidem à certis corporum dispositionibus & tam partium animatarum quam inanimatarum corruptionibus, successivè tamen ita cordi & soliditati partium immergatur, ut cum depelli amplius non possit, aliunde fomitem non requirat, quia videlicet nec à frigido evincitur nec ab humido mitescit. De his quidem fusè, sed satis confusè & non ad cuiusvis captum scripsit Merc. loco cit. ut patebit sæpius etiam legenti, brevis autem & melius tum Fernelius, tum alii.

Cor primū subjectum caloris. DICO 3. Subjectum primum & principale licet partiale febris est cor. prob. primò ex definitione tum Galen. tum Arabum omniumque Veterum Medicorum, qui febrem dixerunt calorem in corde accensum, ergo si febris in corde formam accipit, id meritò primum & principale subjectum dicitur. Prob. secundo ex natura cordis, cui primatus inter omnes partes totius corporis debetur; Nam si cor est fons & principium vitæ & caloris vitalis, à quo optima & nobilissima corporis constitutio sanitas; erit etiam radix & fundamentum in quo incipiat febris, quia nunquam homo febrit, nisi cum primùm calor p.n. substantiam cordis occupat, indeque per arterias in universum corpus devehitur.

DIF-

DIFFICULTAS XII.

Ex quo loco corporis oriantur febres.

HÆc difficultas ab aliis aliter proponi solet, ubi videlicet sit fomes & locus putredinis vel materiæ accensæ, unde calor tum cordis substantiam occupet, & febrem constituat, cum omnes febres ab aliqua materia vel accensa & inflammata, ut patet in febre diaria & hectica, vel a putredine in continuis aut intermittentibus putridis dependeant.

Ubi origo febrium. DICO 1. Febres quæ corpus citrà sanguinis & humorum putrefactionem affligunt, ut est febris diaria, synochus non putrida & hectica quæ solam cordis intemperiem sequitur, variis in locis suum habent originem. Nam primò in febre diaria possunt spiritus in omnibus partibus quibus continentur, inflammari. 2. Synochus non putrida dependet ab accenso æstuanteque sanguine tum Epatis tum Venarum majorum circà præcordia è quibus in substantiam cordis effertur. 3. Hectica ducit originem ab iis causis à quibus in fieri pendet; sic aliquando subsequitur alias febres ardentes, aliquando provenit à corruptione viscerum, v.g. ab ulceratis renibus, Epate, pulmone, &c. aliquando à multis vigiliis, laboribus, studiis, inedia, exiccatione, inanitione, tristitia, melancholia, obstructione, hypochondriorum, &c. quibus omnibus ad hanc febrem suæ sunt dispositiones, fundamentum autem cor. Et huc spectant febres pestilentiales, quæ per contactum hominem corripiunt, & in quibus virulentia aliquando viscera naturalia, ut Epar & stomachum, aliquando caput & cerebrum, aliquando cor proximumque venarum sanguinem invadit, variéque vel suscitando putrefactionem vel opprimendo spiritum & calorem vitalem in corde citrà incensionem etiam & febrem corrumpit.

Fomes febrium interm. & contin. DICO 2. Etiam in febribus putridis tam continuis quam intermittentibus varius est locus & fomes putrefactionis. Hic *adverte*, locum putredinis esse ubi primum materia putrescit calorque succenditur, qui deinde cum vapore putrido cor petit febremque suscitat; Deinde aliquando eo loci ubi fit putredo, materiam suppeditari, aliquando aliunde recipi; Denique febrem aliam esse primariam, aliam secundariam sive symptomaticam, quæ sc. est à motu humorum ut in catarrhis, & ab aliqua inflammatione partium, &c. In febribus itaque symptomaticis fomes est vel membrum illud à quo profluunt humores, ut cerebrum in calidis destillationibus & catarrhis quasi Epidemicis, vel pars illa in qua materia recipitur & putrescit, ut pulmo in peripneumonia, membrana intercostalis in pleuritide, musculus in tumore calido, &c. Intermittentium febrium sedem & locum advertit Senn. lib. 2. c. 16. de febr. interm. triplicem; primum, qui materiam proximam & continentem febris causam contineat; secundum, qui materiam suppeditat; Tertium in quam materia è venis expellatur: locum primum ait esse venas & arterias, per quas vapores putridi ad cor ferantur; secundum vult esse membrum primæ concoctionis è quo materia ad venas transmittatur, ab his verò singulis paroxysmis expellatur; Tertium putat esse extra venas, ambitum scil. corpóris, ventriculum, intestina, renes; quia in hæc loca venæ terminantur, & quia materiam in paroxysmis febrium per has vias evacuari videmus: In his autem omnibus à Fernelio dissentit, tum ab omnibus iis qui statuunt, materiam in febribus intermittentibus tantum in habitu corporis extrà venas & in carnibus putrescere. Omnium ait Fernelius 4. de febribus c. 10. propria sedes & origo in prima est corporis regione circum præcordia, ventriculum, diaphragma, tum jecoris cava, lien, pancreas, omentum aut mesenterium; hæ siquidem partes sunt quasi publica corporis sentina, in quam omnis confluit cumulaturque humorum colluvies, &c. sed de his infrà. In febribus continuis continentibus locus putredinis sunt vasa magna inter alas & inguina ut docent Authores cum Gal. 2. de cris. 7. & 1. Epidem. 2. cujus ratio est, quia hujusmodi febres, quia sunt in vasis cordi proximis, non ita sensim moventur ideòque etiam carent accessionibus; In continuis autem periodicis sive proportionatis, quia putredinis locum habent venas remotiores à corde, medias scilicet inter magnas & capillares, à quibus non subitò transmittitur vapor putridus ad substantiam cordis sed successivè & paulatim, fiunt accessiones pro natura humoris qui movetur & dominatur; Non tamen habent hæ febres tam manifestas accessiones sicut intermittentes, quia in his sunt venæ remotiores longèque exiliores, & quod potissimum est, halitus putrescentes feruntur extrà vasa per varios meatus & viscerum anfractus, quousque substantiam cordis subingrediantur; In periodicis autèm continuis venæ sunt majores, proximiores, materia pauçior, calidior, rarior, idcòque breviorem viam potissimâ sui parte adusque fontem caloris intrà ipsas venas penetrat.

DIFFICULTAS XIII.

Quæ sit natura febris Ephemeræ sive diariæ.

DIcitur hæc febris Ephemera vel diaria, quia plerumque 24. horis durat, quo tempore

tempore calor p.n. rursum evanescit, nisi tamen oberrorem aliquem vel in tertium vel in quartum etiam diem sese extendat, aut in gravius aliquod malum deflectat; Nam prætérquam quod propter copiam vaporum & constrictos corporis poros calor tardius discutiatur, si hæc febris in corpus impurum aut cere densius incidat, non raro febrem putridam producit, aut etiam si in calidius aut siccius, hecticam, vel demum si in juvenile sanguineum, præsertim verno tempore, synochum simplicem & sine putredine Jam

Febris diaria quid. DICO I. Febris Ephemera est calor p.n. in spiritibus primò, tum reliquo corpore accensus. Calor & affectus p.n. sunt loco generis; cætera loco differentiæ. Quod autem dicatur calorem hunc incendi primò in spiritibus, intelligendum est causaliter sive materialiter, quia affectus non est, nisi cumprimùm in partes viventes transiit. Sumitur itaque differentia à calore in spiritibus accenso tum respectu febrium tum morborum cæterorum, quia nec hi dependent à spiritibus accensis nec illæ, ut patet inductione; sit tamen nihilominus accensio in corde & arteriis, estque morbus totius, quia partes omnes à spiritib᷒ vitalibus incenduntur, esto differat ab aliis febribus in hoc, quod ipsæ à putrefactione humorum dependeant, & hæc à sola spirituum excalefactione seu inflammatione; durat autem minus, quia spiritus & eorum calor sunt fluxiles.

Spiritus quomodo accenduntur. DICO 2. Spiritus vitales accenduntur ab iisdem causis, à quibus gignuntur febres. Probatur ab enumeratione causarum; Nam imprimis accenduntur spiritus motu & exercitio valido, laboribus multis, vigiliis; passionibus animi, &c. Deinde intendit calorem spirituum æstus aeris & solis, ut quotidiè experimur. Adhæc idem efficiunt ea quæ intus assumuntur, ut cibus & potus calidus, quia non tantum decoctione in sanguinem & spiritum ferventem immutantur, sed intendunt etiam quicquid caloris inest aliis partibus: sed & pororum cutis constrictio in accendendis spiritibus crebra facilisque est, ut vel maximè in puerperis advertimus & iis, quorum corpora pervia per circumstantis frigoris injurias occluduntur; Nam interiores fuligines, quæ ab excretione repelluntur, collisione motuque rarescunt, & non tam se quam sanguinem & spiritum vitalem incendunt. Et huc etiam spectant febres catarrhales ab humorum defluxionibus dependentes, quia & in his fuligines à vasorum obstructione incenduntur, sed num spiritus aliquando putrescant? Resp. &

Spiritus [illegible] putre-[illegible] DICO 3. Valdè probabile est, etiam spiritus verâ propriéque dictâ putrefactione corrumpi, quod multi ex Medicis negant, sed probatur primò, omne corpus actu calidum & humidum est putrescibile, ergo & spiritus vitalis; Nec impedit hoc ejus raritas & levitas; quia rarior & levior est aer, qui nihilominus non tantum putrilagionosis & contagiosis miscetur vaporibus, sed etiam in severa putrefactione & corruptione deflectit à statu suo naturali; si itaque aer qui spiritu vitali est calidior & humidior in qualitatibus primis, & in secundis rarior, à corruptione non eximitur, multò minus spiritus vitalis. Secundò, sanguis arteriosus non est immunis à putrefactione, ergo nec spiritus, qui non differt à sanguine, cujus tantum est pars rarior & calidior. Tertiò, in febribus malignis & pestilentialibus de facto spiritus vitales corrumpuntur, quod satis indicat summa virium debilitas & non rarò subitaneus mortalium decessus, ergo nihil impedit vel levitas eorum & raritas.

Colligitur autem, quamvis etiam spiritus animales p.n. incalescant, nihilominus tamen in horum successione non consistere febrem diariam, quia non inserviunt hi spiritus ad eliciendas eas actiones, quæ vitæ conservationi competunt.

DIFFICULTAS XIV.

Quæ circa naturam febrium intermittentium in genere advertenda sint.

Dicuntur febres intermittentes, quia post singulos paroxysmos ita remittunt, ut nihil caloris p.n. in homine reperias. Occurrunt autem multa in hujusmodi febribus obscura & ambigua; Nam imprimis est difficultas quotuplices sint febres intermittentes. Secundò, an & quare incipiant per paroxysmos, id est, desinant & redeant. Tertiò, an & quare semper incipiant cum frigore, rigore, horrore, oscitatione, pandiculatione. Quartò, quare certo & determinato tempore redeant, ut quotidiana singulis diebus, tertiana alternis, &c. Quintò, quare in fine paroxysmi aliquando subsequatur sudor, aliquando non. Sextò, Ubi radix & prima sedes febrium intermittentium. Septimò, an febres hæ fiot aliquando lethales. Octavò, An aliquando malignæ, &c.

DICO I. Si differentiam essentialem febris intermittentis spectes, ea vel est quotidiana, cum videlicet pituita dominatur & putrescit, vel tertiana, cum bilis, vel quartana cum melancholia: De quintanis & sextanis referunt Authores, penes quos fides esto. Si de differentia accidentali inquiras, aliquando febris hæc est pura & sincera, quando humor purus abundat & putrescit; aliquando spuria, cum humor non est sincerus sed aliis permixtus, ut bilis phlegmati, melancholiæ, quæ nihilominus ob dominium faciat tertianam, & naturam bilis obtineat, esto sit frigidior, crassior, tenacior, &c. Adhæc aliquando *Differentia febrium intermittentium* febris

febris interm. est longa ob copiam putrescentis humoris, aliquando brevis ob paucitatem: Deinde sæpè anticipat, postponit; aliquando est æstiva aliquando hyemalis; sæpè cum rigore aut frigore incipit, sæpè absque hoc, & aliquando est mitis, aliquando vehemens, &c. Denique aliquando febris intermittens est sola & simplex, ut cum tertiana singulis alternis affligit diebus; aliquando duplex, ut cum febris tertiana ita quotidiè hominem affligit, ut binæ alternis diebus se mutuò sequantur; aliquando triplex, ut fit in quartana, quæ hominem quotidiè invadit: Et hæc omnia fieri non tam suadet ratio quam testatur experientia, quia possunt humores in diversis locis & distinctis temporibus putrescere & accendere febres, vel singulis diebus vel etiam bis uno in die, cum v.g. bilis unius loci ante prandium, alterius autem post prandium movetur; Idem intellige de quartana.

Recursus febrium intermittentium. DICO 2. Febres intermittentes ideò persunt & redeunt, quia materia putrilaginosa quæ febrem facit, in integrum dissipatur, alia autem de novo affluit & ad novum paroxysmum disponitur. Ratio totius est, quia sicut febris præsente causa & materia morbosa constituitur, ita eâ sublata cessat, ergo dum febris desinit, signum est ejus causam etiam desiisse: Et hoc idem de reditu morbi & febris intellige, quia cum nunquam hæc repetat insultum nisi ad præsentiam novæ substantiæ corruptæ, à qua in esse fieri & conservari dependeat, indicium est, jam novam affluxisse materiam, quæ febrem faciat: sed unde hæc affluat, an post finem prioris insultus vel ad ejus initium; quid faciat hanc materiam novam putrescere; an prior insultus omnem materiam morbosam absumpserit; vel an quædam morbosæ dispositionis reliquiæ remanserint, &c. non est facilè definire, quia sensus nihil judicat, nec in experientia testem habemus, nisi dum cernimus febrem alternis quaternisque diebus redire rursumque desinere. Nam si dicas, aggregationem humorum ad locum & focum putredinis esse motum quendam continuum, eamque materiam, quæ prius affluxerit, disponi ad priorem insultum, quæ posterius, ad posteriorem, sequitur insultum & paroxysmum nunquam desinere, cum affluxus & putrefactio materiæ sit continua. Videtur itaque dicendum esse primo, nunquam materiam febrilem criticè per circuitum ita evacuari corpusque restitui, ut non remaneant dispositiones vel congeries quædam qualitatum inconvenientium, quæ aliunde affluentem materiam sive ex recenti alimento digestum sive jam dudum intrà venas cum sanguine confusam, novâ quidem sed actione simili quâ prius corrumpant. Secundò, in fine paroxysmi affluere materiam novam ad resarciendam substantiam deperditam, & hanc materiam jam prius fuisse corpori nutriendo inhabilem. Tertiò, paroxysmos ideò paulatim vel remittere vel accrescere, quia nimirum plus vel minus materiæ peccantis, à qua immediatè pendet febris, affluit; bilis quidem flavæ in tertiana, atræ autem in lienem refusæ in quartana, & pituitæ mucosæ, quæ in ventriculo intestinisque plurima colligitur, in quotidiana.

DICO 3. Frigus, rigor & horror sunt motus corporis sensiles vel locales à materia morbosa: moventur enim nervi, membranæ, musculi omnesque partes sensu præditæ quando feriuntur à vaporibus putridis, æstuantibus & mordacibus, quos à se divertere conantur, & ad quorum appulsum quasi convelluntur; frigus autem partium externarum oritur à sanguine, calore & spiritibus ad interiora retractis & velut opem visceribus allatutis, quod etiam in timore, melancholia & deliquiis accidere solet: *Rigor seu horror.* Et hinc *Adverte* primò, rigorem fieri, si materia quæ ad partes allidit, sit tenuis & acuta; horrorem verò aut frigus si sit crassior & blandior, adeoque ex communi Medicorum sententia distare hæc tria tantum intensione & remissione juxtà materiæ dispositionem ut habet Fernel. cit. c. 10. vel magnitudine causæ, ut ait Senn. lib. 2. de febr. interm. c. 16. ex Gal. l. 2. de sympt. caus. c. 6. & 14. m. m. c. 4. & meritò, quia frigus occupat summa corporis, horror leviter concutit universum corpus, rigor autem validissimè. Secundò, paroxysmum incipere aliquando absque ullo rigore vel horrore, vel saltem cum aliqua pandiculatione, quia sc. vapores sunt mitiores leniusque moventur, ut habet idem Fernelius dum ait, Calidus ac putris humor extrà venas quavis in sede conditus quamdiu quiescit, corpus rarò exagitat; at verò dum quasi efferatus illinc p.n. impetu dimovetur, id variè concutit: si paucus est, ut in levioribus tertianis aut ejus parva acrimonia, ut pituitæ putrescentis, motus velentus ac languidus, solum frigus invehit; sin copiosior est aut acrior, aut ejus motus concitatior, horror invadit; Cum verò plurimus, isque vehementer acer & mordax, magno impetu in præcordia excussus, rigor verus inducitur, &c. Tertiò, hanc partium convulsionem non fieri in febribus continuis nisi ad primum humoris motum propter putredinem in venis cordi proximioribus existentem, quæ etiam motu continuo ob nunquam intermittentem sanguinis humorumque putrefactionem cor calidis afflatibus absque ullo rigoris sensu fatigat.

Causa accessus & recessus. DICO 4. Motus humorum febriumque intermittentium accessus & recessus in naturam ipsius materiæ quę febrem facit, referendus est, non autem in ipsa astra; Ita communiter sentiunt Medici cum Gal. 2. de diff. febr. c. ult. cõt. Concil. diff. 88. & contrà Astrologos. Nam sicut in naturam internam referendum est; quod Rhabarbarum bilem potius quam pituitam purget, matricaria herba menses moveat, opium somnum concilict, &c. & sicut intrà certos dies humores in febribus acutis ab intrinseco moventur; Ita naturale & intrinsecum bili est ut ad motum faciendum sufficienter biduo spatio decoquatur, melancholia tridui & pituita die unico; nec hactenus proximior & manifestior causa in rebus naturalibus ad indaganda

ganda earum secretiora tam à Medicis quam à Philosophis inveniri potuit, qua similiter exacte respondetur quærenti, cur radii in muro non repercutiantur sicut in speculo, quia videl. murus non est speculum, id est, quia murus non habet eas dispositiones sive internas sive externas quibus repercutiantur radii, quemadmodum habet speculum. Itaque sufficit naturam bilis esse ut intra biduum moveatur, melancholiæ intra triduum, &c.

DICO 5. In fine paroxysmi utplurimùm sequitur sudor. Est experientiæ, & accedit ratio, quia materia, quæ toto circuitu movetur, per arterias diffunditur in habitum totius corporis, in quo variis alterationibus rarior effecta facilè in sudorem abit, cum partes incipiunt defervescere. Dixi utplurimùm sequi sudorem, quia cum ad eum requiritur materia tenuior, calidior, humidior, corpusque porosum & meatibus undique pervium, facilè contingit in dispositionibus contrariis, v.g. in corpore denso & constricto, in materia crassa, sicca, viscida, qualis reperitur in febre quotidiana, quartana aut etiam spuria tertiana, nullum elici sudorem.

DICO 6. Non semper carent periculo febres intermittentes, sive in hoc immediatè & per se sive ex naturali quadam consecutione æger præcipitetur: primum obscuratur in febre tertiana non tam simplici quam duplici quæ ob mordacitatem & tenuitatem materiæ biliosæ, dum in partem aliquam nobilem decumbit, gravissima inferre solet symptomata, ut convulsiones, spasmum, catarrhum suffocativum, diarrhæam, vomitum, &c. Et hoc idem intellige de quartana triplici, quæ exhausto omni corporis robore tandem inter febriles atrocitates hominem ægrum frequenter exanimat; Nec ratio in contrarium quidquam suadet, quia morbi vehementia & malignitas non minor est in his febribus intermittentibus quam in continuis, à quibus proinde si longæ sint sicut & insultus, quemadmodum in compositis experimur, vires omnes cum vitæ interitu facilè opprimuntur. Secundum liquet similiter experientiâ quotidianâ, qua videmus post diuturnas febres ita inter pertinacissimas obstructiones calorem nativum in visceribus præcipitari, ut eum nemo Medicorum facilè restituere in integrū possit, adeòq; magna pars mortalium post impressam in viscera intemperiem frigidam, cacheriam, hydropem & si quæ id genus alia, tandem pereat.

Febres intermittentes malignæ. DICO 7. Probabile est etiam reperiri febres intermittentes malignas; Est contra multos, qui censent non posse dari hujusmodi febres cum malignitate; rationem addunt, quod videl. malignitas supponat continuam humorum putrefactionem, & quod experientia nihil de iis constet. Sed quicquid circa medicorum observationem quæ aliquando non satis secura, dici possit, prob. conclusio, datur malignitas in febribus continuis, ergo etiã in intermittentibus, quia utrobique humores fœda putrefactione, à qua resultat malignitas, corrumpi possunt. Ad rationem adversæ partis Resp. non esse tantam connexionem aut necessitatem inter malignitatem & humorum putrefactionem, ut cum illa corpus afficit, hæc ideò nullã patiatur remissionem, præsertim quando ex peculiari aëris & corporum constitutione febres aliique affectus Epidemii grassantur.

DICO 8. Res omnino incerta est, ubi prima febrium radix & origo, an intrà venas, ubi juxta Senn. & alios humor putrescat, & statis diebus in cor feratur, an verò extrà eas ex Fernelio. Ratio, quia nullius partis argumẽta & rationes sunt evidẽtes, taotũ verò probabiles, quę proinde sicut dici, ita rursum sine scrupulo negari possunt. Nam cum natura febrium sit vitiosus humor in ventriculo collectus, indeq; cum chylo per venas mesaraicas ad Epar attractus, sive hunc cum sanguine laudabili ad venas transmissum, sive circùm præcordia in variis viscerum cavitatibus collectum computruisse & per certos ductus in cordis substantiam peoetrasse dixeris, neminem crede habebis, qui te efficaciter & evidenter erroris convincat, cum natura tam in eliciendis actionibus perfectivis quam corruptis magna varietate miroque artificio sæpè ludat.

DIFFICULTAS XV.

Quid de febre tertiana, quartana & quotidiana intermittente in specie dicendum.

De loco & materia febrium intermittentiũ, de rigore, de periodicatione &c. multis agunt Medici, adeòque in re dubia & incerta litem contestantur, ut nemini certum sit cui tandem sententia adjudicari possit, præsertim cum nihil evidentibus probent argumentis, tantum verò iis ad quæ sua quemque ratio impellit; iis itaque posthabitis dicam pauca quæ triũ sunt febrium intermittentium, ut constet quos aliquando in interioribus nostris hostes gestemus, sive juxtà Fernel. extra venas in hypochondriorum visceribus, sive juxta antiquiores in solo habitu corporis, sive ut vult Sennertus, intrà venas primarum viarum coquantur, indeque per cæcos aut manifestos venarum & arteriarum ductus in substantiam cordis ferantur.

DICO 1. Febris tertiana est affectus sive calor præternaturalis à putrefacta bile in corde accensus, & per manifestos alternantis diei insultus affligens. Per putridam & corruptam bilem, tum per manifestos insultus differt ab omnibus aliis febribus; Quamvis enim in tertiana continua sint periodicationes, motum tamen minus manifestum habent; Et quamvis etiam in aliis febribus corrumpatur bilis, ab hac tamen nec dominium nec denominationem habent. Imprimis itaque per bilem non intelligitur quarta pars massæ sanguineæ sive sanguis biliosus, qui alimentalis est & calore naturali in *Febris tertiana quid.*

 verum

verum corporis alimentum convertitur, sed humor excrementitius, qui omnibus in generationem febris tertianæ conspirantibus in primis viis colligitur, & cum per calorem naturalem emendari non possit, febrem gignit. Deinde harum febrium alia est sincera & exquisita, quæ pendet à bile sola & sincera, alia notha & spuria, quæ est à bile cum aliis humoribus mista; Illius insultus utplurimùm non durat ultrà horas 12. unde etiam exquisita & sincera dicitur; quantò autem impurior est, tantò magis ab hoc termino recedit, & dum 24 horas durat, tertiana simpliciter ab aliquibus appellatur, & extensa si plures. Adhæc non invadit hæc febris quoscunque nec quovis anni tempore, sed eos utplurimùm qui sunt calidi & sicci, qui sunt in ætate florida, quique laboribus, studiis, vigiliis, curis, victuque calido & sicco indulgent, idque vel verno vel æstivo tempore, quo bilis potius quam aliorum humorum in corpore sit proventus.

Quartana. DICO 2. Febris quartanæ proxima & immediata causa est melancholia putris, sive hæc sit naturalis melancholia, quæ circa lienem cumulatur, sive præternaturalis & adusta, quam Fernelius cuiusq; humoris putrefacti velut cinerem vocat, sæpius quidem bilis flavæ & atræ, rarius autē pituitæ & sanguinis. Gignitur hic humor melancholicus in corporibus frigidis vel etiam in calidis & siccis, quiq; lienem habent imbecillem, quia hic facilè crassi & terrei humores colliguntur, præsertim ex cibo potuq; crassiore, & ubi vita multis curis, mœroribus ac ærumnis, studiis, laboribus, continuisq; occupationibus est dedita. Solet hæc febris rarò nisi ex errore ultrà annum durare, solvi autem aliquando mensibus sex & paucioribus; Et huc febres quintanas aut sextanas, quæq; rariores periodos habēt multi referēdas cēsent, quia statuunt in iis melancholiam admodum crassam & terream, qualis ab exusta pituita gignitur; sed de his consulantur Medici.

Quotidiana. DICO 3. Febris quotidiana nomen habet à quotidiano circuitu, quamvis omnium sit rarissima, & quæ vix ex sexcentis uni contingit, ut ait Fernelius; ob quam causam etiam ferè omnes, qui singulis diebus à febribus affliguntur, tertiana duplici laborant. Quod si tamen contingat hac febre quempiam apprehendi, signū est ei magnam pituitæ copiam inesse, cujusmodi sunt naturâ humidi, obesi, fœminæ, senes, otio multoque somno dediti, & qui cibis humidioribus & frigidioribus, crapula, edacitate, ebrietate aliisque ejusmodi causis maximè in hyeme, frigidis regionibus humidoque cœlo magnam pituitæ copiam congesserunt. Huc

Epiala. referri solet febris quam Epialam vocant, in qua uno eodemque tempore quævis pars corporis calore frigoreque molestatur, cujus causam referunt in acidam vitreamque pituitam leviter ita putrescentem, ut una post aliam inflammata corrumpatur.

DICES, æquè facilè putrescit pituita quam bilis, & facilius quam melancholia, ergo non erit rarior quam tertiana, frequentior autem quam melancholia. Antec. patet, quia pituita est humida & frigida, atque ita bilem, quæ calida est & sicca, æquat, melancholiam autem, quæ frigus & siccitatem habet putredini repugnantes, superat. Resp. neg. antecedens. Ad prob. dico, falsum esse, quod humida & frigida æquè facilè putrescant ac calida & sicca, quia cæteris paribus non habent consimiles conditiones ad putrescendum: Deinde pituita, quæ naturam aquæ refert, rarò circà præcordia cumulatur sed per cerebrum, intestina aliasque partes frigidiores dispergitur, neque locum ullum aut sedem propriam habet ubi recondi soleat. Adhæc calore sive naturali sive p.n. ita immutatur, ut vel magis attenuata in vapores abeat, vel digestione incrassescat, adeòq; ad putrefiendum difficulter habilitetur, vel certè si corrumpatur, in humorem omninò præternaturalem, qui nec ipse febrem quotidianam facturus, degeneret.

DIFFICULTAS XVI.

De febribus compositis.

DIcuntur febres compositæ, quia inter se conflatæ sunt ex pluribus, ut cum tertiana jungitur quartanæ intermittenti, quotidiana continua tertianæ intermittenti, &c.

NOTA verò, dupliciter posse hominem affligi febribus compositis; semel quando diverso tempore laborant, ut hodie tertianâ, cras quartanâ: semel quando eodem tempore, ut tertianâ & quartanâ eadem die & hora, quarum unaquæque suum habet locum, originem, motum, causas, materiam, &c. Hic sola est difficultas, quotuplices reperiantur febres compositæ, vel quot modis complicentur.

DICO 1. Febres compositæ dicuntur vel confusæ vel implicitæ. Ita communiter Medici. Implicitæ sunt quæ diversis horis incipiunt & desinunt ob materiam diversis temporibus & locis putrescentem, sive sint intermittentes solæ, ut tertiana & quotidiana, sive intermittentes cum continuis, ut tertiana continua cum quotidiana intermittente. Confusæ dicuntur, quando eodem tempore duæ febres incipiunt & desinunt, ut vix per signa inter sed ignosci possint; sic v.g. tertiana interm. cum quartana intermittente potest manè horâ septima incipere & vesperi simul hora quarta desinere. Quod si quæras, an febres intermittentes spuriæ quæ ex commixtis constāt humoribus, simplices sint an confusæ, v.g. febris tertiana, intermittens spuria; Ratio dubitandi est, quia habent hæ febres diversos humores putrescentes, quorum quilibet suum sequitur motum. Fernelius cit. c. 2. affirmat hoc, & numerat tert. spuriam inter compositas aut confusas. Negat Sennertus c. 20. de febribus, & fortè commodius, quia febris non habet hanc denominationem tam ab humorum confusione, quam à do-

Febres compositæ vel sunt implicitæ.

Vel confusæ.

à dominio unius & motu qui naturam ejus exuperantis sequitur.

DICO 2. Complicantur febres hoc ordine inter se; primò putrida cum non putrida, & intermittens cum hectica cum qua etiam continua complicatur; quia in corpore tabescente requiritur etiam materia putrescibilis. Secundò, putrida cum putrida, ut intermittens cum continua. Tertiò, continua cum continua contra Fernelium, qui ideò hoc negat, quod venæ inter se sint continuæ, proindeque putredo continua: Affirmant tamen id alii, quia inquiunt ex continuitate vasorum & sanguinis nulla sequitur putrefactio continua, sed solum distinctis in locis distincta, quod etiam verius & probabilius videtur: Nec enim in febribus putridis continuis universus undique putrescit sanguis, nec idem ubique in vasis continetur; sed in uno loco biliosior, in altero magis aut pituitosus aut melancholicus. Quartò, intermittentes inter se, non tantum quæ sunt diversæ speciei, ut quotidiana cum tertiana, sed etiam quæ sunt ejusdem, ut tertiana cum tertiana; & ratio est, quia sicut diversi humores, ita etiam unus idemque humor diversis in locis eodem tempore putrefieri potest. Quintò, continua cum intermittente, ut tertiana continua cum quotidiana intermittente, & contrà quotidiana continua cum tertiana intermittente. Et hæc dicitur semitertiana sive semitertiana ut plurimùm periculosa propter defatigationem & laborem, quem tot tamque diversi insultus gignunt. Si

Febris Semitertiana.

QUÆRAS, quinam humores inter se commisceri possint; Ratio dubitandi est, quia habent qualitates & dispositiones omninò contrarias, ut patet in bile quæ est calida & sicca tum in pituita quæ est humida & frigida. Resp. omnes humores inter se commisceri posse sive commixtione perfecta sive imperfecta; Neque hoc impediunt contrariæ utriusq; dispositiones, quia possunt se invicem frangere qualitates; Deinde non sunt in summo, quò minus se compati non possint; Adhæc possunt varia genera mixtorum, ut aqua & vinum, &c. misceri, ergo & humores in corpore, qui diversis in locis febres simplices & compositas sive confusas gignant.

DIFFICULTAS XVII.

Quid sit febris hectica.

NOn est facilè definire, per quid febris hectica ab aliis distinguatur; Non enim est calor præternaturalis, quia hic est omnibus communis; Nec quod sit diffusus per partes solidas, quia quivis calor febrilis occupat omnem substantiam viventem adeòque etiam ossa; Nec etiam quod calor in aliis febribus leviter tantum & superficietenus corpus afficiat facilèque rursum depellatur; minus autem in hectica; quia calor ex se nunquam vel levius vel pertinacius inhæret subjecto in quo semel receptus & productus est, & constat calorem omnium febrium æquè in soliditate partium etiam minimarum receptum esse: Nec ideò quod calor hecticus non egeat causa proxima & immediata sicut in aliis febribus in quibus evanescente causâ ipse quoque pereat, quia falsum est eum non agere causâ conjunctâ, quod apparet in substantia rorida cordis & viscerum, à qua immediatè fovetur & conservatur. Nec denique modus inhærendi, ut vult Senn. c. 1. de febre hectica, quicquam urget, quia simili prorsus modo inhæret calor febris putridæ quo hecticæ.

SUPPONO 1. in hectica 3. gradus constitui qui ab effectu desumuntur; si enim rorida tantum substantia consumatur, appellatur à Medicis gradus primus; si carnosa & adiposa, secundus; Et hanc utramque consumit etiam quævis alia febris: si tandem fibrosa & membranosa, tertius. 2. Febrem hecticam vel incipere seipsa à nimiis laboribus, exercitiis, vigiliis, studiis, ira, tristitia, inedia & dispositione corporis calida & sicca; vel supervenire aliis febribus, ut Ephemeræ, ardenti, inflammationibus & ulceribus viscerum, &c. His positis

DICO 1. Febris hectica est calor p. n. in substantia cordis primùm & per se inhærens. Ita Fernelius de febr. l. 4. c. 16. & consentiunt omnes Medici. Calor p. n. est loco generis, cætera loco differentiæ. Nam in omnibus febribus putridis ita quidem calor febrilis immersus est substantiæ cordis, ut nisi aliunde foveatur v. g. à putrefactione sanguinis, ipse veluti pabulo destitutus pereat, unde etiam nec cordi primum & per se inhæret sicut hecticus, qui etiam absque calore p. n. adventitio & influente durat, quia habituatus est. Neque dicas in corruptionibus viscerum foveri etiam calorem hecticum ab eorum putrefactione & calore p. n. ergo in hoc ab aliis febribus non differt; quia resp. quamdiu calor febrilis in corde accensus adhuc eget alio calore p. n. influente à quo conservetur, non esse hecticum nisi fortè in primo gradu, sed cumprimùm firmatus seipse sustentat, sive calor à corruptionibus viscerum adhuc influat sive non. Hoc confirmatur in phthisico v. g. cui si per vim aliquam sive creatam sive increatam restituatur substantia pulmonum jam prius corrupta & absumpta, hic à phthisi, id est, ulcere pulmonum liber, remanebit hecticus, quia calor febrilis jam cordi inhæret, quamvis aliunde non amplius sustentetur, adeòque jam erit febris essentialis.

Febris hectica quid.

DICO 2. Febris hectica differt ab aliis febribus non aliter quam habitus à dispositione. Prob. hoc in differt habitus à dispositione, quod ipse sit qualitas quæ à subjecto difficulter sit mobilis, dispositio autem contrà quæ facilè à subjecto dimoveatur; sed ita se habet febris hectica respectu aliarum febrium, ergo ipsa habebit rationem habitus, hæ autem dispositionis, & quod sequitur, different ut habitus & dispositio.

DICES, febres putridæ malignæ & pestilentiales difficilius curantur quam hectica, quia facilius interimunt ægrum, ergo non

habebunt seut dispositiones. Resp. si sensus sit quod febres malignæ propter vim & efficaciam in corpus humanum difficulter curentur, verum est; si autem, quod in partibus solidis stabiles sint & firmatæ, falsum; Difficilius itaque expelluntur febres malignæ & pestilentiales, quia superant naturam ægri, quod est per accidens, hectica verò quia est in partibus fixa & habituata. Itaque

Unde differt febris hectica ab aliis febribus.

DICO 3. Febris hectica per solam radicationem & independentiam à causis morbosis est habituata, & per hoc sufficienter distinguitur ab omnibus aliis febribus. Nam omnis calor p. n. qui in corde accenditur, vel est spirituum qui à corde vel ad cor deferuntur, ut patet in febre diaria, vel materiæ vel fomitis putrilaginosi, ut fit in omnibus febribus putridis, quæ hoc fomite dissipato vel absumpto cessant; sed talis calor non est hecticus, quia non fovetur hic aliunde, sed in substantia cordis implantatus & firmatus se conservat & tuetur, ergo est aliunde independens, adeòque per hoc ab aliis febribus distinguitur; Nam quia nec differt per modum peculiarem inhærendi ut patet, nec quod fit diffusus per partes solidas, cum in aliis quoque febribus totum corpus occupet, sed & ossa penetret, sequitur differre per radicationem, habituationem & independentiam à causis morbosis. Et hæc radicatio non consistit in hoc, quod calor p. n. intimè penetravit partes & substantias solidas, sed quia ita inhæret, ut in primo gradu substantiâ partium roridâ consumptâ, quod est commune quoque in aliis febribus, jam carneam depascat & adiposam, tum verò fibrosam & membranosam, à quibus tantò difficilius expellendus, quantò magis spiritus consumuntur, corpus omni humido destituitur, omnesque vires exhauriuntur, siquidem non in quovis subjecto frigus calorem, aut humor siccitatem expellit, sed ubi reliquæ dispositiones adsunt, quæ ad hujusmodi expulsionem requiruntur.

DICES 1. Calor hecticus fovetur à sanguine calido, qui in Epate & venis concoctus incenditur, ergo falsum est quod sit independens. Resp. sanguinem fovere calorem hecticum cordis ut pabulum ejus & nutrimentum, verum est; in ratione causæ morbosæ de quo hic sermo est, falsum.

DICES 2. Æquè facilè expellitur calor in rebus humidis, raris & liquidis quam in densis & solidis, ergo etiam calor qui est in ossibus v.g. æquè facilè dissipabitur, quam qui est in sanguine, carne musculorum, viscerum, &c. Resp. 1. neg. antec. quia calor in ferro & auro vel lapide non citò nec tam facilè expellitur quam qui est in aqua vel panno. 2. Neg. conseq. & paritatem; ratio totius est, quia calor in sanguine aliisque substantiis humidis est fluxilis, ideòq; facilè nisi aliunde nutritus extinguitur, in partibus verò solidis pendet ab habituato cordis calore, cujus est ita afficere reliquum corpus, prout in se affectum est; Deinde quia secundus & tertius gradus, quo utroque calor hecticus difficulter est mobilis, ad siccitatem declinant ideòque viscera non facilè humectantur juxtà illud quod corpus inanitum nonnisi cum summo labore restituatur, quia videlicet exhausto & absumpto humido exiccatæ partes concidunt, fiuntque ad recipiendam humiditatem nisi superficietenus inhabiles, sicut v. g. corpora senum, in quibus humidum radicale non deficit ex se, sed ex intemperie sicca membrorum, quæ sicut lapides & metalla humectari non possunt.

DICES 3. Calor hecticus est violentus in partibus solidis, ergo non est habituatus, quia nullum violentũ est perpetuũ. Resp. nec calorẽ hecticũ esse perpetuum, sed tantum difficulter mobilẽ, unde non idem sunt perpetuũ, habituatũ & difficulter mobile. Deinde multa sunt violenta in rebus, quæ tamen difficulter sunt mobilia, ut vitia, dispositiones corruptivæ, &c. proinde negatur consequentia.

DICES 4. Calor hecticus totius fovetur calore cordis, ergo non seipso, ergo non est independens: Antec. patet, quia conservatur ab influxu spirituum vitalium. Resp. sufficere, quod calor cordis p. n. habituatus non aliunde fomentetur: Verum enim est, quod calor p. n. totius corporis omniumque viscerum quantumvis sit habituatus desineret & periret, nisi à corde foveretur, quia spiritus à corde influentes afficiunt, prout ipsi in se affecti sunt.

Colligitur itaque radicationem caloris non tam dici ex modo inhærendi, quam ex constitutione partium & viscerum, in quibus calor p. n. absumpto jam humido quod etiam fit in reliquis febribus, carnosam substantiam depascit adeòq; corpus paulatim exiccat & enervet, ut proinde difficile sit restituere temperamentum & complexionem deperditam.

DIFFICULTAS XVIII.

De febribus putridis continuis in genere.

HÆ dicuntur continuæ, quia continuo decursu & sine intermissione manifestâ affligunt, putridæ verò quià pendent à putrefactione humorum, & ad differentiam earum quæ sunt ab alteratione solùm, ut Ephemera, hectica, &c.

Febris conclusa seu continua & periodica dejectamente.

DICO 1. Oriuntur hæ febres quotiescunque humores intrà vasa aut majora cordique viciniora, aut illi proxima & continua putrescunt, ut fuligo & corruptus halitus fluxione, attractione, transmissione motuque ut loquuntur Medici, substantiam ejus penetrat & accenso calore vitali febrem constituat: Neq; enim est alia ratio, quare febris sit continua, nisi quia putredo cordi proxima est, quæ continuum afflat vaporem & accensas fuligines, ex quibus vel oritur febris continua conclusa & continens quæ vicinissima cordi sine motu affligit, vel continua periodica, quæ à corde paulò remotior suas habet accessiones &

insultus

inſultus, ut experientia docet in ſynocho putri, in cauſone, in tertiana, quotidiana & quartana continuis.

Quomodo differant febres putridæ continuæ.

DICO 2. Differunt febres continuæ putridæ ſecundum locum in quo putreſcunt humores, ſecundum materiam in qua recipitur & producitur primò calor p. n. ſecundum putredinem, ejus modum & adjuncta. De loco patet, quia in venis cordi proximis gignitur febris concluſa vel continens, quæ puttem fuliginem in cor aſſiduò continenterque fundit ideòque ſine periodicatione affligit, in remotioribus autem continuus quidem calor ex materia putri producitur, qui tamen eſt cum manifeſtis circuitibus propter fluxum motumque materiæ. De ſubjecto proximo, unde calor p.n. producatur, res ſimiliter manifeſta eſt, quia bilis putrida producit febrem diſtinctam ab ea quam generat melancholia; etiam aliquando putredo ſanguinis & humorum levior eſt aliquando major, ut ex infrà de putrefactione dicendis patebit: ſic denique conjungitur aliquando febri malignitas, unde ſunt variolæ, morbilli, petechiæ, anthraces, bubones, &c. ſed an ſanguis, pro cujus conſervatione tantùm pugnat natura, putreſcat? Reſpondetur affirmativè, imò magis quam ullus reliquorum humorum, quia eſt humidus & calidus; Neque enim vis conſervativa ſanguinis & corporis tantum poteſt, ut quibuſvis cauſis morboſis & injuriis externis, à quibus ſit putredo, reſiſtat.

DICO 3. Habent febres continuæ ſuas differentias partim eſſentiales, partim accidentales. Prob. quia febres continuæ putridæ non ſunt omnes ejuſdem ſpeciei & naturæ, ergo habent differentias partim eſſentiales partim accidentales; Antec. patet in tertiana continua, quæ eſt alterius ſpeciei quam ſit quartana continua, Ungarica, petechialis, &c. deſumuntur autem differentiæ eſſentiales ab humoribus, ut patet in tertiana & quartana, quarum illa dependet à bile, hæc à melancholia; à motu, quo nonnullæ carent, aliæ verò cum quotidiè, ternis vel quaternis diebus obſervant; & ab adjunctis, ut quod quædam ſint cum malignitate, cum delirio, convulſionibus, &c. Differentiæ accidentales ſunt magnitudo aliæque circumſtantiæ quas vide diſp. 7. diffic. 13. de diff morborum, ſi quæras quot ſint in ſpecie febres putridæ continuæ? Reſpondeo &

Febres continuæ putridæ quæ.

DICO 4. Febres omnes putridæ continuæ ſunt ſynochus putrida, quotidiana, tertiana, ad quam & febris ardens ſpectat, & quartanę continuæ, febris ſymptomatica, maligna, Ungarica, petechialis, peſtilentialis & variolarum. Hæc concluſio non probatur aliter nonniſi quotidianâ experientiâ, quæ conſtat has ſolas hactenus vim ſuam in genus humanum motu quodam continuo exercuiſſe. Ut autem de omnibus aliquid in ſpecie dicatur, ſit

DIFFICULTAS XIX.

Quid ſit febris ſynocha cum & ſine putredine.

HÆc utraque nullam habet periodicationem, ſed eodem ſemper impetu affligit, ut teſtantur omnes Medici: ſi itaque de eſſentia, origine, humore accenſo vel putreſcente ſicut & de differentia utrinſque inquiras,

Synochus cum & ſine putredine.

DICO 1. Utraque ſynochus eſt febris continua, quæ toto ſui decurſu abſque intenſione & remiſſione affligit, oriturque à ſanguine in venæ cavæ ramis majoribus. Convenit hæc deſcriptio utrique ſynocho, quia habent illæ eandem cauſam materialem ex qua gignantur, ſanguinem ſcil. in ramis majoribus venæ cavæ exiſtentem, ubi aliquando putreſcit facitque ſynochum putridam, aliquando tantum accenditur, gignitque ſynochum non putridam, quæ non multum differt ab Ephemera vel diaria; Nam dum cauſæ leviores ſunt, ſpiritum ſuccendunt & diariam producunt; cum validiores inflammant ſanguinem, faciuntque ſynochum non putridam, quæ ob materiæ denſitatem longius & in aliquot dies extenditur, vel etiam ſi nimis validæ ſint, cum corruptione ſanguinis ſynochum putridam. Dicitur quod ſit febris continua, duretque toto decurſu abſque intermiſſione, quia nimirùm oritur utraque in vaſis cordi proximis, ut etiam continuo & unico velut tractu ſubſtantiam vaporoſam & putreſcentem in cor effundat, id quod etiam aliis in febribus fieri ſolet. *Adverte* tamen, hanc deſcriptionem convenire ſoli ſynocho non putri, ſi in fine addatur à ſanguine accenſo, putri autem ſi dicatur à ſanguine putrefacto: Et hinc

DICO 2. Habet hæc febris ſuum eſſe à ſanguine putreſcente; Ita communiter docent Medici; probationem non habent aliam, niſi eam, quod videl. non oriatur ab humoribus excrementitiis, qui ſunt extrà venas & vaſa corporis, ſed ab iis, qui intrà venas exiſtunt & ſunt in ordine ad corpus nutriendum, ergo à ſanguine, quia præter hunc aliud nihil reſtat.

DICES, datur etiam ſynochus bilioſa, quæ eſt à bile, ut eſt doctrina Medicorum, ergo ſynochus non eſt à ſolo ſanguine. Ante reſp. *adverte* ea quæ alibi de ſanguine venarum ſive de humoribus l. 1. dicta fuerunt: Nam ſanguis venarum eſt mixtum quoddam imperfectum antequam fiat nutrimentum habile corporis, ideòque eſt maſſa, quæ non habet partes alimentales ſpecie diſtinctas, ſed alias magis alias minus adhuc concoctas, quæ tamen omnes paulatim per continuam caloris actionem perficiantur, unamque ſanguinis perfecti formam conſtituant. His poſitis dico & reſpondeo, etiam ſynochum bilioſam eſſe à ſanguine,

ſed valdè tenui, calido & bilioſo, unde etiam bilioſa dicitur, quæ tamen non differt ab altera, quæ ſimpliciter ſynochus dicitur. Nam ſanguis totus intrà venas exiſtens, etiamſi habeat partes diverſas, ut bilioſas, melancholicas, præſertim cum mixtum adhuc confuſum & imperfectum conſtituunt, hæ tamen non ſunt ſpecie completa diſtinctæ, quia ſunt in via & motu continuo ad perfectionem, id eſt, ad ſanguinem purum & alimentalem, qui juxtà naturam corporis & ciborum jam magis jam minus eſt calidus, ſubtilis, craſſus, vel terreus, aqueus, aereus, igneus, ex quo etiam bilioſus, melancholicus, pituitoſus dicitur, & ſufficiens conſtituere tot febrium differentias dum vel putreſcit vel accenditur. An autem & quomodo dicatur pars una ſanguinis putreſcere illæſâ alterâ, vide alibi diſp. de putrefactione, uberiorem ſanguinis explicationem l. 1. diſp. 16. de humoribus.

DICO 3. Triplex ſynochæ ſanguineæ ſpecies communiter a Medicis ſtatuitur. Prima eſt, quando ſemper in eodem ſtatu manet, & neq; accreſcit neque decreſcit, quod fit quando tantum humoris putreſcit & accenditur, quantum diſcutitur. Secunda eſt, quando febris ſemper augetur, quia plus materiæ corrumpitur, quam diſcutitur. Tertia demum, quando ſemper decreſcit ob cauſam priori contrariam.

Synochus bilioſa. DICO 4. Etiam datur febris ſynochus bilioſa, à Medicis ardens dicta; Eſt contra nonnullos Medicorum & imprimis contrà Altom. parte 2. c. 6. de febr ſed prob. primò authoritate Gal. cui etiam conſentit Medicorum ſchola; Ait enim Gal. 2. de febr. diff. c. 2. continuarum quæ ex bile flava proveniunt, unam eſſe ſpeciem, quæ à continuo fervore ſynochæ appellantur, quarum unica acceſſione totum tempus conſumitur. Prob. 2. ratione, quia ſynochus bilioſa dependet à ſanguine tenui & calido putreſcente quique naturam flavæ bilis proximè æmulatur; ſed hic ſanguis datur intrà venas, ergo & ſynochus bilioſa. Quod autem nec ſynochus pituitoſa nec melancholica detur, rationem hanc afferunt potiores Medici, quia inquiunt ſynochus putrida non apprehendit niſi eiuſmodi corpus quod ſanguine vel temperato vel calido & bilioſo abundat, non autem quod frigidum eſt & ſiccum ut deducunt ex Gal. 9. m. m. c. 3. &c.

Febris ardens. DICO 5. Synochus bilioſa, quæ à ſanguinea non differt niſi intenſione caloris qui ſanguinem rarefacit & inflammat, eſt vera febris ardens. Ita docent plerique Medici qui hæc ſequentia ſtatuunt, 1. Inter febres continuas quæ ſunt abſque ulla periodicatione, eſſe febrem ſynochum ſanguineam & bilioſam putridam. 2. Febrem ardentem non eſſe aliquam peculiarem febris ſpeciem; ſed modum quendam & vehementiam caloris febrilis. 3. Quamvis nomen febris ardentis generaliter uſurpetur pro omni febre ardentiſſima, ex quacunque cauſa & quocunque in loco excitetur; in ſpecie tamen accipi pro ea febre quæ eſt cum ingenti calore & ſibi velut inextinguibili, ut habet Galen. 3. Epid. Com. 3. c. 34. & 4 de victus ratione in acut. t. 13. 4. Proptie competere nomen febris ardentis tertianæ continuæ quæ oritur ex bile ſincera vel ſanguine bilioſo, tum ſynochæ bilioſæ contrà Argent. l. de febribus, ubi negat ſynochis convenire calorem tam intenſum, quod verũ eſſet ſi de ſynocho ſanguinea ſolum loqueretur.

DICES, etiam febres malignæ ſunt abſque ulla periodicatione, ſed talis non ſunt è genere ſynochæ bilioſæ ac tertianæ continuæ exquiſitæ, ergo plures erunt febres continuæ primariæ abſque periodicatione. Reſp. Medicos loqui tantum de febribus putridis ſimplicibus & non cum adjuncta malignitate, quæ eſt extrà naturam febris. Quod autem febres malignæ ſint abſque periodicatione ſi non ſemper, ſaltem ut plurimum, quia poteſt malignitas cum cujuſvis humoris putrefactione conſiſtere, eſt propter loci propinquitatem cum corde & magnam ſordidamque ſanguinis putrefactionem.

DIFFICULTAS XX.

De febre quotidiana tertiana & quartana continuis.

HAbent hæ quidem febres ſuos periodos & exacerbationes, ſed nõ iam manifeſtas ſicut intermittentes, quia continuæ ſunt: Conveniunt itaque cum continuis continentibus in hoc quod ex putridis humoribus in corde accenſis & continuò affligentibus fiant ſicut illæ, differunt verò quod vapores illi non æquali ſemper motu & impetu, ſed aliquando majori aliquando minori communicentur, unde caloris quædam intenſio & remiſſio ſequitur ideòque febres continuæ proportionatæ & periodicæ dicuntur, quia videlicet habent exacerbationes quaſdam quæ proportione periodis febrium interm. reſpondent. Quod ſi de cauſa hujus periodicationis quæras; Reſpondeo &

DICO 1. Cauſa materialis periodicationis in febribus continuis eſt nova & nova ſemper materia corrupta, quæ ſanguini commiſta eſt, & à venis inter capillares & magnas mediis cordi ſuppeditatur. Hoc ut intelligas dicam potiores hac in re Medicorum opiniones & doctrinas; Nam aliqui, quod videlicet vapores putridi continuo impetu cor feriant, cauſam ajunt eſſe, quia humores intra venas putreſcant continuo tractu communicentur; Quod verò inæqualiter & periodicè, fieri quod materia in venis parvis, id eſt, mediis contineatur, à quibus vapores ob diſtantiam à corde non poſſint æqualiter ſemper in illud influere, ſed aliquando magis vel minus juxtà intenſionem & remiſſionem putredinis Gal. 2. diff. febr. c. ult. cauſam confert in craſſitiem & *Cauſa continuitatis motus & interrupti in febribus putridis continuis.*

viſci-

viſciditatem humoris, facultatis expultricis imbecillitatem & viarum anguſtiam. Alii docent, periodicationem tam in febribus continuis quam intermittentibus non ſolum loco ſed etiam materiæ putreſcenti eſſe aſſcribendam, & hanc materiam eſſe humorem excrementitium, qui cum naturæ moleſtus ſit & à facultate expultrice moveatur, motu ſuo periodos efficiat. Alii denique ajunt primò continentium febrium cauſam eſſe ſanguinem alimentalem intrà venas; continuarum verò periodicarum & intermittentium humorem præternaturalem, excrementitium & cacochymicum ſanguini permiſtum, hac tamen differentia quod materia illa p.n. à qua ſunt intermittentes, in prima concoctione vitium contraxerit, continuarum verò in epate, tum utrimque cum ſanguine in venas diffundi. Secundò, manifeſtæ periodicationis in febribus intermittentibus cauſam eſſe, quod earum materia vitioſa intra venas quidem cum ſanguine conſiſtat ſed confuſa, quia nec formam nec rationem ſanguinis habeat, unde etiam facilis à natura expellatur fiatque vera & manifeſta periodicatio; In continuis verò materiam vitioſam ſanguini permiſceri, utrumque corrumpi & putreſcere fierique excretionem tunc, quando materia ſit concocta, id eſt, vitioſum à bono & laudabili ſeparatum. Tertiò, novam materiam à præcipuis viſceribus & membris ſecundæ concoctionis, Epate ſcilicet & liene ſuppeditari quæ periodicationem ſuſcitent, & hoc obſervari in multis qui ſani ſunt habentq; neutram conſtitutionem. &c. ſed opiniones hæ probabiles ſunt non evidentes, quia ſunt de motibus & actionibus ſive perfectivis ſive corruptivis animæ juxtà diſpoſitiones ſubjecti ſui variè multipliciterque operantis. Hoc unum verum eſt, quod in periodicationibus ſemper nova materia, id eſt, habitus putris ex inferiori corpore cordi ſubminiſtretur, undecunque materia hæc primùm in loco putreſcente colligatur, & quocunque tandem modo & via in ejuſdem cordis ſubſtantiam feratur.

Tertiana continua.

DICO 2. Tertiana continua eſt febris putrida, quæ à ſanguine bilioſo in venæ cavæ ramis putreſcente oritur & tertio quoque die magis affligit. Dicitur primò, quod ſit febris putrida, quia oritur ab humore putreſcente. Dicitur ſecundo, quod oriatur à ſanguine bilioſo, intellige quartam ſubſtantiam maſſæ totius ſanguineæ, quæ in epate vel vitio caloris naturalis vel primi alimenti depravatè concoctus fuit; Et hæc eadem ſubſtantia eſt à qua febris ardens quoque gignitur, à tertiana ſolùm magnitudine ſymptomatum & modo affligendi diſcrepans, quæque impropiè de quavis febre ardente, & propriè de ea dicitur febre, quæ ſecundum Gal. 3. Epid. Com. 3. t. 34. eſt cum ingenti calore & ſiti maxima, quod utrumque febri tertianæ continuæ exquiſitæ & ſynocho bilioſæ convenit. Dicitur Tertiò, tertio quoque die affligens ad oſtendendam naturam humoris & differentiam ab aliis febribus continuis periodicis. Dicitur quartò, in venæ cavæ ramis, ut indicetur locus putredinis, quamvis non ſit à vero diſſimile, in tertiana exquiſita continua, quæ veræ ardentis nomen habet, etiam bilioſum ſanguinem in ipſa vena cava putreſcere.

Quomodo differt ab ardente.

Quotidiana continua.

DICO 3. Quotidiana continua eſt febris, quæ ſingulis diebus exacerbationes habet, à pituita putreſcente originem ducens. Quod hæc febris ſingulis diebus exacerbationes habeat, eſt ejus differentia; quod oriatur à pituita putreſcente, eſt ejus materia; Nam hæc eſt pituita ſanguini permiſta, quæque in Epate per concoctionem contraxit vitium. In hanc febrem incidunt humidi, ut pueri, ſenes, fœminæ, quique ſunt craſſiori corporis habitu, otio & crapulæ dediti. Vocatur hæc febris lenta etiam, quia eſt hecticæ ſimilis, à qua tamen per hoc diſtinguitur quod hæc ſibi ſemper ſit æqualis & poſt cibum ſumptum intendatur, illa verò ſuas patiatur exacerbationes, etiam cum nihil ciborum ingeritur: Et ad hanc febrem ſpectat Epiala, quæ ſpecies ejus eſt, ut patet ex alibi dictis.

Febris Epiala.

DICO 4. Quartana continua eſt febris putrida, cujus calor continuus quidem eſt, quarto tamen die ſemper intēditur; habet originem à ſanguine melancholico vitioſo in venæ cavæ ramis putreſcente. Nihil de cætero difficultatis ſupereſt, quia humor melancholicus putreſcens eſt cauſa hujus febris, unde ſemper quarto die juxtà naturam humoris affligit: Quod ſi humor hic in prima coctione ac venis meſaraicis generetur & colligatur, ibidemque paulatim putreſcat, intermittentem gignit; ſi verò ad Epar deferatur vel etiam loco temperati ſanguinis craſſus & feculentus in eo producatur, tum in venas delatus putrefactionem concipiat, quartana continua periodica fieri ſolet, cui proinde malo ſubjecti ſunt complexione melancholici, & in quibus multus & copioſus humor melancholicus generatur.

Quartana continua.

Colligitur autem primò, falſum eſſe ex Riverio Medico Monſpelienſi, quod etiam nonnulli alii ſentiunt, variolas nihil habere ſubſtantiale pro ſubjecto in homine, ſed tantum pravam & vitioſam qualitatem partibus fœtus impreſſam, quæ ut ait ipſe Riverius, tandem humorum partem aliquam inficiens naturæ moleſtior redditur, quæ tunc temporis inſurgens infectas illas humorum portiones ad cutem propellit. Non enim conſtat quis Geniorum hanc qualitatem produxerit & quando, & quomodo hæc fœtui impreſſa, niſi dicatur remanſiſſe cum aliqua portione ſanguinis materni, qui in nutritione per totum diſperſus fuerit fœtum: Vel enim tranſiit hæc vitioſa qualitas ex ſanguine materno in fœtum, quod abſurdum eſt dicere, vel de novo in corpore organico ejuſque viſceribus producta fuit, quod ſimiliter dici non debet, quia

ut con

ut constat, sine causa affingitur huius qualitatis productio, cum ejus subjectum, id est, sanguis maternus remanserit in fœtu eique accreverit; Quod etiam Riverius dicat, hanc qualitatem corruptos humores ad cutem propellere, id Medico & Professore regio indignũ est, humores noxios propellere mun' & officiũ est solius animæ & potentiæ ejus expellentis.

Secundò falsum est ex Avic. variolas oriri à sanguinis ebullitione, quia habent variolæ motum & fermentationem imprimis ejus substantiæ, quæ latenter fœtui uterino per nutritionem impressa fuit, tum humorum excrementitiorum, si qui in corpore & homine jam enato abundant, & sanguinis venosi impurioris, quia hi omnes ad fermentationem & ebullitionem illius substantiæ quoq; ebulliunt aut etiam putrescunt; Nam materia variolarum nõ in sanguine sed in visceribus habituq; corporis quærenda est; Quod autem Riverius dicat ebullitionem vel esse perf. ctivam vel corruptivam, quod in illa tantum partes impuriores sanguinis, & in hac totus sanguis putrescat, malè sentit, quia ut ex ipsis verbis constat, in qualibet fit corruptio, in illa quidem secundum partem, in hac autem secundum totum.

Tertiò, febrem in variolis esse symptomaticam, si habeat respectum ad ipsas variolas earumq; materiam, cujusmodi sunt febres junctę inflammationibus sive abscessibus; essentialem verò in ordine ad sanguinis ebullitionem vel corruptionem, quo modo est vel synochus simplex & putrida, vel etiamẽ genere malignarum, quia est ex insigni humorum alimentaliũ corruptione; Et has febres vel separatas esse vel etiam sæpè pro diversa humorum & corporũ dispositione conjunctas, nemo prudens negabit.

Quartò, cum & variolarum & morbillorum una eademq; sit materia, ut ex dictis patet, facilè accidere posse, ut tota simul mota utrumque producat affectum, quia hoc naturæ opus est, quæ noverit vel simul vel diverso tempore movere & partes subtiliores vel crassiores, quamvis illud facilius hoc difficilius, quia non videtur facilè captu, quomodo in productione variolarum, ubi materia crassior moveatur, non simul etiam subtilior expellatur, nisi dicamus depurationem illam esse non simpliciter perfectam, sed remanere in soliditate partium adhuc quippiam, quod roris aut subtilissimi habitus instar intrinsecos & minimos etiam viscerũ poros occupet, & ex naturæ arbitrio motum exspectet, quia constat materiam crassiorem sæpius non integrè expelli, adeòque iteratis vicibus etiam per annos plurimos parere molestiam. Itaq; facilè est sentire, morbillorum eruptionem præcedere variolas, contrà autem variolas primò hominem corripere, & post annos morbillos.

DIFFICULTAS XXI.

De febribus symptomaticis.

HÆ sunt omnes è genere continuarum, quę non ipsis incipiunt, sed inflammationes aut solutiones partiũ aut meatuum obstructiones sequuntur; Hinc etiam earum materia non in venis quærenda est, sed in parte aliqua corporis inflam̃ata aut corrupta, è qua semper aliquid puttedinis in cor exhalat: De harum natura

DICO 1. Febris symptomatica est calor p.n. qui alios affectus corporis sequitur & in corde accenditur. Dicitur calor p.n. quia continuo motu & impetu cor ferit, neque visus est unquam intermittens, ut ait Fern. l. 4. de febr. c. 7. Dicitur qui alios morbos & affectus sequitur, quia est velut accidens aliorum affectuũ ut habetur apud Avic. l. 4. Cun. tr. 1. Fer. 1. c. 1. ubi febrem in morbum & accidens dividit, in morbum quidem cum ex se incipit & affligit, ut febris tertiana, quartana, &c. in accidens autem cum sequitur inflammationem aut corruptionem viscerum. *Febris symptomatica.*

DICO 2. Triplices sunt febres symptomaticæ, primæ sequuntur inflammationes, secundæ pertinaces & profundas obstructiones; tertiæ comitantur obscuras latentesq; viscerum corruptiones. De primis res manifesta est in Crysipelate, in abscessibus, in pleuritide, angina, &c. quibus omnibus succedit calor p.n & putridus, qui in corde accensus per totum diffunditur. Obstructiones lentam quidem faciunt febrem & mitem, sed sæpè co. tumacem in venis circà viscera naturalia, ut etiam ægri judicentur hectici, quia febris & calor hic habituatus est & hectico non dissimilis. Corruptiones denique viscerum non sunt raræ, sed prioribus affectibus longè graviores & periculosiores, quia longo sæpè tempore latentes & absconditæ inopinatam mortem inferunt, ut experientia docet in phthisicis. vomicâ laborantibus, & quibus partim ex hæreditaria constitutione, partim ex internis contrariorum actionibus renum, lienis, Epatis aliorumq; viscerum substantia computrescit. Et huc videntur spectare febres catarrhales, quæ fiunt ex motu humorum è capite in partes subjectas defluentium, quæ aliquando observant naturam quotidianæ intermittentis, aliquando diariæ ex sola incensione spirituum, quod signum est eas post aliquot horas aut ex subsidentia humorũ, aut ex resolutione in sudorem, qui hic facilis est, resolvi. Cæterùm an omnes inflammationes præcedant febrem, an verò etiam sequantur? Respondeo & *Febris symptomaticæ.*

DICO 3. Probabile est, febrem aliquando præcedere, aliquando sequi inflammationem. Ratio est, quia sicut inflammationem aut latentem alicujus visceris corruptionem necessario sequitur calor p.n. ita etiam ex certa sanguinis & humorum putrefactione, in qua spiritus vitales incenduntur, totusque corporis sanguis rarescit & attenuatur, variæ hujus defluxiones & decubitus in omnes partes deferri, omnisq; generis inflam̃ationes & abscessus excitari possunt; Naturale n. est in corpore, quod calore p.n. exæstuat, humores attenuari & sua natura in omnes partes diffluere, nõ minus quã post magnas viscerum inflam̃ationes in quibus vapores

vapores & halitus putridi substantiam cordis penetrant, alterationes febriles gigni. Neque dicas, hinc sequi, duas simul febres hominem affligere, essentialem & symptomaticam; Nam respondetur, id absurdum non esse, quia una est specie febris, si calorem p.n. spectes, duplex autem, si causam, locum aliasque circumstantias, quæ tamen nec duarum nec plurium etiam simul febrium compatibilitatem tollunt, ut patet in confusis & compositis.

DIFFICULTAS XXII.

Quid sit febris maligna in genere.

SI de febre ut sic & prout abstrahit à maligno, agendum sit, nihil occurrit nisi id quod in antecedentibus actum fuit; si verò de maligno quod febri annexum est, multa occurrunt dicenda, imò plura quam quæ sunt hujus disputationis, quia ad hanc spectat solus calor & tempeties p.n. malignum verò ad disputationem de morbis totius substantiæ, de quibus infrà. Ut tamen de hoc morbo complexo ea solum dicantur quæ necessaria sunt.

Febris maligna. DICO 1. Febris maligna est calor p. n. junctus malignitati, vel est affectus p.n. cum calore & malignitate. Calor p.n. est loco generis, malignitas loco differentiæ; Nam hæc facit quod febris differat ab omnibus aliis maligno carentibus. Per illud malignitati junctus; intelligitur quidem eam non ingredi essentiam & naturam febris, ut sic, non tamen an una sit alterius causa, & utra prior existat. De hoc autem proxima objectione.

DICO 2. Differunt febres malignæ tum ab aliis non malignis, tum ipsæ inter se non tantum ratione malignitatis, sed etiam ratione humorum putrescentium, loci in quo fit putrefactio, aliarumque circumstantiarum. Probantur omnia inductione; Nam febris imprimis putrida continua continens, quæ malignitate caret, non differt ab alia simili, quæ adjunctam habet malignitatem, nisi per hanc solam; Deinde major est aliquando virulentia, aliquando mitior in febribus, sicut ex earum efficacia & symptomatum diversitate constat. Adhæc corrumpuntur humores varii, ut patet ex febribus singulis in specie, tum in venis à corde proximioribus & remotioribus. Cætera facilè desumuntur ab iis quæ jam prius de differentiis essentialibus & accidentalibus cum morborum tum febrium habentur.

Febris maligna est morbus compositus. DICO 3. Febris maligna non est morbus simplex sed compositus ex febre & malignitate. Probatur primò, morbus intemperiei & morbus totius substantiæ sunt affectus distincti; sed uterque sub febre maligna comprehenditur, ergo: major vera est ex antecedentibus; Probatur minor, nam sub febre maligna comprehenditur imprimis calor p.n. qui separatâ malignitate constituit verum & propriè dictum morbum; similiter si febrem à malignitate separes, existet hæc ut morbus & affectus corporis, quod manifestè patet in peste sine febre, in qua sola malignitas constituit affectum corporis lethalem; & in virulentia quæ cum solutione continui ex morsu canis rabidi sæpè absque febre hominem affligit & perimit, &c. Prob. secundò, malignitas nunquam ingreditur essentiam febris, à qua specie totâque naturâ differt, ergo quoties illi conjungitur, facit morbum non simplicem sed compositum.

DICES 1. In febribus malignis utplurimùm malignitas est accidens superadditum, si præsertim superveniat febri ex putrefactione humorum, eamque ut symptoma comitatur, ergo saltem tunc malignitas non constituit morbum separatum. Resp. primò, neg. consequentiam, quia revera malignitas etiam tunc quando febrem sequitur & ex putrefactione resultat, constituit morbum separatum & à febre distinctum. Secundò, resp. malignitatem nunquam esse symptoma sive febri superveniat sive non; Accidens dici potest, quia supervenit, ex natura tamen morbus propriè dictus; Neque hoc absurdum est, quia frequentes sunt morbi qui alios sequuntur, ut febrem intemperies frigida & & obstructio viscerum, &c. Cæterùm an in febre maligna petechiali quæ ex sola humorum putrefactione & non à maligno forinsecùs hausto oritur, febris an verò malignitas prior sit, dubium est, quia cum malignitas corruptionem caloris naturalis & putrefactionem sanguinis si non per actionem physicam, saltem per emanationem sequatur, videtur necessarium esse, ut utraque simul tempore incipiat, esto febris naturâ prius, quia corruptionem caloris & sanguinis, quæ febrem facit, ipsa tum sequitur malignitas. Sunt qui putant, sæpè febrem simplicem ab initio transire paulatim & degenerare in malignam, præsertim si errores circa curam & sex res non naturales contingant: sed probabilius loquuntur, qui sentiunt in omnibus febribus malignis, qui intrà corpus ab humorum corruptione fiunt, jam prius determinatam in has fuisse dispositionem, quia nunquam in has incurritur, nisi cum humores ad magnam putrefactionem successivè disponuntur, esto malignitas primis diebus sit minus notabilis, quia crescit crescente putrefactione. *An malignitas semper incipiat cum febre, vel vera prior & alterius causa.*

DICES 2. Si per potentiam quamcunque à febre (v.g. Ungarica tollas malignitatem, jam non erit febris Ungarica, ergo malignitas ingreditur essentiam febris, eritque morbus simplex non compositus. Resp. si malignitas tollatur à febre Ungarica, non erit

febris

febris ungarica, verum est; non erit febris simpliciter, falsum. Itaque differt febris ungarica ab omnibus aliis febrib⁹ partim per malignitatem, partim per alias circumstantias, An autem in ratione febris ab omnibus aliis non malignis, judicium sit penes medicos; puto ego quod sic, quia differt non tantum causis, sed etiam omnibus iis quæ febres & numero & specie infimâ multiplicant.

Quæres, an malignitas sit de intrinseca ratione febris malignæ; Ratio dubitandi est, quia nihil commune est malignitati tanquam multæ qualitati cum febre quæ consistit in alteratione primarum qualitatum sensibilium, adeòque malè dicitur dari febrem malignam. Resp. febrem esse complexum & compositum quoddam ex calore simplici præternaturali & malignitate, cum qua cum ille sit compatibilis, fieri ut pro uno eodemq; affectu æstimetur, quamvis duo sint distincti; & neuter alterius naturam ingrediatur.

DIFFICULTAS XXIII.

Quæ sint febres malignæ in specie.

Febris pestilentialis. DICO 1. Inter febres malignas primum locum habet pestilentialis; Ratio est, quia malignitate præstat omnibus, ut ex ejus definitione patet; Nam contagiosissima est & malignissima, adeòque plurimos invadit & occidit: Cum hac malignitate non conjungitur quæcunque febris continua, sed ea tantum quæ est à summa humorum putrefactione in venis cordi proximis. Plura vide infrà disputat. de morbis totius substantiæ.

Petechialis. DICO 2. Pestem sequitur febris petechialis, quæ & ipsa maligna est, minus tamen quam pestilentialis, & consistit in calore p. n. magnaque malignitate cum petechiis sive lenticulis & maculis partim rubentibus partim nigricantibus juxtà malignitatis & humorum putrescentium diversitatem circà pectus, brachia, dorsum, &c. erumpentibus. An antiquis cognitæ fuerint hæ febres, litigant Medici; affirmativa probabilior est, quia videntur esse exanthemata, quorum mentionem facit Galenus lib. 5. m. cap. 15. Et suadet hanc opinionem ratio, quia constat olim fuisse eandem specie malignitatem in febribus pestilentialibus, quæ etiamnum in homines grassatur, ergo similis etiam cum moderna in febribus paulò mitioribus: Probatur hæc consequentia, quia idem in mortalibus sanguis, iidem humores, eademque corruptio cum causis & injuriis externis ad corruptionem disponentibus fuerant olim ut nunc; ergo eadem febris & malignitas quæ ab his causis emanant. Est autem hæc febris valdè maligna & contagiosa, habetque originem suam à materia rariori & subtiliori, unde etiam à vaporoso simulque ebulliente sanguine ad summam cutis feruntur maculæ, non quidem per motum criticum, quia non erumpunt cum levamine, sed potius per motum symptomaticum ante signa coctionis propter humoris malignitatem, copiam & stimulum naturæ additum. Differunt colore & quantitate, prout humores peccantes dominantur, quia rubræ sunt si sanguis putrescat, flavæ vel virides si bilis, nigræ vel puniceæ si humor adustus vel summa malignitas ut in peste; paucæ si humores putrescentes pauci sint, lenti & crassi, multæ autem si contrario modo se habeant; Erumpunt aliæ primis statim diebus, ob nimiam videlicet humoris malignitatem, aliæ verò posterioribus criticè, licet nec tum salutares omninò sint, nisi alia quoque signa bonitatis coincidant, quia potest id accidere vel ob humorum crassitiem, vel ob cutis densitatem & pororum constrictionem, &c.

DICES, etiam in peste comparent aliquando petechiæ, ergo febris pestilentialis aliquando erit petechialis. Resp. neg. conseq. quia non adsunt extera signa & proprietates quæ spectant ad febrem petechialem; neque enim solæ hæ maculæ faciunt febrem petechialem, ut apparet non tam in peste quam in febre Ungarica, aliisque non rarò mitioribus, in quibus hujusmodi maculæ erumpunt, nisi tamen ab his maculis denominationem ad multas alias febres transferre velimus.

DICO 3. Etiam febris Ungarica, quæ tertium velut locum inter malignas occupat, perniciosa est, aliquando cum petechiis vel exanthematis in summa cute erumpentibus. *Ungarica.* Dicitur Ungarica, quia sub Maximiliano II. circà annum 1566. in Ungaria primum quasi innotuit, unde per militum partim Gallorum, Italorum, partim Germanorum & Belgarum copias in totam ferè Europam disseminata fuit: Non tamen febris hæc nova est aut primùm tunc exorta, ut testántur Medicorum plurimi patetque ex Lang. l. 1. Epist. 4. sed Ungarica, tum dici audiit fortè ex placito eorum, qui hoc malum in Ungaria vel primò viderunt vel senserunt: Testantur tamen Authores, nullam facilè regionem inveniri pro generatione hujus morbi fœcundiorem, idque propter aërem crassum & nebulosum, crebras paludes, magnas & faciles inundationes, terram limosam, cibos crassos & difficiles, aquam insalubrem, vinum forte & turbulentum, &c. Et docet experientia, esse morbum propter vehementiam symptomatum valdè perniciosum, quique proximè ad naturam pestis accedat: Est enim sanè malignus & contagiosus, cum calore acri, febre calida, humorum perturbatione, sanguinisque pituitosi, quæ causa proxima est secundum Medicos, ebullitione: Quod autem aliquando in summa cutis exanthemata compareant, id fieri solet ob magnam ebullitionem

sanguinis

sanguinis, & quia haud multum à febre petechiali differt.

Variolæ & Morbilli.

DICO 4. Hunc locum vendicant febres quæ sunt cum variolis & morbillis; sunt plerumque cum malignitate, ut constat ex earum signis & symptomatis; Est probabilissimum, fuisse antiquissimis Hipp. & Gal. temporibus eog .itas; Neque enim hæc labes in pœnam mortalibus nuper data est, neque etiam ipsa corpora humana jam primùm inceperunt ab iis discrepare, quæ ante bis mille & amplius annos viae: [illegible], ut propterea Deus & natura jam novum genus morbi seminent. Habent caussam quasi universalem & variolæ & morbilli, quia sunt quasi complementum imperfectionis generis humani; Nam rarò inter mortales ad justam ætatem perveniunt, qui hanc sui corpors imbecillitatem non sentiant; Est autem causa communis & universalis impuritas quædam per alimentum fœtui ejusque singulis partibus intrà uterum imbibita; Hæc impuritas non est omninò in partium soliditate, per veram nutritionem radicata, sed in venis, musculis, visceribus & omnibus partibus homogeneis velut subtilissimum excrementum latenter diffusa, & erumpit sive criticè sivè symptomaticè non prius quam id naturæ visum fuerit, utplurimùm semel per omnem ætatem, nonnunquam bis, rarò sæpius, dum una vel altera vice corpus sufficienter expurgari non potest; Variolæ nunquam sunt absque febre, quia nunquam sunt absque insigni corporis perturbatione & humorum corruptione; Dicuntur variolę, quia cutem variis maculis inficiunt, vel ob similitudinem à varis; morbilli verò quasi parvi morbi, unde etiam rationem habent macularum diffusarum, & illæ pustularum eminentium; Et hinc describuntur illæ, quod sint pustulæ in summa cute partibusque internis propter peculiarem sanguinis ebullitionem ministerio caloris nativi cum febre & materia tandem purulenta erumpentes, hæ autem, quod sint efflorescentiæ cutis aut parvæ rubescentes maculæ ex eadem ebullitione cum febre utplurimùm, sed absque suppuratione. Dixi utplurimùm, quia aliquando sunt tam benigni, ut nullus aut certè exiguus calor advertatur, quia sunt tantum cum ebullitione sine corruptionis nota propter materiæ tenuitatem, cum è contra in variolis materia sit crassior, frigidior & viscosior, quæ non tantum in superficie corporis, sed etiam in internis visceribus hæret, factâque corruptione in abscessum desinit; Perinde autem est, sive considerentur ut symptomata febris Epidemicæ & contagiosæ, sive tanquam criticæ evacuationes; quia semper sunt cum malignitate, aliquando majori, aliquando minori, & erumpunt vel serius vel citius pro interna corporis dispositione, &c.

Morbilli & Variolæ quid.

Sudor anglicus.

DICO 5. Etiam sudor anglicus malignus fuit, & annumerari potuit febribus malignis Epidemicis: patet hoc ex contagiosissima ejus natura & vehementia symptomatum, quia paucis horis ægrotantibus mortem intulit, ut videre est apud eos qui de hoc malò scripserunt. Incepit in Anglia 1486. duravitque annis ferè 40. non tantum iis in locis, sed extendit se etiam in Daniam, Galliam totumque Belgium; sævit potissimum tempore autumnali, fuitque tantæ malignitatis & contagionis ut integras domos & civitates invaderet & spatio 24. horarum perimeret, præsertim qui primis annis ex ignorantia sudori nimium indulgebant, viresque intereà deficientes non restaurabant, aut qui impatienter externo frigore sudorem cum veneno repellebant. Variè fuerunt circà naturam hujus febris opiniones, & an ea unquam ulli mortalium cognita fuerit. Ephemera non erat ut quidam putabant, quia non tantum spiritus incendebantur, sed putrescebat simul subtilior pars sanguinis, quam utramque materiam primo statim die natura collectæque vires propellere conabantur. De causa antecedēte scribunt Lev. Lemnius de complex. c. 2. Joannes Tyengius Medicus Amstelrod. Forestus l. 6. observ. 7. in scholio. Fracast. l. 2. de morbis contag. c. 5. ex [illegible]orum omnium doctrina & opinio patet, fuisse malignissimam aeris constitutionem fortè ex aliquo siderum influxu his inferioribus impressam.

DICO 6. Etiam illæ aliquando sunt febres malignæ, in quibus nihil exanthematum apparet. Hanc conclusionem docet experientia & Medicorum judicium quod sumitur ab essentia morbi & natura symptomatum; Nam quibus in febribus statim à principio vires absque manifesta & notabili corporis læsione deficiunt, hic occultum aliquod malum subesse præsagiendum est, puta, vim malignam in corde & spiritibus vitalibus, quia tanta virium & corporis debilitas non est à calore p. n. ut præter experientiam ipsa quoque docet ratio; Nam videmus febres etiam calidissimas quæ sunt citrà malignitatem, non usque adeò viribus obesse, quod calorem & spiritus vitales solùm intendant, non corrumpant; Accedunt aliæ quæ non minus in cognitionē malignitatis nos inducunt, quæq; caloris p. n. non sunt accidentia, ut deliria, angustiæ pectoris, inquietudo, convulsiones, &c. De aliis febribus malignis, quæ aliquando cum angina, pleuritide, catarrho & tussi grassantur, totasque regiones affligunt, vide Authores, qui ex professo hoc pertractant; Nam omnes hæ febres eandem cum prioribus rationem habent, differuntque tantum juxtà humorum putrefactionem & internas corporum dispositiones, quæ aliquando ad hujus aut illius partis inflammationem, aliquando ad spasmum, convulsiones, catarrhos, tusses, aliaque symptomata determinant.

Colligitur, malignitatem & virulentiam complicari

plicari

plicari & conjungi cum variis effectibus & morbis, sive tales sint febres essentiales & simplices, sive symptomaticæ & conjunctæ cum solutione continui & vitiosa conformatione, videlicet cum dysenteria, angina, pleuritide, catarrho aliisque viscerum corruptionibus, quæ aliquando cum malignitate simul incipiunt, aliquando eam præcedunt. Cæterùm quam difficulter omnia, quæ ad exactam febrium cognitionem spectant, intelligantur, patet ex toto decursu hujus disputationis: Nam ut nihil de earum essentia & natura, cujus scientiam quidditativam habemus, nihil etiam de causis & modo productionis dicam; certè indefinitus adhuc & non apud omnes receptus febrium intermittentium locus est, aliis habitum corporis, aliis mesenterium viscerumque spatia & cavitates esse opinantibus, dum neutra pars pro se experientiam, quæ hic frustrà expetitur, habet, sed utraque ad rationes probabiles appellat; Et quid obscurius quam earundem statis horis & diebus invasio & crudelis insultus, dum nihil prius extiterat, & non constet quis Geniorum hanc novam materiam coxerit, aut suggesserit, aut cur ipsæ non eundem dierum motum observent, sed una tertium, altera quartum, &c. Si materiam vel humorem putrescentem incuses, novam moves difficultatem, quam nec tollis; si naturam humoris prætendas, quia circulum facis repetisq; principium. Incertum item, & valdè obscurum, cur in febribus continuis putridis materia duobus septimanarum periodis plerumque duret, & non prius ægrotantem liberet, quæ tamen sæpius eum jugulat: De crisi nihil dicendum, quia non materiam ejusque putrescentiam, sed hæc illam movet & determinat. Cætera taceo, quæ tota Medicorum volumina sufficienter docent, & cuivis etiam ingeniosissimo tot naturæ arcana, quæ in his febribus maximè occultata, ostendunt.

DIFFICULTAS XXIV.

An qualibet febris in principio vel augmento existens possit in aliam speciem degenerare vel omninò perire.

Hanc quæstionem huc rejeci propter quosdam Medicastros vel medicinæ gloriosulos, qui dum primis diebus febrientem uno alterove remedio, maximè verò venæ sectione & purgatione restituunt, astantes persuadent, fuisse febrem continuam ungaricam, petecbialem aliamvé malignam in fieri, at his præsidiis consopitam; & hoc apparere ex sanguine, &c. Ut itaque constet, quid sentiendum sit, si fiant ejusmodi febrium metamorphoses,

Advertendum est, etiamsi febres non statim primo vel secundo die cognoscantur aut quando sint in augmento, vel etiam adhuc in principio, hic tamen sensum esse de febribus secundum se, sive cognoscantur sive non, quia certum est, naturas earum non statim ad initium haberi perspectas.

SUPPONO 1. Febres vel esse solum inflammatorias, vel putridas. 2. Nullam febrem certo tempore definiri, cum id totum à subjecti & humorum dispositione dependeat. 3. Febres aliquando facilè, aliquando difficulter tolli, vel seipsis evanescere, dum etiam nulla spontanea evacuatio supervenit. His positis

DICO 1. Multæ sunt febres, quæ in alias transeunt. Hoc docet experientia in febre diaria, quæ si negligatur, ob interceptam transpirationem fuliginum & halituum à spiritibus inflammatis, transit in putridam continuam, quia corrumpitur sanguis venarum; similiter in synocho non putrida, quæ ob eandem rationem degenerat in putridam: In tertiana intermittente, quam sæpius intercipit quartana intermittens, præsertim circa mensem Augustum & Septembrem, dum æstu nimio sanguis & bilis torretur, & in humorem terreum sive substantiam melancholicam degeneret. In febribus continuis putridis, quæ in hecticam finiuntur, quia absumpto humore excrementitio calor p.n. in cordis omniumque viscerum substantia figitur: In febribus catarrhalibus aliisque symptomaticis, quæ aliquando novas & pejores incendunt.

DICO 2. Potest febris licet non omnis in principio sui vel sponte desinere, vel per congruas evacuationes tolli, sive tales fiant per naturam, sive per artem. Utrumque docet & ratio & experientia, quia nihil impedit, quo minus & natura patientis, & solertia Medici operantis totam causam à qua immediatè pendet morbus, expellat, atque ita, quod naturaliter sequitur, sanitatem ægro restituat. Dixi tamen licet non omnis. Et hinc

DICO 3. Sicut non omnis febris in principio sui sive augmento in aliam degenerat aut facilè tollitur, ita etiam nec ea, quæ in principio juxtà conclusionem antecedentem desinit & periit, fuit in fieri ac aliquando ex malignis & acutis & sopita solùm industriâ ac prudentiâ Medici. Hæc conclusio quia est contra multos medicinæ cultores gloriosulos, ratione potius quam experientia roboranda est, & imprimis quidem ex ipsa natura febrium quarundam, quæ à nullo præsidio eradicationem sui ante præfinitum tempus sive decursum suorum temporum admittunt. Nam febres quæ cum insigni sanguinis putrefactione incipiunt, & ab ea dependent per nullam Medici diligentiam aut medicinæ alicujus efficaciam tolluntur, antequam humor ipse putrilaginosus, sive in fieri sive in facto talis sit, consumatur, quod certum & præfinitum tempus requirit, ergò falsum est id quod nugantur Medicastri; & hujus generis sunt febres malignæ, v. g. ungaricæ, petechiales, pestilentiales, imò & aliæ acutæ non rarò, licet malignæ non sint.

DICES, sæpè contingit febres pestilentiales aliasve

a' asvé malignas, cum tempestivè iis occurritur omninò desinere, ergò non obstante putredine quacunq; etiam possunt ad initium depelli. Antec. patet ex omnibus signis, quæ propria sunt hujusmodi febribus. Resp. 1. negando absolutè tales febres fuisse malignas, & dependisse ab insigni putredine humoris sive sanguinis intrà venas, sed fuisse potius fortem incensionem humorum excrementitiorũ, cujusmodi febrium initia multa dantur, quæq; mox rursum dispereunt. 2. Si sint initia febrium malignarum, negatur eas tam facilè tum expelli, quia quantumvis exiguæ nonnunquam appareant in principio, quod putrefactio sanguinis à qua dependent, adhuc primas agat radices, nihilominus tamen cum determinatæ, jam sint causæ ad futuram sive præsentem febrem, ipsa etiam materia sit capax recipiendi formam febrilem malignam, vix ullus erit Æsculapius, qui ab hac funesta & mortis qualitate sociа vindicet, nisi tamen obicem ponat, & occurrat, cum vix de morbi invasione constat, quo tempore & pesti & aliis affectibus sæpè congruenter obviam imus. Et hinc colligitur, quam falsum sit, quod cuivis morbo acuto & in principio aut augmento facilè succurri possit.

Si quæras an febris non maligna in principio degenerare possit in malignam. Resp. hoc incertum quidem esse, non implicare tamen fieri posse ideò, quod violentæ & noxiæ causæ materiam, quæ ad quamvis formam est in potentia, ad malignitatem aliquam recipiendam inflectere possint: Quid quantumque ex sanguine cognosci possit, vide infrà disput. 18. diffic. 10.

DISPVTATIO DECIMA.

De Alteratione corporis humani.

Hic aperto Marte res agitur, & ignis qui sub cineribus latebat hactenus, paulatim in incendium erumpit; qualitates intelligo, quarum ministerio factus homo nuper, ab adolescentia ad juventutem & ultrà properat, ut maturius de corio vitáque propriâ suaviter ludi sentiat; luditur quidem, sed quia sub ludo dolus est, idcircò etiam certus exinsidiis interitus expectatur, totusque sub bono naturalis amicitiæ peragitur. Hic scil. noster cursus est quem currimus, & hic ludus quem natura nostra toto annorum spatio tractat. Radices enim corruptionis sunt hæ qualitates quas in sinu gerimus & quas nolentes volentes in visceribus fovemus, idque meritò, quia sunt principia nostræ productionis, quæ ad formam nostram disposuerunt, materiamq; nostri corporis informem aliâs & turpem pelli nostræ quâ circumdamur, incluserunt; sunt etiam instrumenta, quibus omnes nostras functiones administramus, & vitaliter operamur; Nam calor est, qui coquit, nutrit & generat; frigus est quod calorem modificat ejusque vim contemperat; humor est, qui calori additus & cuiq; corporis parti implantatus omnes actiones animæ fovet; siccitate denique firmantur membra, ut sciat animal prosequi bona, cavere noxia, & ad sydera tollere vultum; Unica autem est actionum & agentium contrarietas quæ dolorem infert, luctum & interitum, & quam ex corporis infirmitate emendare nescimus, alterationem: Hac æstuamus, frigemus, rubemus, pallescimus, accrescimus, decrescimus, totoque tandem corpore consumpti cum patientia marescimus, & cum aliter ex humana nostra conditione status esse non possit, in cineres deflectimus. De hac itaque alteratione sit

DIFFICULTAS I.

Quid sit Alteratio.

Hic in fronte magnum & horrendum occurrit monstrum à Sennerto Medico hypom. 3. c. 1. de atomis, doctoraliter suis depictum coloribus: Docet enim alterationem esse corporis alieni participationem, v. g. aquam calefieri per subingressum atomorum ignis, quibus evanescentibus ipsa sponte & non per reductionem aut actionem propriæ formæ ad nativum frigus redeat; aerem in hypocausto calere penetratione ignitarum atomorum per fornacem; ferrum igniri per partium ignis in poros ejus immissionem ex Scal. exerc. 12. s. 3. aquam ferventem esse ignitam, id est, habere ignem & siccitatem ex eodem Scal. exerc. 14. Hoc etiam olim agnovisse Galenum l. 1. de elem. c. 6. ubi dicit, eum qui in gelu calefit ab igne, intrà corpus assumere ignem, &c. *Alteratio quid ex Sennerto.*

Nota, alterationem esse duplicem; corruptivam unam & putrefactivam alteram; prior terminatur ad primas qualitates primariò, secundariò ad secundas quæ ex primis oriuntur, ut sunt color, odor, &c. posterior terminatur ad qualitates quæ non ordinantur ad generationẽ & corruptionem sicut prior, sed quæ perficiunt subjectum, ut est illuminatio, intellectio, gratia, scientia, &c. Sumitur autem alteratio interdum latissimè pro acquisitione accidentis cujuscunque prædicamenti, quamvis ordinariè pro motu & actione quæ dat esse qualitatis, & quidem *Acceptio alterationis*

quidem duplici sensu. Primò latius pro mutatione ad quamcunque qualitatem, sive contrarium habeat sive non. Secundò pressius pro motu successivo ad qualitatem quæ habet contrarium, ejusmodi est dispositio ad generationem.

DICO 1. Alteratio si latè accipiatur, nihil est aliud nisi motus ad qualitatem; Ita ait Arist. 5. phys. c. 2. & 1. Cœl. c. 3. ubi motus latè accipitur, quatenus tam instantaneas quam successivas, comprehendit mutationes; sed missa hac alterationis acceptione

Alteratio quid.

DICO 2. Alteratio corruptiva vel strictè & propriè sumpta, est mutatio, quæ permanente eodem subjecto sensibili fit circà passiones contrarias vel medias; vel ut brevius alii, est motus ad qualitatem sensibilem mediam vel extremam. Ita Arist. 1. cœl. c. 3. & 1. de gen. c. 4. Dicitur primò mutatio vel motus, quia est motus propriè dictus; & hinc excluduntur mutationes instantaneæ. Dicitur secundò, manente eodem subjecto sensibili, quia in alteratione manet idem compositum substantiale; unde etiam distinguitur à generatione & corruptione quæ fiunt nullo manente subjecto sensibili. Dicitur tertiò, ad qualitates vel ad passiones, per passiones autem intelliguntur qualitates, quæ propriè habent contrarium, qua parte distinguitur alteratio ab augmentatione & motu locali; Item excluduntur qualitates contrario carentes, cujusmodi est lumen, & habitus morales & intellectivi, v.g. motus, quo voluntas habitum temperantiæ acquisitum continuo temperantiæ exercitio intendit; Hujusmodi enim habitus non sunt alterationes sensibiles circà primas qualitates. Differt autem alteratio à generatione primò, quia illius terminus est qualitas, & hujus substantia. 2. Hujus terminus à quo est quid privativũ; sic ex non igne fit ignis; illius quid positivum, ut ex nigro album. 3. Illius subjectum est compositum, hujus materia. 4. Illa est successiva, hæc instantanea, &c.

Lumen, habitus morales & intellectivi non alterantur.

Ad Sennertum Medicum respondetur, falsam esse alterationem quam habet de participatione corporis alieni, v.g. acrem, aquam, &c. calere per admistionem ignitarum atomorum, primò, quia per hoc aqua non esset calida, sed haberet tantùm juxtà se positas particulas ignis. Secundò, absurdum est dicere, atomos quæ faciunt aquam v.g. calidam, evanescere; Cum enim sint substantiæ & aquæ immixtæ, quis expellet? Et cum aqua paulatim tepescat, quomodo sensim se subducent? tursum, cum atomi semper in eâdem intensione retineant calorem, quomodo aqua tepescet? plures absurditates quisque colligat. Tertiò, naturaliter simul existeret calor summus cum summo frigore, quia existeret ignis cum aqua. Neque dicas, ipsam quidem aquam esse mutatam in qualitatibus; nihilominus tamen simul adesse atomos igneas; quia si illud verum est, super flux sunt atomi, quia alteratio non est alieni corporis participatio; deinde absurdum est ignem cum aqua simul constituere. Quartò, ignis penetraret solidissima corpora, quod est contrà rationem & experientiam. Quintò, non constaret an aqua calefaceret an verò substantia ignis, nec constaret an hæc substantia esset ignea an aqua. Sexto, Nulla fieret alteratio, nulla corruptio, nulla generatio, quia aqua, aer vel quodvis aliud corpus semper retineret suas qualitates, dum nulla expelleretur aliaque introduceretur. Exempla quæ Sennertus adfert, nihil probant, quia volunt tantum hoc, quod pro varietate subjecti calor aut citius aut difficilius evanescat: Quomodo autem subjecta calefiant aut frigefiant, id paucis post patebit. Authoritates Gal. & Scal. nihil ad rem faciunt, quia loquuntur illi tantum metaphoricè aut de igne virtuali non formali. Vide quæ doceat Arist. 1. de gen. c. 2. contrà Democr. qui omnem generationem & dissolutionem ex atomis fingebat, ex quo apparet, doctrinam de atomis non esse novam sed antiquissimam veterum delirantium liram, in qua omnis generis Novatores hisce seculis delirare solent.

DIFFICULTAS II.

An detur alteratio ad omnes species qualitatis.

ARist. 7. phys. c. 3. statim ad initium ait dari tantum alterationem ad qualitates tertiæ speciei, videlicet ad 4 primas qualitates. Hoc falsum esse videtur imprimis in morbosa corporis constitutione, quæ vera est dispositio ad vitam adimendam, ad quam tamen nihilominus datur motus & alteratio, similiter ad lumen non fit motus alterativus, quia producitur in instanti; sed lumen est qualitas tertiæ speciei, ergo non datur alteratio ad omnes qualitates tertiæ speciei. His positis

DICO 1. Non datur alteratio ad qualitates primæ speciei, habitum scilicet & dispositionem. Ratio est, quia alteratio est motus; sed habitus & dispositio non acquiruntur per motum, sed per actus, qui simul sumpti non sunt aliquid continuum & successivum, sed potius discretum, proindeque non faciunt unum motum, ergo habitus & dispositio non acquiruntur per motum, ergo nec per alterationem.

Primæ speciei qual. non alterantur.

DICES, frigida intemperies v.g. ventriculi est dispositio ad vitiosam digestionem, ad generandos flatus, &c sed ad eam datur motus alterativus, ergo etiam dabitur ad dispositionem; Resp. hanc intemperiem ventriculi, quod idem de multis aliis dispositionibus morbosis & corruptivis intellige, esse veras qualitates tertiæ speciei, primæ verò respectu quodam, quo modo calor v.g. ad diversas species qualitatum revocari potest. Quando

Intemperies ventriculi potest ad diversas species qual. referri.

itaque

itaque dicitur ad dispositionem non esse vel dari alterationem, intelligitur dispositio quæ est prima species qualitatis ex natura sua, quæque opponitur habitui.

Non datur alteratio ad secundæ speciei qualitates.

DICO 2. Neque datur alteratio ad qualitates secundæ speciei, scil. ad ad facultates & potentias naturales. Probatur, quia illæ facultates producuntur in instanti sicut & ipsæ substantiæ, earumque essentia dimanat ab ipsis subjectis, ergo non producuntur per motum, ergo ad illas non datur alteratio.

Forma & figura sunt idem cum quantitate.

DICO 3. Neque datur alteratio ad qualitates quartæ speciei, scilicet ad formam & figuram. Ratio, quia sequuntur omninò quantitatem, imò sunt realiter idem cum illa, & consequenter fiunt per motum localem, ut videre est in cera, in qua multæ imprimi possunt figuræ:

Quomodo ad solas qualitates tertiæ speciei detur alteratio.

DICO 4. Datur tantum alteratio ad qualitates tertiæ speciei, scilicet ad primas 4. ut habet Aristoteles. Hic *observa*, alterationem posse dupliciter terminari ab aliqua qualitate, primò per se & primariò, quomodo calefactio directè & immediatè tendit ad calorem; Secundò, mediatè & secundariò, quomodo calefactio mediante calore tendit ad raritatem; sententia Aristotelis est, quod alteratio non possit esse nisi ad tertiam speciem; quia tamen qualitates tertiæ speciei alio respectu possunt esse primæ, secundæ, vel tertiæ speciei; sic potest quidem alteratio esse ad qualitates omnium harum specierum, sed ad nullam, quæ non etiam sit aliquo modo tertiæ speciei; Quod si mirum cuipiam videatur, aliquam qualitatem tertiæ speciei posse etiam esse primæ vel secundæ; is sciat non omnes quatuor species qualitatis esse inter se essentialiter distinctas; calor enim v.g. respectu subjecti, à quo difficulter removetur, pertinet ad speciem habitus; in alio subjecto est dispositio ubi facilè dimovetur; quatenus percipitur sensu, est patibilis qualitas. Quod itaque alteratio sit solùm ad tertiam speciem qualitatis, probat Aristoteles loco citato, ac primo quidem supponit non esse ad secundam, quia cum naturalis sit, nunquam separatur à subjecto, ac proinde de novo non acquiritur: Orditur ergo à quarta specie, quæ est forma & figura, & probat sic; hæ fiunt productis aliis qualitatibus, ergo ad eas non est alteratio, prob. conseq. quia quod fit consequenter producto alio, non potest esse primarius terminus illius actionis. Prob. antec. figura inducitur vel per amputationem aliquarum partium, ut cum à statuario scinditur lignum, vel per appositionem, ut cum pictor variorum colorum additione aliam atque aliam figuram exprimit. Secundo probat, res quæ fit, non debet alterari; at quando res aliqua acquirit aliquam figuram, tunc fit, ergo: sic v.g. non dicimus statuam alterari sed fieri. De habitibus probat idem, qui sunt triplices, vel corporales ut sanitas, vel morales ut virtus, vel intellectuales ut scientia; Quod autem ad nullos sit alteratio, per se manifestum est; Imprimis enim ad pulchritudinem, sanitatem, &c. quæ consistunt in quadam relatione debiti temperamenti & humorum ad corpus viventis, nullus est motus; Deinde ad virtutem nulla est alteratio, quia alteratio non est ejus, quod necdum perfectum est; sed homo qui necdum habet virtutem, necdum est perfectus in ratione virtutis, ergo ad virtutem nulla est alteratio. Tertio, patet idem de habitibus intellectualibus, quia sedendo & quiescendo homo fit doctus & scientificus, sumendo quietem non corporis sed animi, id est, removendo animum à nimiis perturbationibus & passionibus, ergo non per motum alterativum: An autem ad omnes qualitates tertiæ speciei fiat alteratio, dubium est; aliqui restringunt tantum ad eas qualitates quæ fiunt & producuntur cum ejectione contrariarum, quia volunt illas qualitates quæ producuntur sine ejectione contrariarum, ex natura sua esse producibiles in instanti, imò semper & necessariò produci in instanti cum careant contrario. Alii probabilius putant, lumen posse successivè produci non solum propter extensionem subjecti ad cujus partes propagetur, sed etiam propter varios illius gradus, qui successivè atque ita unus post alium producuntur.

Una qualitas v.g. calor spectare potest ad diversas species. *Habitus sunt triplices.* *Lumen producitur successivè.*

DIFFICULTAS III.

Quomodo qualitates suscipiant intensionem & remissionem.

SUPPONO, formas quasdam intendi & remitti; dicitur autem formam intendi cum suscipit magis, remitti cum suscipit minus; Et de hac intensione & remissione difficultas est, an & quomodo forma aliqua suscipiat magis & minus.

Forma in abstracto non suscipit magis & minus.

Adverte, formam vel posse considerari in abstracto vel in concreto; In abstracto significat essentiam, quæ cum non suscipiat magis & minus, etiam nulla forma in abstracto suscipit magis & minus. Concretum alicuius formæ dupliciter suscipit magis & minus; Primò; si sit idem numero, ut cum ventriculus idem jam magis postea minus est calidus; Secundò, si sit idem specie (volunt enim aliqui, hominem v.g. suscipere magis & minus in diversis individuis, hoc autem loco sermo est de intensione & remissione in eodem individuo:) Deinde potest aliquid suscipere magis & minus ratione sui, ut cum calor ventriculi intenditur & remittitur; vel ratione operationis, ut cum idem ventriculus perfectius aut imperfectius coquit, ignis debilius aut fortius agit, &c. Quæstionis ergo

Qualis differentia inter intendi & remitti, & suscipere magis & minus.

summa est, an idem numero subjectum possit recipere magis & minus ratione formæ ejusdem ultimæ speciei secundum se & non tantum ratione operationis: sumi autem solet pro eodem intendi & remitti, & suscipere magis & minus, licet illud ad qualitates tantum astringatur, hoc autem latius pateat, & suo ambitu præter intendi & remitti; etiam extendi & contrahi comprehendat.

DICO, datur intensio & remissio in quibusdam formis, scilicet accidentalibus, non tantum ratione operationis, sed etiam ratione sui. Probatur primo ex Aristotele In Categoria qualitatis, & 4. Phys. c. 9. ubi qualitatibus primis & secundis id adscribit. Prob. 2. ratione, si non daretur intensio & remissio caloris respectu sui, calor esset indivisibilis, ergo produceretur in instanti; sed contrarium experimur, ergò. Deinde sequeretur, non plus caloris esse in igne quam in ligno. Nam lignum habet etiam aliquid caloris; si ergo non suscipit magis & minus, tantundem est in ligno quam in igne. Adhæc dato etiam, quod forma suscipiat magis & minus tantum ratione operationis, ergo saltem hæc operatio suscipit magis & minus ratione sui, vel certè dabitur processus in infinitum.

Quomodo forma aliqua suscipiat magis & minus.

DICES 1. Si daretur intensio & remissio, deberet una forma ejusdem speciei esse perfectior alterâ; sed hoc est impossibile, quia calor stomachi non est magis calor, quam calor epatis aut cordis. Resp. formam in abstracto non dici magis vel minus talem, tum quia significat essentiam quæ non suscipit magis & minus, tum quia exprimitur nomine substantivo in quo non est intensio nec remissio; nihilominus tamen rectè dicitur concretum illius formæ suscipere magis & minus sine ullo absurdo.

DICES 2. Si daretur intensio & remissio, ventriculus calidus aliquando fieret magis calidus; sed hoc est impossibile, ergo: minor probatur; vel enim quando ventriculus fit magis calidus, additur ei nova perfectio vel non: si primum, ergo mutat speciem, quia essentiæ ut ait Aristoteles, sunt instar numerorum, & quâcunque additâ perfectione mutantur: si secundum, non potest fieri magis calidus. Resp. addi novum calorem, sed ideò non mutatur species: Nam ut hæc mutetur, debet addi differentia distincta, ut quando animali additur rationalitas: at verò quando calori ventriculi additur calor, fitque ventriculus magis calidus, gradus hic caloris qui accedit, eandem habet differentiam quam prior gradus, idcircò non distinguitur essentialiter.

DICES 3. Sit ventriculus in quo sit calor duorum graduum, quibus superaddatur tertius: vel igitur intenditur gradus qui superadditur & de novo producitur, vel duo illi gradus qui antea existebant: non potest dici prius, quia ille est unus gradus qui additur; & unus gradus non habet intensionem: non posterius, quia illi duo gradus sunt adhuc duo sicut antea. Resp. neutro modo intendi qualitatem: non enim intenduntur illi duo seorsim, neque tertius seorsim, sed tota qualitas conflata ex his tribus gradibus: quemadmodum si duobus palmis ligni addatur tertius, non augebuntur duo palmi, neque tertius qui additur, sed tota quantitas ligni, quia accedente tertio palmo quantitas his tribus constans major est eâ quæ constabat tantum duobus.

Quando calor ventriculi augeatur per novum gradum.

DICES 4. Calor ut 8. habet plures gradus seu partes integrantes quam calor ut 6. aut 4. ergo etiam erit magis calor. Resp. neg. conseq. calor enim ut 8. est quidem major & dici potest magis perfectus quam calor ut 4, non tamen est magis calor, quia parvus calor æquè participat essentiam caloris atque magnus: partes autem integrantes sive materiales etiamsi augeantur, non tamen propterea crescit essentia. Et hinc

Calor ut 8. non est magis calor quam ut 4. licet sit major & perfectior.

Colligitur, qualitatem in concreto sumptam suscipere magis & minus, hoc est, subjectum in eadem parte plures gradus caloris posse suscipere, ideòque dici vel magis vel minus calidum: contrà verò in abstracto, ita ut calor magnus sit magis calor quoad essentiam, quia rectè dicitur magis perfectus si habuerit plures gradus vel partes.

Qualitas in concreto quomodo augeatur.

DIFFICULTAS IV.

Quanam res præterea sint capaces intensionis & remissionis.

QUod formæ accidentales suscipiant magis & minus, patet ex dictis: Jam quæritur ulterius an utrumque etiam competat substantiæ, quantitati, relationi cæterisque prædicamentis. Opinio fuit Averrois in comm. 72. l. 3. de cœlo, quem sequitur Zabarella in l. de mixt. c. 7. formas elementorum substantiales non quidem suscipere magis & minus, remitti tamen seu refrangi posse, ac proinde esse velut medias inter formas purè accidentales & substantiales: sed opinio hæc ut ridicula & absurda rejicitur, ideòque

DICO 1. In prædicamento substantiæ non admittitur unquam intensio. Probatur ex Arist. c. de substantia, ubi ait hanc non suscipere gradus ut sit magis vel minus talis: Et hoc idem patet ex communi illo & recepto Philosophorum axiomate, videl. substantiam non suscipere magis & minus: Nam forma intensibilis semper acquiritur per motum successivũ, quod non competit formæ substantiali, quæ è contrà semper acquiritur indivisibiliter in eâdem parte subjecti. Confirmatur inductione, nam si aliqua substantia admitteret intẽsionem & remissionem, esset vel forma angelica, vel anima rationalis, vel materia prima, vel deniqꝫ forma

Substantia non suscipiens magis & minus.

forma aliqua materialis, ut forma ignis, ligni, anima bovis, &c. sed de nulla harum id dici potest, ergo. De sola forma materiali controversiam aliqui faciunt, quod à subjecto pendeat sitque una activior alterâ: Nihilominus tamen apertè repugnare probat Soarius duobus argumentis. quorum unum sumit à priori, alterum à posteriori. Primum est hoc, forma substantialis est de primo conceptu rei, ergo debet esse conceptus fixus & invariabilis: sed hoc argumentum non probat Hurt. d. 14. met. de qualitate s. 5. quia dicit sat esse quod sit invariabilis quoad speciem compleram, non verò quoad gradum, quia hoc modo etiam calor determinatam habeat speciem: Itaque dicit hujus sententiæ maximum fundamentum esse communem sensum & locutionem Philosophorum, quia non dicimus unum equum esse magis equum altero, sed aut majorem aut minorem aut velociorem: Deinde reperitur remissio in qualitatibus, quia sunt instrumenta substantiæ, & eadem substantia aliquando est potentior, aliquando impotentior; Neque verò duæ substantiales formæ sunt simul in eâdem materia, quia omnes gradus formæ non peterent eadem organa in corpore, sed intensior forma peteret perfectiorem organorum apparatum, & fieret ex illis unum per accidens. Hæc Hurtadus. Argumentum secundum tale est, aqua reducendo se ad nativum statum recuperat nativum frigus, ergo quando deperditum vel remissum fuit frigus, non fuit remissa substantialis forma; prob. hæc conseq. quia partes substantiales deperditæ non potuissent recuperari; Nam pars remissa non potuit producere intensiorem, alioquin calidum ut duo posset se paulatim intendere, ergo mansit in aqua tota forma à qua oriebatur frigus intensum. Quod si dicas aquam habere aliquam occultam qualitatem, per quam reducat se ad nativum frigus. Resp. Soarius & Hurt. hâc etiam qualitate admissâ id non sequi, quia, inquiunt, quælibet pars aquæ haberet illam qualitatem magis vel minus intensam pro majori vel minori intensione substantiæ; Nam illam qualitatem habebit forma ad producendam intensionem frigoris sibi debitam, & forma intensa ut 4. peteret frigus ut 4. forma verò ut unum non peteret tantam intensionem, ergo neque haberet qualitatem occultam productivam talis intensionis. *Adverte* hic, omnem qualitatem esse intensibilem, ut patet ex inductione per omnes tam vitales & immanentes quam transeuntes, tam naturales quam supernaturales; Nam si qualitates supernaturales sunt capaces intensionis, etiam potentiæ vitales erunt, ergo & illa qualitas occulta, quæ per idem principium deducitur ad pristinum statum, dum remittitur.

Argum. à priori, quod forma non suscipiat magis & minus.

DICO 2. In quantitate non repetitur intensio & remissio. Est doctrina communis & probatur; essentia quantitatis est reddere corpus impenetrabile, ita ut corpus quantum non possit esse cum alio corpore quanto in eodem loco, ergo nec una pars quantitatis potest esse cum alia in eodem loco; Unam partem quantitatis esse impenetrabilem cum alia patet, quia propter illas corpora sunt impenetrabilia, ergo ipsæ impenetrabiles sunt ut quo, ergo neque in eodem subjecto erunt, quia ibi fieret penetratio unius cum alia. Deinde quantitas est propietas materiæ & sequitur naturam illius, ergo sicut materia respuit intensionem & remissionem sive latitudinem gradnum, ita & quantitas. Denique effectus formalis quantitatis non intenditur neque remittitur, ergo nec ipsa quantitas: Antec. patet, extensio quam quantitas confert subjecto, non potest magis & minus participari in eadem parte illius; sed si crescat, crescit in diversis partibus subjecti, ergo effectus formalis quantitatis non intenditur, & consequenter nec ipsa quantitas.

Quantitas non admittit intensionem & remissionem.

Vnde impenetrabilitas corporum.

DICES, eadem quantitas condensatur & rarefit, ergo potest intendi & remitti. Resp. neg. conseq. quia variatio illa non est in effectu formali quantitatis, sed in quodam cujus modo, nec est major intensio cum rarefit, sed potius major & minor intensio in ordine ad locum.

QUÆRES, an saltem quantitas discreta intendi possit. Resp. non posse, quia unaquæque illius species constituitur per terminum indivisibilem, quo mutato non intenditur sed mutatur species quantitatis.

DICO 3. In ratione reperitur aliquo modò intensio, quatenus videl. fundatur in ipsa qualitate; Nam calor v.g. ut tria simillior est calori ut 8. quam calor ut unum, & sic homo unus est similior homini quam alius. In cæteris prædicamentis non fit intensio; Quod si tamen secus fieri aliquando videatur, id contingit ratione qualitatis cum qua connexa sunt.

Colligitur, Intensionem & remissionem reperiri solùm in prædicamento qualitatis, & ratione ipsius in prædicamento actionis & passionis. Jam quæretur imposterum, quomodo fiat illa intensio & remissio, an admixtione contrarii, an dispositione subjecti, an radicatione, an denique additione graduum, quia tot sunt Doctorum opiniones & doctrinæ: Itaque sequitur

DIFFICULTAS V.

An ideò corpus humanum frigesiat quia recedit calor.

POst alterationem, quæ est motus ad qualitatem sensibilem, sequitur, quomodo intensio & remissio fiat, id est, quomodo ventriculus v.g. aut alia quævis pars corporis frigesiat, calefiat, an ideò quia decedit contrarium, id est, an ventriculus ideò calefiat, quia decedit frigus, frigesiat quia remittit calor, & sic de cæteris.

DICO, Intensio & remissio in quo consistit alteratio, non fit propter majorem vel minorem admixtionem contrarii, id est, ventri-

tulus non fit ideò frigidus, quia calor ipsius remittit, nec incalescit, quia frigus decedit, & idem de cæteris qualitatibus contrarium habentibus intellige. Prob. 1. sunt qualitates quæ carēt contrario ut lumen, & tamen intenduntur & remittuntur; aer enim interdum magis interdum minus est illuminatus; At si intensio consisteret in admixtione contrarii, hæ qualitates non possent intendi nec remitti. Secundò, quando per putrefactionem humorum febris accenditur, intenditur calor cordis non ideò quia recedit frigus, quod prius miscebatur calori, sed quia novus advenit gradus caloris ut infrà dicetur, ad cujus adventum recedit & expellitur frigus, ergo intensio & remissio non fit propter accessum & recessum contrarii. Et confirmatur, sit v. g. calor in stomacho ut 3. frigus ut 5. ibi sine dubio calor erit remissus & frigus etiam remissum: Corrumpantur 3. illi gradus caloris, nec producatur aliquid frigoris de novo, manebunt soli 5. gradus frigoris. Jam illud frigus vel erit remissum ut prius vel non, si illud, ergo datur remissio absque admixtione contrarii; si hoc, ergo quinque illi gradus frigoris sunt intensissimi, quod est absurdum: Nam ventriculus non est frigidior quam prius; & si sit frigidior, quæro unde sit frigior; si dicas accessisse novum frigus quod oportet dici, ergo non est factus per recessum sui contrarii, sed quia accessit novum frigus, quod infra dicetur.

DICES 1. Calor in ventriculo eò debilior est, quo fortius est frigus, ergo quod calor paucus sit, est propter admixtionem contrarii. Resp. calorem non fieri debiliorem, quod misceatur cum frigore, sed quia expellitur à frigore intensiore; sic color, v. g. albedo non dicitur remitti quando miscetur cum nigredine, quia quando pictores miscent nigredinem cum alio colore, tunc ajunt colorem illum non remitti propterea, sed manere in eodem gradu, in quo prius fuerat, & fieri colorum juxta positionem per quam fiat, ut alter non tam facilè videatur atque ante hac.

DICES 2. Ideò solet qualitas aliqua esse vel intensa vel remissa, quia continet plus vel minus de contrario, ergo. Resp. neg. conseq. quia intensionem & remissionem comitatur contrarium tantùm, quòd enim calor sit remissus, sequitur ei admisceri frigus; non verò sensus est, remissionem formaliter in hac admixtione consistere. Et hinc

Colligitur, quamvis frigefactio ventriculi totiusque corporis nihil sit aliud quam remissio caloris & argumentum frigoris; hanc tamen alterationem non consistere formaliter in admixtione frigoris, quia per naturalem consecutionem fit, ut remisso calore excedat frigus; sic quando ventriculus frigefit, non frigescit quia recedit calor, sed quia novum frigus accedit, quo accedente calor naturaliter remittit; similiter quando spiritus in febre diaria incalescunt, non fit hoc propter recessum frigoris, sed propter accessum novi caloris, qui frigus consequenter expellit: sic quando lingua in febre ardente aduritur & siccescit, fit quia siccitas nova producitur; sic denique quando in hydrope viscera nimiùm humectantur, non fit propter abscessum siccitatis, sed quia formalis humiditas advenit.

DIFFICULTAS VI.

An pars aliqua corporis fiat calidior aut frigidior per majorem dispositionem sui.

AUthorum hujus & superioris opinionis meminit Greg. Ariminensis in 1. sent. dist. 17. q. 3 c. 1. Hi docent aquam v. g. tantum habere caloris & non plus, ubi fuerit calefacta per unam horam, quam cum esset calefacta per mediam horam, & tamen in fine esse magis calidam, eò quod in fine magis sit disposita ad calorem: Et hinc sequitur quod ignis applicatus ad aquam statim producat totum calorem, sed postea aquam magis & magis disponat, unde fiat ut aqua in fine sit calidior.

DICO, falsum est quod ventriculus fiat calidior aut frigidior per majorem sui dispositionem. Prob. primò, vel hæc dispositio est qualitas & forma aliqua quæ intendatur & remittatur, vel non est; si est qualitas, ipsa requiret dispositionem, cum omnis intensio fiat per majorem dispositionem, ergo abibitur in infinitum; si autem intendatur sine dispositione, ergo dabitur aliqua intensio quæ non fit per dispositionem, quod est absurdum. Si non est qualitas, ergo intensio & remissio non fit per maiorem & minorem dispositionem, quia si dispositio non intenditur & remittitur, ergo subjectum non potest dici magis & minus dispositum. Prob. secundò, si manui v. g. applicaretur simul Sol & candela, sequeretur, non plus luminis producere Solem quam candelam, quod est absurdum. Prob. seq maj. Intensio ut dicunt, fit per majorem dispositionem subjecti; sed hic eadem est dispositio subjecti. ergo etiam erit æqualis intensio. Tertiò, si intensio fieret ratione dispositionis, alteratio non erit successiva, quia qualitas produceretur tota simul, cum tamen constet alterationem esse successivam.

DICES, omnis forma est indivisibilis, ergo non potest manus vel ventriculus qui calefit, nunc habere majorem nunc minorem calorem, quod tamen est contrà experientiam, ergo oritur hoc ex dispositione manus & ventriculi. Resp. formam esse indivisibilem quoad partes essentiales vel in abstracto, conceditur, quoad partes intentionales vel entitativas, vel in concreto, negatur.

DIF-

DIFFICULTAS VII.

An corpus humanum incalescat per majorem radicationem.

RAdicatio hæc putatur esse D. Thomæ; quia opinio valdè celebris est apud Thomistas, qui eam multis difficultatibus implicitam variè conantur explicare. Cum enim omnes hanc radicationem qualitatis in subjecto appellent, quando magis penetrat subjectum; vel ut alii, magis actuat subjectum, id est, altius agit radices, aliqui ex illis volunt eam fieri per productionem novi cujusdam modi, sive prior imperfectior ad adventum novi perfectioris corrumpatur sive non; aliqui verò fieri absque ulla productione novi modi, ita duntaxat, ut prior modus magis penetret subjectum.

DICO, quando manus vel ventriculus calefit, non fit illud per majorem radicationem ejusdem qualitatis in eodem subjecto. Est communis doctrina contra Thomistas, ut videre est apud Hurt. disp. 5. de alter. §. 19. & alios. Prob. 1. quando manus calefit ab igne, vel ventriculus à vino, cinamomo, pipere, &c: aliter se habet quam prius, ergo aliquid reale accessit; non substantia, multò minus productio novæ existentiæ alicujus qualitatis vel nova & major illius unio, ergo accidens reale; Prob. antec: nam ante intensionem non erat illa qualitas major, post intensionem est major magisque activa, ergo aliter se habet illa qualitas postea quam antea; non per radicationē majorē, ergo per realem qualitatem. Probatur 2. quando calefit manus, ac deinde fit calidior; idem est calor qui prius erat, & idem subjectum, ergo si nihil accedat novi, non poterit dici subjectum magis calidum quam antea, ergo si debet intensio explicari per radicationem, minimùm debet aliquis modus de novo produci, quod omnes negant contra Thomistas. 3. Qualitas post intensionem est fortior ad agendum, plus potest resistere contrario & plus similis qualitatis producere, ergo debet aliquid reale accedere per quod fiat potentior, & consequenter in radicatione nihil præter verba relinquitur.

DICES 1. alterari nihil est aliud quam qualitatem educi è potentia subjecti, ergò magis alterari est eand. qualitatem magis educi; sed hoc est radicari, ergò. Resp. conced. majo. sed qualitas non potest magis educi; nisi quando educitur novus gradus; tunc enim qualitas est magis educta, quando alius & alius ejus gradus educitur; negatur autem minor, videl. hanc esse radicationem.

DICES 2. Vel nova qualitas superaddita est ejusdem rationis cum præcedente, vel diversæ; non primum, quia accidentia plura solo numero distincta non possunt esse in eodem subjecto; sed nec secundum, quia qualitates specie distinctæ non facient unam qualitatem. Resp. qualitatem superadditam distingui specie incompletâ à præcedente.

DICES 3. Qualitas est essentia, ergo non potest illi aliquid superaddi; prob. seq. quia essentiæ consistunt in indivisibili, sicut species & numeri, quibus nihil addi potest; & si aliquid addatur, mutatur species & essentia. Resp. neg. conseq. ad probationem dico, aliud esse essentiam esse indivisibilem & aliud consistere in indivisibili; Axioma debet intelligi de speciebus tam completis quam incompletis, quatenus illis non possunt addi prædicata essentialia sine variatione essentiæ speciei; si autem applicetur idem axioma speciebus incompletis, etiam illæ consistunt in indivisibili sicut materia & forma; nihilominus tamen tertium ens componere possunt. Deinde resp. qualitatem in abstracto sumptam esse indivisibilem; non autem in concreto. *Aliud est essentiā esse indivis. & aliud consistere in indivis.*

DICES 4. Qualitas illa superaddita vel est perfectior vel æquè perfecta; non primum; quia illa sola perficeret subjectum & reliquæ forent superfluæ; sed nec secundum, quia æquè esset intensa atque antea. Resp. esse perfectiorem, negatur autem reliquas esse superfluas; quia subordinantur superioribus veluti potentiæ suis actibus, unde perfectior omnibus remissis unitur in eâdem parte subjecti.

DIFFICULTAS VIII.

An manus aut ventriculus fiat calidior; frigidior, per additionem novi caloris, frigoris, &c.

AD melius intelligendam hanc difficultatem

Adverte 1. Qualitatem aliquam v.g. calorem in stomacho, in manu, &c: dupliciter posse augeri, primò per extensionem, quæ etiam multiplicatio dicitur, secundò per intensionem. Illa est, quando calor, qui est in una parte stomachi vel manus, extendit se & producitur etiam in alia atque alia parte stomachi vel manus; hæc autem, quando idem calor in unâ & eâdem parte stomachi paulatim fit major, intensior, perfectior. *Extensio & intensio quomodo fiant.*

Adverte 2. Qualitatem habere partes entitativas correspondentes partibus subjecti, quarum una plures habet hujusmodi partes quam alia, v.g. Elephas plures quam mus, & sic plures quam pulex; Nam sicut Elephas habet plures partes entitativas tam caloris quam subiecti ipso mure; divisus etiam in utrâque parte plus partium entitativarum continet quam in una; Ita etiam in toto ventriculo æqualiter calido sunt plures partes entitativæ caloris quam in una ejus parte. *Partes entitativa.*

Adverte 3. Calorem in stomacho; quod idem de aliis qualitatibus intellige, habere præter partes entitativas etiam graduales & inten- *Graduales & intensiva.*

Graduales & intensiva.

intensivas; per quas una & eadem qualitas in eodem subjecto, atque adeò in eâdem prorsus parte est interdum maior, interdum minor; Nam eadem omninò pars stomachi est aliquando magis, aliquando minus calida, ergo necessum est, ut idem calor habeat in eadem parte aliquando pauciores, aliquando plures partes, non entitativas ut patet, ergo graduales vel intensivas.

Partes entitativa & intensiva sunt ejusdem rationis.

Adverte 4. Partes entitativas extensivas & intensivas esse ejusdem rationis, & differre tantum accidentaliter; nulla enim est necessitas distinguendi, cum unus calor non sit distinctus ab alio essentialiter, v.g. quando in stomachum ingeritur piper, vinum, &c. producitur calor; si ventriculus anteà fuit calidus, pars caloris de novo producta erit intensiva; si autem eadem pars caloris producta fuisset in ventriculo destituto omni calore, esset entitativa, ergo idem calor potest esse entitativus & intensivus. Jam

Ventriculus fit calidus per novum calorem.

[1] DICO, caloris intensio in manu seu ventriculo fit per additionem graduum ejusdem qualitatis in eâdem parte entitiva subjecti, remissio autem fit per corruptionem graduum ejusdem qualitatis in eâdem parte subjecti: Prob. 1. ex Aristot. 4. Phys. c. 9. ubi ait, ut enim ex frigido fit calidum & ex calido frigidum, quia eadem erat potentia, sic ex calido magis calidum; At quando ex frigido fit calidum, producitur calor qui erat in potentia denovo, cum ante non esset, ergo etiam quando ex calido fit magis calidum, producitur calor ex potentia materiæ, qui prius non erat. Probatur 2. ex illo axiomate, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis; Atqui subjectum est calidum simpliciter per calorem simpliciter, ergo etiam est magis calidum per majorem calorem. Major est certa, maximè in genere causæ formalis; Implicat enim rem esse albam & non habere albedinem, calidam & non habere calorem, magis albam, magis calidam, & non habere plus albedinis, caloris, quia & album & calidum sunt effectus formales albedinis, caloris, qui necessariò includunt suam formam. Quod autem fiat intensio & remissio in eadem parte entitativa, de quo antea quærebatur, ita ostenditur: quando tota manus & totus ventriculus calidus fit calidior, tunc singulæ partes, etiam proportionales intenduntur quoad calorem, & idem de remissione intellige, ergo intensio fit in eadem etiam parte entitativa & ventriculi & caloris.

Qualitas sive calor quomodo intendatur.

DICES 1. Intensio est ejusdem formæ, at si producatur nova pars formæ, non est eadem forma quæ prius erat, ergo neque intensio. *Resp.* non intendi qualitatem quæ prius erat, sed intendi qualitatem compositam ex priori & posteriori, quæ sunt ejusdem rationis. Observa, multos esse qui non omninò absurdè judicant, intensionem fieri quidem per additionem graduum, accessione tamen novi gradus corrumpi omnes præcedentes, eò quod is qui de novo producitur, sit reliquis omnibus perfectior; Cum his itaq; si

DICAS 2. In motu locali quando producitur novum ubi, corrumpi præcedens; at similis est ratio alterationis, ergo quando producitur novus gradus caloris, corrumpitur præcedens. *Resp.* neg. min. quia duo ubi non compatiuntur se naturaliter in eodem subjecto sicut duo gradus.

DICES 3. In omni mutatione terminus *à quo* abiicitur; sed qualitas remissa in alteratione est terminus à quo, intensa verò terminus ad quem, ut si subjectum v.g. ex calido ut 2. fiat calidum ut 3. à duobus gradibus transibit ad tertium, ergo duo gradus qui sunt terminus à quo abjiciuntur. *Resp.* neg. min. quod videlicet qualitas remissa sit terminus a quo; quando enim producitur tertius gradus, terminus ejus productionis à quo est privatio illius tertii gradus, non autem duo gradus præcedentes; sublatâ tamen privatione tertii gradus non amplius sunt duo tantum gradus ut antea, sed jam 3. quia duo gradus connotant negationem tertii.

DICES 4. Si gradus qualitatis adderetur priori, vel prior qualitas esset subjectum & posterior forma, vel prior qualitas uniretur cum posteriori per associationem: Non prius, quia utraque est ejusdem rationis; non est igitur causa cur una sit potius subjectum quam altera; Neque posterius, quia aliàs posterior non intenderet priorem, sed qualitas multiplicaretur sicut fit in diversis subjectis, essetque aggregatum, quoddam ex multis gradibus. Respondeo posteriori modo uniri per associationem; quia autem qualitates secundum multos sunt inter se homogeneæ, ideò quando posterior unitur cum priori in eodem subjecto, faciunt unam qualitatem numero, sicut quando uniũtur plures guttæ aquæ, fit una aqua, quia hæc est natura homogeneorum, ut possint in unum coalescere. Plura vide apud Physicos.

DIFFICULTAS IX.

In quo consistat ratio graduum.

DICO 1. Ratio graduum non potest consistere tantum in modo qualitatis, quia aliàs nihil novæ rei acquireretur per intensionem, & qualitas intensa diceretur intensa per hoc tantum quod nunc aliter se habeat quam prius, quod videtur absurdum.

DICO 2. Neque potest esse aliquod accidens superadditum essentiæ. Nam si quod tale esset, non posset fingi aliud quàm vis major agendi; sed non est verisimile vim agendi caloris esse quid superadditũ calori: Deinde

vis

vis illa major unde, cum essentia à qua deberet fluere, sit ejusdem rationis?

DICO 3. Multò minus est differentia essentialis; nam omnes gradus sunt ejusdem speciei: quis enim dixerit calorem ut duo distingui à calore ut 4. & fatendum est, unam speciem, qualis est calor ut 8. conflari ex diversis speciebus infimis.

Gradus quid. DICO 4. Gradus itaque nihil est aliud quàm pars aliqua qualitatis materialis sensibilis non communicans. Explicatur & probatur; dicitur primò pars qualitatis, quia tota & perfecta qualitas ex omnibus suis gradibus integratur. Dicitur secundò materialis, quia partes alicujus formæ vel sunt materiales vel essentiales; hæ sunt genus & differentia seu gradus genericus & specificus individualis, illæ, quæ etiam integrantes vocantur, sunt certæ quædam determinationes & perfectiones sub quibus formales sive essentiales existunt, v.g. in quantitate esse extensum est pars formalis, esse bicubitum, tricubitum materialis. Gradus itaque est pars materialis seu integrans qualitatis, quia potest tota essentia qualitatis sine gradibus esse. Dicitur tertiò sensibilis vel sensu externo in materialibus, vel interno in reliquis, ut sit idem quod notabilis; excluduntur hic partes graduales quæ in infinitum dividi possunt & ad tantam redigi parvitatem, ut omnem sensum effugiant. Dicitur quartò non communicans, per quod clarius adhuc ponitur distinctio gradus à parte graduali, quia non repugnat ut pars aliqua sit sensibilis & tamen communicans. Ut autem clarius intelligas definitionem gradus, finge agens ignem v.g. agere in eandem partem subjecti per integram horam, tum divide horam in 8. partes; in prima parte producitur aliquid formæ sed parum propter resistentiam contrarii; in secunda parte plus, in tertia adhuc plus & sic deinceps. Quod igitur in prima parte produxit, erit primus gradus, quod in secunda secundus, & sic consequenter, ubi vides quomodo intensio fiat, nimirùm vel per additionem gradus ad gradum, vel partis gradualis ad partem gradualem: Causa autem illius subordinationis potissima est, quia omnis res naturalis ex communi lege naturæ ab imperfectioribus incipit & ad perfectiora tendit: In materialibus & corruptivis accedit, quod agens non potest statim vincere resistentiam contrarii, & propterea cogitur in primo loco producere partem remissiorem. Si quæras, quomodo uniantur inter se partes istæ seu gradus. Resp. per indivisibilia sibi propria & intrinseca; sicut enim partes quantitatis uniuntur per puncta, lineas & superficiem; Ita proportionaliter unitur unus gradus alteri per indivisibilia correspondentia indivisibilibus qualitatis; unde si extrà subjectum poneretur aliqua qualitas, partes ejus non minus cohærerent quam fecissent in subjecto. Hic autem corollarii loco *Adverte*, semper esse difficilius introducere gradum octavum quam septimum, & hunc quàm sextum, quod etiam in aliis rebus evenire videmus: Non enim tam difficile est acquirere habitum scribendi, quàm habitum benè scribendi; & sic difficilius est introducere gradus superiores quam inferiores. Et causa hujus videtur esse, quod passum facilius possit resistere ne introducatur gradus superior quam ne inferior, idque idcircò apparet factum esse à natura, quia superiores gradus inferunt passo interitum, non autem inferiores; quò autem res magis periclitatur, eò magis se naturaliter tuetur & resistit contrario idcircò gradus superiores majorem afferunt resistentiam quam inferiores.

Gradus quare dentur.

Quare difficilius sit productio gradum octavum quam septimum.

DIFFICULTAS X.

Quis & unde sit numerus certus graduum in qualitatibus.

Sensus difficultatis est, unde hoc proveniat quod in mixtis, imò etiam in ipsis elementis sit certus & determinatus numerus graduum, ultrà quem natura non progrediatur, sive hi gradus sint 4. apud Medicos, qui potissimum de gradibus qualitatum in mixtis agunt, sive 8. apud Philosophos qui absolutè circà qualitates versantur. Quod autem plures graduum videantur esse quam 8. videtur ex hoc posse convinci, quia sunt plures partes entitativæ in materia, ergo etiam plures intensivæ, cum sint ejusdem rationis.

SUPPONO, aliud esse gradum & aliud partem gradualem: Gradus enim significat sensibilem aliquam qualitatis portionem non communicantem cum alia; pars verò gradualis unamquamq; partem etiam communicantem vel insensibilem. His positis

Cur certi gradus qualitatis. DICO 1. Gradus in qualitatibus solent apud Philosophos commoditatis gratia numerari octo, qui alioquin in plures vel pauciores dividi possent. Prima pars patet ex communi modo loquendi & usu Philosophorum. 2. Prob. ratione: nam sicut quævis alia quantitas in majores & minores, plures aut pauciores partes dividi potest, ita etiam in quantitate alicujus alterius formæ fieri posse credendum est. Quod autem Medici gradus 4. solum constituant, fit ideò quia non considerant hi qualitatem absolutè & ut in se est, sed prout in mixtis reperitur, & prout ejus effectum metiuntur, quando in alieno corpore à calore vitali mixta actuantur.

DICO 2. Non potest tamen divisio fieri in gradus infinitos. Ratio est, quia cum gradus sit pars sensibilis, tales infinitæ non dantur, quia unaquæque forma habet certam latitudinem non infinitam & incertam, unde etiam necesse est illam ex partibus certis & sensibilib⁹ constare. Et cōfirmatur, quia formæ substantiales, ad quas ordinātur qualitates, requirūt certam temperiem & limitem dispositionum & poten-

potentiarum propter operationes suas, ex quo fit ut non possint esse infiniti.

Quare non [illegible] materia plures [illegible] quam octo.

DICO 3. Difficile est explicatu, unde oriatur materiæ limitatio quoad certos gradus qualitatum & certum eorum numerum; Omnium tamen verisimillimum est oriri hoc ab agente & determinata materiæ capacitate. De primo probatur, cum enim agens non possit producere plures gradus quam in se habeat, & ignis qui est summè calidus, non habeat plures quam octo gradus caloris, neque etiam sit ullum agens frigidum, quod habeat plures quam octo gradus frigoris, sequitur quod latitudo graduum non possit suprà octavum extendi. Quod si dicas, calor producitur etiam à lumine & motu, quorum neutrum in se habet calorem, ergo poterunt plures quam octo gradus producere, ergo etiamsi materia esset ad certos gradus ratione ignis limitata, non tamen esset respectu luminis & motus. Resp. quamprimum octavus gradus caloris productus est in materia, sive à lumine sive à motu sive aliunde, statim fieri igneum, qui determinatus est ad octavum gradum, ideòque ex parte formæ nascitur ignis, quia materia non potest magis calefieri. Probabile etiam est, determinatam esse capacitatem materiæ, ut in eadem parte lui non possit nisi octavus gradus recipere, etiamsi in diversis plures recipere possit; sicut enim materia quæ est tanta quanta formica, non potest recipere formam hominis aut leonis, major autem & in debita quantitate potest recipere; Ita etiam in una parte sui non potest recipere v.g. calorem qui est in toto mundo, sed tantum 8. gradus, tota tamen materia mundi potest recipere totum mundi calorem.

DIFFICULTAS XI.

An omnes gradus v.g caloris sint ejusdem rationis.

MAgna est hic controversia inter Anthores, an gradus quibus fit intensio, sint homogenei an heterogenei, & consequenter an gradus secundus caloris possit esse primus, quartus, octavus, &c. an contrà. Sunt enim duæ celebres & sibi immediatè contrariæ opiniones, quarum prima docet omnes gradus esse homogeneos & ejusdem rationis, & differre tantum quod unus ab altero possit separari: Hanc defendunt cum D. Thoma Conn. 1. de gen. c. 4. q. 2. a. 3. & ii quos ipsi in præsenti diffic. citant. Secunda asserit, gradus qualitatum esse dissimiles sive heterogeneos ita ut secundus plus contineat entitatis quam primus & natura sua præsupponat illum; Ita docent magni & Illustres huius seculi Philosophi, & tam scripto quam typo clari, ut Soarius d. 46. n. 20. Hurtad. cit. & alii.

Argumenta & rationes primæ opinionis sunt primò, si requiritur ad intensionem graduum dissimilitudo, ideò requiritur ut qualitas sit perfectior, & perfectius fortiusque operetur; sed hoc ipso quod duo gradus similes reperiantur in eodem subjecto, jam qualitas est perfectior & magis activa, ergo: minor patet ex supposito, quia præter propriam perfectionem gradus primi & differentiam individualem habet etiam alteram gradus secundi, proinde est perfectior intensivè: Resp. neg. min. quia falsum est duos gradus qui in duobus subjectis separatim sunt positi, si in uno & eodem ponantur subjecto, futuros perfectiores simpliciter & absolutè, aliàs etiam duæ animæ, si in uno & eodem subjecto ponerentur, essent simpliciter perfectiores; atqui non sunt nisi per accidens & quodammodo materialiter, etiam quando sunt in diversis subjectis, quia solum extensivè sunt plures. Secundò, si gradus secundus est dissimilis & perfectior primo, ergo corrumpetur primus adveniente secundo, quia secundus continet primum eminenter, proinde cum eo sit perfectior, supplebit munus primi, consequenter hic esset superfluus si remaneret. Resp. neg. conseq. ad prob. dico, non quia gradus est perfectior, ideò potest producere imperfectiorem, aliàs etiam Angelus posset hominem & homo leonem producere; sed limitata est singulorum potentia à Deo: Deinde licet posset gradum remissiorem producere, non tamen produceret quemcunque: Denique ideò non producit, quia non est virtus productiva in gradu secundo, aliàs etiam anima rationalis producere posset sensitivam. Tertiò, res diversæ speciei non possunt continuari, quia carent termino communi, & si eum haberet, ille non posset identificari utrique extremo diversæ speciei; præterea si gradus intensiones facerent unum per se, unus esset potentia, alter actus; hoc dici non potest, quia primus gradus denominaretur v.g. calidus à secundo. Resp. res diversæ speciei completæ, non possunt uniri & continuari, incompletæ cujusmodi est materia & forma, possunt, unio autem non identificatur positivè cum suis extremis: Insuper conceditur unum gradum habere se per modum potentiæ, alterum per modum actus, negatur autem primum à secundo denominari, quia non sunt tanquam partes essentiales, sed tanquam integrales, quia ablato uno gradu caloris remanet adhuc essentia caloris si alter gradus remanet, sicut ablato pede equi manet essentia equi. 4. Intensio & remissio, ut docet Aristot. in prædic. qualitatis, fit, quando qualitas ejusdem speciei nunc est major, nunc minor, ergo quando qualitas in eâdē specie non augetur, sed mutat speciem, non est intensio; atque his gradibus fit intensio & remissio, ergo omnes sunt ejusdem speciei. Resp. ut suprà, quia gradus ejusdem qualitatis non sunt diversæ speciei completæ; proinde esse heterogeneum & esse diversæ speciei non est idem, &

sufficit

sufficit heterogeneitatem importare saltem aliquidquod elt diversæ rationis. Quintò, si gradus, quibus fit intensio & remissio in eadem qualitate, essent diversæ rationis, vel omnes essent divisibiles vel indiv. si hoc, alteratio non esset successiva; si illud, ergo gradus habent quandā latitudinem, & constant partibus eiusdem rationis; non est autem ratio, cur singuli gradus conltent partibus ejusdem rationis, & tota qualitas constet partibus diversæ rationis, ergò.

Argumenta & rationes 2. opinionis sunt primò, si omnes gradus essent ejusdem rationis, quando v. g. in stomacho per haustum aquæ frigidæ producitur unus gradus frigoris & expellitur unus caloris, non esset causa, cur potius hic gradus caloris expelleretur quam ille, cum omnes sint ejusdem speciei, ergo nullus expelleretur; sed contrarium docet experientia, ergo dicendum potius est esse diversæ speciei. Resp. hoc argumentum continere eandem difficult. quæ reperitur in productione individuorum ejusdem speciei, quidnam videl. sit, quod determinet agens pro certo effectu, aut etiam Deum in productione animæ hujus aut illius pro hoc vel illo corpore organico, cum & agens alium effectum & Deus aliam animam producere potuisset. Varii varia respondent; in tanta autem rei obscuritate pleriq; ad primam causam confugiunt, ajuntque Deum hoc sibi reservasse ut ipse determinet, hicne an ille effectus prodeat, hicne an ille gradus expellatur. Secundò, sequitur ex contraria sententia, calorem v. g. ut unum posse producere in uno eodemque subjecto calorem intensiorem quam ipse sit; ratio sequelæ est, quia ille calor potest in duobus subjectis duos calores utrumque sibi similem efficere, ergo etiam potest in eodem subjecto producere gradum unum sibi similem, & iterum secundum se majorem, quia sunt omninò similes, & unitas ac diversitas subjecti planè accidentaria est. Rx. non posse, quia jam subjectū habet calorem quo assimilatur agenti; Agens autem non agit nisi in dissimile seu subjectum privatum formâ inducendâ. Tertiò, si gradus omnes essent ejusdem rationis, non constituerent unam qualitatem per se, at hoc est absurdum, ergo: prob. seq. major, quando fit unum ex duobus per se, alterum debet esse potentia, alterum actus; actus autem distinguitur essentialiter à potentia: ergo si gradus non differunt essentialiter, nō potest unus esse actus, alter potentia, ergo neq; unum facere per se. Rx. ex gradib⁹ fieri unū numero sicut ex pluribus guttis aquæ una aqua: Dictum illud tantum docet, non fieri unum per se ex pluribus, nisi sit alterum potentia & alterum actus, & loquitur de uno essentialiter, non de uno numero; concedit alioquin ex pluribus quantitatibus fieri unam quantitatem 4. Qualitas nequit in infinitum augeri per additionem graduum, esto possit per additionem partium proportionalium; hoc autem necessariò fiet in prima opinione. Prob. in diversis subjectis potest augeri in infinitum ratione graduum, ergo etiam in eodem, quia cum omnes sint ejusdem rationis, omnesque eodem modo uniti, non est causa cur ventum sit jam ad extremum gradum; Ille enim quem extremum dixeris, non elt major, nec plus entitatis habet quam primus; neque limitatio seu incapacitas subjecti obstat, quia hoc de se est indifferens & capax singulorum & multorum simul, &c. *Colligitur* ergò gradus differre inter se realiter, licet incompletè. Elige quod voles.

...id deter- ...net agens ... produ- ...ndum ...ne effe- ...m.

DIFFICULTAS XII.

An calefactio manus, ventriculi, &c. sit continua.

MOtus continuus dicitur dupliciter talis apud Aristotelem, primò enim Phys. c. 8. & 9. motus circularis est æternus, quia est continuus. Secundò, dicitur motus contiouus, quia habet partes continuas & divisibiles, fitq; in tempore & non in instanti; Et sic accipienda est hæc quæstio. Hoc tamen sensu motus dupliciter potest esse continuus; primò ratione subiecti cujus una pars post aliam alteratur. Secundò, ratione formæ seu qualitatis quæ producitur, quia videl. prius una pars formæ deiode alia producitur: præsens difficultas est de hoc sensu posteriori, quia agitur de successione & continuitate formæ.

Adverte tamen primò, non esse hic sermonem de alteratione qualitatum quæ carent contrario, quia dubium non est quin talis fieri possit in instanti, cum nullam habeat resistentiam in subjecto, quamvis nihilominus hujusmodi qualitas successivè & continuò possit acquiri, si successivè applicetur agens ad alias & alias partes passi, ut patet in motu Solis, qui sine interruptione motus & illuminationis contiouò alias atque alias partes orbis illuminat. Secundò, non requiri ut dicatur alteratio quæ continuò fiat usque ad octavum gradum, quia potest etiam fieri & dici alteratio quæ fit interruptè, quia impossibile est, ut ait Arist. 8. Phys. c. 3. aliquid semper augeri & minui. Quæritur ergò hic de alteratione habente contrarium, v. g. de calore qui est io manu, ventriculo, corde, Epate, &c. an talis possit successivè & continuò intendi & extendi.

DICO, calefactio manus, ventriculi, cordis, Epatis, &c. quæ est vera alteratio, est motus continuus & successivus non solum ratione subjecti, sed etiam formæ, id est, tota qualitas non producitur simul in tota manu, in toto ventriculo, &c. quoad intēsionem & extensionem, sed prius in partibus vicinis, tum remotis. Ita Conn. l. 1. de gen. c. 4. q. 2. a. 2. & alii contra eos qui volunt alterationem fieri per morulas interruptas in instanti. Probatur primò ex Aristotele passim in libris phys. ut 8. phys. c. 5. ubi de divisibilitate motus agit. 7. Phys.

c. 4.

c. 4. ubi ait uni alterationi competere unum mobile, unum tempus & unam formam sive terminum *ad quem*. 4. phys. c. 9. 6. phys. c. 4. aliisque in locis, in quibus multa de motu continuo & successivo tam ratione temporis & partium successivarum quam ratione subjecti docet; Item de velocitate & tarditate motus, ejusque comparatione cum alteratione, & rursum de ejus divisibilitate. Prob. 2. ab experientia; si enim quis manum igni applicet, continuò sentit manũ calefieri, quod nõ fieret, si calefactio esset interrupta & per instãtia interpolata. Pr. 3. ratione, quoties agens idoneè applicatur passo idoneo, producitur effectus; sed non solũ in instanti agens v. g. ignis est applicat' passo, sed etiã in tempore, ergo etiam in tempore producet effectum, proinde successivè, aliàs ignis rectè applicatus interdum non calefaceret, quia secundum eos qui contrarium sentiunt, ignis primò rarefacit, deinde cessat, & tamen quando cessat, manet proximus subjecto sicut prius, & subjectum æquè dispositum ut prius, ergo ignis sufficienter appositus subjecto rectè disposito aliquando non calefacit. *Si dicas*, subjectum disponi ab igne, & ideò illud non calefacere priusquam disposuerit; sed contra, vel disponit ignis subjectum successivè vel in instanti; si successivè, ergo aliqua alteratio est successiva contrà adversarios: si in instanti, ergo post illud instans agens est applicatum subjecto rectè disposito, quod tamen adhuc non agit, quia ut volunt iidem adversarii, debet calefacere in instanti; sed non dantur duo instantia immediata, ergo medio illo tempore non calefaciet, & tamen subjectum erit rectè dispositum.

Calefactio manus ab igne fit successivè & continuò.

DICES 1. Quilibet gradus qualitatis est indivisibilis; sed forma indivis. nõ potest produci in tempore sed in instanti, ergo; nõ potest autem post unum instans immediatè sequi aliud, ergo restat ut gradus qualitatis producatur per instantia interpolata. Resp neg gradus qualitatis esse indivisibiles, designari autem à nobis 8. gradus, quemadmodum etiamsi v. g. hic baculus dividatur in 8. partes, nihilominus singulæ partes erunt divisibiles in alias partes, quia illæ 8. tantum erunt factæ per designationem.

DICES 2. Non possunt dari duo instantia immediata; sed proximus gradus producitur in instanti, ergò immediatè post non potest agere; si enim aliquid ageret, produceret secundum gradum in instanti; sed non datur immediatum instans post primum, ergo immediatè post primum instans non agit, ergo aliquamdiu expectat usque ad aliud instans. Resp esse impossibile, ut si agens aliquo instanti agat, immediatè anteà non egerit, quando subjectum erat eodem modo approximatum; Ita enim potius sic argumentandum est; sic approximatum est agens & dispositum in primo instanti sicut post; at in instanti isto agit, ergò etiam post illud instans aget.

Colligitur, morbum sicut & omnem motum successivum incipere extrinsecè per ultimum non esse, in quo instanti non est alteratio, sed immediatè post erit. De his tamen vide Philosophos.

Morbus quomodo incipiat.

DIFFICULTAS XIII.

An & quomodo simile agat in simile, v. g. cibus & potus per calorem in stomachum.

ARist. 1. de gen. c. 7. docet agens & patiens debere esse similia, quod dictum variè interpretantur Philosophi; Nam aliqui putant agens & patiens debere esse similia in materia, ut dum ignis agit in lignum quod comburit, non in lapidem aut terram aut aquam, quia non habent substantiam ita facilè comburendam; similiter cum stomachus per calorem agit in cibum & potum, non in aurum aut aliam materiam solidam; Et hæc interpretatio fortè non mala est, nisi quod non sit universalis; nam spectat tantum ad agentia sublunaria. Alii docent sensum Aristotelis esse, quod agens & patiens sint similia in fine actionis, ut dum ignis ex ligno producit ignem, vel quando cibus & potus calefaciunt stomachum; Nam hic qui in principio non erat calidus, in fine fit calidus; Nec hæc interpretatio mala esset, si universalis foret, & conveniret omnibus agentibus tam univocis quam æquivocis, sol enim v. g. calefit hominem, etiamsi ipse nunquam sit calidus. Est autem controversia, an simile possit agere in simile, cum quo nullam habet dissimilitudinem? Ubi

Notandum, variis modis posse aliqua inter se esse similia; primò in qualitate sed non in gradu, quomodo similia sunt calidum ut 2. & calidum ut 4. & de his non est dubium quin in se mutuò possint agere. Secundò, in qualitate & gradu, sed non in raritate, densitate, magnitudine & parvitate. Tertiò, denique possunt in his omnibus esse agentia similia, & de his est quæstio, an possint in se mutuò agere.

Res variè sunt similes.

DICO 1. Simile non potest in aliud specie & gradu, raritate & densitate, magnitudine & parvitate sibi simile agere. Est contrà Toletum 1. de gener. q. 13. & alios è Conn. citatos, sed probatione hac Aristotelis res clara est, quia quãdo duo planè sunt similia, non est ratio cur hoc potius agat quam illud; deinde cessat finis actionis, ergo inter ea nunquam potest esse actio.

DICO 2. Simile in gradu & qualitate non potest ageri in aliud simile quod sola raritate & magnitudine differt. Ita Conn. 1. de gen. c. 9. q. 2. Hurt. d. 9. phys. §. 24. & alii. Probatur 1. ubi cessat finis actionis, cessat actio; sed posita similitudine agentis & passi, quæ est finis actionis, cessat finis, ergo & actio: minor patet ex 1. de gen. c. 8. quia finis agentis est assimilare sibi passum. 2. Si simile ageret in simile, idem seipsum intenderet, quod dici non potest, ut infrà patebit, ergo. 3. Si propter densitatem simile posset agere in aliud sibi & qualitate & gradu simile, sequeretur materiam posse habere plus quam 8. gradus caloris; sed hoc absurdum est, ergo: probatur seq. majoris; In igne est summus calor;

... poteſt dari agens aliquod denſius igne, ... potuit ignis magis calefieri, ſed habebat ... 8 gradus, ergo producentur plus quàm 8. gradus, ergo dabitur calor major maximo, quod eſt impoſſibile.

Colligitur. vinum, piper, cinamomum & calorem putredinalem qui incendit calorem cordis, non eſſe ſimilia calori ventriculi & cordis, aliàs non poſſent calorem vitalem incendere.

DIFFICVLTAS XIV.

Quid reſpondendum ſit argumentis in contrarium.

Quomodo dicatur magis illuminetur à pluribus facibus. DICES 1. Quinque faces magis illuminant medium quam una, ergo ſimile agit in ſimile. Reſp. neg. conſeq. quia aër illuminatur magis extenſivè non intenſivè; Nam fax addita faci intendit lumen in ſpatio tantum remotiori non vicino; unde ſi infinitæ faces lucidæ ponerentur ſimul, nunquam idem ſpatium foret lucidius intenſivè. Vel reſpondetur, etiam aërem magis intenſivè à pluribus facibus illuminari, ſicut à magno igne magis & citius incaleſcit quam à parvo.

DICES 2. Flamma major, ut docet Ariſtoteles de long. & brevitate vi æ, abſumit minorem; ſed flamma major & minor conveniunt in qualitate & gradu, magnitudine tamen differunt, ergo. Reſp. majorem flammam agere in minorem abſumendo ejus materiam non autem agendo in illam.

DICES 3. In media regione aeris fit nix, quæ eſt multò frigidior quam ipſa regio, ergo: Reſp. vapores in aere, cum ſint eſſentialiter aqua, reducere ſe ad priſtinum ſuum frigus, atque ita permixti exhalationibus condenſantur & fit nix: Itaque ſummum illud frigus non producitur ab aere rarum, ſed multò magis ab ipſa forma ſua ſubſtantiali.

DICES 4. Ferrum calidum necdum converſum in ignem accendit ſtipulam, ergo producit majorem calorem quam habeat in ſe, quia ferrum calidum necdum eſt ignis. Reſp. in poris ferri eſſe exhalationes quæ convertuntur in ignem & rarefactæ è poris exiliunt ſtipulamque accendunt; atque ita negatur, quod ille ignis excitetur à minori calore quam ad ignem requiratur.

DICES 5. Ignis in anguſto furno denſatus fortius agit quam extra furnum, ſimiliter horrea ſubinde accenduntur in æſtate, quia grana tritici ſunt denſioris materiæ. Confirm. ferrum candens acrius urit, quam flamma adulti vini v. g. & glacies fortius agit quam aqua frigida propter denſitatem: & quia plures partes qualitatis ſunt in corpore denſo quam in raro, in magno quam in parvo, & conſequenter major virtus activa. Reſp. ignem imprimis in furno ideò eſſe activiorem, quia coercentur partes illius ſubtiliores, quibus retentis vis major eſt, quæ non ita diſpellitur ſicut extra furnum: Deinde quia ambiens in furno non eſt ita ſicut in aere extra furnum circumfuſus, propterea que ignis activitatem contemperat; Conceſſo itaque antec. negatur conſequentia. Ad alterum reſpondetur negando aerem accendi à granis tritici, ſed quia incluſus eſt & ſiccus, reducit ſe ad nativum ſtatum adjutus exhalatione calida, quæ propter circumſtans corpus evaporare non poteſt, proindeque diſponitur ad ignem, & poſita ſufficienti diſpoſitione accenditur ignis à cauſa prima vel cœlo, ſicut producitur forma vermis in materia putri. Ad confirm. reſpondetur neg. conſeq. hoc tamen ſenſu; quod ferrum candens producat citius ſibi ſimile in paſſo, vel ad majus ſpatium, vel etiam longiori tempore operetur; ſi autem ſenſus eſſet, quod ferrum candens plus producat caloris quam flamma vini adulti, negatur antec. quia flamma ut 8. plus poteſt caloris producere quam ferrū candens ut 7. & ſi aliquando non producit, per accidens eſt, quia ſcil. paſſum eſt corpus denſum, & ideò raro, cujuſmodi eſt flamma, potentius reſiſtit; producuntur autem in paſſo ſemper totidem gradus, ſi illud ſit æquè rarum, ut ſibi aſſimilet paſſum in multitudine partium qualitatis vel virtute agendi; lux enim quæ producit calorem, non communicat illi ſimul. m virtutem agendi, quia alia eſt virtus lucis & alia caloris; præterea parva lux plures producit partes luminis in toto cubiculo quam in ſe habeat, lux v. g. unius candelæ. Hinc colligitur plures partes qualitatis, quæ ſunt in corpore denſo vel etiam magno ob denſitatem & extenſionem ſeu magnitudinem juvare ad agendum; primò ut citius producatur ſimilis in paſſo qualitas. Secundo, ut diutiùs operetur. Tertiò, ut agat in magis diſtans. Quartò, ut extenſivè plures producantur partes qualitatis, non autem intenſivè, quia denſitas nihil aliud facit, quam ut calor celerius agat, non autem ut quicquam producat ſupra gradum quem habet: Rarum autem & parvum agens in minus ſpatium operatur minus, reſiſtit minus, & citius vincitur.

DIFFICULTAS XV.

An quando calor cibi vel potus ventriculum frigidum calefacit, ipſe calor nonnihil repatiatur.

PHyſici hanc queſtionem per reactionē proponere ſolēt, ad quam explicandam *Advertunt* in ea 4. terminos, ut actionem, reactionē, paſſionem, repaſſionem. Actio eſt exercitium principalis agentis quod fortius operatur. Reactio eſt exercitium quo paſſum reagit in agens principale, ut ventriculus frigidior, qui reagit in calorem vini eumque retundit. Paſſio eſt actio agentis principalis, in quantum

R reci-

Actio, reactio, passio, repassio. recipitur in passo. Repassio est actio passi, in quantum recipitur in passo sine agente principali: Vocatur autem passum in quod agens principale agit; Repassum ipsum agens principale quod agendo repatitur; v.g. calor vini & cibi cum agit in stomachum, est agens principale; cum verò ventriculus per suum frigus calorem vini nonnihil retundit, eique naturaliter resistit, dicitur reagere in passum, &c.

Non est autem hic controversia, utrum duo agentia ignis v.g. & aqua, vinum & stomachus agant & patiantur reciprocè secundum diversas partes subjecti (nam vinum potest secundum unam partem calefacere partem stomachi, & hic secundum partes non calefactas potest retundere & refrigerare vinum saltem secundum unam partem) sed nec sensus quæstionis est, utrum invicem possint agere & pati secundum diversas partes disparatas etiam in eâdem parte subjecti, quia potest vinum eo tempore quo calefacit stomachum, ab hoc siccari: Nec difficultas est, utrum diverso tempore & successivè agere & pati invicem possint, quia hoc est extrà controversiam. Quæritur ergo, utrum agens utrumque tam principale quam minus principale qualitatis & actionis capax (cœlum ab igne non repatitur, nec Angelus à corpore, nec objectum à potentia) positum intrà sphæram activitatis (potest autem unius sphæra major esse quam alterius; unde ignis potest ignem remotiorem calefacere sed non frigefieri ab aqua ob distantiam) & secundum debitam magnitudinem utriusque (si enim minus principale sit parvum, in majus principale reagere non potest, ut digitus vel capillus in ignem ingentem vel furnum accensum) utrum inquam eodem tempore secundum eandem partem subjecti, & secundum veram contrarietatem qualitatis, v.g. caloris & frigoris, agere invicem & pati possint.

Datur reactio. DICO, quando calor cibi aut potus agit in stomachum frigidum, tum calor repatitur secundum eandem partem stomachi quam calefacit, à suo contrario, scil. frigore, & eodem tempore: Ita Conn. 1. de gen. c. 9. q. 2. a. 2. & 3. Hurt. d. 9. Phys. §. 162. & pleriq; alii, & prob. 1. si non daretur reactio inter qualitates primas, non posset dari mixtio ex elementis, quia hæc concurrunt ad mixtionem, & ut corrumpantur, quod necessariò requiritur ad mixtionem, debent in se mutuò agere & pati. Prob. 2. experientia; Nam ferrum candens immersum in aquam frigidam infrigidatur, aqua autem calefit; similiter à nive fit manus frigida & nix resolvitur; gutta aquæ in carbonem projecta consumitur, & carbo extinguitur. 3. Ex conflictu ignis & aquæ non fieret aer contrà experientiam. Denique duo contraria intrà sphæram posita habent vim sufficientem tam agendi quam invicem patiendi, ergo agent & patientur: Unde sequitur, si quando cibus calidus calefacit ventriculum frigidum, aliquid de calore illius cibi minui, nec esse calorem amplius tantum, quam prius fuerat.

Datur mixtio, ergo reactio, & ferrum candens dum in aqua extinguitur, producit calorem.

DICES 1. Si daretur reactio, posset debilius agere in fortius, quod tamen est absurdum. Resp. hoc nihil esse absurdi, quia agit debilius, sed non vincit.

DICES 2. Si daretur reactio, nullum agens poterit passum ad summam qualitatem intendere, illudque sibi assimilare contrà experientiam, quia semper agendo virium aliquid deperdet, proinde si sit calidum, aliquid caloris amittit. Resp. neg. seq. majoris; ad probationem dico, agens post victoriam obtentam reducere se ad pristinum statum, & consequenter posse intendere passum sibique assimilare cessante reactione.

DICES 3. Si daretur reactio, ignis deberet fieri à suo contrario frigidus; sed hoc absurdum est, ergo & illud. Resp. ignem nunquam ita à suo contrario pati, ut simpliciter fit frigidus propter calorem prædominantem, à quo etiam fit denominatio.

DIFFICULTAS XVI.

An calor sanguinis, ventriculi, &c. possit seipsum intendere.

NOTA 1. Non esse sensum hujus difficultatis, an v.g. calor calorem possit intendere, quod idem de frigore & aliis qualitatibus intellige; Nam hoc extrà ullam controversiam est, ut patet ex hactenus dictis; sed sensus est, an idem calor, qui est in stomacho, possit seipsum absque interventu alterius caloris intendere.

NOTA 2. Actionem, quæ ad hujusmodi intensionem spectat, esse duplicem; Unam videl. directam & alteram reflexam; Directa est per quam rectè tenditur in aliud, ut cum ignis producit tanquam causa univoca ignem vel calorem: Indirecta vel reflexa est, per quam non rectà tenditur in aliud, ut cum frigus in ventriculo calorem concentrando spiritus intendit. Jam

DICO 1. Calor ventriculi non potest seipsum intendere actione directa. Prob. 1. Qualitas ut duo non potest intendere qualitatem ut duo, id est, sibi similem in subjecto alieno, ergo neque intendet seipsam. Antec. patet ex natura intensionis, quia calor ut duo non potest ideò alium calorem ut duo intendere, quia produceret effectum qui vires proprias & sphæram activitatis excederet; Deinde intensio fit per additionem graduum; consequentia certa est, quia calor non potest agere in subjectum externum ideò quia est sibi simile, multò minus poterit seipsum intendere. *Calor ventriculi non intendit se directè.*

DICO 2. Potest tamen calor qui est in sanguine, ventriculo, epate, &c. seipsum intendere actione reflexa: hæc conclusio communis est & prob. experientia; Nam primò calor qui est in sanguine, si in venis per obstructionem pororum prohibeatur evaporatio calidarum exhala- *Sed reflexè.*

exhalationum, redit iis rarefactis in seipsum, & putrescente paulatim sanguine fit major, ut Medicis constat. 2. Per reflexionem radiorum in speculo intenditur lumen ut docet experientia, sed ut hoc omnia fiant clariora, sit

DIFFICULTAS XVII.

Quomodo calor v.g. qui est in sanguine & reliquo corpore, se ipsum indirectè intendat.

HÆc difficultas non tam concernit calorem quam frigus & qualitates quæ habent contrarium; De lumine agetur proximè.

Adverte autem, ideò fieri actionem reflexam, vel quia qualitas, ne possit ulterius, impeditur à suo corpore objecto, ut contingit in radiis solaribus, qui ideò, quod natura sua non possint penetrare corpus solidum & densum, in se reflectuntur, vel quia una qualitas obsidetur à sua contraria, ut frigiditas aquæ ab aeris calore, qui in causa est, quod frigiditas in se quasi reflexa intendatur, difficilè est explicatu, quamvis manifesta experientia constet, prohibitis in corpore humano evaporationibus fieri febres, in æstate aquam fontanam, calore omnia superiora possidente, reddi frigidiorem, &c. Et quia non omnium eadem est hac in re explicatio; ideò etiam est

OPINIO 1. Marsil Ficini 1. de gen. q. 18. Paul. Venet. l. 1. meteor. c. 3. Forol. q. 1. in Aphor. 15. s. 1. & aliorum, qualitatem intendi per repercussionem specierum intentionalium à contrario & circumstante, v.g. aquam fontanã refrigerari æstate, quia species frigoris emissæ ab aqua ad corpus calidum circumstans aërem scil. ab eo reverberantur, regressæq; ad aquam & nihil in ea impedimenti invenientes, majorem ei frigiditatem imprimunt, sicque aquam frigidiorem fieri ab obsidione contrarii. Sed contrà est primò; vel enim illæ species sunt perfectiores primis qualitatibus vel imperfectiores; si primum, ergo non possunt produci à primis qualitatibus; si secundum, ergo non possunt qualitates ab iis tanquam remissioribus intendi; Secundò, species sunt accidentia, ergo si redeunt ad idem subjectum, debuerunt migrare de subjecto, quod est absurdum; plura dicentur in concluso.

OPINIO 2. Est Toleti 1. de gen. q. 4. ad finem, ubi docet, eandem qualitatem quando contrario circumcingitur, intendere seipsam, quia cum non possit agere in vicinum, agit in seipsam; sed contrà est, quia hoc pacto aqua calefacta posita in loco frigido fieret calidior contrà experientiam; Deinde ageret suprà vires suas.

OPINIO 3. est Gal. l. 3. de simpl. medic. c. 3. Cardon. l. 3. de subtil. & nonnullorum aliorum, qui docent, fontium & puteorum aquam semper esse frigidam æqualiter; apparere autem tactu in æstate frigidam & in hyeme calidam propter ambientem aerem, à quo decipiamur; sed & hoc falsum est, quia hoc non tantum tactus manuum, sed & lingua & stomachus verum esse sentiunt & judicant.

SUPPONO, dari hujusmodo intensionem indirectam in rerum natura non tantum ex Hipp. 1. aphor. s. 15. ubi ait ventres esse hyeme calidiores, &c. sed etiam constare id experientiis multis, de quibus in sequentibus. Itaque quando qualitas dicitur intendi per antiperistasin, non est intelligendum, quod qualitas circumstantis corporis contraria effectivè producat qualitatem intensiorem in subjecto circumcluso, quia frigus circumstans puteum non producit calorem, ergo debet esse aliquid aliud à quo producatur illa qualitas, de quo principio ejusmodi qualitatis productivo hic inquiritur. *Frigus circumstans non producit calorem, ergo aliquid aliud.*

DICO 1. Antiperistasis, latiuè circumsistentia vel obsistentia contrarii est actio, quâ qualitas aliqua v.g. calor obsessus à circumstante frigore intenditur & corroboratur ad resistendum frigori, vel contrà frigus obsessum intenditur ad resistendum calori. *Antiperistasis quid.*

DICO 2. Dari antiperistasin certum est. Prob. 1. Author. Arist. qui l. 1. meteor. c. 4. docet exhalationes calidas, cum ad mediam regionem aeris devenerint, per circumstans frigus magis incalescere, adeò etiam ut accendantur & fulmina fiant: Et l. 2. ejusd. operis c. 2. docet loca subterranea esse magis calida hyeme quam æstate, quia calor propter frigus hybernum refugit ad partes interiores terræ, qua de causa etiam ventriculi sunt calidiores in hyeme quam in æstate. Prob. 2. Multis experientiis: primò enim aquæ fontanæ & puteales in hyeme ita incalescunt ut fumeant, calido verò tempore è contra frigent. Secundo, calx aquam frigidam sentiens effervescit adeò ut si ligna injiciantur, comburat teste Card. l. 2. subtil. & quotidiana experientia. Tertiò, nives contrectatæ manibus paulò post excitant calorem sicut & aqua frigidissima. Quartò, res sua natura frigidæ per ignem calefactæ citius refrigerantur soli expositæ quam ab eo remotæ; contrà verò si exponatur hyeme aqua calefacta & frigida, longè citius congelatur quam calida. Quintò, aliqui fructus de quibus copiosè Theophr. l. de plantis, maturescunt frigore, quia scil. augetur & urgetur calor internus, à quo deinde fit maturatio, quod idem in certis uvis contingit quæ nisi pruina tactæ coquuntur. 6. Plin. l. 28. c. 29. tradit uredinem in arboribus & plantis oriri per antiperistasin frigore calorem lacessente, &c. *Datur antiper. experientia.*

DICO 3. Falsum est, quod qualitas reflexè vel indirectè intendatur beneficio & ministerio specierum intentionalium. Ita communis est doctrina contrà opinionem primam. Probatur primò: hæ species à natura tantum institutæ sunt, ut objecta repræsentent, nihil autem *Ad antiper. nihil faciunt species.*

autem reale producant, ergo. Secundo, si hæ species reflexæ vim haberent producendi qualitatem, tunc potius haberent illæ quæ directè repræsentant objectum, sed consequens est absurdum, ergò. Tertiò, species primarum qualitatum non egrediuntur sine ipsis qualitatibus, quarum sunt species, ergo. Antec. patet, quia nihil repræsentant nisi quatenus præsentes sunt qualitates, cum aliàs absentem calorem perciperemus, quod est absurdum; Et esto percipiamus calorem per speciem, tamen opus est ut calor sit præsens. Quartò, species caloris & frigoris non sunt contrariæ, ergò nihil impedit, quo minus undique aerem penetrare possint, quia ipsis omnia sunt pervia. Quod si dicas, sonum, lumen & species visibiles repercuti, quæ æquè minus contrarium habent, ergò id etiam de speciebus qualitatum tactilium dici posse. Resp. neg. conseq. & paritatem; Nam sonus, lumen, &c. ita sunt conditionata, ut non possint omnia corpora penetrare, ut patet ab enumeratione, quia sonus imprimis non penetrat terram, nec lumen corpus opacum, nec species visiles nisi corpus diaphanum; primæ autem qualitates & earum species omnia corpora in his sublunaribus sibi subdita & pervia habent ut manifestum est.

DICO 4. Intensio caloris stomachi in antiperistasi non fit à forma stomachi augente qualitatem suam. Ratio est, quia sæpè calor qui intenditur, non est stomacho naturalis, sicut cum fontes redduntur hyeme calidiores, ergo hunc calorem non potest forma aquæ intendere, cum non habet vim productivam nisi frigoris sibi connaturalis, similiter frigus aeris in locis subterraneis existens intenditur æstate non à forma aeris, quia hæc ex natura sua requirit & producit calorem tantum.

DICO 5. Intensio caloris in stomacho per obsistentiam contrarii non fit etiam à qualitate ipsa augente seipsam eò quod impediatur à contrario. Probatur primò, si calor impeditus à contrario posset intendere seipsum, unus gradus posset producere secundum, duo tertium, tres quartum, &c. ergo in antiperistasi semper producerentur 8. gradus. Secundò, nullum contrarium à suo contrario posset corrumpi, sed semper seipsum intenderet. Tertiò, si calx ponatur in oleo, etiam impeditur, & tamen non calefit, ut testatur cum experientia Plin. l. 24. c. 1.

DICO 6. Calor internus in stomacho & sanguine, frigus aquæ fontanæ, & quævis alia qualitas congrua intenditur indirectè ab aliqua causa adventitia, quæ non semper una & eadem est, sed alia & alia pro re nata. Ita Conim. l. 1. de gen. c. 9. q. 1. a. 3. Valesius controvers. medic. c. 5. & alii. Prob. 1. Hæc intensio non fit ab intrinseco, nec ab aliquo quod jam in subjecto præexistat, ergo ab aliqua causa adventitia quæ in sequentibus magis innotescet. Quod autem non semper sit una & eadem, parebit etiam ex variis modis, exemplis & experientiis, quibus omnibus hujusmodi indirecta intensio explicabitur. Nam primò quando videmus exhalationem calidam in aere frigido, qui in secunda regione reperitur, accendi, causam in nihil aliud referre possumus, quam in quendam conflictū & collisionem ipsius exhalationis & aeris; Dum enim hic coercet, illa autem resistit seque dilatare cupit, exurgit conflictus per motum localem, collisio, incalescentia, tandemque producto summo calore ignis; & hujus accensionis causas alias vide apud ipsos Conim. in suis meteor. tr. 2. Secundò, quando aer æstivo tempore in secretioribus locis ædium frigidior est, in halitus frigidos, qui jam maximè propter circumstantem calorem se suamque nativam frigiditatem roborant, referendum est: Quod si autem hic idem aer in hyeme sit calidior, fit propter ambientem qui frigidior est. Tertiò, Quod aquas fontanas & puteales per hyemem caleant, fit propter exhalationes calidas, quæ à terra jam frigore condensata illuc trajiciuntur, & aquam eodem calore, quo ipsæ præditæ, afficiunt: Et hoc habetur apud Arist. 1. meteor. ubi ait, hyemali tempore loca subterranea esse calidiora, quia frigus calorem illum impellit. Quartò, quod aliquando calor sanguinis & humorum tam intra venas, quam corpus conclusus nimiùm incalescat & febres accendat, causa eadem esse potest, quæ exhalationum in aere accensarum; Nam cum à sanguine & humoribus multæ semper & copiosæ exhalationes eleventur, quæ à corporis sive internis sive externis meatibus & poris evaporare cupiunt; si ab aliquo frigore vel materia etiam frigida, lenta, viscosa meatus occludantur, exhalationes & fuligines in se recollectæ sensim magis attenuantur, rarefiunt & hinc indeque collisæ se subjectasque partes accendunt, & putrefactæ febres accendunt. Quintò, quod ventriculus animalium magis in hyeme quam in æstate caleat, causa est, quia frigus ambiens condensat poros cutis, unde nequeunt spiritus vitales exire, ideòque plus comedunt, quia calor collectus fortius operatur; Eâdem de causâ flante boreâ navigantes & septentrionales magis comedunt. Sextò, hinc etiam fit, si manus frigidâ laventur, manere calidiores, si calidâ, frigidiores, quia scil. aqua frigida poros constringit, & calori viam & exitum præcludit, calida verò poros laxat & aperit. Septimò, si aqua calci affundatur, calefit, rumpitur, & ardet ideò, quia in calce multæ sunt exhalationes calidæ & siccæ; Nam omnia adusta ex 2. de part. animal. c. 2. multum habent caloris, uti est cinis & calx quæ fit ex multa combustione & arsione lapidum. Cum ergò aqua effusa sua gravitate descendat ad implendos calcis poros, suo accessu coarctat & condensat exhalationes, quæ calefaciunt & rarefaciunt partes calcis, præsertim aquæ, quæ rarefacta cum majorem exigat locum, erumpendo è poris rumpit calcem & exhalationibus exitum aperit, proinde

ebullit

Antiperistasi quomodo intendatur qualitas.

Exhalatio in aere quomodo accendatur.

Aer in secretioribus ædium locis unde tam frigidus.

Aqua fontana caleat hyeme.

Quomodo sanguis ab evaporatione prohibita accendatur.

Ventres hyeme cur calidiores.

Manus frigidâ lota calent.

Aqua calci effusa ardet.

ebullit eò fortius, quo calx recentior est, & exhalationes ficciores & calidiores. Si calx est antiquior, pauciores continet exhalationes, & ideò apparet etiam candidior, quia aer deficientibus exhalationibus admiscetur, recens verò colorem subcineritium retinet; si quando ignis erumpit, tum hic à causa prima positis idoneis dispositionibus inducitur. Cur autem oleum affusum non faciat calcem effervescere sicut aqua, causa est, quia oleum natura sua est calidum, simile autem non agit in simile; præterea lævum esset viscidum, facilèque se in poros insinuat, ut proinde exhalationibus admixtum sua humiditate vim dissipet & diminuat, aqua verò sua natura frigidior eas in unum cogat. Quidam putant, calcem à propria forma intendi & accendi, quia existimant virtute esse calidam sicut piper; sed malè, quia nulla forma producit in propria materia qualitatem ultrà intensionem sibi connaturalem, quia præterquam quod ageret ultrà vires, destrueret se connaturaliter; vinum autem & piper non intendunt calorem in materia propria, sed in aliena, videl. in animalium ventriculo: Et ex hactenus dictis facilè colliguntur & explicantur omnes aliæ quotquot sunt, experientiæ.

DICES 1. Quando sanguis v.g. in venis à calidioribus exhalationibus fit calidior, hæc actio non est reflexa nec indirecta, sed maximè directa, quod idem intellige de multis aliis experientiis. Resp. verum esse, sed minimùm exhalationes & fuligines per actionem reflexam accenduntur, quod sufficit; Et hinc benè *Adverte*, semper fieri in actionem duplicem, unam directam, alteram indirectam; hæc est ab antiperistasi, illa à causa simili & univoca; v.g. quando halitus frigidi in cellariis æstivo tempore ab ambiente calore acris sese uniunt, & conglomerati magis infrigidantur; tunc actio hæc est reflexa & indirecta; si verò hi halitus ita infrigidati aerem in cellario postea frigefaciant, hæc actio erit directa, quia erit à simili & univoco, & idem de aliis intellige.

In accensione semper actio duplex.

DICES 2. Calor ventriculi non est intensivè major in hyeme quam in æstate, ergo falsum est semper fieri intensionem per antiperistasin. Resp. neg. simpliciter antecedens, quia reverà ventres in hyeme sunt calidiores quam in æstate, non tantum quod partes entitativas, sed etiam quod intensivas, cum calor internus ab aere ambiente calido dissolvatur, à frigido autem uniatur & roboretur. An autem in omni antiperistasi fiat intensio quoad gradum, an verò sufficiat si fiat quod partes entitativas, ut vult Garb. lib. 2. tract. 1. q. 3. & Vega lib. artis Medic. cap. 29. incertum est; Nam augetur semper interna qualitas ab ambiente contrario, sive accedant partes entitativæ ad plures partes subjecti faciantq; augeri qualitatem extensivè, sive ad eandem partem & qualitatem subjecti & producant majorem intensionem.

DIFFICULTAS XVIII.

Quomodo & à quo intendatur lumen.

Etiam lumen, quod caret contrario, intenditur; de modo quæritur in præsenti, an sit idem qui primarum qualitatum.

NOTA 1. Hanc esse naturam quarundam qualitatum, quæ non possunt ubique corpora penetrare, sicut calor, frigus, &c. sed ubi in ea impingunt, statim reflectuntur; hujusmodi sunt species visiles ut patet in speculo; sonus, ut patet ex locis concavis aut flexuosis, à quibus sonus ad aures remeat; Et lumen, quod quidem aerem, vitrum, crystallum & alia corpora diaphana seu perspicua penetrat, ab opacis tamen & tersis, ut sunt metalla expolita, potentet reverberatur.

NOTA 2. Quando lumen producitur, varias tunc causas concurrere, inter quas non est principalis ut Sol, fax intensa, ignis, &c. alia minus principalis, ut lumen à Sole, igne, &c. productum in medio; Nam mediante hoc lumine Sol, ignis aut aliud agens principale ulterius suum lumen diffundit.

In productione luminis quæ causæ concurrant.

SUPPONO autem duplicem actionem intervenire qua lux producitur; una est directa quâ Sol producit lumeo directè in aere, speculo, &c. altera est reflexa, quâ intenditur lumen; & de hoc quæritur, quomodo fiat, & à quo.

DICO 1. Verum est, lumen actione reflexâ intendi, controversum tamen à quo id fiat. Primum constat multis experientiis: Videmus enim si lumen vel radii solares in aliquo loco parum luminoso incidant in corpus aliquod tersum ac politum, imò in aquam ipsam, tunc locum illum fieri multò luminosiorem: Deinde si objiciatur speculum vel ampulla vitrea impleta aquâ radiis solaribus, non tantum intenditur lumen, sed etiam stipula vel quippiam aliud igne capax incenditur. Sic Archimedes triremes hostium exussit referente Gal. l. 3. c. 2. de temper. & pyrata quidam nostra adhuc memoria templum quoddam Neapoli, dum non procul hinc in mari vagaretur, & ut Baron. in suis ann. ad annum 514. ex Zonara ann. par. 3. narrat, Anastasius Imperator Constantinop. operâ Procli Mathematici classem Vitaliani Scythæ urbem obsidentis incendit & instar fulminis erumpentis per specula sua ustoria & à muro adversus naves hostiles suspensa combussit. De secundo lis magna est inter Authores; Nam ad quæstionem, à quo hæc lux & calor consequenter producatur, respondent Conn. 1. de gen. c. 9. q. 1. a. 1. hanc

Lumen quomodo intendatur.

luminis & caloris intenſionem fieri ab ipſo lumine reflexo: Sed contra eſt primò, id quod eſt imperfectius, non poteſt producere perfectius; ſed lumen reflexum eſt quid imperfectius, quam ſit radius aut lumen rectum ut patet in voce reflexa quam reddit Echo, ergò: & hoc fatentur ipſi Conn. art. citato. Secundo, ſimile non intendit ſibi ſimile, ergo multò minus ſe, &c. Reſpondent alii & dicunt, hanc in- *Intenſio luminis à quo.* tenſionem fieri à ſole vel alio lucido corpore quod directè illuminat, oppoſito tamen ſpeculo tanquam conditione ſine qua non, unde lumen quod poſt ſpeculum Sol produxiſſet, jam producit poſito obſtaculo ante ſpeculum, conſequenter agit in ſphæram minorem fortius. Sed contra eſt primò; nam ſi corpus impediens productionem luminis eſſet conditio adjuvans Solem ad productionem intenſioris qualitatis per reflexionem, ſemper poſitâ tali conditione ſimilis ſequeretur effectus; ſed hoc falſum eſt, quia res nigra non facit tantam reflexionem quantam alba, nec alba tantam quantam ſpeculum, nec tantam corpus vitreum quantam æneum, ergo nec tantam intenſionem. Secundò, in hac ſententia non poteſt dari ratio, cur actio reflexa ſit fortior propè ſpeculum quàm propè Solem; & idem eſt de lumine, quia producitur uniformiter difformiter. Tertiò, explicari non poteſt, cur in partibus remotioribus producatur lumen intenſius quam in vicinis; Nam major eſt intenſio lucis in partibus remotis, ſi radius impingat in ſpeculum concavum, quam ſit in vicinis, Reſpondeo ergò &

DICO 2. Hæc intenſio fit à Sole tanquam *Intenſio luminis unde.* à cauſa principali, idem eſto judicium de face ardente, candela, &c, ſi ipſis ſpeculum opponatur, à lumine verò in ſpeculo actione directa producto, vel ab aliquo alio objecto tanquam à cauſa inſtrumentali: Conditio ſine qua non eſt certum temperamentum & diſpoſitio corporis oppoſiti, cujuſmodi eſt corpus opacum, terſum, uti eſt ſpeculum, æs, terra, paries albus, &c. Et lumen non producit aliud lumen ut multi putant, tanquam cauſa principalis, præſertim quando tanquam cauſa univoca operatur, producere tamen poteſt, quando tanquam cauſa inſtrumentalis operatur vel tanquam cauſa partialis, præſertim ſi in corpore denſo recipiatur. Concluſio hæc, quæ eſt Hurt. d. 9. phyſ. ſ. 6. §. 66. Soarii d. 18. ſ. 9. n. 38. & aliorum Reſponſa, quia per hoc explicantur omnes difficultates; Hinc ſi

DICAS 1. Hoc pacto dabitur actio in diſtans, conſequenter illuminatio non fit uniformiter difformiter, quia Sol producit lumen intenſivè majus propè ſpeculum, quale non producit in aere, qui eſt ipſi propioquior. Reſp. conced. dari actionem in diſtans, quoties aliqua actio præceſſit in medio, & objectum remotum eſt capax majoris intentionis; ſic idem num. objectū perfectiorem imprimit ſpeciem in oculo perſpicaci quam caligante. Quod ſi actio nulla ſit diffuſa per medium, non datur tunc actio naturaliter in diſtans; Deinde hoc fit per accidens eò quod in via ponatur impedimentum.

DICES 2. Lumen, quo radii reflexi à ſpeculo coincidunt, eſt intenſius quam ſit in ipſo ſpeculo, ubi fit radiorum reflexio; ſpeculum enim non inceditur ſed ſtuppa, in quam radii reflexi incidunt, ergo intenſius lumen, & conſequenter etiam calor producitur à remiſſiore, alias utrobique ſequeretur idem effectus, ignis videl. ſi eſſet æqualis intenſio. Reſp. neg. eſſe lumen intenſius ubi accenditur ſtuppa; ex inflammatione enim non colligitur eſſe majorem *Quare non ſemper requiritur ad formam ignis calor ut 8.* in uno lucem & calorem quam in alio, niſi quando æqualia ſunt ſubjecta; Nam ad formam ignis non ſemper requiritur in omni ſubjecto calor ut 8. ſufficit quandoque ut 7. maximè ſi adſit ſiccitaa & raritas, cujuſmodi eſt in ſtuppa, non in oculo.

QUÆRES, cur ſpeculum concavum majus producit lumen & intenſius quam convexum. Reſp. ideò, quia operante Sole principaliter & lumine in ſpeculo recepto inſtrumentaliter in unum incidunt radii per concavitatem ſpeculi collecti, qui in reflexione conveniunt vel multum diſperguntur; ſic major eſt calor in medio circuli, ſi faces in circulum ardentes collocentur propter radiorum concurſum. Quod ſi dicas hinc ſequi, ſi ſpecula infinita opponantur aliis concavis, Solem habiturum infinitam ſphæram activitatis: Reſp. neg. ſeq. quia quò remotius eſt ſpeculum à Sole, & ſpeculum centeſimum vel milleſimum à primo, eò minus illuminatur; ſi tamen lumen quod directè in ſpeculo productum, ageret tanquam cauſa univoca principaliter, plus haberet virium ſequela; Quanquam controverſum ſit, utrum lumen producat lumen ſicut calor calorem, & utrum *An lumen producat lumen ut calor calorem.* qualitas intenſa ut unum poſſit etiam aliam producere æquè intenſam ut unum, vid. Hurt. cit. §. 79. & alios.

DI-

DISPVTATIO XI.

De Putrefactione.

POst febres calidas & putridas factamque in corpore alterationem sequitur putrefactio quæ frequentissimè in homine cæterisq; rebus naturalibus accidit ad interitum: Et hinc quam labilis sit inter res mortales vita nostra, & quam mutabilis ejus indies decursus, testatur ortus & occasus noster, docentque principia nostræ generationis, & omnium majorum nostrorum memoria, quam unicam inter ossa & cineres relictam cernimus & lugemus: Neq; verò infelicitas hæc est solius hominis, quia eandem lamentantur aeris marisque omnes incolæ & quicquid terra præter animantia bruta germinat, suisque reconditum alit visceribus, id quod non inconcinnè Vates ille decantat, cum ait

Ortus cuncta suos repetunt matremq; requirunt,
Et redit ad nihilum quod fuit ante nihil,

Ita enim uno die videas hortorum delicatas opes, rosas inquam purpureis suffusas vivè guttulis vernare, sequenti marcidas roseam animam inimicâ forsan ab aurâ effundere, suæque formæ natalem non tam feliciter auspicari, quam ejusdem lethale fatum lacrymari: Ita cum Jobo animal & hominem de muliere natũ intuearis, brevius viventem, multis accumulari miseriis, quasi florem & lilium in convallibus egredi, moxque conteri & velut umbram abhinc ex oculis evanescere. Certè res digna examinatu videtur in publico, tum quia mortales nos attinet, qui commune hoc corruptioni pensum debent, tum quia nos vero Deo sacros adducat illud accuratius contemplari, quod olim omnes mansurum foret: Apud quos enim putrefactio recepitui canit vel certè alius naturarum hostis, ii proximius nihil habent quàm ut in corruptionem paulatim descendant, nisi tamen per industrios salitores phœniceo mero è variis aromatis eliquato eluantur & ab interitu vindicentur. Sed quid hoc unius diei spatium? Nihilominus enim sui remanent cineres, qui sive serius sive citius in auram dispulverantur: Ita hac ergo pro præsenti operis decursu sæpius meditantes nos advertit hæc ratio, ut cum ob adversas in hoc universo formas prælia cieri videamus: ea hic paucis in publ. cum ordine producamus. Sit itaque

DIFFICULTAS I.

An & quotuplex detur putrefactio.

PEr putrefactionem, putrescentiam vel putredinem quæ synonima sunt, & semper interitum misti, si non secundũ totum, saltem secundum partem vulgari modo loquendi significant, intelligitur primò actio putrefactiva, quæ est via & tendentia in rem putridam. Secundò, terminus putrefactionis, qui est nova forma misti putrescentis vel qualitas, à qua dicitur res putrida. Tertiò, res ipsa putrida vel corpus putre, in quo fit separatio humidi à sicco, & cujus indicium est fœtor, qui pro ratione majoris vel minoris putredinis vel magis aut minus exuperat. Quartò denique pro mutatione rei putrescentis sive caloris naturalis à quo totum suppositum conservatur. His positis

DICO 1. Datur putrefactio seu putrescentia quocunque modo sumpta in homine occidente rebusque mixtis. Hujus conclusionis veritas desumitur ab ipsa natura rerum omnium sublunarium, per quàm intrinsecè sunt corruptibilia; quæ autem corruptibilia sunt, vel corrumpuntur per combustionem vel per corruptionem ut infra dicetur, ergo reverà dabitur putrefactio in homine occidente & compositis physicis. Prob. 2. ab experientia, quâ videmus omnis generis mixta dissolvi & computrescere, ut sunt ligna, fructus horarii, carnes, humores, cadavera, aquæ stagnantes, &c.

DICO 2. Impropriè dividitur putrefactio apud Senn. Medicum l. 2. de febr. putr. in genere c. 1. in eam, quæ fit secundum totum & secundum partem. Ante probationem *Adverte*, Medicos, quorum singulariter in explicandis febribus eorumque naturis est agere de putredine, res omnes naturales subjicere putredini totali vel partiali: primam vocant perfectam eò quod mixta planè in elementa à quibus coaluerunt, resolvantur adeòque reliquis elementis evaporantibus nihil nisi terra remaneat; Et hanc volunt Arist. definiisse, esse etiam velut normã & regulam alterius: Secundam ajunt esse imperfectam, eorum sc. corporum quæ plus humidi obtineant, & in quib⁹ totum illud prædominãs non possit cum calore educi, sed saltem secundũ partes subtiliores & tenuiores; In hac autẽ gradus quosdam cõstituunt, quia docẽt aliquando tam levem esse ut potius via sit & tendẽtia ad putredinem, cum aliquę saltem particulę corrumpãtur servatâ misti formâ substantiali; aliquando autem tam insignem, ut forma substantialis deperdatur totumq; mistum in aliam speciem degeneret, esto non fiat resolutio in elementa; & hanc utramq; accidere sanguini, humoribus aliisq; mixtis, in quib⁹ humidũ prædominetur. Jam quod hæc divisio potius sit medica quam philosophica, probatur 1. putrefactio secundũ

Putrefactionis divisio in perfectã, sive quæ est secundum partem & secundum totum.

partem

partem non differt in re ab altera ſecundum totum, ergò. Antec. prob, quia etiam in ſecunda abjicitur forma ſubſtantialis ſicut in prima, eſto non fiat eo modo & eâdem activitate, quia ſufficit utrinque dependi formam ſubſtantialem in mixto. Exemplum putrefactionis ſecundum totum ſit ſanguis, qui extrà venas effuſus ita diſſolvitur, ut ſeparato humido à ſicco & calido à frigido, quicquid adeſt ſubſtantiarum elementariũ, in aërem evolet & terram tranſeat: ſecundum partem ſit idem ſanguis, qui vel intra vel extra venas per putrefactionem à naturâ ſanguinis ita degenerat, ut omninò in aliam ſpeciem miſti immutetur, eſto non diſſolvatur in elementa, quia utrimque totum perit miſtum, abitq; in alias formas ſubſtantiales ſive miſtorum ſive elementorum; Nam certum eſt, nullum mixtum ita corrumpi, ut in vera elementa abeat, quia deſinit in materiam quandam impuram miſtumq; imperfectum, v.g. in vapores ſive exhalationes quæ non ſunt aër, in cineres qui non ſunt terra elementaris, in ſuccum ſive liquorem qui non eſt aqua ſincera. Prob. 2. putrefactio ſecundum partem aliquando non eſt putrefactio, ergo impropria eſt & latè ſumpta. Prob. antec: quia eſt tantum via & tendentia ad putrefactionem, quando videl. ſanguis & humores intra venas effervescunt & accenduntur, quod inde confirmatur, quia mitigato gradu ad antiquum ſtatum reducuntur. Prob. 3. In omni putrefactione verâ deperditur forma ſubſtantialis perítq; miſtũ ſecundum totum, ergo non benè dicitur aliam eſſe putrefactionem ſecundum partem niſi valdè impropriè. Antec. prob. quia in omni putrefactione fit corruptio totius ergo perditio formæ ſubſtantialis, intellige tamen ejus ſubſtantiæ quæ putreſcit: Nam ſi aliquæ partes ſanguinis putreſcant, hæ dicuntur ſecundum totum corrumpi & amittere formam ſubſtantialem, eſto non totus & integer ſanguis corrumpatur.

DICO 2. Si non tam modum quam cauſas putrefactionis ſpectes, melior ejus diviſio eſt in naturalem & violentam; prob. quia tot modis fit corruptio & interitus rerũ naturaliũ, ergo & putrefactio quę nihil eſt aliud niſi corruptio vel interitus, ut habet Ariſt. 4. meteor. c. 1. confirm. putrefactio vel habet cauſas internas & naturales vel externas & violentas; ſi primas, eſt naturalis; ſi ſecundas, violenta, & alius modus nullus ſupereſt, ergo putrefactio prima competit omnibus mixtis, quæ tandem ex mutua primarum qualitatum actione ab extrinſeco corrumpuntur, quemadmodũ videmus lapides aliaq; corpora dura tandem in pulverem deſinere: poſterior iis, quæ ab extrinſeco factâ temperamenti mutatione magnâq; complexionis diffluxione violẽter deſtruuntur, ſi tamẽ, quod advertendũ, naturali propriæque formæ ſint conjunctæ, ut patet in ſanguine, humoribus, ſpiritibus, cadaveribus, pomis, piris aliiſq; fructibus, Et hinc ſi

Putrefactio vel eſt naturalis vel violenta.

DICAS, ſanguis, caro, poma, ligna, &c. putreſcunt lege & ordine naturæ, ut patet in cadavere, quod non niſi arte & ingenio vindicare poteſt à putrefactione, ergo falſum eſt quod violenter putreſcunt. ℞. 1. Si ſanguis, humores & ſpiritus intra venas & meatus corporis tanquam in locis ſuis naturalibus concluſi putreſcant, verum eſt quod corrumpantur violenter, quia corrumpuntur à cauſis morboſis & ſubjecto nequicquam conferente ſed repugnante: Quod ſi verò extrà ſuos meatus & corpora ſua naturalia, quorum ſunt partes, exiſtant, tunc putreſcunt naturaliter, quia jam ſunt extra locum ſuum naturalẽ, nec habẽt formam à qua conſervari poſſint, proinde tam ab intrinſeco quã extrinſeco corrumpuntur. Et hoc idem de aliis computreſcibilibus intellige. ℞. 2. eſſe quędam mixta, quę licet formis ſuis conjungantur, nihilominus tamen naturaliter putreſcant, ut patet in pomis & piris, quæ etiam in arboribus ſuis lege naturæ corrumpuntur eò quod ad maturitatem citò deveniant, proindeque naturaliter ad interitum nullâ datâ extrinſecùs violentiâ feſtinent.

Colligitur, putrefactionem naturalem & violentam non eſſe duas diverſas ſpecies, ſed unam & eandem à cauſis efficientur connotatibus ita dictam.

Putrefactio naturalis & violenta non ſunt duæ diverſæ ſpecies.

DIFFICULTAS II.

An ſolum his duobus modis miſtum pereat.

QUod miſtum putreſcat vel naturaliter vel violenter, patet tam ex dictis quã ex Ariſt. l. 4. met. c. 1. ubi putrefactionem definit internũ miſtorũ ſecundum naturam, eidemq; combuſtionem tanquam interitũ violentum opponit; Ait enim putredinem eſſe finem omnium quæ natura conſtituuntur, niſi quippiam vi corrumpatur: Jam difficultas eſt, numquid alii ſint modi, quibus inſuper miſtum pereat; ſunt qui putant aut Ariſtotelem deceptũ fuiſſe, aut ita poſuiſſe hos duos corruptionis modos, ut etiam plures non excluſerit; Nam ajunt interitum gladio, ſuſpendio, ſuffocatione aquæ, &c. ad neutrum illorum modorum pertinere, proindeque neceſſariò dandum eſſe adhuc alium modum ad corruptionem. Sed

DICO breviter, benè diviſit Ariſt. putrefactionem in naturalem & violentam, adeòq; modus alius non ſupereſt. Ratio, quia corruptio, interitus & mors hoc eodem modo dividitur, & quidem omniũ conſenſu benè, ergo & putrefactio, aliuſq; modus ſupereſt nullus. Sed nequicquã habet hic momenti furca, gladius, ſubmerſio, quia licet Ariſt. non ignoraverit, mixta multis aliis viis & rationib9 violenter corrumpi poſſe; ipſe nihilominus ſolam combuſtionem nominare voluit, ut judicãt Interpretes, eamq; velut unum genus violentæ corruptionis miſtorũ indigitare, ut ad quam omnes reliqui modi comodiſſimè poſſint revocari. Quod autem ſint multi modi & rationes quibus mixta violenter corrũpantur, patet in ramis, qui nõ tantũ ab arborib9 avulſi humiq; jacẽtes violẽter putreſcũt, ſed etiam ſub terrã defoſſi aut in aquas demerſi lapideſcunt; Et hujus generis eſt memorandum illud, quod Alb. M. l. 1. de rebus metallicis narrat, olim ſcil. in mari Danico propè Lubecam inven-

inventum esse magnum arboris ramum cum nido & pullis avium, qui cum iisdem totus in rubrum lapidem vel corallum transmutatus fuerit: similiter experientia doceri multi affirmant, araneam vitro rostrato inclusam beneq; obstructo vitri orificio aliquot mensium spatio in durum lapidem denigrasse integrâ tamen figurâ. Exempla plura super sunt, quæ hic ad longum recensere super vacuum est. *Ad argumentum* illud de gladio, suspendio, &c. respondetur, animalia quidem his modis perire, non tamen præcisè quà mixti formam habent, sed quà viventis; Nam quando suspenditur homo, perit tantùm ut est vivens, & postea paulatim corrumpitur ut est mixtum.

Qui gladio aut suspendio perit, moritur quà mixtus. [margin note partly illegible]

DICES, Putrefactio sanguinis & humorũ, dum intrà venas continentur, est violenta ex dictis, quia est à causis extrinsecis, & tamen non est combustio, nec ad illam commodè revocari potest, quia nullam habet cum ea similitudinem, ergo plures sunt modi quibus putrescunt res naturales. Resp. etiam sanguinis & humorum sicut & aliarũ rerum putrefactionem posse ad combustionem revocari, quia in omnibus idem putrefiendi modus observatur, elto non eadem celeritas eademque vis activa: Nam ut ait Aristoteles loc. cit. quæcunque putrescunt, primum humescunt, deinde siccitatem contrahunt, quia ab his formata sunt, siccitasque cum humore circumscripta est facultatibus agentibus & in opus incumbentibus; id est, primò fit separatio humidi à sicco, tum calidi à frigido, tandemq; tota mixti dissolutio, donec in terram & cineres dispergatur. Itaq; *Advertendum est*, in lata & ampla significatione sumi violentum; Nam non solùm illud violenter fieri dicitur, quod accidit à causis extremis summèq; agentibus contrà renitentiam subjecti, ut patet in combustione, gladio, suffocatione, &c. sed etiam illud quod non fit à causis intrinsecis & subjecto competentibus, ut patet in putrefactione humorum, qui licet ex se subjecti sint corruptioni, hanc tamen non semper experiuntur, nisi à causis extrinsecis & violentis disponantur, quemadmodum patet ex distinc. de causis febrium, ubi ex Gal. 5. numerantur, quæ ad putrefactionem & febrium generationem disponunt.

DIFFICULTAS III.

Quomodo putrefactio sit interitus naturalis.

VAriè sunt hac in re opiniones, ut videre est apud Cæs. Claudinum primo suarum responsionum medicinalium, apud Vicomercatum, Erastum, Buccaferreum, Argenterium & alios: Nam alii volunt putrefactionem ideò dici naturalem, quod fiat sensim à calore ambientis, & violentam quod celeriter: Alii dicunt putrefactionem fieri à calore interno mixti ideòque esse & dici corruptionem secundum naturam; combustionem verò à calore externo ignis, adeòque esse violentam; sed

DICO 1. Putrefactio non ideò dicitur naturalis, quod fiat sensim & paulatim. Prob. 1. tarditas non ingreditur essentiam putrefactionis naturalis, ergo non dicitur ideò talis quià fit paulatim: 2. Sunt quæd in quæ citissimè putrefiunt, & alia rursum quæ tardius comburuntur, & tamen hæc non dicuntur putrefactione perire, & illa combustione, ergò ratio non consistit in celeritate & tarditate corruptionis.

DICO 2. Nec dicitur etiam putrefactio ideò naturalis, quia est à principio intrinseco, videl. à calore. Prob. ex Arist. qui expressè dicit putrefactionem fieri à calore ambiente, id est, à calore extrinseco, ergo falsum est ideò esse naturalem quod fiat à calore intrinseco. Neque dicas Aristotelem definire putrefactionem violentam; quia ipse definit putrefactionem in genere, sive fit à causis naturalibus sive violentis, propter quas non differt una putrefactio ab altera nisi secundum magis & minus; Deinde omnia putrescunt naturaliter à causis extrinsecis ut patet in arboribus earumque ramis truncatis, in cadaveribus, aquis stagnantibus, &c. quæ omnia licet secundum communem concursum naturæ putrescant, quia nimirùm in hoc statu non poterant ab internis dispositionibus amplius sustentari; nihilominus tamen habent causas externas, à quibus simul ad peregrinam novamque formam disponantur.

DICO 3. Putrefactio ideò dicitur naturalis, quia fit secundum communem concursum mistorum & juxtà legem mixtis à Deo præscriptam: Ita Pomponatius 4. meteor. dubio 17. quem sequitur Zabarella l. 2. de Interitu mistorum c. 4. & probatur, naturale vel accipitur pro eo, quod est à principio solum interno, vel pro eo quod est secundum legem & cursum naturæ; sed putrefactio naturalis non dicitur talis juxtà primum acceptum ut patet, ergò juxtà secundum: Nam cum mixta sint obnoxia corruptioni & in ea dissolvantur ex quibus componuntur, ordinariè intereunt per putredinem: Dico ordinariè, quia fieri potest ut alio genere corruptionis violentius interimantur, & quasi ante tempus seu legem præfixam; Et hoc ferè sensu vocat Arist. mortem viventium naturalem quæ fit in senectute per marcorem, violentam verò quæ fit per gladium, ignem, suspendium, aquam, &c. Nam his posterioribus modis intereunt viventia præter modum eis à natura præscriptum, & priori secundum naturam, quia etiam absente igne, gladio, suspendio & aqua emarcescunt. Ordinariè itaque omnia & sola mixta sunt putrescibilia, combustio verò non solis nec omnibus mixtis convenit, quia etiam per calorem vehementem transmutatur & corrumpitur aqua; Et sunt nonnulla mixta quæ ab igne nihil patiuntur: Metallorum aliqua citius aliqua tardius putredine afficiuntur, ut patet de ferro quod facilè rubiginem suscipit, & in auro quod difficillimè & nonnisi post longissimam ætatem: De gemmis idem intellige, quas annulis inclusas

Putrefactio dicitur naturalis.

fit

si à putrefactione cupias præservare, nocturno tempore juxtà magnorum virorum doctrinam & communem experientiam eas seponere & in aquam frigidam immergere convenit.

DIFFICULTAS IV.

Quid sit putrefactio.

SUPPONO, aliam esse putrefactionem perfectam, aliam imperfectam; Illa quam optimè vocant secundum totum, nihil est aliud quam resolutio mixti in elementa sive pura sive impura, quia totum mistum perit dissolviturq; humidum à sicco & frigidum à calido; mixta enim constant ex calido, frigido, humido & sicco, similiter ex partibus igneis, aqueis, aereis & terreis; Et quamvis in ordine ad formam substantialem mixti omnes partes habeant rationem materiæ, in ordine tamen ad se invicem habent aliquæ rationem agentis, aliquæ patientis; unde sicut generatio misti tunc fit, quando activæ partes obtinent certum dominium suprà passivas, ita quando hoc dominium amittitur, mistum perit. Quando itaque per calorem ambientis partes calidiores & humidiores evocantur è misto ita, ut destruatur ille nexus humidi cum sicco, & frigidi cum calido, putrescere dicitur mixtum & in elementa resolvi. Putrefactio imperfecta est, quando id quod putrescit, vel non est perfectum mixtum, vel tantum accidentaliter mutatur, ut quando sanguis, spiritus ac humores accenduntur, si tamen sint vera & perfecta mixta, quod hic ultrò conceditur. Jam

Putrefactio quid. DICO, putrefactio est interitus proprii ac naturalis caloris in quovis humido ab alieno proficiscens calore. Ita Arist. 4. meteor. c. 1. & consentiunt non tantum Philosophi sed & Medici cum Gal. qui 15. m. m. ait putredinem esse mutationem substantiæ totius putrescentis ad interitum ab aliena qualitate. Dicitur 1. interitus, corruptio vel mutatio nimirum proprii caloris, à quo forma substantialis totumque suppositum conservatur; vel dicitur secundùm Gal. totius substantiæ putrescentis, quia everso temperamento, totum quoque perit mixtum vel compositum, & forma substantialis mixti putrescentis tendit ad corruptionem. Dicitur 2. in quovis humido, ut designatur capacitas subjecti pro recipienda putrefactione quæ est vera dispositio ad novam formam: neque enim terra pura aut ignis hanc mutationem experiuntur, vel quia carent humido vel calido vel utroque: corpora itaque sive mixta sive simplicia, ut sunt aer & aqua, pereunt hac putrefactione propter rationes infrà dicendas, imò nec corpora solida excipi possunt, quia non sunt tam exicca, quin sensim aliquid putrefactionis contrahant, ut patet in ferro quod rubiginem contrahit. Et certum est, quicquid putrescit, esse aliquo modo humidum, quod duplex in mixtis reperitur; alterum innatum & conglutinans partes siccas inter se ne diffluant, alterum superfluum & adventitium; Ad evocatio- *Quæ corpora putrescant.* nem posterioris, non fit statim dissolutio mixti sed prioris, quod tamen est etiam occasio aliquando, cur etiam hoc separetur sicut videmus in lignis madefactis, quæ loco sicco reposita diutius à putredine tuta sunt quam si cœlo humido & pluvioso exponantur. Dicitur 3. ab aliena caliditate, aeris sc. solis, &c. quibus intervenientibus res quævis mixta & quodvis compositum, in quo reperitur hæc putrefiendi capacitas, suo proprio & nativo calore destituitur. Et hoc ipso ostendit Arist. causam putrefactionis esse extrinsecam & agere per calorem; nomine autem extrinseci non intelligitur tantum aer aut aqua circumstans, sed etiam caro in *Calor extrinsecus quis.* animali aut alia pars continua calidior sicut & exhalationes inclusæ in poris mistorum, sensus itaque definitionis est quod putrefactio in mixto sit corruptio proprii & nativi caloris in humido residentis facta per calorem extranei ambientis: Calor enim corporis circumstantis excitat & evocat è mixto intrinsecum & ingenitum illius calorem in partibus humidis residentem, unde destruitur ille nexus humidi cum sicco, adeòque mixtum in sua elementa resolvi & putrescere dicitur, & sic quæ putrescunt, tandem sunt terra & fimus vel cinis ut ait Arist. loco citato, patetque in putridis nucibus, arboribus, cadaveribus, &c. in quibus post exitum humoris conglutinantis pulvis quidam terreus & tenuissimus remanet: hoc tamen intellige non de putrefactione imperfecta, quæ est tantum inchoata corruptio, nec adhuc ad finem perducta, sed de perfecta & secundum totum, de qua Arist. sic ait, ob eamque rem omnia putrida siccescunt, & ad extremum in terram & fimum covertuntur, quia proprio calore exolescente naturalis humor unà cum eo per vaporem emittitur, nec postea res, quæ humorem sibi vindicat, adest, quoniam proprius calor trahendo humorem extrinsecus sibi vindicat; Hæc Aristoteles.

Colligitur, hâc definitione comprehendi omnem putrefactionem tam perfectam & secundum totum quam imperfectam sive secundum partem, & rursum tam naturalem quam violentam, exceptâ tamen eâ, quæ potius alterati est, & quasi via ad putredinem.

DIFFICULTAS V.

Quomodo corrumpitur calor naturalis mixti ab ambiente.

RAtio dubitandi est, quia vel calor ambiens est minor quam sit calor misti, vel æqualis, vel major, vel denique evocatur ab externo: si primum, non aget in illum, neque si pro secundo sit æqualis, quia simile non agit in simile; si verò sit

fit major, tunc intendet alterum, intendere autem calorem non est illum corrumpere. De evocatione quæritur, num fiat trahendo vel alio modo; trahere autem calor calorem non potest, quia tractio est violentus motus, & similis qualitas non agit in similem violenter.

Aliqui respondent, à calore externo prius agi in humidum mixti eoque egredi quoque calorem internum; sed est contra Philosophum qui ait, exeunte proprio calido, evaporat quod secundum naturam humidum est, quasi insinuaturus, humidum natura posterius evocari quam calidum: Claudinus primò respons. medicin. postquam nonnullas Medicorum sententias de modo hujusmodi putrefactionis recitallet, suam his verbis in calce adjungit; Germanus inquit putredinis naturalis modus infieri est hujusmodi; si calor ambientis in substantias mixtas agat, ita ut illas primùm rarefaciat, deinde similitudine naturæ perpetuò aliquid caloris nativi unà cum humore trahat, tunc necessariò exeunte calore nativo frigiditas interna validior redditur, sicque insurgit & aliquot gradus ejusdem caloris corrumpit; hinc calor ab utrâque causa, ab ambiente nimirùm & frigiditate illa interna debilitatus ac imminutatus non valet amplius humidum eùm sicco continere, ac proinde illud à sicco dissolutum cum calido evaporat, sicque mistum putrescit naturaliter. Buccaferreus, Argenterius & alii docent, quod calor ambientis calefaciendo corpus rarefaciat & relaxet, qua relaxatione facta intus penetrat & calorem naturalem adaugeat, & hic ipse adauctus in humidum agat, ipsum dissolvat, ut nihil idonei alimenti remaneat pro caloris nutritione, unde deficiente pabulo deficiat & calor, proindeque mixtum corrumpatur: Alii hæc addunt, calorem scil. naturalẽ augeri per antiperistasin à frigido ambientis, & sic frigus ambiens per prohibitam transpirationem concentrando calorem eundem intendere factumque intensiorem ex prohibita transpiratione, per quam vapores & adustæ fuligines non excernantur, agere in humidum & sic mixtum ad corruptionem deducere. Erastus Medicus & Professor olim Heidelbergensis putat putredinem naturalem fieri, quia calor naturalis seipsum longo tempore debilitet media corruptione proprii pabuli, quod est internum humidum in quo calor subjectatur, qui ubi ad extremum debilitatis gradum devenerit, eum tunc facilè ab ambiente evocari & dissolvi, &c.

Modus putrefactionis qualis.

DICO breviter, sensus Aristotelis non est, quod calor ambiens agat in calorem internum mixti, eum destruendo positivè sicut destruitur à frigore, aut tractione violenta trahendo, sed potissimum intendere donec major evadat quam exigat natura mixti, ideòq; ob raritatem ac levitatem quam per illam raritatẽ nactus est, mixtum suum deserat & evaporat, ut proinde mixto pereundum sit; Et hoc videntur Authores citati voluisse, quamvis id aliis verbis & sententiis explicare conati sint. Probatio hujus conclusionis petenda est ex dictis, quia si calor externus sit minor, quam sit calor misti, non aget in illum, neq; etiam si sit æqualis, cum simile non agat in simile: si verò sit major, tunc intendet alterum, & ex illa intensione non sequetur corruptio caloris: similiter tractio figmentum est, quia calor non potest trahere calorem, cum tractio sit motus violentus, & similis qualitas non agat in alteram sibi similem violenter.

Calor naturalis quomodo ab ambiente corrumpatur.

Tractio est motus violentus.

Colligitur, in putrefactione calorem internum mixti ideò perire, evaporare mixtumque suum cum dispendio utriusque interitûs deserere, quod ab externo calore intendatur, fiatq; sic intensus rarior & levior. Quodnam verò sit ambiens calidum, patet ex antecedentibus, nimirùm aer, sol, aqua, vapores, fuligines in poris conclusæ, &c.

Calidum ambiens quod.

DIFFICULTAS VI.

Respondetur argumentis in contrarium.

QUando Aristoteles definivit putredinem, intellexit omnem, tam perfectam quam imperfectam, & tam naturalem quam violentam, intellige eam violentam, quæ fit à causis quidem violentis, extrinsecis & subjecto non competentibus, tum sensim ad modum putredinis naturalis, non tamen eam quæ fit à causis extremè violentis, ut fit in combustione. Cum itaque multa soleant contrà datam putredinis definitionem objici, quæritur, quid ad ea respondendum sit. Si ergò

DICAS I. Hæc definitio convenit etiam combustióni, quæ similiter est corruptio humidi & calidi innati, v.g. in ligno per calorem ambientis: similiter assationi, elixationi & senectuti, in quibus etiam humidum & calidum evocatur è misto. Resp. magnum esse discrimen inter combustionem & putrefactionem; Nam primò separatio humidi & calidi est combustioni per accidens, putredini autem per se, & hæc potest fieri sine tali separatione, non autem illa, ut si terra pura mutaretur in ignem immediatè; quia in hoc casu nullum calidum & nullum humidum separaretur; Quando autem Aristoteles requirit in combustibili humorem igne imbecilliorem, loquitur de combustibili, quod est ordinarium alimentum flammæ. Secundò, Combustio fit à calido & sicco & valdè intenso, putrefactio à calore mediocri & humido, unde etiam Luna citius putrefacit quam Sol. Tertiò, in combustione humidum penitus consumitur & corrumpitur & msgna ex parte in substantiam agentis convertitur; In putrefactione solùm separatur & est per accidens si corrumpatur. Per assationem & elixationem non evocatur humidum & calidum innatum, sed solum adventitium. Senectus est quidem de genere putrefactionis sed imperfecta & quaʃi via ad perfectam.

Combustionis differentia à putrefactione.

DICES

DICES 2. Putrida utplurimùm sunt amara, quæ ex Gal.l.2. de simpl. medic. abundant caloee, ergo non fiunt talia per evocationem caloris. Resp. neg. antec. quia putrida potius sunt acerba & ingrati saporis; hujusmodi autem acerbitas etiam est in frigidis, v.g. in fructibus immaturis, quorum partes necdum sunt benè digestæ aut permistæ: Hinc quia in putrefactione mixta bona illa partium mistio tollitur, mirum non est, si putrida fiant acerba, vel etiam imperfectè amara ratione quarundam partium sicciorum & calidiorum, quod etiam in apio aliisque mixtis quamplurimis experimur. Quod autem Gal. dicat amara esse calida, verum dicit, nec est quicquam contrà conclusionem, quia loquitur de amaris & non de acerbis.

Putrida fiunt acerba & non amara,

DICES 3. Ligna v.g. in aquis per solam humiditatem absque ullo calore putrescunt; Item unum pomum putridum putrefacit aliud solo contactu, ergo non est opus extrinseco calore contra definitionem. Resp. neg. antec. quia aer inclusus in poris ligni habet rationem caloris, alieni, & hic præclusa transpiratione agitatus incalescit, & vicinas partes calefaciendo putredinem generat: Deinde aqua emollit dum facitque ut pori lignorum facilius aperiantur, atque ita humidum cum calido possit egredi: poma putrida vel contagione inficiunt etiam alia de quo postea, vel suo contactu transpirationem interiorum partium impediunt.

Ligna in aquis quomodo putrescant.

Quomodo poma putrida inficiant alia.

DICES 4. Cadaver etiam media hyeme, ubi nullus est calor ambiens, putrescit, quod etiam de berbis, fructibus, lignis, &c. intellige. Resp. hæc ideò in hyeme putrescere, licet difficilè & tardè, quia impediuntur partes internæ calidæ ne possint egredi, & hæ quia habent rationem calidi extrinseci vel ambientis, generant putredinem dicunturque hujusmodi mixta putrescere ab ambiente calido, illo videl. quod non erat ad conservandum mistum.

Cadavera quomodo in hyeme putrescant.

DICES 5. Interior pars fructuum v.g. nucum, juglandium, &c. sæpè putrescit illæsis partibus externis, ergo signum est nihil hic agere calorem externum, quia etiam ageret in partes externas; Quod autem pars interior putrescat, patet ex vermibus, qui item sub nive aliquando generantur absque externo vel ambiente calore. Resp. 1. Partes interiores fructuum ideò aliquando putrescere illæso cortice, quod hic durior sit & siccior, illæ verò delicatiores, unde etiam facilius putredinem suscipiunt. 2. Putrefieri partes interiores à calidis exhalationibus quæ sunt in medio fructuum, habentque rationem calidi ambientis: Et hoc idem de generatione vermium sub nivibus putandum est, quia generantur omninò à certis exhalationibus sub nive in certa materia contentis.

Nuclei interiores putrescunt.

DICES 6. Calor ambiens non causat putredinem, sed potius impedit, ergo. Antec. patet, quia cum carnes volumus à putredine conservare, eas in camino suspensas fumo calido perfundimus. Resp. ad antec. ideò calorem fumi nō putrefacere sed impedire putredinem, quod propter admixtas exhalationes humidum superfluum exiccet, maximè si aspersio salis accedat eo ferè modo quo aloe, sal & similia de quibus infrà.

DICES 7. Calor internus corrumpitur sufficienter ab intrinseco frigore, ergo non est opus ambiente calore. Resp. calorem non putrefieri sed corrumpi, ideòque putrefactionem non concernere calorem aut ullam qualitatem sed corpus mixtum.

DICES 8. Calor calorem non potest corrumpere sed potius intendere, si sit fortior. Resp. primò, per accidens fieri si calor ambiens putrefaciendo corpus mixtum destruat calorem innatum. 2. Calorem non destrui ab alio, sed vel conservari si similis sit, vel intendi si fortior. Dicitur autem impropriè calor innatus ab ascititio destrui, quia videl. non est amplius proportionatus actionibus vitalibus exercendis, idest, destruitur calor ab alio calore non ut est calor, sed ut est calor vitalis & instrumentum vitæ in administrandis actionibus corporis viventis.

Calor ab alio calore quomodo destruatur.

DICES 9. Variæ sunt causæ à quibus oritur putrefactio, ergo non à solo calido ambiente. Resp. ex dictis sufficienter colligi, quid ad præsentem objectionem sit respondendum; Nam esto sint multæ & variæ causæ remotæ, quæque habeant rationem alicujus conditionis requisitæ ad putrefactionem, ipse tamen calor ambiens est causa proxima & principalis, quia hic solus internum calorem mixti intendit, ideòque velut agens principalissimum nexum inter qualitates, quibus totum compositum conservatur, dirimit.

Colligitur, resoluto cordis dominio & laxata mixti complexione humiditatem paulatim evocari, & siccum cui per unionem corporalem firmiter prius adhæserat, evanescere: Deinde non eâdem via aut eodem modo putredinem naturalem incurrere mixtum propter diversitatem dispositionum, sed servatâ semper quâdam activorum & passivorum proportione; sic enim aliter putrescunt nuces, poma, pira; aliter ligna præsecta, ossa, cadavera; aliter vestimenta, cibaria; aliter metalla & mille mixtorum alia, quæ omnia adjuvante calore extrinseco, saltem in ordinaria putrefactione dissolvuntur, separatoque humido à sicco calidoque à frigido interitum suum naturalem, quocunque tandem id modo accidat, consequuntur.

Putrefactio quomodo fiat,

DIFFICULTAS VII.

Vnde constet putredinem fieri à calore ambiente.

QUando Aristoteles 4. meteor. c.1. de putredine agit, ejusque definitionem dedit, fieri etiam à calore ambiente docuit, subjunxit in fine aliquot signa, quibus id confirmaret & adprobaret; Et hæc eadem signa ut breviter & clarè explicentur

DICO,

DICO, Sex signa sunt ex mente Aristotelis, quod putrefactio fiat à calore ambiente. *Primum* est, quod difficilius mixta putrescant in locis ac temporibus frigidis quam in æstu; Et hinc qui in summis alpibus, ubi perpetuum frigus, aut hyemali tempore intereunt, manent diu absque fœtore & putredine, imò multis annis, ut testatur Albert. M. tr. 1. Meteor. c. 9. Et hoc est quod Aristoteles loco citato ait, frigidis scil. temporibus res minus putridas fieri quam calidis; Circumfusus enim aer aut aqua per hyemem ita exiguo calore affecta est, ut nihil possit, per æstatem verò majore afficitur; Nec id quod conglaciavit, putredinem concipit, quia magis friget quam aer caleat, propterea invictum est, cum oporteat id, quod motum affert vincere; Ita Aristoteles. *Secundum* est copia innati caloris; Et hinc quæ multum hujusmodi caloris habent, minus putrescunt ut aromata, præsertim si calor hic copiosus non sit cum multo humore, quia hoc modo non facilè à calore externo superari aut evocari potest. *Tertium* est motus; quæ enim moventur ut fluvii, tardius putrescunt; quæ verò multum quiescunt ut paludes & aquæ stagnantes, citius & facilius concipiunt putredinem, quia in hæc actio tottius figitur, illa autem continuâ sui fugâ actioni quasi subtrahuntur, qua de causa salutaria magis sunt loca ventis perflabilia quam à vento remota; Et viventia quæ moderatis exercitiis motibusque utuntur, sunt alacriora & diutius durant in suo tamen genere; quam illa quæ sedentaria sunt & vitam somnolentam quietamque traducunt, sicut Aristoteles loco citato affirmat; Nam cum effervescentia & calida minus pro putredine valere docuisset, addit, omne id quod motu agitur & fluit, magis servari à putredine eò quod à motu cesset. *Quartum* est intensum frigus, quia quæ natura sua valdè frigida sunt, difficulter putrescunt, quia tam intensum eorum frigus resistit calori ambienti. *Quintum* est, humiditas major, quia humidiora citius putrescunt quam sicciora, cum hæc prius emolliri & humectari debeant, ut deinde cum adventitio humore etiam innatus evaporare possit, quemadmodum fit in lignis aridis. *Sextum* denique est res putrescibilis vel parva & exigua vel magna; paucum enim & parvum citius contrahit putredinem quam magnum & multum, quia major calor qui in multo & magno est, non ita celeriter evincitur, id quod verum esse maximè de homogeneo & continuo multo & magno rectè nonnulli advertunt. Nam in discontinuo, ut est cumulus fimi, tritici, graminis, &c. contrarium sæpè evenit, cujus ratio est, quod calor intrinsecus non sit unius corporis, ac proinde non ita resistat ambienti; Nec aliud est, quod Aristoteles cap. & lib. cit. docet. Cum enim ostenderet putrefactione internum calorem cum humido ab ambiente evocari, quia videl. quæ putrescunt, sint frigida & sicca, tandemque in pulverem & terram abeant, addit in fine, hanc eandem esse causam, cur magna etiam res à putredine magis vindicetur quam parva, quia ampliore re ignis & frigus continetur amplius, ideòque facultates in circumjecto positas aere vincere potest, hoc Aristoteles.

Colligitur autem ex hactenus dictis corruptionem latius patere quam putrefactionem; Nam licet omnis putrefactio sit corruptio ut ex se manifestum est, non tamen vice versa omnis corruptio est putrefactio quam Aristoteles definivit, ut patet in combustione & corruptione qualitatum. *Omnis putrefactio est corruptio, non contrà*

DIFFICULTAS VIII.

Quænam putrefactio sit medica seu febrilis.

QUod non videatur hæc putrefactio spectare ad naturalem, ratio est, quia fit à principio extrinseco & contra inclinationem ipsius subjecti v. g. sanguinis, humorum & spirituum: Quod nec ad violentam, inde liquet, quia non est combustio, nec submersio, &c. quæritur ergò ad quam putrefactionem spectet.

SUPPONO 1. Putrefactionem medicam seu febrilem esse, qua sanguis, spiritus & humores in humano corpore inflammantur & corrumpuntur omnisque generis febres accenduntur. 2. Solum sanguinis & humorum succensionem non esse dicendam putrefactionem, nisi imperfectam, quia non fit dissolutio humidi à sicco & calidi à frigido, tum quia modificatio caloris excessu redeunt ad statum suum naturalem. 3. Naturale & violentum duas sic esse species oppositas, ita ut naturale tantum dicatur, quatenus violento opponitur. 4. Violentum non tantum sumi pro eo quod fit à causis extrinsecis subjecto nequicquam conferente, id est, ad modum & legem processus naturalis, sed etiam pro eo quod summè violentum est, ut combustio. Jam

DICO 1. Sanguis & humores putrescunt in homine secundum totum. Probatur primò, quia amittunt formam suam substantialem & abeunt paulatim ad naturam elementorum ex quibus constant, ergo. Secundò constat experientia, ita sanguinem & humores elementares in febribus putridis corrumpi, ut omninò dissolvantur & nequicquam ad nutritionem valeant, ergò signum est eos secundum totum putrefieri. Probatur tertiò, si humores tantum alterarentur & non putrescerent secundum totum, sequeretur nunquam dari tertianas, quotidianas & quartanas sive continuas sive intermittentes; sed hoc falsum est & contrà experientiam, ergò & illud. Prob. assumptum, quia in alteratione omnes humores æquè patiuntur, neque unus plus *Sanguinis putrefactio qualis.*

quam alii, ergo non est ratio cur hæc febris & non alia subsequatur. Quod st

DICAS 1. In omnibus febribus putridis sanguis & humores putrescentes reducuntur ad nativum statum, ergò falsum est quod putrescant secundum totum. Resp. neg. antec. quia in febribus putridis humores illi à quibus dependet febris, ita dissolvuntur & corrumpuntur, ut à substantiis bonis separati vel per medicioas vel per naturam velut inutiles & præternaturales superfluitates è corpore expellantur, quod non fieret si formam priorem retinuissent: dicuntur tamen reduci ad bonum statum, dum ab inutilibus & putrilaginosis repurgati per naturam reservantur.

DICES 2. Si humores alimentales secundum totum corrumperentur & putrescerent, sequeretur, omnes febres putridas esse lethales contra experientiam. Resp. neg. seq. quia quando dicitur sanguinem & humores secundum totum putrescere, non est sensus, quasi totus sanguis totique humores qui sunt in aliquo districtu venarum, putrescant, sed quod aliqua eorum portio jam major jam minor pro ratione febris pereat, reliquâ substantiâ naturam renitentem & virtutem corporis regitivam salvâ. Nam id quod verè computruit & intrà venas corruptum est, natura tamquam utile ab inutili separat, ut constat fieri in crisibus, succeditque novus sanguis à corruptione liber.

DICO 2. Putrefactio sanguinis & humorum pertinet ad illam putrefactionem quam Aristoteles definivit. Probatur, quia quando putrefactionem definivit, complexus est omne corpus humidum & calidum, in quo autem hoc utrumque per calorem ambientem dissolvatur; sed tale corpus est sanguis & quilibet humorum alimentalium, ergo sub definitione putrefactionis complexus fuit eos Aristoteles. Et confirmatur, quia nullum est corpus quod magis sit subjectum putrefactioni Aristotelicæ quam sanguis & humores alimentales, nullius etiam rei corruptio magis competit & convenit definitioni putrefactionis ejus, ergò.

DICO 3. Humores intrà venas corporis viventis putrescunt partim naturaliter partim violenter. Patet ex dictis & probatur primum, quia licet ipsis à principio extrinseco accidat hujusmodi correptio, fit tamen secundum cursum naturæ, etiam ad eum planè modum, quo accidit à principio intrinseco, ergo naturaliter, & quidem respectu combustionis, quam Aristoteles immediatè opposuit putrefactioni secundum naturam. Probatur secundû 1. quia sanguis & humores ex se non exigunt hanc corruptionem. 2. Per hanc corruptionem pereunt ante tempus sibi præfixum. 3. Accidit ipsis hæc putrefactio à causis & principiis extrinsecis, ergo est violenta, nimirùm ex se, & prior quam sit naturalis in ordine ad combustionem.

Colligitur; Putrefactionem medicam seu febrilem esse eam quam definivit Aristoteles l. 4. meteor. c. 1. & cui combustionem tanquam interitum summè violentum opposuit, cum ait, putredinem esse finem omnium quæ natura constituuntur, nisi quippiam vi corrumpatur & labefactetur, id est deuratur; Nam subjungit, licere carnem, os & quodvis ejusdem generis deurere, quibus omnibus finis naturalis interitus sit putredo.

DIFFICULTAS IX.

An dum sanguis putrescit, omnes humores putrescant.

CUm per sanguinem hic intelligantur omnes humores alimentales, qui intra venas existentes massam unam sanguineam sive mistum imperfectum faciunt, quæritur, an fieri possit, ut cum hæc sæpius putrescat, febresque putridas accendat, omnes semper humores sive particulæ alimentales necessario putrescant, an verò sufficiat ad putrefactionem unius partis cæteras solùm inflammari. Nam Fracastorius Medicus de diebus criticis docet, dum unus humorum in venis putrescit, etiam necessariò reliquos putrescere, id quod ad confirmationem causarum & dierum criticorum velut indubitatum supponit: De sola inflammatione intelligendus non est, quia cum putrescit sanguis, etiam omnes partes circumjacentes calore exæstuant.

Adverte autem, malè sentire Fracastorum & Medicos, quando sub nomine sanguinis venarum humores alimentales ita separatos & velut specie distinctos constituunt, ut quemque facilè seorsim corrumpi credant: Nam licet sanguis post primam sui & rudimentalem concoctionem sit mistum imperfectum, quia videl. substantiæ & qualitates elementares quas cibus & potus varias suggerit, necdum sese mutuò penetrarunt, & sub unam formam substantialem coaluerunt, ut etiam videre est in multis aliis miscibilibus; Nihilominus tamen ipse una est substantia, cujus partes sensim & continuò per caloris actionem intimè coëunt; sese interficiant & veram formam misti perfecti, quod absolutè nomen & naturam sanguinis sive biliosi sive melancholici sive pituitosi juxtà temperamenti rationem obtinet, assequuntur; Et cum hujus substantiæ partes variè per causas violentas corrumpantur, idcircò

DICO 1. Probabile est, totam massam sanguineam adeò que omnes humores alimentales intrà venas simul posse putrescere. Ratio est, quia nulla reperitur implicantia aut impossibilitas tā ratione agentis, quàm passi, ergò. Antec. prob. ratione agētis, quia possunt omnes humores, separatim & diversis vicibus à causis naturalibus putredinem concipere, ergo etiam uno eodemque tempore, dum confusi aut con-

confusi aut conjuncti existunt; Et potest causa effectrix esse tantarum virium, ut sicut unum, ita & reliquos omnes humores disponat & impellat ad putrefactionem. Neque tamen propterea hoc homini erit lethale necessariò, quia paucus est hic sanguis qui putrescit, si comparetur cum reliquo totius corporis adhuc immuni; sed nec quidquam impedit rationе passi, quia omnes humores sunt corruptibiles per quemcunque modum putrefactionis, sub quacunque etiam forma existant, ergo etiam per putrefactionem.

DICO 2. Non tamen necessariò ad putrefactionem unius humoris vel particulæ sanguinis omnes statim reliquæ putrescunt; Ratio est, quia sanguis in venis, dum præsertim adhuc crudus est & imperfectè concoctus, non ubiq; habet eandem capacitatem sive habilitatem ad putrefactionem etiam ab unis iisdemque causis, cum habeat multas partes tam homogeneas, quàm heterogeneas quæ ob diversas suas naturas magis minusve corruptioni resistunt; ergo dum unæ corrumpuntur, non necessariò corrumpentur & aliæ; Vide Fern. l. 4. de febribus c. 6. ubi fusè describit qua ratione in venis majoribus putrescant humores. Et confirmatur conclusio ab experientia, qua videmus multum aliquid totum aliquando secundùm aliquas solùm particulas reliquis illæsis corrumpi, quod etiam cum sanguine venarum in febribus quibuscunque fieri probabilissimum est. Dixi non necessariò, ex quo colligitur, aliquando totam massam sanguinis alicubi in venis majoribus existentem corrumpi, idque cum dispendio vitæ in febribus valdè pernitiosis & malignis.

Colligitur, quamvis humores in venis ex se non habeant eandem capacitatem & habilitatem ut simul putrescant, habere tamen in ordine ad causam effectricem, quæ aliquando tam potens est & valida, ut sicut unum ex humoribus ita & reliquos ad eandem putrefactionem inflectat: Et hoc videmus in febribus continuis, in quibus non tantum ideò nullæ reperiuntur periodicationes, sed quod etiam tota massa sanguinea corrumpatur, quo in casu febris eò major, malignior & periculosior, quò putrefactio vehementior & intensior, ut infrà patebit.

DIFFICULTAS X.

An & quomodo putredo sanguinis & humorum sit causa febrium statuenda.

AN malignitas vel venenum, quod reperitur in febribus malignis, ita oriatur à putrefactione sanguinis & humorum, ut ab ea in esse, fieri & conservari dependeat, infrà dicetur; Hic de modo quæritur, quò nimirùm dependeant febres à putrefactione, an ut à causa producente & conservante, an ut à conditione, &c.

SUPPONO, putrefactionem vel sumi pro actione, qua tenditur in rei putrescentis interitum, vel pro re putri, vel pro forma qua res dicitur putrida, vel denique pro mutatione & interitu caloris naturalis qui est in sanguine rebusque putrescibilibus.

Adverte, multa esse quæ ad generationem febris concurrunt, ut alibi patet: Nam sunt alia quæ per se & directè, alia quæ per accidens & indirectè, alia quæ proximè vel remotè, alia quæ in genere causæ vel efficientis vel materialis, vel in ratione conditionis sine qua non &c. concurrunt; Et sic ad febrem putridam excitandam est imprimis agens remotum extrinsecum, ut Solis æstus, motus, frigus circumstans, potus & cibus vitiosus, &c. Deinde est constrictio pororum & prohibita transpiratio, quæ est causa per accidens & indirecta; accedit putrefactio humorum & sanguinis à calore ambiente, qui rarefacit, laxat, solvitque nexum temperamenti in materia putrescibili. Tandem est calor quidam præternaturalis qui à re putri sive cum vapore putrido per varios meatus in ipsam substantiam cordis fertur, ibique calorem vitalem intendendo febrem gignit. His positis

DICO 1. Si putrefactio sumatur pro actione seu viâ quâ tenditur in sanguinis interitum, est in febribus putridis, sive in ordine ad has ipsas una ex causis proximioribus efficientibus, in simplicibus autem & quæ sunt sine putredine febris ipsa formalis. Probatur primum, quia putrefactio hoc modo sumpta est proxima dispositio ad putredinis formam, argo causa proxima ad febrem. Probatur secundum, quia putrefactio hæc est accensio sanguinis & humorum tam in corde quam in reliquo corpore; sed hæc est febris formalis, ergo & illa.

DICO 2. Si putrefactio sumatur in concreto pro re putri, verum est, quod tam in genere causæ efficientis quàm materialis concurrat ad producendam febrem. Ratio prioris est, quia hoc modo sumpta effundit è loco putrido vaporem præternaturaliter calidum & in corde pro formanda febre succendendum; Nam continet calorem præternaturaliter immutatum, qui in corde, intrà cujus substantiam effertur, veram febris formam induit. Secundum ex se manifestum est, quia materia putris intrà venas conclusa est sola, quæ febrem fovet & per continuos halitus putrilaginosos cordi communicandos conservat, ut patet ex iis, quæ de febrium causis dicta sunt & passim apud Medicos habentur.

DICO 3. Si putredo accipiatur pro forma qua res dicitur putrida, similiter concurrit efficienter quocunque tandem modo ad generationem febris; Ratio est, quia sic constituit temperamentum non tam sanguinis & humorum quàm partium corporis præter-naturaliter

naturaliter constitutum, imò est ipsa ratio, quæ in partibus corporis materialiter, sive causaliter & radicaliter, in corde autem formaliter febrem constituit.

DICO 4. Si putrefactio denique accipiatur pro interitu caloris naturalis juxtà definitionem ab Aristotele traditam, est etiam causa efficiens febris. Ratio est, quia hoc modo sumptus calor naturalis incendit calorem cordis, febremque formaliter in eo constituit. Hic *Adverte* primò, quando dicitur putredinem esse interitum caloris naturalis, non intelligendum esse, quasi calor naturalis corrumpatur & desinat esse in subjecto, sed quod intendatur & pereat sub ratione naturalis, quo modo efficienter concurrit ad gignendam febrem, non priori, quia sic nihil amplius esset positivi, nec inexisteret suo termino cum jam corruptus esset. Secundò, perinde esse, sive dicatur calorem illum putredinalem accendere calorem cordis, sive juxtà modum loquendi apud Medicos accendi primùm in corde; Nam primo modo reverà calor putredinalis, qui aliunde effertur, accendit calorem cordis tanquam is qui jam prius erat accensus & præternaturaliter constitutus: secundo modo etiam dicitur accendi, quia induit jam formam febris in corde, & hinc si

DICAS, febris est putrefactione prior, ergo hæc non potest esse vel causa vel conditio ejus productionis; Antec. patet, quia calor præternaturalis à quo excitatur putrefactio, prior est, ergo & febris. Resp. neg. antec. ad probationem dico, calorem illum in sanguine præternaturaliter factum non esse febrilem, nisi cum facta humorum putrefactione cordis substantiam ingressus est & calorem vitalem incendit; Deinde cum primum calor naturalis ab ambiente incipit mutari & intendi, incipit simul corruptio & putrefactio, proinde simul sunt tempore, naturà autem prior intensio caloris.

DIFFICULTAS XI.

An, sicut putrefactio est causa febris, ita & sit causa malignitatis.

MAgna est controversia apud Medicos, an venenum illud in febribus malignis & pestilentialibus sit effectus putrefactionis, adeòque nunquam reperiatur hæc malignitas in febrientibus, quæ non producatur à putredine sanguinis & humorum. Affirmat hoc Fracastorius, Augenius, Antonius de Porta, Massarias & alii; Negat autem cum multis aliis Sennertus l. 4. c. 1. de natura pestilentiæ, cujus argumenta vide infrà.

Adverte, aliud esse, an malignitas illa pendeat à putrefactione per modum conditionis requisitæ, & aliud an ab ea efficienter & per actionem physicam, an verò emanativè producatur.

DICO 1. Malignitas in febribus putridis aliquando tota gignitur intra viscera, aliquando extrinsecus hauritur & seminii loco invehitur. Utrumque patet & experientia & rationes. Nam imprimis corripiuntur frequentissimè mortales febribus malignis sicut non minus pestilentialibus, ubi nullius veneni fomes & seminium præfuit, ergò signum est hoc ex certa & peculiari sanguinis dispositione intra corpus fuisse productum; Et confirmatur ratio, quia humores in magnis corruptionibus sunt receptivi aliarum qualitatum quæ homini peregrinæ sunt, ergò & malignitatis: sicut autem hæc se solà ex sanguinis corruptione oritur: Ita etiam cum vapore vel halitu aliunde potest invehi, qui intra cordis substantiam & vitalia receptus spiritus vitales & sanguinem corrumpat, ut manifeste ex contagione constat.

DICO 2. Malignitas quæ intrà corpus gignitur, dependet in esse fieri & conservari à sanguinis & humorum putrefactione; Ita Authores citati, qui meritò id probant experientia, quâ constat, in febribus putridis malignis incipere malignitatem cum putrefactione, & hac cessante ipsam quoque desinere, quod signum est, hanc in fieri & conservari dependere à putrefactione: Et confirmatur, quia nihil aliud potest assignari a quo pendeat hoc venenum tam in fieri quàm in conservari præterquam ipsa putrefactio, [illegible] per omnia causarum [illegible] genera quæ ad constituendum hoc venenum [illegible]. *Adverte* tamen hic primò, quando dicitur venenũ hoc dependere in fieri a putrefactione, non esse sensum, quod fiat a putrefactione tanquam ab agente proprio per actionem physicam, quia non habet illa vim ullam gignendi & producendi venenum, sed potius quod fiat ab eodem agente à quo fit putrefactio, quæ quoties producitur, produci etiam venenum necesse sit. *Malignitas emanat à putrefactione.* *Adverte* secundò, quando dicitur, venenum hoc pendere à putrefactione in conservari, non esse sensum, quod jam productum non possit existere, nisi fit & duret putrefactio, quia falsum hoc esse testatur vestimenta, cibaria, cadavera, &c. quibus omnibus longissimo sæpè tempore inhæret hoc venenum absq; putrefactione; nisi tamen hujusmodi fomitem rem putridam dicas. Sensus ergò est, quod cessante putrefactione cesset etiam generatio veneni eo in loco ubi prius generabatur, cujus ratio est, quia venenum jam intrà venas è sanguine putrido productum, etiam in corde aut alibi est productivum alterius in specie similis veneni non minus quam calor caloris: Deinde nunquam est vapor & halitus malignus nisi putrilaginosus, ubicunque etiam existat.

DICES, in febribus putridis sæpè nulla apparet malignitas nisi diebus ultimis, ergò

aliquando non dependet à putrefactione. Respondeo primò, etiam primis diebus adfuisse malignitatem sed non cum tanta efficacis viribus adhuc constantibus. Secundò, etiam primis diebus non existere tantam putredinem, proinde crescere & augeri paulatim unam cum altera.

Malignitas producitur à generatione & emanat à putrefactione.

DICO 3. Malignitas ita dependet à putrefactione ut procedat ab ea per emanationem, producatur autem à Generante, id est, ab eodem agente, à quo producitur putrefactio, per actionem physicam. In hac conclusione duo continentur; primum est, quod malignitas producatur ab Agente naturali per actionem physicam. Secundum verò quod à putrefactione procedat per emanationem. Jam probatur primum, quia maligna qualitas est effectus realis & physicus, ergo Agenti reali & physico debetur, a quo per actionem realem producatur; Deinde simul producitur cum ipsa putrefactione; sed hæc producitur ab Agente reali, ergo & illa, & quidem ab eodem, cujus rei maximum argumentum est, quod ambæ magis magisque sensim augeantur, tum quod una ab altera procedat per emanationem, quæ probatur; Nam positâ certâ putrefactionis formâ ponitur malignitas; sed non ponitur per actionem physicam ipsius putrefactionis, quâ in producenda malignitate omninò caret, ergo per emanationem sive resultantiam, quia putrefactio est forma quam produxit agens naturale v.g. calor ambiens, & cum hac forma resultat simul licet naturâ posterius malignitas, non secus atque in aliis formis substantialibus, a quibus in eodem subjecto per emanationem fluunt potentiæ, virtutes & proprietates: Et hoc tam in malignitate quæ inita corpus à certis & intrinsecis dispositionibus; quam quæ per contagium extrinsecus accedit, quæq; tam in corde quàm in venis primum gignitur, verum esse hinc liquet, quia idem utrobique observatur modus mutatis & variatis solùm agentibus: Nam in eâ malignitate quæ per contactum gignitur, agens est vapor malignus qui rationem calidi ambientis obtinet, in altera verò est vel aliquis Astrorum influxus; vel qualitas cibi & potus vitiosa, vel fuligines adustæ & reclusæ, vel quippiam aliud, quod in genere causæ efficientis concurrit ad gignendam putrefactionem & malignitatem.

DICES 1. Si ex putrefactione simpliciter penderet malignitas, sequeretur, quod omnes febres putridæ essent malignæ, quod tamen falsum est. Resp. neg. assumptum, quia malignitas non oritur à quavis Putrefactione; sed à speciali ejusq; certo gradu, qui gradus an remissior sit, an intensior, an præter putrefactionem aliquid peculiare accedat; & à quo demum agens ad producendam eam malignitatem determinetur, infrà videbitur.

DICES 2. Febris putrida simplex & febris putrida maligna habent diversos effectus differuntq; specie, ergo oriuntur à diversis principiis, ergo una earum non orietur à putrefactione. Resp. neg. ultimam consequentiam, quia producitur utraque ab eodem quidem Agente, sed juxtà ejus vel majorem vel minorem efficaciam & intensionem; Deinde ad malignitatem alia & plura agentia concurrunt quam ad febrem, &c.

DICES 3. Datur malignitas absque febre v. g. in peste ideòque sine putrefactione; ergo falsum est, quod ab hac illa dependeat. Resp. hic esse sermonem de malignitate quæ est cum febribus putridis conjuncta: Deinde etiam in peste quæ est absque febre, malignitas inhæret corruptis vaporibus extrinsecùs advenientibus & spiritibus, qui rationem putredinis obtinent.

DICES 4. Hinc sequitur ex quavis mixtorum corruptione brutorumq; animantium putrefactione suboriri posse malignitatem: Resp. si specialis sit putrefactio, cujus formam sequatur ejusmodi malignitas, nihil esse absurdi, ut patet in aere, aquis stagnantibus; cadaveribus, aliisq; magnis rerum & mixtorum, quæ abundant humido, putrefactionibus; Nam constat utplurimum has insignes comitari malignitates, quæ suas in hominibus, bobus, porcis, equis, ovibus, &c. mortalitates invehant & pestes; Contra tamen, si putrefactio ita sit constituta, ut ad malignitatem nullum dicat ordinem & respectum, quia non ex quavis putrefactione resultat malignitas, sed ex illa tantum cui tanquam sua perfectio & proprietas debetur: Deinde incertum est, nunquid cum quovis corpore putrilaginoso jungatur ejusmodi venenola vel maligna qualitas, quæ in homine vel certo brutorum genere possit excitare mortalitatem, si tamen præexistant in sanguine & humoribus ejusmodi dispositiones, ex quibus invehi; possint faciles putredines & malignitates; Nam sicut requiritur certa corporis & sanguinis dispositio ad putrefactionem: Ita etiam certa & specialis putrefactio ad malignitatem, &c. Sed à quanam putrefactione pendet malignitas, an à summa, infima, media, & an à summis calor summus, à media medius, ab infima infimus & mitissimus? Hoc utrumque in sequentibus dicetur.

Colligitur autem, ideò emanare malignitatem e putrefactione; quod in eodem supposito vel subjecto, putri scilicet, simul cum ea producatur; ita tamen ut naturâ sit posterior, dicatque ordinem & respectum ad eam tanquam ad suam formam & perfectionem; Nam quæ contrà per actionem physicam producuntur, dicunt distantiam Agentis & passi, & prioritatem non tantum naturæ, sed & temporis: Utrumque patet in productione animæ & ejus potentiarum; ubi utræque

S 3 dicunt

luminis & caloris intensionem fieri ab ipso lumine reflexo: Sed contra est primò, id quod est imperfectius, non potest producere perfectius; sed lumen reflexum est quid imperfectius, quam sit radius aut lumen rectum ut patet in voce reflexa quam reddit Echo, ergò: & hoc fatentur ipsi Conn. art. citato. Secundo, simile non intendit sibi simile, ergo multò minus se, &c. Respondent alii & dicunt, hanc intensionem fieri à sole vel alio lucido corpore quod directè illuminat, opposito tamen speculo tanquam conditione sine qua non, unde lumen quod post speculum Sol produxisset, jam producit posito obstaculo ante speculum, consequenter agit in sphæram minorem fortius. Sed contra est primò; nam si corpus impediens productionem luminis esset conditio adjuvans Solem ad productionem intensioris qualitatis per reflexionem, semper positâ tali conditione similis sequeretur effectus; sed hoc fallum est, quia res nigra non facit tantam reflexionem quantam alba, nec alba tantam quantam speculum, nec tantam corpus vitreum quantam æneum, ergo nec tantam intensionem. Secundò, in hac sententia non potest dari ratio, cur actio reflexa sit fortior propè speculum quàm propè Solem; & idem est de lumine, quia produciter uniformiter difformiter. Tertiò, explicari non potest, cur in partibus remotioribus producatur lumen intensius quam in vicinis; Nam major est intensio lucis in partibus remotis, si radius impingat in speculum concavum, quam sit in vicinis, Respondeo ergò &

Intensio luminis à quo.

DICO 2. Hæc intensio fit à Sole tanquam à causa principali, idem esto judicium de face ardente, candela, &c, si ipsis speculum opponatur, à lumine verò in speculo actione directa producto, vel ab aliquo alio objecto tanquam à causa instrumentali: Conditio sine qua non est certum temperamentum & dispositio corporis oppositi, cujusmodi est corpus opacum, tersum, uti est speculum, æs, terra, paries albus, &c. Et lumen non producit aliud lumen ut multi putant, tanquam causa principalis, præsertim quando tanquam causa univoca operatur, producere tamen potest, quando tanquam causa instrumentalis operatur vel tanquam causa partialis, præsertim si in corpore denso recipiatur. Conclusio hæc, quæ est Hurt. d. 9. phys. f. 6. §. 66. Soarii d. 18. f. 9. n. 38. & aliorum Responsa, quia per hoc explicantur omnes difficultates: Hinc si

Intensio luminis unde.

DICAS 1. Hoc pacto dabitur actio in distans, consequenter illuminatio non fit uniformiter difformiter, quia Sol producit lumen intensivè majus propè speculum, quale non producit in aere, qui est ipsi propinquior. Resp. conced. dari actionem in distans, quoties aliqua actio præcessit in medio, & objectum remotum est capax majoris intentionis; sic idem num. objectū perfectiorem imprimit speciem in oculo perspicaci quam caligante. Quod si actio nulla sit diffusa per medium, non datur tunc actio naturaliter in distans; Deinde hoc fit per accidens eò quod in via ponatur impedimentum.

DICES 2. Lumen, quo radii reflexi à speculo coincidunt, est intensius quam sit in ipso speculo, ubi fit radiorum reflexio; speculum enim non incenditur sed stuppa, in quam radii reflexi incidunt, ergo intensius lumen, & consequenter etiam calor producitur à remissiore; alias utrobique sequeretur idem effectus, ignis videl. si esset æqualis intensio. Resp. neg. esse lumen intensius ubi accenditur stuppa; ex inflammatione enim non colligitur esse majorem in uno lucem & calorem quam in alio, nisi quando æqualia sunt subjecta; Nam ad formam ignis non semper requiritur in omni subjecto calor ut 8. sufficit quandoque ut 7. maximè si adsit siccitas & raritas, cujusmodi est in stuppa, non in oculo.

Quare non semper requiratur ad formam ignis calor ut 8.

QUÆRES, cur speculum concavum majus producit lumen & intensius quam convexum. Resp. ideò, quia operante Sole principaliter & lumine in speculo recepto instrumentaliter in unum incidunt radii per concavitatem speculi collecti, qui in reflexione conveniunt vel multum dispergantur; sic major est calor in medio circuli, si faces in circulum ardentes collocentur propter radiorum concursum. Quod si dicas hinc sequi, si specula infinita opponantur aliis concavis, Solem habiturum infinitam sphæram activitatis: Resp. neg. seq. quia quò remotius est speculum à Sole, & speculum centesimum vel millesimum à primo, eò minus illuminatur; si tamen lumen quod directè in speculo productum, ageret tanquam causa univoca principaliter, plus haberet virium sequela; Quanquam controversum sit, utrum lumen producat lumen sicut calor calorem, & utrum qualitas intensa ut unum possit etiam aliam producere æquè intensam ut unum, vid. Hurt. cit. §. 79. & alios.

An lumen producat lumen ut calor calorem.

DI-

DISPUTATIO XI.

De Putrefactione.

POst febres calidas & putridas factamque in corpore alterationem sequitur putrefactio quæ frequentissimè in homine cæterisq; rebus naturalibus accidit ad interitum: Et hinc quam labilis sit inter res mortales vita nostra, & quam mutabilis ejus indies decursus, testatur ortus & occasus noster, docentque principia nostræ generationis, & omnium majorum nostrorum memoria, quam unicam inter ossa & cineres relictam cernimus & lugemus: Neq; verò infelicitas hæc est solius hominis, quia eandem lamentantur aeris marisque omnes incolæ & quicquid terra præter animantia bruta germinat, suisque reconditum alit visceribus, id quod non inconcinnè Vates ille decantat, cum ait

Ortus cuncta suos repetunt matremq; requirunt,
Et redit ad nihilum quod fuit ante nihil,

Ita enim uno die videas hortorum delicatas opes, rosas inquam purpureis suffusas vivè guttulis vernare, sequenti marcitas roseam animam inimicâ forsan ab aurâ effundere, suæque formæ natalem non tam feliciter auspicari, quam ejusdem lethale fatum lacrymari: Ita cum Jobo animal & hominem de muliere natū intuearis, brevius viventem, multis accumulari miseriis, quasi florem & lilium in convallibus egredi, moxque conteri & velut umbram abhinc ex oculis evanescere. Certè res digna examinatu videtur in publico, tum quia mortales nos attinet, qui commune hoc corruptioni pensum debent, tum quia nos vero Deo sacros adducat illud accuratius contemplari, quod olim omnes mansurum foret: Apud quos enim putrefactio receptui canit vel certè alius naturarum hostis, ii proximius nihil habent quàm ut in corruptionem paulatim descendant, nisi tamen per industrios salitores phœnicco mero è variis aromatis eliquato eluantur & ab interitu vindicentur. Sed quid hoc unius diei spatium? Nihilominus enim sui restanent cineres, qui sive serius sive citius in auram dispulverantur: Ita hac ergo pro præsenti operis decursu sæpius meditantes nos advertit hæc ratio, ut cum ob adversas in hoc universo formas prælia cieri videamus: ea hic paucis in publicum ordine producamus. Sit itaque

DIFFICULTAS I.

An & quotuplex detur putrefactio.

PEr putrefactionem, putrescentiam vel putredinem quæ synonima sunt, & semper interitum misti, si non secundū totum, saltem secundum partem vulgari modo loquendi significant, intelligitur primò actio putrefactiva, quæ est via & tendentia in rem puttidam. Secundò, terminus putrefactionis, qui est nova forma misti putrescentis vel qualitas, à qua dicitur res putrida. Tertiò, res ipsa putrida vel corpus putre, in quo fit separatio humidi à sicco, & cujus indicium est fœtor, qui pro ratione majoris vel minoris putredinis vel magis aut minus exuperat. Quartò denique pro mutatione rei putrescentis sive caloris naturalis à quo totum suppositum conservatur. His positis

DICO 1. Datur putrefactio seu putrescentia quocunque modo sumpta in homine occidente rebusque mixtis. Hujus conclusionis veritas desumitur ab ipsa natura rerum omnium sublunarium, per quam intrinsecè sunt corruptibilia; quæ autem corruptibilia sunt, vel corrumpuntur per combustionem vel per corruptionem ut infra dicetur, ergo reverà dabitur putrefactio in homine occidente & compositis physicis. Prob. 2. ab experientia, quâ videmus omnis generis mixta dissolvi & computrescere, ut sunt ligna, fructus horarii, carnes, humores, cadavera, aquæ stagnantes, &c;

DICO 2. Impropriè dividitur putrefactio apud Senn. Medicum l. 2. de febr. putr. in genere c. 1. in eam, quæ fit secundum totum & secundum partem. Ante probationem *Adverte*, Medicos, quorum singulariter in explicandis febribus eorumque naturis est agere de putredine, res omnes naturales subjicere putredini totali vel partiali: primam vocant perfectam eò quod mixta planè in elementa à quibus coaluerunt, resolvantur adeòque reliquis elementis evaporantibus nihil nisi terra remaneat; & hanc volunt Arist. definiisse, esse etiam velut normā & regulam alterius: Secundam ajunt esse imperfectam, eorum sc. corporum quæ plus humidi obtineant, & in quib' totum illud prædominās non possit cum calore educi, sed saltem secundū partes subtiliores & tenuiores; In hac autē gradus quosdam cōstituunt, quia docēt aliquando tam levem esse ut potius via sit & tendētia ad putredinem, cum aliquę saltem particulę corrumpātur servatā misti formā substantiali; aliquando autem tam insignem, ut forma substantialis deperdatur totumq; mistum in aliam speciem degeneret, esto non fiat resolutio in elementa; & hanc utramq; accidere sanguini, humoribus aliisq; mixtis, in quib' humidū prædominetur. Jam quod hæc divisio potius sit medica quam philosophica, probatur 1. putrefactio secundū partem

Putrefactionis divisio in perfectā, sive quæ fit secundum partem & secundum totum.

partem non differt in re ab altera secundum totum, ergò. Antec. prob. quia etiam in secunda abjicitur forma substantialis sicut in prima, esto non fiat eo modo & eâdem activitate, quia sufficit utrinque dependi formam substantialem in mixto. Exemplum putrefactionis secundum totum sit sanguis, qui extrà venas effusus ita dissolvitur, ut separato humido à sicco & calido à frigido; quicquid adest substantiarum elementarium, in aërem evolet & terram transeat: secundum partem sit idem sanguis, qui vel intra vel extra venas per putrefactionem à naturâ sanguinis ita degenerat, ut omninò in aliam speciem misti immutetur, esto non dissolvatur in elementa, quia utrimque totum perit mistum, abitq; in alias formas substantiales sive mistorum sive elementorum; Nam certum est, nullum mixtum ita corrumpi, ut in vera elementa abeat, quia desinit in materiam quandam impuram mistamq; imperfectum, v.g. in vapores sive exhalationes quæ non sunt aër, in cineres qui non sunt terra elementaris, in succum sive liquorem qui non est aqua sincera. Prob. 2. putrefactio secundum partem aliquando non est putrefactio, ergo impropria est & latè sumpta. Prob. antec: quia est tantum via & tendentia ad putrefactionem; quando videl. sanguis & humores intra venas effervescunt & accenduntur, quod inde confirmatur, quia mitigato gradu ad antiquum statum reducuntur. Prob. 3. In omni putrefactione verâ deperditur forma substantialis peritq; mistū secundum totum, ergo non benè dici tur aliam esse putrefactionem secundum partem nisi valdè impropriè. Antec. prob. quia in omni putrefactione fit corruptio totius ergo perditio formæ substantialis, intellige tamen ejus substantiæ quæ putrescit: Nam si aliquæ partes sanguinis putrescant, hæ dicuntur secundum totum corrumpi & amittere formam substantialem, esto non totus & integer sanguis corrumpatur.

DICO 2. Si non tam modum quam causas putrefactionis spectes, melior ejus divisio est in naturalem & violentam; prob. quia tot modis fit corruptio & interitus rerū naturaliū, ergo & putrefactio quę nihil est aliud nisi corruptio vel interitus, ut habet Arist. 4. meteor. c. 1. confirm. putrefactio vel habet causas internas & naturales vel externas & violentas; si primas, est naturalis; si secundas, violenta, & alius modus nullus superest, ergo putrefactio prima competit omnibus mixtis, quæ tandem ex mutua primarum qualitatum actione ab extrinseco corrumpuntur, quemadmodū videmus lapides aliaq; corpora dura tandem in pulverem desinere: posterior iis, quæ ab extrinseco factâ temperamenti mutatione magnāq; complexionis dissolutione violēter destruuntur, si tamē, quod advertendū, naturali propriæque formæ sint conjunctæ, ut patet in sanguine, humoribus, spiritibus, cadaveribus, pomis, piris aliisq; fructibus, Et hinc si

Putrefactio vel est naturalis vel violenta.

DICAS, sanguis, caro, poma, ligna, &c. putrescunt lege & ordine naturæ, ut patet in cadavere, quod non nisi arte & ingenio vindicare potest à putrefactione, ergo falsum est quod violenter putrescunt. R. 1. Si sanguis, humores & spiritus intra venas & meatus corporis tanquam in locis suis naturalibus conclusi putrescant, verum est quod corrumpantur violenter, quia corrumpuntur à causis morbosis & subjecto nequicquam conferente sed repugnante: Quod si verò extrà suos meatus & corpora sua naturalia, quorum sunt partes, existant, tunc putrescunt naturaliter, quia jam sunt extra locum suum naturalē, nec habēt formam à qua conservari possint, proinde tam ab intrinseco quā extrinseco corrumpuntur. Et hoc idem de aliis computrescibilibus intellige. R. 2. esse quędam mixta, quę licet formis suis conjungantur, nihilominus tamen naturaliter putrescant, ut patet in pomis & piris, quæ etiam in arboribus suis lege naturæ corrumpuntur eò quod ad maturitatem cito deveniant, proindeque naturaliter ad interitum nullâ datâ extrinsecùs violentiâ festinent.

Colligitur, putrefactionem naturalem & violentam non esse duas diversas species, sed unam & eandem à causis efficientur connotatibus ita dictam.

Putrefactio naturalis & violenta non sunt duæ diversæ species.

DIFFICULTAS II.

An solum his duobus modis mistum pereat.

QUod mistum putrescat vel naturaliter vel violenter, patet tam ex dictis quā ex Arist. l. 4. met. c. 1. ubi putrefactionem definit internū mistorū secundum naturam, eidemq; combustionem tanquam interitū violentum opponit; Ait enim putredinem esse finem omnium quæ natura constituuntur, nisi quippiam vi corrumpatur: Jam difficultas est, numquid alii sint modi, quibus insuper mistum pereat; sunt qui putant aut Aristotelem deceptū fuisse, aut ita posuisse hos duos corruptionis modos, ut etiam plures non excluserit; Nam ajunt interitum gladio, suspendio, suffocatione aquæ, &c. ad neutrum illorum modorum pertinere, proindeque necessariò dandum esse adhuc alium modum ad corruptionem. Sed

DICO breviter, benè divisit Arist. putrefactionem in naturalem & violentam, adeòq; modus alius non superest. Ratio, quia corruptio, interitus & mors hoc eodem modo dividitur, & quidem omnium consensu benè, ergo & putrefactio, aliusq; modus superest nullus. Sed nequicquā habet hic momenti furca, gladius, submersio, quia licet Arist. non ignoraverit, mixta multis aliis viis & rationib' violenter corrumpi posse; ipse nihilominus solam combustionem nominare voluit, ut judicāt Interpretes, eamq; velut unum genus violentæ corruptionis mistorū indigitare, ut ad quam omnes reliqui modi commodissimè possint revocari. Quod autem sint multi modi & rationes quibus mixta violenter corrūpantur, patet in ramis, qui nō tantū ab arborib' avulsi bruniq; jacētes violēter putrescūt, sed etiam sub terrâ defossi aut in aquas demersi lapidescunt; Et hujus generis est memorandum illud, quod Alb. M. l. 1. de rebus metallicis narrat, olim scil. in mari Danico propè Lubecam inven-

inventum esse magnum arboris ramum cum nido & pullis avium, qui cum iisdem totus in rubrum lapidem vel corallum transmutatus fuerit: similiter experientia doceri multi affirmant, araneam vitro rostrato inclusam beneq; obstructo vitri orificio aliquot mensium spatio in durum lapidem denigrasse integrâ tamen figurâ. Exempla plura super sunt, quæ hic ad longum recensere superuacuum est. *Ad argumentum* illud de gladio, suspendio, &c. respondetur, animalia quidem his modis perire, non tamen præcisè quà mixti formam habent, sed quà viventis; Nam quando suspenditur homo, perit tantum ut est vivens, & postea paulatim corrumpitur ut est mixtum.

Qui gladio aut suspendio perit, non perit quà mixtū sed quà vivens.

DICES, Putrefactio sanguinis & humorū, dum intra venas continentur, est violenta ex dictis, quia est à causis extrinsecis, & tamen non est combustio, nec ad illam commodè revocari potest, quia nullam habet cum ea similitudinem, ergo plures sunt modi quibus putrescunt res naturales. Resp. etiam sanguinis & humorum sicut & aliarū rerum putrefactionem posse ad combustionem revocari, quia in omnibus idem putrefiendi modus observatur, esto non eadem celeritas eademque vis activa: Nam ut ait Aristoteles loc. cit. quæcunque putrescunt, primum humescunt, deinde siccitatem contrahunt, quia ab his formata sunt, siccitasque cum humore circumscripta est facultatibus agentibus & in opus incumbentibus; id est, primò fit separatio humidi à sicco, tum calidi a frigido, tandemq; tota mixti dissolutio, donec in terram & cineres dispergatur. Itaq; *Advertendum est*, in lata & ampla significatione sumi violentum; Nam non solùm illud violenter fieri dicitur, quod accidit à causis extremis summèq; agentibus contrà renitentiam subjecti, ut patet in combustione, gladio, suffocatione, &c. sed etiam illud quod non fit à causis intrinsecis & subjecto competentibus, ut patet in putrefactione humorum, qui licet ex se subjecti sint corruptioni, hanc tamen non semper experiuntur, nisi à causis extrinsecis & violentis disponantur, quemadmodum patet ex diffic. de caussis febrium, ubi ex Gal. 5. numerantur, quæ ad putrefactionem & febrium generationem disponunt.

DIFFICULTAS III.

Quomodo putrefactio sit interitus naturalis.

VAriè sunt hac in re opiniones, ut videre est apud Cæs. Claudinum primo suarum responsionum medicinalium, apud Vicomercatum, Erastum, Buccaferreum, Argenterium & alios: Nam alii volunt putrefactionem ideò dici naturalem, quod fiat sensim à calore ambientis, & violentam quod celeriter: Alii dicunt putrefactionem fieri à calore interno mixti ideòque esse & dici corruptionem secundum naturam; combustionem verò à calore externo ignis, adeòque esse violentam; sed

DICO 1. Putrefactio non ideò dicitur naturalis, quod fiat sensim & paulatim. Prob. 1. tarditas non ingreditur essentiam putrefactionis naturalis, ergo non dicitur ideò talis quia fit paulatim. 2. Sunt quædam quæ citissimè putrescunt, & alia rursum quæ tardius comburuntur, & tamen hæc non dicuntur putrefactione perire, & illa combustione, ergò ratio non consistit in celeritate & tarditate corruptionis.

DICO 2. Nec dicitur etiam putrefactio ideò naturalis, quia est à principio intrinseco, videl. à calore. Prob. ex Arist. qui expressè dicit putrefactionem fieri à calore ambiente, id est, à calore extrinseco, ergo falsum est ideò esse naturalem quod fiat à calore intrinseco. Neque dicas Aristotelem definire putrefactionem violentam; quia ipse definit putrefactionem in genere, sive fit à causis naturalibus sive violentis, propter quas non differt una putrefactio ab altera nisi secundum magis & minus; Deinde omnia putrescunt naturaliter à causis extrinsecis ut patet in arboribus earumque ramis truncatis, in cadaveribus, aquis stagnantibus, &c. quæ omnia licet secundum communem concursum naturæ putrescant, quia nimirùm in hoc statu non poterant ab internis dispositionibus amplius sustentari; nihilominus tamen habent causas externas, à quibus simul ad peregrinam novamque formam disponantur.

Putrefactio dicitur naturalis,

DICO 3. Putrefactio ideò dicitur naturalis, quia fit secundum communem concursum mistorum & juxtà legem mixtis à Deo præscriptam: Ita Pomponatius 4. meteor. dubio 17. quem sequitur Zabarella l. 2. de Interitu mistorum c. 4. & probatur, naturale vel accipitur pro eo, quod est à principio solum interno, vel pro eo quod est secundum legem & cursum naturæ; sed putrefactio naturalis non dicitur talis juxtà primum acceptum ut patet, ergò juxtà secundum: Nam cum mixta sint obnoxia corruptioni & in ea dissolvantur ex quibus componuntur, ordinariè intereunt per putredinem: Dico ordinariè, quia fieri potest ut alio genere corruptionis violentius interimantur, & quasi ante tempus seu legem præfixam; Et hoc ferè sensu vocat Arist. mortem viventium naturalem quæ fit in senectute per marcorem, violentam verò quæ fit per gladium, ignem, suspendium, aquam, &c. Nam his posterioribus modis intereunt viventia præter modum eis à natura præscriptum, & priori secundum naturam, quia etiam absente igne, gladio, suspendio & aqua emarcescunt. Ordinariè itaque omnia & sola mixta sunt putrescibilia, combustio verò non solis nec omnibus mixtis convenit, quia etiam per calorem vehementem transmutatur & corrumpitur aqua; Et sunt nonnulla mixta quæ ab igne nihil patiuntur: Metallorum aliqua citius aliqua tardius putredine afficiuntur, ut patet de ferro quod facilè rubiginem suscipit, & in auro quod difficillimè & nonnisi post longissimam ætatem: De gemmis idem intellige, quas annulis inclusas

fit

si à putrefactione cupias præservare, nocturno tempore juxtà magnorum virorum doctrinam & communem experientiam eas seponere & in aquam frigidam immergere convenit.

DIFFICULTAS IV.

Quid sit putrefactio.

SUPPONO, aliam esse putrefactionem perfectam, aliam imperfectam; Illa quam optimè vocant secundum totum, nihil est aliud quam resolutio mixti in elementa sive pura sive impura, quia totum mistum perit dissolviturq; humidum à sicco & frigidum a calido; mixta enim constant ex calido, frigido, humido & sicco, similiter ex partibus igneis, aqueis, aereis & terreis; Et quamvis in ordine ad formam substantialem mixti omnes partes habeant rationem materiæ, in ordine tamen ad se invicem habent aliquæ rationem agentis, aliquæ patientis; unde sicut generatio misti tunc fit, quando activæ partes obtinent certum dominium suprà passivas, ita quando hoc dominium amittitur, mistum perit. Quando itaque per calorem ambientis partes calidiores & humidiores evocantur è misto ita, ut destruatur ille nexus humidi cum sicco, & frigidi cum calido, putrescere dicitur mixtum & in elementa resolvi. Putrefactio imperfecta est, quando id quod putrescit, vel non est perfectum mixtum, vel tantum accidentaliter mutatur, ut quando sanguis, spiritus ac humores accenduntur, si tamen sint vera & perfecta mixta, quod hic ultrò conceditur. Jam

Putrefactio quid. DICO, putrefactio est interitus proprii ac naturalis caloris in quovis humido ab alieno proficiscente calore. Ita Arist. 4. meteor. c. 1. & consentiunt non tantum Philosophi sed & Medici cum Gal. qui 15. m. m. ait putredinem esse mutationem substantiæ totius putrescentis ad interitum ab aliena qualitate. Dicitur 1. interitus, corruptio vel mutatio nimirum proprii caloris, à quo forma substantialis totumque suppositum conservatur; vel dicitur secundum Gal. totius substantiæ putrescentis, quia everso temperamento, totum quoque perit mixtum vel compositum, & forma substantialis mixti putrescentis tendit ad corruptionem. Dicitur 2. in quovis humido, ut designatur capacitas subjecti pro recipienda putrefactione quæ est vera dispositio ad novam formam; neque enim terra pura aut ignis hanc mutationem experiuntur, vel quia carent humido vel calido vel utroque: corpora itaque sive mixta sive simplicia, ut sunt aer & aqua, pereunt hac putrefactione propter rationes infrà dicendas, imò nec corpora solida excipi possunt, quia non sunt tam exicca, quin sensim aliquid putrefactionis contrahant, ut patet in ferro quod rubiginem contrahit. Et certum est, quicquid putrescit, esse aliquo modo humidum, quod duplex in mixtis reperitur; alterum innatum & conglutinans partes siccas inter se ne diffluant, alterum superfluum & adventitium; Ad evocationem posterioris, non fit statim dissolutio mixti sed prioris, quod tamen est etiam occasio aliquando, cur etiam hoc separetur sicut videmus in lignis madefactis, quæ loco sicco reposita diutius à putredine tuta sunt quam si cœlo humido & pluvioso exponantur. *Quæ corpora putrescant.* Dicitur 3. ab aliena caliditate, aeris sc. solis, &c. quibus intervenientibus res quævis mixta & quodvis compositum, in quo reperitur hæc putrefiendi capacitas, suo proprio & nativo calore destituitur. Et hoc ipso ostendit Arist. causam putrefactionis esse extrinsecam & agere per calorem; nomine autem extrinseci non intelligitur tantum aer aut aqua circumstans, sed etiam caro in animali aut alia pars continua calidior sicut & exhalationes inclusæ in poris mistorum. *Calor extrinsecus quis.* sensus itaque definitionis est quod putrefactio in mixto sit corruptio proprii & nativi caloris in humido residentis facta per calorem extranei ambientis: Calor enim corporis circumstantis excitat & evocat è mixto intrinsecum & ingenitum illius calorem in partibus humidis residentem, unde destruitur ille nexus humidi cum sicco, adeòque mixtum in sua elementa resolvi & putrescere dicitur, & sic quæ putrescunt, tandem sunt terra & fimus vel cinis ut ait Arist. loco citato. patetque in putridis nucibus, arboribus, cadaveribus, &c. in quibus post exitum humoris conglutinantis pulvis quidam terreus & tenuissimus remanet: hæc tamen intellige non de putrefactione imperfecta, quæ est tantum inchoata corruptio, nec adhuc ad finem perducta, sed de perfecta & secundum totum, de qua Arist. sic ait, ob eamque rem omnia putrida siccescunt, & ad extremum in terram & fimum convertuntur, quia proprio calore exolescente naturalis humor unà cum eo per vaporem emittitur, nec posteà res, quæ humorem sibi vindicat, adest, quoniam proprius calor trahendo humorem extrinsecus sibi vindicat. Hæc Aristoteles.

Colligitur, hâc definitione comprehendi omnem putrefactionem tam perfectam & secundum totum quam imperfectam sive secundum partem, & rursum tam naturalem quam violentam, exceptâ tamen eâ, quæ potius alteratio est, & quasi via ad putredinem.

DIFFICULTAS V.

Quomodo corrumpitur calor naturalis mixti ab ambiente.

RAtio dubitandi est, quia vel calor ambiens est minor quam sit calor misti, vel æqualis, vel major, vel denique evocatur ab externo: si primum, non aget in illum, neque si pro secundo sit æqualis, quia simile non agit in simile; si verò sit

sit major, tunc intendet alterum, intendere autem calorem non est illum corrumpere. De evocatione quæritur, num fiat trahendo vel alio modo; trahere autem calor calorem non potest. quia tractio est violentus motus, & similis qualitas non agit in similem violenter.

Aliqui respondent, à calore externo prius agi in humidum mixti eoque egredi quoque calorem internum; sed est contra Philosophum qui ait, exeunte proprio calido, evaporat quod secundum naturam humidum est, quasi insinuaturus, humidum natura posterius evocari quam calidum: Claudinus primò respons. medicin. postquam nonnullas Medicorum sententias de modo hujusmodi putrefactionis recitasset, suam his verbis in calce adjungit; Germanus inquit putredinis naturalis modus in- *Modus putrefactionis qualis.* fieri est hujusmodi; si calor ambientis in substantias mixtas agat, itaut illas primùm rarefaciat, deinde similitudine nsturæ perpetuò aliquid caloris nativi unà cum humore trahat, tunc necessariò exeunte calore nativo frigiditas interna validior redditur, sicque insurgit & aliquot gradus ejusdem caloris corrumpit; hinc calor ab utrâque causa, ab ambiente nimirùm & frigiditate illa interna debilitatus ac diminutatus non valet amplius humidum cum sicco continere, ac proinde illud à sicco dissolutum cum calido evaporat, sicque multum putrescit naturaliter. Buccaferreus, Argenterius & alii docent, quod calor ambientis calefaciendo corpus rarefaciat & relaxet, qua relaxatione facta intus penetrat & calorem naturalem adaugeat, & hic ipse adauctus in humidum agat, ipsum dissolvat, ut nihil idonei alimenti remaneat pro caloris nutritione, unde deficiente pabulo deficiat & calor, proindeque mixtum corrumpatur: Alii hæc addunt, calorem scil. naturalē augeri per antiperistasin à frigido ambientis, & sic frigus ambiens per prohibitam transpirationem concentrando calorem eundem intendere factumque intensiorem ex prohibita transpiratione, per quam vapores & adustæ fuligines non excernantur, agere in humidum & sic mixtum ad corruptionem deducere. Erastus Medicus & Professor olim Heidelbergensis putat putredinem naturalem fieri, quia calor naturalis seipsum longo tempore debilitet media corruptione proprii pabuli, quod est internum humidum in quo calor subjectatur, qui ubi ad extremum debilitatis gradum devenerit, eum tunc facilè ab ambiente evocari & dissolvi, &c.

Calor naturalis quomodo ab ambiente corrumpatur. DICO breviter, sensus Aristotelis non est, quod calor ambiens agat in calorem internum mixti, eum destruendo positivè sicut destruitur à frigore, aut tractione violenta trahendo, sed potissimum intendere donec major evadat quam exigat natura mixti, ideòq; ob raritatem ac levitatem quam per illam raritatē nactus est, mixtum suum deserat & evaporat, ut proinde mixto pereundum sit; Et hoc videntur Authores citati voluisse. quamvis id aliis verbis & sententiis explicare conati sint. Probatio hujus conclusionis petenda est ex dictis, quia si calor externus sit minor, quam sit calor misti, non aget in illum, neq; etiam si sit æqualis, cum simile non agat in simile: si verò sit major, tunc intendet alterum, & ex illa intensione non sequetur corruptio caloris: similiter tractio figmentum est, quia calor non potest irahere calorem, cum tractio sit motus violentus, & similis qualitas non sgat in alteram sibi similem violenter. *Tractio est motus violentus.*

Colligitur, in putrefactione calorem internum mixti ideò perire, evaporare mixtumque suum cum dispendio utriusque interitùs desere re, quod ab externo calore intendatur, fiatq; sic intensus rarior & levior. Quodnam verò sit ambiens calidum, patet ex antecedentibus, nimirùm aer, sol, aqua, vapores, fuligines in poris conclusæ, &c. *Calidum ambiens quod.*

DIFFICULTAS VI.

Respondetur argumentis in contrarium.

QUando Aristoteles definivit putredinem, intellexit omnem, tam perfectam quam imperfectam, & tam naturalem quam violentam, intellige eam violentam, quæ fit a causis quidem violentis, extrinsecis & subjecto non competentibus, tum sensim ad modum putredinis naturalis, non tamen eam quæ fit à causis extremè violentis, ut fit in combustione. Cum itaque multa soleant contrà datam putredinis definitionem objici, quæritur, quid ad ea respondendum sit. Si ergò

DICAS 1. Hæc definitio convenit etiam combustióni, quæ similiter est corruptio humidi & calidi innati, v.g. in ligno per caslorem ambientis: similiter assationi, elixationi & senecturi, in quibus etiam humidum & calidum evocatur è misto. Resp. magnum esse discrimen *Combustionis differentia à putrefactione.* inter combustionem & putrefactionem; Nsm primò separatio humidi & calidi est combustioni per accidens, putredini autem per se, & hæc potest fieri sine tali separatione, non autem illa, ut si terra pura mutaretur in ignem immediatè, quia in hoc casu nullum calidum & nullum humidum separaretur; Quando autem Aristoteles requirit in combustibili humorem igne imbecilliorem, loquitur de combustibili, quod est ordinarium alimentum flammæ. Secundò, Combustio fit à calido & sicco & valdè intenso, putrefactio à calore mediocri & humido, unde etiam Luna citius putrefacit quam Sol. Tertiò, in combustione humidum penitus consumitur & corrumpitur & magna ex parte in substantiam agentis convertitur; In putrefactione solùm separatur & est per accidens si corrumpatur. Per assationem & elixationem non evocatur humidum & calidum innatum, sed solum adventitium. Senectus est quidem de genere putrefactionis sed imperfecta & quasi via ad perfectam.

DICES

DICES 2. Putrida utplurimùm sunt amara, quæ ex Gal. l. 2. de simpl. medic. abundant calore, ergo non fiunt talia per evocationem caloris. Resp. neg. antec. quia putrida potius sunt acerba & ingrati saporis; hujusmodi autem acerbitas etiam est in frigidis, v.g. in fructibus immaturis, quorum partes necdum sunt benè digestæ aut permistæ: Hinc quia in putrefactione mixta bona illa partium mistio tollitur, mirum non est, si putrida fiant acerba, vel etiam imperfectè amara ratione quarundam partium sicciorum & calidiorum, quod etiam in apio aliisque mixtis quamplurimis experimur. Quod autem Gal. dicat amara esse calida, verum dicit, nec est quicquam contrà conclusionem, quia loquitur de amaris & non de acerbis.

Putrida fiunt acerba & non amara.

DICES 3. Ligna v.g. in aquis per solam humiditatem absque ullo calore putrescunt; Item unùm pomum putridum putrefacit aliud solo contactu, ergo non est opus extrinseco calore contrà definitionem. Resp. neg. antec. quia aer inclusus in poris ligni habet rationem caloris, alieni, & hic præclusa transpiratione agitatus incalescit, & vicinas partes calefaciendo putredinem generat: Deinde aqua emollit du[...] facitque ut pori lignorum faciliùs aperiantur, atque ita humidum cum calido possit egredi: poma putrida vel contagione inficiunt etiam alia de quo postea, vel suo contactu transpirationem interiorum partium impediunt.

Ligna in aquis quomodo putrescant.

Quomodo poma putrida inficiant alia.

DICES 4. Cadaver etiam media hyeme, ubi nullus est calor ambiens, putrescit, quod etiam de herbis, fructibus, lignis, &c. intellige. Resp. hæc ideò in hyeme putrescere, licet difficilè & tardè, quia impediuntur partes internæ calidæ ne possint egredi, & hæ quia habent rationem calidi extrinseci vel ambientis, generant putredinem dicunturque hujusmodi mixta putrescere ab ambiente calido, illo videl. quod non erat ad conservandum mistum.

Cadavera quomodo in hyeme putrescant.

DICES 5. Interior pars fructuum v.g. nucum, juglandium, &c. sæpè putrescit illæsis partibus externis, ergo signum est nihil hic agere calorem externum, quia etiam ageret in partes externas; Quod autem pars interior putrescat, patet ex vermibus, qui item sub nive aliquando generantur absque externo vel ambiente calore. Resp. 1. Partes interiores fructuum ideò aliquando putrescere illæso cortice, quod hic durior sit & siccior, illæ verò delicatiores, unde etiam faciliùs putredinem suscipiunt. 2. Putrefieri partes interiores à calidis exhalationibus quæ sunt in medio fructuum, habentque rationem calidi ambientis: Et hoc idem de generatione vermium sub nivibus putandum est, quia generantur omninò à certis exhalationibus sub nive in certa materia contentis.

Nuclei interiores putrescunt.

DICES 6. Calor ambiens non causat putredinem, sed potius impedit, ergo. Antec. patet, quia cum carnes volumus à putredine conservare, eas in camino suspensas fumo calido perfundimus. Resp. ad antec. ideò calorem fumi nō putrefacere sed impedire putredinem, quod propter admixtas exhalationes humidum superfluum exiccet, maximè si aspersio salis accedat eo ferè modo quo aloe, sal & similia de quibus infrà.

DICES 7. Calor internus corrumpitur sufficienter ab intrinseco frigore, ergo non est opus ambiente calore. Resp. calorem non putrefieri sed corrumpi, ideòque putrefactionem non concernere calorem aut ullam qualitatem sed corpus mixtum.

DICES 8. Calor calorem non potest corrumpere sed potius intendere, si sit fortior. Resp. primò, per accidens fieri si calor ambiens putrefaciendo corpus mixtum destruat calorem innatum. 2. Calorem non destrui ab alio, sed vel conservari si similis sit, vel intendi si fortior. Dicitur autem impropriè calor innatus ab ascititio destrui, quia videl. non est amplius proportionatus actionibus vitalibus exercendis, id est, destruitur calor ab alio calore non ut est calor, sed ut est calor vitalis & instrumentum vitæ in administrandis actionibus corporis viventis.

Calor à calore quomodo destruatur.

DICES 9. Variæ sunt causæ à quibus oritur putrefactio, ergo non à solo calido ambiente. Resp. ex dictis sufficienter colligi, quid ad præsentem objectionem sit respondendum: Nam esto sint multæ & variæ causæ remotæ, quæque habeant rationem alicujus conditionis requisitæ ad putrefactionem, ipse tamen calor ambiens est causa proxima & principalis, quia hic solus internum calorem mixti intendit, ideòque velut agens principalissimum nexum inter qualitates, quibus totum compositum conservatur, dirimit.

Colligitur, resoluto cordis dominio & laxata mixti complexione humiditatem paulatim evocari, & siccum cui per unionem corporalem firmiter prius adhæserat, evanescere: Deinde non eâdem via aut eodem modo putredinem naturalem incurrere mixtum propter diversitatem dispositionum, sed servatâ semper quâdam activorum & passivorum proportione; sic enim aliter putrescunt nuces; poma, pira; aliter ligna præsecta, ossa, cadavera; aliter vestimenta, cibaria; aliter metalla & mille mixtorum alia, quæ omnia adjuvante calore extrinseco, saltem in ordinaria putrefactione dissolvuntur, separatoque humido à sicco calidoque à frigido interitum suum naturalem, quocunque tandem id modo accidat, consequuntur.

Putrefactio quomodo fiat.

DIFFICULTAS VII.

Vnde constet putredinem fieri à calore ambiente.

QUando Aristoteles 4. meteor. c. 1. de putredine agit, ejusque definitionem dedit, fieri etiam à calore ambiente docuit, subjunxit in fine aliquot signa, quibus id confirmaret & adprobaret; Et hæc eadem signa ut breviter & clarè explicentur

DICO,

DICO, Sex signa sunt ex mente Aristotelis, quod putrefactio fiat à calore ambiente. *Primum* est, quod difficilius mixta putrescant in locis ac temporibus frigidis quam in æstu; Et hinc qui in summis alpibus, ubi perpetuum frigus, aut hyemali tempore intereunt, manent diu absque fœtore & putredine, imò multis annis, ut testatur Albert. M. tr. 1. Meteor. c. 9. Et hoc est quod Aristoteles loco citato ait, frigidis scil. temporibus res minus putridas fieri quam calidis; Circumfusus enim aer aut aqua per hyemem ita exiguo calore affecta est, ut nihil possit, per æstatem verò majore afficitur; Nec id quod conglaciavit, putredinem concipit, quia magis friget quam aer caleat, propterea invictum est, cum oporteat id, quod motum affert vincere; Ita Aristoteles. *Secundum* est copia innati caloris; Et hinc quæ multum hujusmodi caloris habent, minus putrescunt ut aromata, præsertim si calor hic copiosus non sit cum multo humore, quia hoc modo non facilè à calore externo superari aut evocari potest. *Tertium* est motus; quæ enim moventur ut fluvii, tardius putrescunt; quæ verò multum quiescunt ut paludes & aquæ stagnantes, citius & facilius concipiunt putredinem, quia in hæc actio fortius figitur, illa autem continuâ sui fugâ actioni quasi subtrahuntur, qua de causa salutaria magis sunt loca ventis perflabilia quam à vento remota; Et viventia quæ moderatis exercitiis motibusque utuntur, sunt alacriora & diutius durant in suo tamen genere, quam illa quæ sedentaria sunt & vitam somnolentam quietamque traducunt, sicut Aristoteles loco citato affirmat; Nam cum effervescentia & calida minus pro putredine valere docuisset, addit, omne id quod motu agitur & fluit, magis servari à putredine eò quod à motu cesset. *Quartum* est intensum frigus, quia quæ natura sua valdè frigida sunt, difficulter putrescunt, quia tam intensum eorum frigus resistit calori ambienti. *Quintum* est, humiditas major, quia humidiora citius putrescunt quam sicciora, cum hæc prius emolliri & humectari debeant, ut deinde cum adventitio humore etiam innatus evaporare possit, quemadmodum fit in lignis aridis. *Sextum* denique est res putrescibilis vel parva & exigua vel magna; paucum enim & parvum citius contrahit putredinem quam magnum & multum, quia major calor qui in multo & magno est, non ita celeriter evincitur, id quod verum esse maximè de homogeneo & continuo multo & magno rectè nonnulli advertunt. Nam in discontinuo, ut est cumulus fimi, tritici, graminis, &c. contrarium sæpè evenit, cujus ratio est, quod calor intrinsecus non sit unius corporis, ac proinde non ita resistat ambienti: Nec aliud est, quod Aristoteles cap. & lib. cit. docet. Cum enim ostenderet putrefactione internum calorem cum humido ab ambiente evocari, quia videl. quæ putrescunt, fiunt frigida & sicca, tandemque in pulverem & terram abeant, addit in fine, hanc eandem esse causam, cur magna etiam res à putredine magis vindicetur quam parva, quia ampliore re ignis & frigus continetur amplius, ideòque facultates in circumjecto positas aere vincere potest, hoc Aristoteles.

Colligitur autem ex hactenus dictis corruptionem latius patere quam putrefactionem; Nam licet omnis putrefactio sit corruptio ut ex se manifestum est, non tamen vice versa omnis corruptio est putrefactio quam Aristoteles definivit, ut patet in combustione & corruptione qualitatum. *Omnis putrefactio est corruptio, non contrà*

DIFFICULTAS VIII.

Quænam putrefactio sit medica seu febrilis.

QUod non videatur hæc putrefactio spectare ad naturalem, ratio est, quia fit à principio extrinseco & contra inclinationem ipsius subjecti v. g. sanguinis, humorum & spirituum: Quod nec ad violentam, inde liquet, quia non est combustio, nec submersio, &c. quæritur ergò ad quam putrefactionem spectet.

SUPPONO 1. Putrefactionem medicam seu febrilem esse, qua sanguis, spiritus & humores in humano corpore inflammantur & corrumpuntur omnisque generis febres accenduntur. 2. Solum sanguinis & humorum succensionem non esse dicendam putrefactionem, nisi imperfectam, quia non fit dissolutio humidi à sicco & calidi à frigido, tum quia modificatio caloris excessu redeunt ad statum suum naturalem. 3. Naturale & violentum duas sic esse species oppositas, ita ut naturale tantum dicatur, quatenus violento opponitur. 4. Violentum non tantum sumi pro eo quod fit à causis extrinsecis subjecto nequicquam conferente, id est, ad modum & legem processus naturalis, sed etiam pro eo quod summè violentum est, ut combustio. Jam

DICO 1. Sanguis & humores putrescunt in homine secundum totum. Probatur primò, quia amittunt formam suam substantialem & abeunt paulatim ad naturam elementorum ex quibus constant, ergo. Secundò constat experientia, ita sanguinem & humores elementares in febribus putridis corrumpi, ut omninò dissolvantur & nequicquam ad nutritionem valeant, ergò signum est eos secundum totum putrefieri. Probatur tertiò, si humores tantum alterarentur & non putrescerent secundum totum, sequeretur nunquam dari tertianas, quotidianas & quartanas sive continuas sive intermittentes; sed hoc falsum est & contrà experientiam, ergò & illud. Prob. assumptum, quia in alteratione omnes humores æquè patiuntur; neque unus plus *Sanguinis putrefactio qualis.*

quam alii, ergo non est ratio cur hæc febris & non alia subsequatur. Quod si

DICAS 1. In omnibus febribus putridis sanguis & humores putrescentes reducuntur ad nativum statum, ergò fallum est quod putrescant secundum totum. Resp. neg. antec. quia in febribus putridis humores illi à quibus dependet febris, ita dissolvuntur & corrumpuntur, ut à substantiis bonis separati vel per medicinas vel per naturam velut inutiles & præternaturales superfluitates è corpore expellantur, quod non fieret si formam priorem retinuissent: dicuntur tamen reduci ad bonum statum, dum ab inutilibus & putrilaginosis repurgati per naturam reservantur.

DICES 2. Si humores alimentales secundum totum corrumperentur & putrescerent, sequeretur, omnes febres putridas esse lethales contra experientiam. Resp. neg. seq. quia quando dicitur sanguinem & humores secundum totum putrescere, non est sensus, quasi totus sanguis totique humores qui sunt in aliquo districtu venarum, putrescant, sed quod aliqua eorum portio jam major jam minor pro ratione febris pereat, reliquâ substantiâ naturam retinentem & virtutem corporis regitivam salvâ. Nam id quod verè computruit & intrà venas corruptum est, natura tanquam utile ab inutili separat, ut constat fieri in crisibus, succeditque novus sanguis à corruptione liber.

DICO 2. Putrefactio sanguinis & humorum pertinet ad illam putrefactionem quam Aristoteles definivit. Probatur, quia quando putrefactionem definivit, complexus est omne corpus humidum & calidum, in quo autem hoc utrumque per calorem ambientem dissolvatur; sed tale corpus est sanguis & quilibet humorum alimentalium, ergo sub definitione putrefactionis complexus fuit eos Aristoteles. Et confirmatur, quia nullum est corpus quod magis sit subjectum putrefactioni Aristotelicæ quam sanguis & humores alimentales, nullius etiam rei corruptio magis competit & convenit definitioni putrefactionis ejus, ergò.

DICO 3. Humores intrà venas corporis viventis putrescunt partim naturaliter partim violenter. Patet ex dictis & probatur primum, quia licet ipsis à principio extrinseco accidat hujusmodi correptio, fit tamen secundum cursum naturæ, etiam ad eum planè modum, quo accidit à principio intrinseco, ergo naturaliter, & quidem respectu combustionis, quam Aristoteles immediatè opposuit putrefactioni secundum naturam. Probatur secundū 1. quia sanguis & humores ex se non exigunt hanc corruptionem. 2. Per hanc corruptionem pereunt ante tempus sibi præfixum. 3. Accidit ipsis hæc putrefactio à causis & principiis extrinsecis, ergo est violenta, nimirùm ex se, & prior quam sit naturalis in ordine ad combustionem.

Colligitur, Putrefactionem medicam seu febrilem esse eam quam definivit Aristoteles l. 4. meteor. c. 1. & cui combustionem tanquam interitum summè violentum opposuit, cum ait, putredinem esse gnem omnium quæ natura constituuntur, nisi quippiam vi corrumpatur & labefactetur, id est deuratur? Nam subjungit, licere carnem, os & quodvis ejusdem generis deurere, quibus omnibus finis naturalis interitus sit putredo.

DIFFICULTAS IX.

An dum sanguis putrescit, omnes humores putrescant.

CUm per sanguinem hic intelligantur omnes humores alimentales, qui intra venas existentes massam unam sanguineam sive mistum imperfectum faciunt, quæritur, an fieri possit, ut cum hæc sæpius putrescat, febresque putridas accendat, omnes semper humores sive particulæ alimentales necessario putrescant, an verò sufficiat ad putrefactionem unius partis cæteras solùm inflammari. Nam Fracastorius Medicus de diebus criticis docet, dum unus humorum in venis putrescit, etiam necessariò reliquos putrescere, id quod ad confirmationem causarum & dierum criticorum velut indubitatum supponit: De sola inflammatione intelligendus non est, quia cum putrescit sanguis, etiam omnes partes circumjacentes calore exæstuant.

Adverte autem, malè sentire Fracastorum & Medicos, quando sub nomine sanguinis venarum humores alimentales ita separatos & velut speciе distinctos constituunt, ut quemque facilè seorsim corrumpi credans: Nam licet sanguis post primam sui & rudimentalem concoctionem sit mistum imperfectum, quia videl. substantiæ & qualitates elementares quas cibus & potus varias suggerit, necdum sese mutuò penetrarunt, & sub unam formam substantialem coaluerint, ut etiam videre est in multis aliis miscibilibus; Nihilominus tamen ipse una est substantia, cujus partes sensim & continuò per caloris actionem intimè coëunt; sese intersecant & veram formam misti perfecti, quod absolutè nomen & naturam sanguinis sive biliosi sive melancholici sive pituitosi juxtà temperamenti rationem obtinet, assequuntur; Et cum hujus substantiæ partes variè per causas violentas corrumpantur, idcircò

DICO 1. Probabile est, totam massam sanguineam adeòque omnes humores alimentales intrà venas simul posse putrescere. Ratio est, quia nulla reperitur implicantia aut impossibilitas tā ratione agentis, quàm passi, ergò. Antec. prob. ratione agētis, quia possunt omnes humores, separatim & diversis vicibus à causis naturalibus putredinem concipere, ergo etiam uno eodemque tempore, dum confusi aut con-

confuſi aut conjuncti exiſtunt; Et poteſt cauſa effectrix eſſe tantarum virium, ut ſicut unum, ita & reliquos omnes humores diſponat & impellat ad putrefactionem. Neque tamen propterea hoc homini erit lethale neceſſariò, quia paucus eſt hic ſanguis qui putreſcit, ſi comparetur cum reliquo totius corporis adhuc immuni; ſed nec quidquam impedit ratione paſſi, quia omnes humores ſunt corruptibiles per quemcunque modum putrefactionis, ſub quacunque etiam forma exiſtant, ergo etiam per putrefactionem.

DICO 2. Non tamen neceſſariò ad putrefactionem unius humoris vel particulæ ſanguinis omnes ſtatim reliquæ putreſcunt; Ratio eſt, quia ſanguis in venis, dum præſertim adhuc crudus eſt & imperfectè concoctus, non ubiq; habet eandem capacitatem ſive habilitatem ad putrefactionem etiam ab unis iiſdemque cauſis, cum habeat multas partes tam homogeneas, quàm heterogeneas quæ ob diverſas ſuas naturas magis minusve corruptioni reſiſtunt; ergo dum unæ corrumpuntur, non neceſſariò corrumpentur & aliæ; Vide Fern. l. 4. de febribus c. 6. ubi fusè deſcribit qua ratione in venis majoribus putreſcant humores. Et confirmatur concluſio ab experientia, qua videmus miltum aliquid totum aliquando ſecundùm aliquas ſolùm particulas reliquis illæſis corrumpi, quod etiam cum ſanguine venarum in febribus quibuſcunque fieri probabiliſſimum eſt. Dixi non neceſſariò, ex quo colligitur, aliquando totam maſſam ſanguinis alicubi in venis majoribus exiſtentem corrumpi, idque cum diſpendio vitæ in febribus valdè pernitioſis & malignis.

Colligitur, quamvis humores in venis ex ſe non habeant eandem capacitatem & habilitatem ut ſimul putreſcant, habere tamen in ordine ad cauſam effectricem, quæ aliquando tam potens eſt & valida, ut ſicut unum ex humoribus ita & reliquos ad eandem putrefactionem inflectat: Et hoc videmus in febribus continuis, in quibus non tamum ideò nullæ reperiuntur periodicationes, ſed quod etiam tota maſſa ſanguinea corrumpatur, quo in caſu febris eò major, malignior & periculoſior, quò putrefactio vehementior & intenſior, ut infrà patebit.

DIFFICULTAS X.

An & quomodo putredo ſanguinis & humorum ſit cauſa febrium ſtatuenda.

AN malignitas vel venenum, quod reperitur in febribus malignis, ita oriatur à putrefactione ſanguinis & humorum, ut ab ea in eſſe, fieri & conſervari dependeat, infrà dicetur; Hic de modo quæritur, quò nimirùm dependeant febres à putrefactione, an ut à cauſa producente & conſervante, an ut à conditione, &c.

SUPPONO, putrefactionem vel ſumi pro actione, qua tenditur in rei putreſcentis interitum, vel pro re putri, vel pro forma qua res dicitur putrida, vel denique pro mutatione & interitu caloris naturalis qui eſt in ſanguine rebuſque putreſcibilibus.

Adverte, multa eſſe quæ ad generationem febris concurrunt, ut alibi patet: Nam ſunt alia quæ per ſe & directè, alia quæ per accidens & indirectè, alia quæ proximè vel remotè, alia quæ in genere cauſæ vel efficientis vel materialis, vel in ratione conditionis ſine qua non &c. concurrunt; Ei ſic ad febrem putridam excitandam eſt imprimis agens remotum extrinſecum, ut Solis æſtus, motus, frigus circumſtans, potus & cibus vitioſus, &c. Deinde eſt conſtrictio pororum & prohibita tranſpiratio, quæ eſt cauſa per accidens & indirecta; accedit putrefactio humorum & ſanguinis à calore ambiente, qui rarefacit, laxat, ſolvitque nexum temperamenti in materia putreſcibili. Tandem eſt calor quidam præternaturalis qui à reputri ſive cum vapore putrido per varios meatus in ipſam ſubſtantiam cordis fertur, ibique calorem vitalem intendendo febrem gignit. His poſitis

DICO 1. Si putrefactio ſumatur pro actione ſeu viâ quâ tenditur in ſanguinis interitum, eſt in febribus putridis, ſive in ordine ad has ipſas una ex cauſis proximioribus efficientibus, in ſimplicibus autem & quæ ſunt ſine putredine febris ipſa formalis. Probatur primum, quia putrefactio hoc modo ſumpta eſt proxima diſpoſitio ad putredinis formam, ergo cauſa proxima ad febrem. Probatur ſecundum, quia putrefactio hæc eſt accenſio ſanguinis & humorum tam in corde quam in reliquo corpore; ſed hæc eſt febris formalis, ergo & illa.

DICO 2. Si putrefactio ſumatur in concreto pro re putri, verum eſt, quod tam in genere cauſæ efficientis quàm materialis concurrat ad producendam febrem. Ratio prioris eſt, quia hoc modo ſumpta effundit è loco putrido vaporem præternaturaliter calidum & in corde pro formanda febre ſuccendendum; Nam continet calorem præternaturaliter immutatum, qui in corde, intrà cujus ſubſtantiam effertur, veram febris formam induit. Secundum ex ſe manifeſtum eſt, quia materia putris intrà venas concluſa eſt ſola, quæ febrem fovet & per continuos halitus putrilaginoſos cordi communicandos conſervat, ut patet ex iis, quæ de febrium cauſis dicta ſunt & paſſim apud Medicos habentur.

DICO 3. Si putredo accipiatur pro forma qua res dicitur putrida, ſimiliter concurrit efficienter quocunque tandem modo ad generationem febris; Ratio eſt, quia ſic conſtituit temperamentum non tam ſanguinis & humorum quàm partium corporis præter-

aliquando non dependet à putrefactione. Respondeo primò, etiam primis diebus adfuisse malignitatem sed non cum tanta efficacia viribus adhuc constantibus. Secundò, etiam primis diebus non existere tantam putredinem, proinde crescere & augeri paulatim unam cum altera.

Malignitas producitur à generatione & emanat à putrefactione.

DICO 3. Malignitas ita dependet à putrefactione ut procedat ab ea per emanationem, producatur autem à Generante, id est, ab eodem agente, à quo producitur putrefactio, per actionem physicam. In hac conclusione duo continentur; primum est, quod malignitas producatur ab Agente naturali per actionem physicam. Secundum verò quod à putrefactione procedat per emanationem. Jam probatur primum, quia maligna qualitas est effectus realis & physicus, ergo Agenti reali & physico debetur, a quo per actionem realem producatur; Deinde simul producitur cum ipsa putrefactione; sed hæc producitur ab Agente reali, ergo & illa, & quidem ab eodem, cujus rei maximum argumentum est, quod ambæ magis magisque sensim augeantur, tum quod una ab altera procedat per emanationem, quæ probatur; Nam positâ certâ putrefactionis formâ ponitur malignitas; sed non ponitur per actionem physicam ipsius putrefactionis, quâ in producenda malignitate omninò caret; ergo per emanationem sive resultantiam, quia putrefactio est forma quam produxit agens naturale v. g. calor ambiens, & cum hac forma resultat simul licet naturâ posterius malignitas, non secus atque in aliis formis substantialibus, a quibus in eodem subjecto per emanationem fluunt potentiæ, virtutes & proprietates: Et hoc tam in malignitate quæ inti à corpus à certis & intrinsecis dispositionibus, quam quæ per contagium extrinsecus accedit, quæq; tam in corde quàm in venis primum gignitur, verum esse hinc liquet, quia idem utrobique observatur modus mutatis & variatis solùm agentibus: Nam in eâ malignitate quæ per contactum gignitur, agens est vapor malignus qui rationem calidi ambientis obtinet, in altera verò est vel aliquis Astrorum influxus; vel qualitas cibi & potus vitiosa, vel fuligines adustæ & reclusæ, vel quippiam aliud, quod in genere causæ efficientis concurrit ad gignendam putrefactionem & malignitatem.

DICES 1. Si ex putrefactione simpliciter penderet malignitas, sequeretur, quod omnes febres putridæ essent malignæ, quod tamen falsum est. Resp. neg. assumptum, quia malignitas non oritur à quavis Putrefactione, sed à speciali ejusq; certo gradu, qui gradus an remissior sit, an intensior, an præter putrefactionem aliquid peculiare accedat, & à quo demum agens ad producendam eam malignitatem determinetur, infrà videbitur.

DICES 2. Febris putrida simplex & febris putrida maligna habent diversos effectus differuntq; specie, ergo oriuntur à diversis principiis, ergo una earum non orietur à putrefactione. Resp. neg. ultimam consequentiam, quia producitur utraque ab eodem quidem Agente, sed juxtà ejus vel majorem vel minorem efficaciam & intensionem; Deinde ad malignitatem alia & plura agentia concurrunt quam ad febrem, &c.

DICES 3. Datur malignitas absque febre v. g. in peste ideóque sine putrefactione; ergo falsum est, quod ab hac illa dependeat. Resp. hic esse sermonem de malignitate quæ est cum febribus putridis conjuncta: Deinde etiam in peste quæ est absque febre, malignitas inhæret corruptis vaporibus extrinsecus advenientibus & spiritibus, qui rationem putredinis obtinent.

DICES 4. Hinc sequitur ex quavis mixtorum corruptione brutorumq; animantium putrefactione suboriri posse malignitatem: Resp. si specialis sit putrefactio, cujus formam sequatur ejusmodi malignitas, nihil esse absurdi, ut patet in aere, aquis stagnantibus, cadaveribus, aliisq; magnis rerum & mixtorum, quæ abundant humido, putrefactionibus; Nam constat utplurimum has insignes comitari malignitates, quæ suas in hominibus, bobus, porcis, equis, ovibus, &c. mortalitates invehant & pestes; Contra tamen; si putrefactio ita sit constituta, ut ad malignitatem nullum dicat ordinem & respectum, quia non ex quavis putrefactione resultat malignitas, sed ex illa tantum cui tanquam sua perfectio & proprietas debetur: Deinde incertum est, nunquid cum quovis corpore putrilaginoso jungatur ejusmodi venenosa vel maligna qualitas, quæ in homine vel certo brutorum genere possit excitare mortalitatem, si tamen præexistant in sanguine & humoribus ejusmodi dispositiones, ex quibus invehi; possint faciles putredines & malignitates; Nam sicut requiritur certa corporis & sanguinis dispositio ad putrefactionem: Ita e iam certa & specialis putrefactio ad malignitatem. &c. Sed à quanam putrefactione pendet malignitas, an à summa, infima, media, & an à summa calor summus, à media medius; ab infima infimus & mitissimus? Hoc utrumque in sequentibus dicetur.

Colligitur autem, ideò emanare malignitatem è putrefactione, quod in eodem supposito vel subjecto, putri scilicet, simul cum ea producatur; ita tamen ut naturâ sit posterior, dicatque ordinem & respectum ad eam tanquam ad suam formam & perfectionem; Nam quæ contrà per actionem physicam producuntur, dicunt distantiam Agentis & passi, & prioritatem non tantum naturæ, sed & temporis: Utrumque patet in productione animæ & ejus potentiarum; ubi utræque

dicuntur ab Agente per actionem physicam produci, ipsæ autem à se emanare, quia Agens productivum animæ & potentiarum distat à passo in quo producit animam & ejus passiones, hæ verò ab illa emanant, quia oriuntur in eodem subjecto & supponunt illam tanquam suam perfectionem idcòque prius natura existentem: Et eadem res est cum Agente naturali quod positivè producit putredinem & malignitatem à se mutuò emanantes.

DIFFICULTAS XII.

Qualis sit ea putrefactio à qua resultat malignitas.

DICO 1. Putrefactio quomodocunque sumatur, suscipit magis & minus, adeòque aliquando est intensior & aliquando remissior. Probatur primò, putrefactio est qualitas quæ afficit subjectum suum, v. g. sanguinem & humores sicut albedo parietem; sed hæc suscipit magis & minus, ergo & illa. Secundò, putrefactio est interitus caloris naturalis; seu hic successivus est, ergo. Nam in omni putrefactione perfecta est quidem totalis dissolutio humidi à sicco & calidi à frigido, in imperfecta autem est tantùm via & tendentia ad priorem. Tertiò, Hæc est natura putrefactionis, quod procedat per continuam alterationem, donec mistum dissolvat & in materias elementares dissipet, ergo. Denique sumitur ratio ex naturali graveolentia & fœtore, quorum utrumque opponitur suaveolentiæ: Nam sicut suavis odor generatur, quando humidum cum sicco benè permiscetur ut apparet in pomis jam maturis; Ita naturalis graveolentia, quæ est quasi primus gradus putrefactionis, oritur ex quadam quasi cruditate & humoribus non benè determinatis, fœtor autem qui est finis quasi & terminus putrefactionis, ex totali separatione humidi à sicco.

DICES corruptio non suscipit magis & minus: sed putrefactio est corruptio, ergo nec putrefactio suscipit magis & minus. Resp. corruptionem & putrefactionem quæ interitu definiuntur, aliquando sumi pro forma & termino ultimo rei, quæ putrescit & corrumpitur, aliquando pro via & tendentia in illum terminum: primo modo nec corruptio nec putrefactio suscipit magis & minus, quia pro termino interitum habent, à quo regredi non licet: secundo modo designatur motus alterativus qua itur in ultimam putrefactionem & interitum. Deinde putrefactio absolutè sumitur pro alteratione qua calor naturalis paulatim intenditur, factâque dissolutione cum cæteris qualitatibus quibus mistum in esse misti conservabatur, illud deserunt: Et hæc naturalis temperamenti sive complexionis alteratio & dissolutio vocatur corruptio & interitus.

DICO 2. Malignitas non sequitur quamcunque humorum & sanguinis in corpore vivente corruptionem. Conclusio hæc desumitur à sola experientia, qua videmus multas dari febres putridas sive continuas sive intermittentes absque ullo signo malignitatis, ergo non ad quamcunque putrefactionem resultat malignitas, ergo aliud quippiam erit, quod putrefactioni superaddatur, & quod faciat resultare malignitatem; sed quodnam illud? Respondeo &

DICO 3. Malignitas in febribus oritur à putrefactione per emanationem, ut ab ea, quæ est via & tendentia in hanc. Ita sentiunt multi ex Medicis contra Sennertum citatum, & probatur primò, malignitas semper dependet à putrefactione, ergo ab ea quæ levior est vel quæ summa; sed non dependet à putrefactione, ergo a secunda. Utraque propositio vera est, & patet ex dictis; Nunquam enim reperitur malignitas in homine nisi cum putrefactione vel sanguinis ut in febribus, vel humorum excrementalium, ut in dysenteria, vel cum corruptione viscerum. Deinde in putrefactione simplici semper quasi abest malignitas, ut patet in febribus intermittentibus vel continuis putridis, nisi tamen illa simplex sanguinis corruptio sit tendentia in summam, ut fieri solet in omnibus febribus malignis, ubi primis diebus levior est corruptio tum paulatim summa & putrilaginosa. Probatur secundò: In magnis variorum corporũ & cadaverum corruptionibus, uti fieri solet in diuturnis urbium oppugnationibus, castrorum metationibus, provinciarum devastationibus, &c. plerumque contrahuntur febres malignæ non alia de causa, quam quia in hominibus contrahitur magna sanguinis & humorum corruptio, ergo probabilissimum est, malignitatem in febribus oriri à summa humorum putrefactione, ad quam disponunt passiones mentis & timor, tristitia, annona, vitiosi cibi, &c. Et confirmatur, quia videmus semper in febribus malignis maximam esse humorum corruptionem, ut etiam ad bonum statum reduci omninò non possint, sed in prima principia diffluant, quod colligimus ex copiosis sudoribus, crassissimis urinis, fœtidissimis excrementis, maculis in cute prominentibus, &c. ergo verum est quod malignitas pendet ab excellenti putrefactione. Et accedit ratio desumpta à peste, quæ nunquam vel rarissimè tempore vernali incipit, sed semper in ipsis caloribus & autumno, ubi potissimum furit, hyeme verò cessat, nullam aliam ob causam, quam quia calor naturalis iis temporibus maximè debilitetur, & corpora sint putrefactionibus obnoxia, quod utrumque de hyeme & Vere dici non potest.

Malignitas emanat à putrefactione magna.

DICES 1. Malignitas aliquando pendet ab alia

ab alia malignitatē, ergo non à putrefactione summa. Resp. neg. consequentiam, quia malignitas illa quæ est productiva alterius, ut fit in contagione, pendet à summa & putrilaginosa corruptione alicujus halitus vel vaporis, qui corripit alterum.

DICES 2. Reperiuntur febres, quæ vel sunt absque putrefactione vel saltem cum levi & exigua, & tamen sunt malignæ, ut patet in ephemeris intermittentibus & catarrosis, ergo falsum est quod malignitas oriatur à summa putrefactione. Resp. primò, falsum esse quod febres Ephemeræ per se sint malignæ, quia sunt tantum cum effervescentia spirituum vitalium: Quodsi itaque conjuncta sit malignitas, illa est ex aeris peculiari & maligna constitutione, qualis sæpè solet producere morbos Epidemicos, id est, contagiosos & malignos, plùs minus, breves, longos. Secundò, febres catarrhales aliquando esse contagiosas ex simili constitutione corporum & aeris, vix autem malignas, nisi tamen, quod sæpè contingit, transeant à symptomaticis in essentiales, vel complicentur iis catarrhi veluti effectus, quia sicut catarrhi febres subsequi ita & præcedere possunt. Resp. tertiò, multis incertum esse, an dentur febres intermittentes cum malignitate, quia insignes sunt multorum annorum practici, qui testantur nunquam se tales longo usu & experientia observasse; Quodsi tamen simile quippiam accidat, dicendum est, in ejusmodi corporibus latere vitiosos & sordidos humores, à quibus tempore paroxysmi malignus halitus elevetur & vitalia molestet.

Non dantur febres intermittentes malignæ

DICES 3. Sæpè primis diebus adesse magnam in febribus malignitatem, ubi tamen non potest adesse summa putrefactio, ergo falsum est malignitatem pendere à summa putrefactione. Resp. neg. antec. quia etiam spatio unius aut alterius diei possunt humores ad summam putrefactionem inflecti, præsertim si corpora plena sint vitiosis humoribus, quemadmodum hoc observamus in magnis mortalitatibus, ubi omnia penè sublunaria iis laborant qualitatibus, quæ ad corruptionem disponant; Quod itaque primo statim & secundo die insignis adesse possit putrefactio, patet in maculis, carbunculis, bubonibus, &c. qui frequenter maturè, sed & ante febris invasionem propter vitiosam corporis constitutionem apparent. Deinde necessum non est, ut in omni malignitate adsit de facto summa putrefactio, quia frequenter contagio extrinsecus haustum venenum interimit hominem non expectatâ, sanguinis & humorum putrefactione, si præsertim sit potens venenum, & status sive conditio hominis delicatior, aut si immediatè vitalia penetret.

DICES 4. In peste quæ est sine febre, adest summa malignitas absque putrefactione, ergo falsum est, malignitatem emanare à summa putrefactione; Resp. sufficere, quod malignitas sit in habitu putrilaginoso qui extrinsecus accessit & vitalia corripuit, à quo etiam malignitas prodiit.

DICES 5. Quamvis putrefactio potest esse via & tendentia in summam, ergo in qualibet putrefactione est malignitas contrà experientiam. Resp. neg. antec, quia sicut non quævis forma est subordinata alteri superiori, sed ipsa est sui corporis & subjecti quod informat, perfectio; Ita etiam gradus inferior putrefactionis ita afficit sanguinem & humores in febribus simplicioribus, ut sub majori & superiori non possit ob ipsam sanguinis dispositionem & virtutis corporeæ resistentiam; Quamvis enim quilibet sanguis possit ex se ad supremum putrefactionis gradum ascendere, impedimento tamen frequenter est ipsa virtus corporis, quæ semper conatur tueri suppositum, & moderata qualitatum harmonia, quæ non nisi à validissimis injuriis ad summam inflectuntur corruptionem, saltem in ordine ad totum subjectum. Nam ut *advertendum est*, non consistit tantum sum̃a putrefactio in extrema dissolutione qualitatum à suo misto, sed etiam in corruptione quæ dicit ordinem ad totum, cum aliàs eadem esse possit putrefactio in certis particulis sanguinis, quæ est in toto.

DICES 6. In peste est major malignitas quam in reliquis febribus malignis, non autem major putrefactio, ergo falsum est, quod summa malignitas pendeat à summa putrefactione; major patet, quia apparet sæpè pestis primo statim die, imò antequam febris affligat adeòque ante putrefactionem. Resp. neg. simpliciter antecedens, quia potest esse summa putrefactio in seminio vel fomite, &c. ergo intra vitalia producitur pestis, vel certè in quibusdam sanguinis & humorum particulis, unde spiritus vitales in totum corrumpantur, atque ita potest aliquando putrefactio in febribus malignis extensivè major esse, intensivè autem semper in pestilentialibus, licet in quibusdam tantum particulis existat.

DICES 7. Si magna rerum putrefactio causaret malignitatem vel pestem, ergo quælibet cadavera putrilaginosa, aquæ stagnantes, &c. id facerent contra experientiam. R. concedendo id fieri posse, si corpora humana sint ad pestem recipiendam disposita, & corpora putrilaginosa multa, quæ pro magno inquinamento excitando sufficiant.

DIFFICULTAS XIII.

An cum summa humorum putrefactione sit etiam summus calor, & quomodo sic intendatur.

SEnsus difficultatis est, an quò major est sanguinis & humorum putrefactio, eò etiam intensior sit calor febrilis, ita ut hujus intensio & remissio pendeat à Putrefactione: Et

cum

cum hac quæstione conjungitur illa, an videlicet calor præternaturalis sit prior putrefactione, quia videtur & causa ipsius esse & simul cum illa perire.

NOTA, in putrefactione plures reperiri calores, qui tamen sint ejusdem speciei; Nam primus est qui in definitione putredinis dicitur ambientis, secundus est naturalis subjecti putrescibilis qui in igneum mutatur, & tertius denique præternaturalis qui unà cum putredine producitur; his positis

DICO 1. Putrefactio semper est cum excessu caloris; Ratio, quia ut mistum putrescat, requiritur ut calor ambiens, qui nativum rei mistæ intendat faciatque præternaturalem, ergo de natura putrefactionis est habere calorem excedentem. Et hinc

DICO 2. In putrefactione semper intenditur calor naturalis. Ratio desumitur ex natura putrefactionis, qua perit calor naturalis, id est, mutatur in igneum, adeòque sub hac ratione qua naturalis est, perit, fitque præternaturalis.

DICO 3. Calor ambiens est prior putrefactione. Ratio, quia est verum principium à quo putrefactio producitur, ergo prioritate tam naturæ quàm temporis hanc antecedit: De calore naturali nulla est difficultas, quia huic omnium primò intenditur actio antequam mistum putrescat.

DICO 4. Calor qui ex naturali in præternaturalem immutatur simul quidem cum putrefactione producitur, nihilominus tamen natura prior est; patet ex natura putrefactionis & modo quo cuncta putrescunt; Nam nihil putrescit nisi dissolutu prius nexu inter frigidum & calidum, siccum & humidum, ergo calor ille tanquam prior naturâ supponitur: sed an ad intensionem caloris intendatur etiam putrefactio, ideòque cum pauco vel multo calore sit levis vel exigua putrefactio, & contra cum primo gradu putrefactionis primus gradus caloris, cum media medius, cum summa summus, dubium est. Respondeo tamen &

DICO 5. Quamvis cum caloris augmento crescat etiam putrefactio, nihilominus tamen nec ex summo calore summa colligitur putrefactio, nec ex summa putrefactione summus calor. Hoc ultimum probatur primò, putrefactio ex se non dicit mutationem caloris naturalis in igneum, ergo ex se non conjungitur necessariò cum calore excedente: Prob. antec. quia putrefactio ex se tantum dicit interitum caloris sive corruptionem & dissolutionem illius nexus qui est inter calidum, frigidum, humidum & siccum, sive ille interitus caloris naturalis sit intensio, quod per accidens, videl. ex retentis halitibus calidis & adustis fieri potest, sive evaporatio & evanescentia, ergo non mutationem in igneum. 2. Illa est summa putrefactio, ubi est totalis dissolutio primarum qualitatum in mixto & resolutio substantiarum elementorum; sed in tali corruptione non est ab-

Non est summus calor ubi summa putrefactio.

solutè necessarius calor summus, ergo ubi est summa putrefactio, non est necessarius summus calor. Et confirmatur exemplo putrefactionis in cadavere v.g. ubi omnia fœtore nauseant & vermibus plena sunt; Nam in hac putrilaginosa materia calor naturalis evanuit, nec alius præternaturalis reperitur, qui necessariò hoc putridum subjectum informet; & hoc idem intellige fieri in tuberculis, tumoribus & quibusvis abscessibus corporis humani; ubi vix caloris præternaturalis vestigium est, quando putrefactio in summo est, quod idem exemplū probat secundam partem conclusionis; Nam ad initiū quando putrefactio est in fieri, dolor & calor summus est secundum illud, dum pus fit, dolor est, quia videl. calor naturalis mutatur ab ambiente in igneum; ubi verò ab hujusmodi calore præternaturali dissoluta est temperies primarum qualitatum, tota corrumpitur substantia omneque calidum evanescit: Et confirmatur hoc, quia ad initium febriū putridarum calor est vehementissimus & putredo tantum in via, circà finem autem calor tepidior & putredo summa, quia corrupti sunt humores secundū totū, omnisq; calor conservans unà cum corrumpente disparuit. Cæterùm quomodo calor in sanguine v.g. humoribus, &c. intendatur, id patet ex dictis, videl. per rarefactionem & attritionem partium occlusarum.

DICES 1. In statu febrium est putredo summa & calor summus, quod colligitur ex debilitate virium, pulsus celeritate, ingenti dolore capitis, scabritie & nigredine linguæ, ergo. Resp. neg. simpliciter antecedens, quia esto sit summa putredo in statu, non est tamen calor summus nisi fortè per accidens ex retentione & collectione adustorum vaporum: Debilitas virium oritur ex magnitudine morbi, qui jam omne robur corporis fregit; celeritas pulsus est ex debilitate potentiæ vitalis, dolor capitis etiam est ad initium ex corruptis humoribus acerrimis, scabrities & nigredo linguæ est ex assumpto per calorē humido, tum ex ingenti copia exhalationū, quæ à materia putrilaginosa sursum feruntur.

DICES 2. Coṁunem esse opinionem Medicorū, quod ex intenso calore intensam quoq; putrefactionem judicent. Rc. eos vel malè sentire vel putrefactionem in fieri intelligere, vel certè ex communi modo loquendi ita judicare: Hoc confirmant febres tertianæ intermittētes, & aliæ biliosæ, in quibus certè calor summus est, non autem summa putrefactio.

DICES 3. Cum putrefactione necessariò jungitur calor, ergo cum summa putrefactione summus calor. Rc. concedendo antecedens negatur cōsequentia, quia necessariò est cum putrefactione calor aliqui præternaturalis in quocunq; gradu, verum est, qui intensione respondeat putrefactioni, falsum. Et ex dictis

Colligitur, quare aliquando insignis calor cum exigua putrefactione, & contrà conjungatur, videl. id fieri propter retentionem vel evaporationem spirituū calidissimorū & fuliginum adustarum: Nam in quo corpore fit evapo-

ratio

ratio magna v.g. in cadaveribus aëri expositis, in pomis, piris, &c. totus calor in auras evolat & perit deseritque corpus putrilaginosum frigidum: Ubi verò impeditur transpiratio, fit incensio & intensio, de qua utrâque alibi.

DIFFICULTAS XIV.

In quibus conveniant & discrepent putrefactio humorum & accensio.

SUPPONO primò, utramque pro subjecto habere non tam partes animatas, ut totum corpus omniaque ipsius viscera, quàm inanimatas, ut spiritus, sanguinem & humores tam nutritios quàm excrementitios. Secundò, per putrefactionem ita dissolvi mistum, ut deperditâ formâ priori novam suscipiat, vel in principia ex quibus coalitum, denuò abeat; per alterationem verò tantum fieri mutationem in qualitatibus, & manere mistum idem numero quod prius, tantum fieri calidum quod prius erat frigidum, & sic de cæteris.

DICO 1. Putrefactio convenit cum accensione vel intensione primò in hoc, quia per utramque alteratur corpus & infringitur sanitas, nisi tamen accidant in parte ignobili aut exigua, ut patet in levi abscessu vel tuberculo digiti, &c. Secundò, ambæ fieri possunt ab iisdem causis v.g. ab aere & Sole, ab exercitiis, à medicamentis fortibus, à calido cibo & potu, à passionibus animi, à cutis densatione & prohibita eventatione, &c. Nam ab omnibus hujusmodi causis producitur calor quidam præternaturalis intrà corporis meatus & viscera, qui deinde naturalem intendat aliquando absque subsequente putrefactione ut patet in febre diaria & synocho non putri, in quibus solum spiritus & humores inflammantur, aliquando autem cum successiva corruptione, ut patet in febribus putridis, in quibus humores factâ primum accensione paulatim in putrem quandam substantiam, fimum & cineres transmutantur. Tertio, ab utraque non solum febres calidæ accenduntur, deduciturque corpus à statu sano in morbosum, sed etiam non rarò comitantur eadem symptomata, ut dolor capitis, sitis, virium dejectio, &c. Quartò, in utrâque calor præcipuum est agens in eâdem etiam specie & intensionis gradu constitutum; Nam putrefactionis causa immediata est calor ambiens, qui primò mistum accendit, tum dissolvit & corrumpit; similiter in febribus ephemeris aliisque sanguinis & humorum inflammationibus proxima & immediata causa est calor extrinsecus qui internum & naturalem intendit. Quintò, utraque calorem habet vel in gradu summo vel in eo, qui viventi sit præternaturalis, ut manifestum est.

DICO 2. Differunt in hoc putrefactio humorum & accensio primò, quia prior est actio seu qualitas nova secundum se tota producta caretque contrario; posteriori verò solùm fit intensius quod prius erat remissius, videlicet calor, qui remissè præextitit, quique est qualitas à priori toto genere & specie distincta. Secundò, in putrefactione destruitur & dissolvitur mixtum, quia non manet amplius nexus ille humidi cum sicco, & frigidi cum calido; In accensione verò nihil in mixto immutatur, sed solum intenditur calor, qui cum recedit, in integrum restituitur mixtum. Tertiò, putrefactio sanguinis & humorum sæpè tendit ad interitum hominis, estque multis diebus durabilis, accensio verò licet hominem vehementer affligat, plerumque tamen salubris est, & vix diem unum alterumve permanet, nisi fit per consensum, ut fit in febribus symptomaticis ex vulneribus, tumoribus calidis, abscessibus, partium externarum magnis inflammationibus. Quarto, putrefactio facit ut sanguis & humores non possint ad eum statum reduci, in quo fiant alimentum corporis saltem secundum eas partes, quæ putrescunt; accensio verò non impedit eam nutritionem, quia etiam dum accensi sunt, nutrire possunt, ut patet in febre diaria, aliisque totius massæ sanguineæ caliditatibus, in quibus corpus ab eodem sanguine & humoribus nutritur: plures differentias quisque sibi excogitet.

DIFFICULTAS XV.

Quanto tempore duret putrefactio sanguinis & humorum in febribus, & ex quibus causis.

RAtio difficultatis est, quia plerunque febres continuæ putridæ solvuntur die 14. vel 20. & 21. quem terminum nunquam excedunt, nisi mutentur in morbos chronicos vel longos qui per menses judicantur: Et hinc instituitur quæstio, an toto hoc tempore duret putrefactio, & quæ durationis causa; dubitandi occasio est, quia mixta non observant certum putrescendi tempus, sed aliquando citius, aliquando tardius putrescunt & corrumpuntur.

SUPPONO, febres in quibus fiunt putrefactiones sanguinis & humorum, vel esse intermittentes vel continuas, & in his omnibus vel putrescere sanguinem & humores secundum se totos vel secundum aliquas particulas. Jam

DICO 1. Si mixta, ut ligna, fructus, carnes, cadavera, sanguis & humores secundum se præcisè spectentur, non observant semper idem tempus, intrà cujus spatium & terminum putrescant putrefactione perfecta & totali: Ratio tota desumitur à diversis dispositionibus mixtorum, tum à causis corrumpentibus. Nam quædam mixta sunt valdè humida, mollia, calida, rara, dulcia; alia frigida, sicca, solida, densa, viscosa, lenta, austera, acerba,

acerba, &c. similiter vel tempus est frigidum & siccum, vel humidum & calidum, id est, vernum, æstivum, hyemale, adeòque calor ambiens, qui putrefactionis agens principale est, intensus & calidus, aut blandus & mitis, &c. quæ omnia variant & tempus & modum putrefactionis.

DICO 2. Putrefactio sanguinis & humorum in febribus continuis putridis extendit se ad diem 14. vel 20. & 21. longius autem in intermittentibus. Desumitur hæc conclusio ab experientia, qua videmus omnes qui febribus acutis affliguntur, intrà hoc tempus aut mori aut salvari, tum ab ipsis diebus criticis, ideòque probatur hunc in modum; eòusque extenditur putrefactio sanguinis & humorum, quousque fiunt crises; sed hæ fiunt decimo quarto, rarius vigesimo aut vigesimo primo, ergò: minor hæc patebit infrà disput. de crisi diebusque criticis: major probatur, quia tunc fit crisis perfecta, quando humores perfectè sunt concocti, id est, putrefacti, & ab eo quod in venis utile, separati, ergo si constat crisin extendere se usque in diem vigesimum primum, etiam constabit hic terminus de putrefactione: Et confirmat hoc calor febrilis & præternaturalis, qui hoc termino præscribitur, ergo & putrefactio quæ in febribus putridis perpetuus est comes caloris. De intermittentibus nulla difficultas est, quia cum acutæ non sint, non terminantur criticè, nec numerantur per septimanas sed per menses etiam ad quos se extendunt, quæ terminantur ad salutem.

DICO 3. In febribus putridis continuis non absolvitur sanguinis & humorum putrefactio ante diem decimum quartum. Ratio est, quia ante hunc diem nec calor præternaturalis finitur, nec lucta illa quæ morbum inter & naturam hominis periculo plena est, accidit, ergo nec putrefactio: Deinde sicut sanguini & humoribus à natura terminus præscriptus est, ut intrà dies 20. vel 21. in febribus putridis corrumpantur, ita quoque ab eâdem causa id habent, ut ante diem decimum quartum perfectè non coquantur, fiantque ad salutarem exclusionem habiles. Dixi primò in febribus putridis continuis, ad differentiam intermittentium, quæ ex causis infrà dicendis longius sese extendunt. Dixi secundò, quæ ad salutem terminantur & perfectè judicantur, quia in multis febribus quæ acutissimæ sunt & mortales, corruptio fit frequenter intrà primum septenarium, ut ex sequentibus patebit.

Adverte, quando dicitur, sanguinem & humores putrescere primùm intrà spatium 14. dierum, non esse sensum, quod quævis minima particula hunc terminum requirat, quia hoc falsum est, sed quod sanguis totus sive massa sanguinea intrà hoc tempus secundum eas partes, quæ ita corruptioni subjacent, & quas natura conservare non potest, corrumpantur, sed quodnam agens hunc terminum præscribit? Resp. ipsam materiæ putrescentis habilitatem, & naturam particularem febrientis. Jam si

DICAS 1. Fiunt crises die septimo ut certum est apud Medicos, & expellitur per sudorem, alvum, urinam, &c. id, quod calore victum & concoctum est, scil. humores putrefacti, ergò falsum est quod putrefactio primum vel ipso die 14. vel post hunc absolvatur. Resp. quando dicitur, sanguinis & humorum putrefactionem non fieri ante diem decimum quartum, non esse sensum, quasi nihil ex materia febrili ante hoc tempus putrefiat putrefactione perfecta, sed quod intrà hoc tempus tota substantia quæ intrà venas putrescit & à qua dependet febris, non perfectè coquatur, integrè corrumpatur, & criticè expurgetur: Unde licet dies septimus verè sit criticus, non tamen universalis est, quia non expellitur tota materia, quæ febrem facit & fovet, sed ea tantum quæ corrupta fuit & à reliquo laudabili sanguine separata; Itaque singulis diebus aliquid corrumpitur integrè, sed non tota & integra substantia sive materia febrilis, prout intelligendum est quando dicitur putrefactionem non absolvi ante diem decimum quartum. Hic *Adverte*, quando dicitur, sanguinem & humores alimentales intra venas pro gignendis febribus putrescere & in continuis periodum ad diem 14. vel 20. extendere, non intelligi hoc de eadem parte sanguinis & humorum, quia id falsum esse patet ex febribus intermittentibus, quarum materia citius putrescit & discutitur, sed de toto sanguine venarum, qui secundum partes interiores toto febrium decursu in putrefactionem incumbit certisque diebus determinatur, de quo dum rationem dare sit difficile, vide quid infrà Fernelius statuat.

DICES 2. Sæpè desinere febres acutissimas 3. 4. aut 5. die ideò, quia definit putrefactio, ergò hæc perficitur ante diem decimum quartum. Resp. hujusmodi febres, quæ cessant intrà paucos dies ad salutem, nunquam esse putridas, sed tantum eum accensione sanguinis, unde etiam facilè seclusis vaporibus adustis per apertos meatus & poros corporis evanescunt; vel certè si in his febribus sit vera humorum corruptio, ii excrementitii sunt & extrà vasa, unde etiam facilè communicatâ solùm sanguini inflammatione per naturam expelluntur.

DICES 3. In febribus acutissimis pereunt homines non rarò primis 4. aut 5. diebus, ergò cum perfecta humorum putrefactione. Resp. in his febribus perire quidem ægros cum putrefactione humorum, sed non omnium qui potuissent corrumpi, si morbus ad salutem defisset; Itaque non accidit interitus hic quia omnes humores putrefacti sunt, sed quia morbi magnitudo & malignitas vitalia oppressit, quo in casu sufficit putrilaginosa paucorum etiam humorum corruptio.

DICES 4. Febres pestilentiales aliquando finiuntur primo septenario, ergo omniū humorum putrefactio absolvitur ante diem 14. &c. verum esse quod in febribus pestilentialibus

statur

statim primis diebus fit summa humorum putrefactio. Quod si itaq; cõtingat hujusmodi febres intrà primum septenarium cum salute finiri, id ordinarium non est, & fit per peculiarem ægri naturam, quæ totam malignitatis materiam simul decoxit & expulit; vel certè quod verò simillum inest, non fuit putrefactio in humoribus alimentalibus sed in excrementitiis solum, quos natura validior facilè cum malignitate in spiritibus & vitalibus existente oppressit & exercvit. Nam communiter solent hujusmodi febres cum salute non terminari ante decimum quartum, si reverà pendeant à putrida sanguinis, & si anticipatò non Interimant.

DICES 5. Humorum in venis aliqui sunt calidi, aliqui frigidi, crassi & viscidi, tenues & rari, &c. qui non possunt intrà præfinitum tempus computrescere, ergo aliqui citius, aliqui tardius. Resp. hoc ipsum esse, quod ante decimum quartum non computrescant, sed & aliquando vigesimum attingant. Sed unde determinantur febrium acutarum putrefactiones ad diem decimum quartum communiter vel aliquando ad 20. & 21. Intermittentium verò ad menses & annos, adeòque nunquam ad certum tempus? Respondeo &

Quanto tempore duret putredo in febribus acutis.

DICO 4. Quod in morbis acutis seu febribus continuis putrefactiones ultrà diem 21. non progrediantur, in intermittentibus autem longius & ad incertum tempus extendantur, id in materiæ peccantis dispositionem, in locum ubi materia putrescit, & naturam ægrotantis referendum est. Ita credo sentiunt omnes Medici, quamvis id aliis verbis & sententiis explicent, ut patebit jam ex uno qui sit loco omnium, Fernelio l. 4. de febribus. Quod enim imprimis hæ febres putridæ accendantur, id debetur vitiosæ materiæ constitutioni & putrefactioni; Quod hæc quotuordecim, vel viginti dierum vel etiam mensium & annorum spatio duret, id facit tam materiæ peccantis copia & quantitas per venas corporis dispersa, quam virtus & natura ægrotantis, quæ totam hanc materiam febrilem decoquendo hoc tempus determinat, nisi tamen adsit summa agentis præternaturalis efficacia, quæ materiam summis viribus ad corruptionem confertim inflectat, & producendo fatale virus ægrum ante tempus opprimat. Quod denique putrefactio continuò vel per vices affligat & vitalia molestet, id facit locus, ubi calor ambiens primùm fatales indixit iras, id quod ex iis abundè patet, quæ in describendis febribus dicta fuerunt. Jam ad Fernelium citatum, quæ hæc omnia pulchro discursu & stylo explicat, promptè inquit l. 4. de febribus continuis putridis c. 6. putrescunt humida calidaque corpora, idque ferè cum insitus eorum calor quavis ex causa imminuitur; humor quippe tum vincens & effrenatus, nec caloris vi coercitus è permistione terrenæ substantiæ secedit graveolentiâ ac fœtore comitatus: sic & corporis humores facilè putrescunt, & ex propria in alienam substantiam secedunt, aliàs quidem in venis aut omnibus aut certè majoribus, aliàs in una quapiam particula. In venis arteriisque majoribus febris accenditur continua eò usque perseverans dum humores qui hanc gignunt, vel incendio consumpti sint vel alio quovis modo edomiti. Etenim venarum putredo non facilè restringitur, quod coarctata non liberè perfletur ob loci densitatem, quodque adhæsu apparatos humores inquinet, & continuatione in propinquas, ex hisque in alias venas prorepat transferaturve, nec ante desinat quam quicquid in venis vitiosum est, depopulata sit. Duplex autem est putredinis ratio, alia in omnes aut saltem in maximas venas æquabiliter invadit, alia ex una quapiam initium ducens in cæteras sensim continuatione perreptat. Quæ in venas omnes pariter invadit, licet carum sanguinem, non tamen omnes ejus æquè partes occupet; Cum enim non omninò simplex sit sanguis, sed ex multorum humorum permistione compositus & sero multo perfusus, primam quidem illius portionem invadit quæ putredini magis est obnoxia, ab hac deinde aliam ipsi permistam atque confusam, quæ minus sit vitiosa, hocque modo sensim obrepens simul cum calore augetur & invalescit nec ante desinit quam partes omnes sanguinis putredini obnoxias absumpserit. Hoc perinde accidit atque in ingenti phlegmone, in qua collectus sanguis non statim universus sed ejus pars alia citius alia tardius putrescit, sicque sensim putredo in summum vigorem fertur, sicut & dum ignem accendimus, aridiores primum stipulæ, deinde virgulta, postremò ligni materia suo quæque concremantur ordine. Omnibus quæ putrescere apta fuerant absumptis, putredo calorque febrilis cessat, manet tamen pars sanguinis melior, quæ quoniam minus erat putredini obnoxia, huic inviolata resistit, &c. Altera putredinis ratio est quæ non in omnes pariter venas sed ab una quapiam continuatione in cæteras in earumq; sanguinem & humores irrumpit; obtingit hæc, cum putrefaciens causa uni sit quam alteri venæ propinquior, aut cum sanguis non in omnibus æquè venis sui similis habetur; Nam in qua magis ad putredinis conditionem accedit, in ea primùm labe tentatur, dein verò in iis quæ ordine succedunt; nec ante serpere ea putredo febrisque desinet, quam omnes sensim venas pervagata, quicquid in his putredini obnoxium absorbierit. Atque his rationibus putret sanguis in continuis omnibus, ita tamen, ut cujus ille est naturæ, ita etiam consentaneum febris continuæ genus accendat, tertianam quidem cõtinuam si bilis flava quæ in sanguine est, quotidianam si pituta, & quartanam si melancholia putrescat; hæc & alia de putrefactione in febribus continuis. De intermittentibus autem vide quid libro cit. c. 9. & 10. scribat.

Ratio putrescentia humorum in febribus.

Corollarii loco.

QUÆRES, an putredo tam facilè in subjecto emendari & expelli possit sicut v. g. calor in aqua & morbus in homine: quæritur autem hoc ideò, quod vulgò æstimetur, febres putri-

das

das facilè posse curari. Resp. si putredo sumatur pro re putrida seu pro termino putrefactionis, curari cum subjectum resolvitur in cineres & in terram. Si pro via & tendentia ad putrefactionem, emendari potest per modos & remedia Medicis cognita. Si pro interitu naturalis caloris, &c. id est, pro putredine perfecta, incorrigibilis est, quia transiit jam subjectum ad aliam formam, & à privatione ad habitum non datur regressus naturaliter: Quicquid autem emendationis fieri potest, est, ut partes jam corruptæ ab integris separentur, & istæ in suo naturali temperamento conserventur, quod an semper fieri possit, qui experimento hujus rei difficultatem didicere.

DIFFICULTAS XVI.

Quanam præter putrefactionem sint aliæ actiones misti corruptivæ.

Sicut nonnullæ sunt actiones quibus mistum generatur & perficitur ut habetur l. 1. disp. de mistione; Ita sunt aliæ, quæ illud corrumpunt, unde etiam corruptivæ sicut illæ perfectivæ dicuntur. Ex his prima est generatio misti, cui immediatè opponitur putrefactio sive corruptio. 2. Concoctio, quæ sibi contrariam habet incoctionem sive cruditatem. 3. Maturatio, quæ oppositam habet immaturitatem. 4. Elixatio cui opposita est inquinatio. 5. Demum assatio, quæ tostionem habet adversam; sed priusquam de his omnibus aliquid, *Adverte*, putrefactionem & concoctionem non esse eandem actionem: Quamvis enim Medici communiter humores in febribus putridis ante evacuationē concoquendos esse doceant, id tamen in ampla significatione usurpant, nihilque aliud intelligunt, quam humores prius esse alterandos & veluti vitiosos ab integris inutilesq; ab utilibus separandos antequam excernantur, idque non prius fieri cum salute ægri aut emolumento naturæ, quam ubi sufficienter concocti, id est, à sanguine bono separati sunt. Quod autem aliud sit concoctio & aliud putrefactio, patet ex earum definitionibus, & quod altera tendat ad generationem misti, altera ad corruptionem simpliciter, ut in cibo & humoribus iis qui concoquendi sunt, ostenditur, dum à calore naturali ad perfectiorem formam disponuntur, humidoque cum sicco & frigidum cum calido perfectè commiscetur, putrescere verò dum contra à calore præternaturali nexus ille dissolvitur, peritque forma misti. His positis

Incoctio quid. DICO 1. Incoctio, quæ post putrefactionem est prima ex actionibus corruptivis, dicitur imperfectio oppositorum passivorum propter indigentiam propriæ caliditatis Ita Arist. 4. meteor. c. 3. sensusque definitionis est, quod incoctio sive cruditas resultet, quando humidum cum sicco propter defectum caloris malè permiscetur. Hic defectus caloris fit subinde per nimium humorem ut fit cum nimius potus destruit vel impedit bonam ventriculi digestionem; subinde per nimiam siccitatem vel nimium calorem, sed per accidens, quando videl. nimium stringit & exiccat partes extrinsecas, ut non possit deinde agere in profundum propter densitatem & arctationem pororum; sic calor stomachi malè digerit cibos nimium siccos & solidos, præsertim in delicatulis, otiosis, convalescentibus, &c. sic in artificiali coctione dum carnes negligentius torrentur, extrà fiunt adustæ & siccissimæ; intus autem manent crudæ & incoctæ. Hujus Incoctionis 3. sunt species, cruditas, inquinatio, tostio; prima opponitur maturationi, secunda elixationi, tertia assationi.

Cruditas. DICO 2. Immaturitas vel cruditas est incoctio alimenti illius quod est circà fructum; Ita Arist. cit Dicitur alimenti, per quod nihil aliud intelligitur quam humiditas interminata, hoc est, malè permista & calori permiscenti improportionata; Humida enim ægrè suo continentur termino, sed hinc inde diffluunt, cum è contra facillimè stent sicca & intra suos maneant terminos alienisq; figuris & terminis sese accommodent; Et hinc Aristoteles solet humida vocare interminata, sicca verò terminata. Dicitur deinde quod est circà fructum, quia in fructibus propriè loquendo reperitur immaturitas & cruditas, in cæteris verò usurpatur hoc nomen per translationem; Nam in fructibus primò inest humor tenuis & intemminatus, aëreus vel aqueus vel ex utroque mistus, qui dum talis manet, fructus immaturi manent eousq;, donec ab intrinseco calore virtute Solis extrinsecè adjuto humor ille vincatur partibusque siccis melius permisceatur, atque ita fructus erassescat, suamque consistentiam acquirat; Et hoc idem intellige de humido aqueo & seroso chyli, chymi & sanguinis, sed & de humore catarrhali, qui tam diu crudus censetur, donec à calore intrinseco partim resolvatur & dissipetur, partim cum partibus siccis vel alimentalibus perfectè uniatur.

Inquinatio. DICO 3. Inquinatio est incoctio humidi interminati propter defectum caliditatis in humido quod est circum. Ita rursum Arist. & est sensus, quod sicut elixatio fit quando calor in existens in humido concoquente est tantus, ut possit superfluos humores evocare & reliquos benè terminare; ita incoctio fit, quando calor in humido circumexistens est debilior, ut nequeat superfluos humores ab elixabili evocare & reliquos benè permiscere; unde, tali actione elixabile potius dicitur inquinari quam perfici. Sic aqua parum ebulliens in olla malè coquit carnes, & calidum humidum in stomacho si defectuosum sit, malè cibos & alimenta assumpta.

Tostio. DICO 4. Tostio est inconcoctio, propter calidum extrinsecum igneum sive siccum. Ita Arist eod. cap. sensus definitionis est, quod hæc tostio tum fiat, si calor siccus humorem in re quidem assanda moveat, sed propter suam inhabilitatem non possit edomare, unde sequitur

quitur prava aſſatio ſive toſtio, quali ſubinde corrumpuntur panes in furnis qui toti deinde areſcunt, & carnes ſi nimis ſubitò & vehementi calore aſſentur; non enim poteſt calor aſſans poſtica ulterius penetrare, & intrinſeca melius permiſcere. Et ſic etiam cibi in ſtomacho & humores intrà meatus & viſcera calore nimio & præternaturali aſſantur & deficiente qualitatum unione, quam requirit vera concoctio, corrumpuntur. Si

QUÆRAS, quomodo differant hæ 3. ſpecies. Reſp. differre in re & in modo juxtà varietatem & diſpoſitionem ſubjectorum, quæ aliter atque aliter coquenda ſunt, ideòque alium atq; alium calorem requirunt, eo autem dificiente variè corrumpuntur.

DIFFICULTAS XVII.

An ex putrefactione gignantur animalia, & quænam.

QUod animalia imperfectiora generentur ex putrefactione, teſtatur Ariſtoteles 4. met. c. 1. in fine & cum ipſo experientia. Hic autem eſt controverſia, an ex ea generentur etiam animalia perfecta, & quænam ſint imperfecta quæ hoc modo producantur; ſuppono autem ridiculum eſſe & fabuloſum, quod in opere de diluviis ait Avicenna, homines ſcil: poſt inundatam terram non humano ſemine, ſed ex tabidis cadaveribus ſyderum efficacia fuiſſe progenitos.

Animalia perfecta non poſſunt ex putri gigni.

DICO 1. Animalia perfecta non poſſunt gigni & produci putrefactione. Ratio eſt, quia requirunt tam perfectas diſpoſitiones & organa, ut non poſſint in re putri reperiri, aut à calore putredinali in ſubjecto tam ſordido produci: Et confirmatur hæc experientia, quæ docet, omne animal perfectum ex ſemine, nullum ex putri gigni.

DICES 1. Etiam ſolus calor producit nobiliſſimas diſpoſitiones & organa in materiam Embryonis per actionem tranſeuntem, ergo etiam poterit hoc idem præſtare calor in materia putrida, quia eſt ejuſdem rationis cum illo. Reſp. neg. conſeq. quia calor in ſemine non eſt cauſa principalis ſed virtus generantis ſemini impreſſa, & talis virtus in putri deficit.

DICES 2. Si animalia perfecta non generantur niſi ex ſemine, ergo non poteſt dari ratio, quod in remotiſſimis inſulis orbis, quò nemo mortalium unquam devenit, urſi leones, & id genus animalia reperiantur; Nam natatu illuc pervenire non poterunt, quia impedit hoc immenſa oceani vaſtitas; nec navigiis, quia antiquis temporibus nemo navigavit ad incognitas illas inſulas, nec operæ prætium fuiſſet tam immanes belluas ad illa loca tranſvexiſſe. Reſp. cum Joſepho à Coſta l. 2. de naturis novi orbis; & Lipſio l. 2. phyſiol. diſſert. 19. non fuiſſe olim ubique tam magnum tractum maris ex noſtro orbe in Americam ſicut hodiè eſt, ut proinde homines vel beſtiæ eò vel natando vel navigando facilè pervenire potuerint; Credibile enim eſt, plurimum terræ, quod olim ſicco pede tranſiri potuit, poſt tam procelloſas tempeſtates plurimoſq; terræ motus nunc à mari occupatum eſſe; Unde Plato in Timæo ſcribit, terræ motu Europam ab Africa immiſſo mari diviſam eſſe.

Quæ animalia ſint ex putri.

DICO 2. Inter animalia imperfecta quæ ex putredine naſcuntur, ſequentia ferè ab Author. referuntur. Nam veſpas ex equi putreſcentis medulla, imò & Crabrones oriri teſtatur Ovid. cum ait. preſſus humo bellator equus crabronis origo eſt. Scarabæos ab aſino putrefacto ſurgere docet Plin. l. 11. c. 20. Apes ex bove naſci produnt diverſi, tum inter Poëtas Virg. & Ovid. qui idem ranas ex aqua pluvia naſci ſcribit. Nautæ teſtantur, mures ex putri humore in navium ſentinis innaſci. Sub fimo ex putrefacto annate buffones & ex humana medullà ſerpentes gigni referunt multi. Similiter etiam ex limo putri teſtacea, ex veſtibus tineas & ex lignorum putrefactione in inſulis hebridibus aves naſci ſcribit Geſnerus. Ex ſanguine & carne pediculos naſci tradit Ariſtot. 5. hiſt. animal. c. 31. & teſtatur experientia, in multis morbis; præſertim in febribus putridis & hecticis, in vitiis quibuſdam capitis & cutaneis eos copioſiſſimè produci; vermes omnis generis oriri in arboribus, fructibus & animalium corporibus quotidiè videmus; plura paſſim habentur apud Ariſt. in 10. ſuis libris hiſtor. animal. Cæterùm an animalia ex putredine orta ſint ejuſdem ſpeciei infimæ cum iis quæ producuntur virtute ſeminis, difficultas eſt apud nonnullos ideò quod hæc fœcunda ſint, non illa: ſed reſp. nihilominus affirmativè, quia habent plerunque eadem accidentia, proinde etiam eandem ſubſtantiam & materiam ſaltem proximam. Quod ad fœcunditatem, dicendum eſt, non omnia animalia ex ſemine producta eſſe fœcunda ut conſtat, ſi non in ſpecie ſaltem in individuo; è contrà verò ſine ſemine nata quædam fæcunda ſunt, ſibiq; ſimile generant, ut teſtantur multi de muribus quæ in navibus gignantur. Adhæc quod unum producat ſibi ſimile & alterum non producat, non eſt ſufficiens inditium ſpecificæ differentiæ inter duo; cur autem ex rebus putridis crebrius & facilius animalia quam plantæ aliave mixta generentur, cauſa eſt, quia plantæ & ſimilia craſſiorem & ſicciorem amant materiam quam animalia. Difficilius tamen eſt, quare ex re putrida non generetur unum animal continuum ſed plura, & rurſum quare aliquando generentur ea quæ ſunt unius ſpeciei, aliquando quæ diverſæ: ſed reſpondetur ad primum, cauſam eſſe referendam in difformitatem ipſius putredinis ex qua v. g. vermes naſcuntur, quod ſc. ea ſit ſiccioribus partibus interrupta per quas fit diſcontinuatio. Ad ſecundum reſpondetur, quando putredo eſt homogenea & ejuſdem rationis, naſcuntur animalia ejuſdem ſpeciei; quando verò conſtant partibus adeò diverſæ rationis, & ex ea nec poſſit conſtitui unum animal continuum, nec plura parva ejuſdem ſpeciei, tunc generabuntur plura di-

versissimæ speciei; sic ex medulla spinæ dorsi hominis, & ex cerebro serpentes, ex carne & sanguine pediculi aliaque animalia generantur, sed cur ligna in plenilunio cæsa verminant? forte quia Luna tunc potentius in inferiora agit, repletque cuncta adventitio humore, qui deinde sit vermium causa: Nam Lunam humoris matrem esse vel ex eo cognoscimus, quod in corpore nostro humores variari cum Luna videamus: Taceo alias occultas qualitates quas Luna & reliqua astra ad nos admirandorum operum effectrices transmittunt; ut planè lunatici cerebri censendus sit, qui eas negaverit.

Cur verminans ligna cæsa in plenilunio.

DIFFICVLTAS XVIII.

An vini in acetum mutatio sit putrefactio.

GAlenus & multi ex Medicis affirmativam tenent, ajuntque, cum vinum ob ambientem calorem acessit, putrefieri; sed contrà est, quia quando vinum in æstate acessit, planè in vappam abit insipidam, quod idem aceto accidit; Deinde autem est boni odoris, quod aliàs non observamus in rebus putridis; Deniq; acetum impedit putrefactionem, ut videmus in atramento, ubi mucum superficiei impedit; in vulneribus in quibus impedit & cohibet putredinem; in peste, cui maximè resistit; in carnibus, cadaveribus, quæ maximè à putredine reservat. Alii dicunt, vino inesse animam vegetantem, mori autem quando transit in acetum, & putrefieri quando mutatur in vappam: sed hoc falsum esse docent ea omnia, quæ lapides & metalla vivere negant. Quid Zabarella dicat, videri potest l.3. de interitu misti c.8. Sed ad meliorem huius cognitionem

SVPPONO 1. Vinum habere alias partes aqueas, alias verò vinosas, ut patet quando per destillationem vinosæ ab aqueis separantur fiuntque vinum sublimatum. 2 Acetum etiam fieri ex cerevisia, & ex succis fructuum, v.g. pomorum, granatorum, &c. ut experientia constat. 3. Antequam vinum acescat, turbari quidem aliquantulum & accidentaliter mutari partim vini partim aceti partes redolendo, non tamen prorsus in vappam abire, quia ex hac non potest amplius acetum fieri, sed acetum ipsum quando naturaliter corrumpitur, abit in vappam. Quod si aliquando acetum hoc modo deficiens sibi per injectionem betæ vel brassicæ restituatur, signum est, non fuisse omnino corruptum. 4. Acetum ex vino non fieri, si orificium vasis in quo vinum continetur, non sit obstructum, quia sic vini odor & robur evaporat & nihil nisi insipidus & inodorus humor remanet, imò & ipsum acetum amat claudi. 5. Ad aceti generationem multum facere calorem ambientem, unde etiam vasa in Sole aut ponè fornacem collocantur, & ut vinum citò acescat, in id ponunt piper longum, zingiberem, radicem aronis, &c. aliqui etiam panem

Aceti generatio quomodo.

à furno aut silicem aut chalybem calentem immittunt. 6. Aceti generandi vim etiam habere nubes illas aut floccos crassiores, qui in aceto circumnatant, quos vulgò matrem aceti dicunt; His dictis quod colligitur,

DICO 1. Acetum non generatur consumptione vel evaporatione humiditatis aquosæ ut vult Zabarella. Probatur primò, si hoc verum esset, sequeretur semper decrescere acetum quod fit ex vino, contrà experientiam; Nam vinum continet multas partes aqueas, ut patet in destillationibus, ergo verum esset quod his partibus evaporantibus semper decresceret acetum ex illo vino factum. Secundò sequeretur etiam, quod tunc maximè fieret acetum, quando vinum in loco calido discoopertum exhalat aquosam humiditatem contrà experientiam. Tertiò sequitur quod acetum esset crassissimum, quia exhalaret aquosum tenuius, quod falsum est in aceto facto ex cerevisia, quia est longè tenuius & habet magnam vim penetrandi.

DICO 2. Acetum generatur actione aquosarum partium vinosas & frigidarum in calidas, donec hæ ab illis separentur, & hanc actionem juvet calor ambiens. Ratio, quia dum calor ambiens partes vinosas & calidas rarefacit & ad superiora vocat, colliguntur inferius aquosæ & robor sumunt, ut fortius in vinosas agant; Vinosæ autem ob illam ipsam raritatem minus resistunt, unde fit ut ex mutua illa partium actione aceti forma resultet victoriam obtinendo partibus aquosis, unde etiam acetum virtualiter admodum est frigidum.

DICO 3. Mutatio vini in acetum non est propriè putrefactio. Colligitur ex dictis, & probatur; quia vel esset naturalis vel violenta; non hæc, quia nō est combustio, nec fit ab aliis causis extrinsecis violentis; Nec etiam illa, quia nō fit separatio humidi à calido nec frigidi à sicco, quod tamen ad putrefactionem pertinet, ergo. Deinde cum in putrescentibus calor humidus expiret, vinum autem contineat multas partes aqueas, deberet per putrefactionem imminui; & acetum ex vino factum quantitate plurimum decrescere, quod tamen est falsum. Adhæc per talem expirationē deberet fieri vappa, non acetum, deberetq; ipsum acetū fieri crassissimum; quæ omnia sunt contrà experientiam. Itaq; ut ex dictis constat, acetum sic potius generatur; Cum vinū habeat partes aqueas valdè frigidas & vinosas valdè calidas, dum per ambientem calorem vinosæ incalescunt magisq; rarefiunt, ad superiora evadunt, unde aquosæ inferius congregantur fortiusq; in vinosas suo frigore agūt; quæ jam illis ob nimiam raritatem minus resistere possunt, unde fit ut ex mutua illa partium actione talis tandem proportio frigoris & caloris in cæteras partes passivas resultet qualis ad generandam formam aceti requiritur. Quod si vas in quo vinū servatur, non sit clausum, partes vinosæ ab ambiente calore rarefactæ penitus exspirant & post se insipidam vappam relinquunt. Quod si partes vinosæ vincāt aqueas, ut in veteribus vinis fieri solet, vinum redditur fortissimū.

Mutatio vini in acetum non est putrefactio propriè.

Acetum hoc modo fit.

DIF-

DIFFICULTAS XIX.

Quænam maximè resistant putredini.

DICO 1. A sale impeditur putrefactio; Ita est communis sententia & ostenditur eruditè ab Hippolito Guarimonio p.1.tract. contra pestem; Nam primò caro, pisces & si quæ sunt similia putrefactioni valdè obnoxia, si sale conspergantur, diutissimè conservantur. Secundò, in iis locis ubi sal coquitur, exhalationes ab ea coctione diffusæ arcent pestem, quæ ab aliquo vento peregino importari posset. Tertiò, iisdem in locis nulla venenata ac è putri materia nata animalia reperiuntur, ut sunt buffones, vermes, araneæ, scorpiones. Quartò, vestes sale aut aqua salis undique perfusæ non minus profunt quam antidota contra pestem; Buffones enim nihil molestius accipiunt quam salis aspersionem, ad quam venenum ab imis visceribus exsudarit.

DICO 2. Multum etiam facit ad cohibendam putrefactionem ignis: Nam hujus opera Hipp. maximam provinciam à peste liberavit, dum integram sylvam incendio dedit: Et moris est adhuc apud Medicos, ut dum infectum invisunt, ignem in medio collocent, ut tellam impunè cum illo colloquantur. Ratio autem hujus est, quia ignis nimia sua vi calefaciendi & exiccandi omnem pestiferam atrocitatem citissimè absumit, aeremque expurgat, & suo motu sursum qualitates magnas rapit, ne directè in adversum corpus colloquentis ferantur.

DICO 3. Etiam aceto, aloe, myrrhæ, balsamo, ceræ, melli, saccharo & resinæ insunt vires resistendi putredini. *Putredini quæ resistant.* Quod imprimis aceto saltem in certa materia insit talis virtus, chyrurgi experientiâ attestantur; Dico in certa materia, quia si acetum metallis superfundatur, æruginem, rubiginem & alia excitabit non tam ratione sui quam ratione subjecti, sicut & plumbum in cerussam convertit. Aloe, myrrhâ, & balsamo notissimum est corpora mortuorum condiri ut perennare possint, quo pacto mummiam in Ægypto ferunt parari, qua de re tamen variant Authores. Vide Razivillium Epist. 3. de peregrin. Hierosolim. De cera, melle, saccharo & resina vide Medicos.

DICES, sal, balsamus, aloe, &c. multum calefaciunt & exiccant, ergo non impediunt putrefactionem, sed potius promovent: Nam putrefactio fit per calorem ambientis & corruptionem humidi innati. Resp. ista quidem calefacere & exiccare, sed solum humidum superfluum & adventitium, postea verò poros corporum ita astringere, ut humido innato & conglutinanti non detur amplius potestas exhalandi. Plura vide apud Medicos.

DISPUTATIO XII.

De Morbis malignis sive totius substantiæ.

APud quos opinio est, nullas dari qualitates occultas, sed omnes ad manifestas revocari, apud eos hæc tota disputatio parum valoris habet: Nam cum juxta eorum sententiam hi morbi consistant in temperie quadam præternaturali, non æstimant, sive maligni, sive contagiosi, sive totius substantiæ nuncupentur; Qui verò morbos alios faciunt malignos & occultos, alios autem manifestos & à prioribus distinctos, nihilominus tamen sub intemperie collocant, hi profectò nõ leves sibi difficultates pariunt, præsertim cum totis essentiis, totis proprietatibus & effectibus invicem distent, longèque diversum in corpora operandi modum habeant; Nam sicut ideò discrepat affectus solutæ unitatis ab intemperie, efficitque distinctum genus, quod illud formaliter consistat in divisione unitarum partium, & hæc in qualitate aliqua præternaturali manifesta; Ita etiam videtur esse ratio cum morbis totius substantiæ, quorũ esse non est disunitio partium, aut intemperies quædam sensualis, sed venenum, sed malignitas ab utroque distincta, quæ etiam alium afficiendi & corrumpendi modum observat. Cæterum est hæc malignitas humano generi perniciosissima, magnamq; in illud exercet hostilitatem, ut experientia testatur & plurimorum fata docent: Nam nihil æquè grave accidit humano corpori quam hostem malignitatem in visceribus reconditam gestare, quia latronem hæc imitatur, & ex insidiis nihil advertentem obtruncat; Nimirùm hæc est immanis ejus vis & hostilis actio, ut eam nullibi violentius exerat quam in homine, nullibi eam truculentius probet quam in nostro calido nativo, nullibi denique eam potentius exerceat quam in principiis vitæ nostræ, cui fatales indixit iras. De hoc itaque veneno dicetur hac præsenti disputatione, ut constet quantum caveri debeat & timeri, sequitur proinde

DIFFICULTAS I.

An dentur Morbi totius substantiæ.

HUjus nominis *totius substantiæ* ubique in explicandis morbis malignis mentionem faciunt Medici; Cum verò res ipsa difficilis sit & ambigua, mirum non est, si circa naturam hujus substantiæ differentientia loquantur, & propterea rem occultam & latentem adhuc magis occultent, dum quisque propriam sibi opinionem comminiscitur & sequitur; Hinc quot capita tot sententiæ: Nam

Fernelius l.1. suæ pathol. c.2. & l.2. de abditis rerum causis c.9. & seqq. tria morborum genera in partibus similaribus confingit, unum scil. intemperiei, de quo supra, alterum materiæ, quod ex qualitatibus tactilibus ut molitie, duritie, laxitate, astrictione, tenuitate, crassitie, raritate, densitate, &c. desumit, & tertiū denique formæ; quod patere dicit in morbis occultis, qui tota substantia, id est, forma agant. Porrò substantiam ait esse perfectionem & integritatem cujusque rei subsistentis, & hanc toties perfringi quoties aliquid ejus perfectioni decedat: Et hanc substantiæ ruinam vocat morbum substantiæ, non quod necessariò sit corrumpenda, sed quod saltem illi aliquid de integritate decedat: Hujus corruptionem duplicem statuit, simplicem unam, caloris sc. alterationem, & putredinem alteram quæ per gangrænam, ulcera, vulnera, hecticam & corruptionem viscerum manifestetur. Tandem concludit morbum totius substantiæ vel esse manifestūm, si nimirum à causa manifesta producatur, vel occultum si ab occulta, &c. Hunc sequitur

Argenterius de morb. genet. c.4. in hoc saltem contrarius, quod nolit eos esse morbos totius substantiæ qui pendeant à causis manifestis; admittit autem ideò hos morbos quod dentur medicamenta à quibus expellantur.

Mercatus tomo 1. l.1. p.2. classe 1. a.2. duplicem statuit sanitatem, unam temperiei & alteram unionis miscibilium in part. similiaribus: Et huic duplici sanitati duplex quoque morborum genus opponit in iisdem partibus, unum intemperiei & alterum totius substantiæ; primum ait esse alterationem, alterum verò corruptionem, in quo etiam miscibilia separentur, & in limum cineresque degenerent, cum è contra in priori conserventur.

Capivaccius & alii concedunt agentia totius substantiæ, sed non morbos: Ita enim docet ipse Capivacc. l. de lue venerea, & concludit, morbos qui ab hujusmodi causis occultis oriantur, esse manifestos, ut sunt intemperies, tumores, obstructiones, ulcera, &c. Jam

DICO, dantur morbi quos totius substantiæ vocant Medici; Est contrà nonullos ex iis, sed probatur: primò dantur morbi, qui ad nullum genus reliquorum morborum referri possunt, ergo ad genus totius substantiæ; antec. patet, ab enumeratione. Secundò, dantur qualitates & agentia totius substantiæ, ergo etiam dantur morbi consimiles, qui ab iis efficienter producuntur. Tertiò, multi sunt morbi, qui ex se non possunt expelli nisi à medicinis occultè alterantibus & moventibus velut à sibi contrariis, ergo signum est, utraque in essendo esse ejusdem rationis; Et hinc rectè Argenterius loco citato ait, nisi darentur morbi aliqui occulti, frustrà inventa essent remedia totius substantiæ. *Dantur morbi totius substantiæ.*

DICES 1. Sæpè vinci & expelli morbos ab ipsa ægrotantis natura, cum qua nullam habent contrarietatem, quia nihil occulti inest naturæ, ergo ex iis quæ morbos occultos expellunt, non rectè infertur dari morbos totius substantiæ. Resp. naturam corporis continere in se eminenter omnem vim & efficaciam agendi in quoscunque morbos iisque resistendi quantum in se est.

DICES 2. Nullum in specie assignari morbum totius substantiæ, ergo. Antec. prob. quia quicquid virulentiæ reperitur in ægro, illud nunquam se solo existit, sed semper cum affectu manifesto, v.g. cum febre calida, soluta unitate, &c. Resp. neg. antecedens; Et parum est, an morbus totius substantiæ solus affligat, ut pestis quæ est absque intemperie, an verò cum aliis complicetur, quia conjunguntur duæ qualitates in subjecto, quarum unaquæque secundum totam suam perfectionem subsistit, & complicantur duo morbi, quorum quilibet perfectus etiam alteri compatibilis est, ut patet in obstructione & intemperie, in phthisi & febre hectica, &c. Itaque falsum est antec. quia datur virulentia in peste & morsu canis rabidi absque febre, quæ tamen ex se formaliter & essentialiter morbus est vitamque adimit.

DIFFICULTAS II.

An morbi totius substantiæ omninò non possint referri ad intemperiem.

DE hoc sufficienter actum est superius, ideòque dum totum hic repetis, suppone Medicos juxtà triplicem partium constitutionem facere 3. genera morborum, ut videre licet apud Sennertum cap.2. de differ. morborum; ait enim in partibus similaribus existere intemperiem ex 4. primis qualitatibus p. n. conflatam, in organis depravatam compositionem, in utrisque demum solutionem continui; Et idem docet Fern. l.1. de differ. morbor. c.6. ubi habet, primas illas differentias, id est, *Fern. constituit genera morbi*

Ut morbi eſſentia, ſic ex partium varietate,

id eſt, ſumma genera prima non ex morbi eſſentia ſed ex partium varietate vel differentiis conſtitui, atque ita unum genus vocari intemperiem, quando naturalis conſtitutio partis ſimilaris evertitur; alterum organicum, quando ratio & ſymmetria organi infringitur; tertium denique ſolutionem continui, quando, quod utriſque commune eſt, continuum diſſolvitur. Jam quæritur, an ex hac pſrtium conſtitutione ſufficienter diſtributa ſint morborum genera, ut ſub iis etiam morbus totius ſubſtantiæ comprehendatur.

Adverte, quando Medici juxtà triplicem conſtitutionem pſrtium genera morborum conſtituunt, non intelligere, quaſi febris v. g. quæ eſt morbus ſimilaris, tantum occupet partem ſimilarem, & tumor quiſpiam organicam, quia & illa hanc, & hæc illam indifferenter occupare poteſt; ſed velle, quod morbus ſimilaris ſive intemperiei tantum corrumpat rationem ſimilareitatis, morbus verò organicus ſive compoſitionis rationem organi bonæque conformationis, id eſt, organeitatem; quando enim febris vel alia intemperies occupat hominem, nihil organeitatis deſtruit, & contra, quando obſtructio, tumor, &c. nihil ſimilsreitatis ut ſic. Jam

DICO 1. Quicquid ſit de illa Medicorum diviſione juxtà partium conſtitutionem, omninò falſum eſt, quod ſanitas partium ſimilarium in bona temperie, organicarum in laudabili compoſitione, & ambarum in debita combinatione ſive continuatione, morbus autem in conſtitutione contraria tantùm conſiſtat. Ratio eſt, quia non exiſtentibus his tribus generibus corpuſque p. n. afficientibus poteſt nihilominus corpus eſſe morboſum, ergo falſum eſt, quod illa tria genera ſufficiant. Antec.

Peſtis accidit abſque febre.

patet in peſte abſque febre, quæ ſicut ſola hominem illæſa temperie per ſe interimit, ita etiam in corpore ſano neceſſaria eſt ipſius abſentia, cum præſertim contrario poſitivo careat.

DICO 2. Diviſio generica morborum optimè deſumitur à modo quo læditur corpus cujuſque ſanitas, tum à formali & eſſentiali ratione qua morbus ab altero differt. Concluſio patet ex diſput. de morbis in genere diffic.

Diviſio generica morborum unde

10. & accedit, quia morbus malignus præter conſtitutionem præternaturalem, qua genericè convenit cum omnibus aliis morbis, nihil habet peculiare cum intemperie, ſoluta unitate & vitioſa compoſitione, ſicut febres omnes in ratione febris, & vulnera, ulcera, fracturæ, tumores, &c. in ratione ſolutæ unitatis aut compoſitionis conveniunt, ſed toto genere totâque naturâ & eſſentiâ ab iis diſcrepat non minus quam vulnus à febre tertiana aut obſtructio à dyſenteria, ergo morbus malignus neceſſariò conſtituit novum genus morborum à reliquis tribus diſtinctum, præſertim cum ex hac ejus eſſentia reſultet alius omninò & diverſus modus afficiendi ſanitatem. Et confirm. concluſio in febre maligna & peſtilentiali, quæ plerunque mortales ſunt; quæro enim an per calorem vel per malignitatem? ſi dicis per calorem, falſum dicis, quia febres ſimplices utplurimùm ſunt abſque interitu. Si per malignitatem, morbum facis, quia accidens nõ eſt aut ſymptoma; & ſi eſſet, ex ſe non ageret; ergo reliquum eſt ut dicatur morbos ſubſtantiæ eſſe affectus diverſos ab omnibus aliis, ideòque facere diſtinctum genus, cum ad nullum aliud referri poſſint; Et hinc *Colligitur*, quamvis partem vel membrum aliquod ſimilare, v. g. venam occupare poſſit morbus ſimilaris & organicus, illum tamen corrumpere ſub ratione ſimilareitatis, hunc organeitatis.

DICES, plures ſunt modi ſolvendi continuum, quia fieri poteſt per contuſionem, fracturam, ictum, rupturam, &c. ergo plura etiam genera. Reſp. hos modos eſſe cauſarum non morborum, quia ſemper ſolutio eadem eſt intrinſecè, quocunque modo fiat. Jam quod ex dictis habetur,

DICO 4. Morbi totius ſubſtantiæ non poſſunt referri ad intemperiem, multò minus ad vitioſam conformationem & ſolutam unitatem. Probatur primò: morbi totius ſubſtantiæ nec ſub ratione propriæ naturæ, nec in modo operandi & lædendi habent aliquam cum intemperie confinitatem; ergo ad illam ſub quacunque etiam ratione revocari non poſſunt. Secundò, natura morborum totius ſubſtantiæ non conſiſtit formaliter & per ſe in calore præternaturali, ſeu in everſione naturalis temperamenti, quemadmodum id conſtat de omnibus affectibus, qui ad intemperiem ſpectant, ergo ad hanc referri non poſſunt. Quod ſi

DICAS, cum morbis totius ſubſtantiæ ſemper eſſe conjunctam intemperiem primarum qualitatum, unde repugnare ejuſmodi morbos eſſe aliquando abſque intemperie, ergo ſub hac comprehendi neceſſum eſt. Reſp. neg. antec. ut patet in peſte, morſu canis rabidi aliiſq; affectibus occultis, qui ſemper exiſtunt & operantur abſque febre & alteratione, quæ propriè conſiſtit in exceſſu vel defectu primarum qualitatum, quod omninò non accidit in iis qui ejuſmodi peſte debilitantur & moriuntur, ubi venenum non producit calorem aut frigus, ſed occultè inhabilitat & corrumpit calorem vitalem ad producendũ vitam. Quod ſi tamen contingat cum morbis malignis complicari intemperiem, id fit merè per accidens, quia vel venenum extrinſecus hauſtum excitat in ſanguine & humoribus putredinem, adeòque producit febrem à ſe diſtinctam, vel quia ſpiritus vitales corrumpit non producendo qualitatem ſenſibilem & manifeſtam, quæ eſt extra eſſentiam malignitatis, ſed imbuendo eâdem corruptelâ quâ ipſum eſt affectũ, id eſt, virulentia occulta, quæ vitæ principium occultè oppugnat; Deinde per hoc quod morbus malignus non ſit ſine malignitate nihil convincitur, quia etiam ſolutio continui non eſt abſq; intemperie, &c. quamvis ſint diverſa genera morborum.

DIFFICULTAS III.

Quomodo morbi maligni lædant sanitatem & vires corporis.

DIfficile est explicare, quid sit illud in morbis malignis quod tanto impetu tantâque efficaciâ, brevissimo etiam tempore vires in homine frangat, & si sit malignitas, per quid & quomodo, an calefaciendo, frigefaciendo, an suffocando calorem vitalem, an consumendo spiritus vitales, vel prohibendo eorum generationem, an putrefaciendo viscerum substantiam, an denique corrumpendo, & si per corruptionem an intendendo vel corrumpendo sicut frigus aut calor intensior eam corrumpere solet, an verò producendo in vitalibus aliam consimilem malignitatem, &c. Nam receptum est apud Medicos, morbos malignos agere per occultum quid in hominem & potissimum in ejus facultatem vitalem, unde etiam morbi occulti, latentes & totius substantiæ dicuntur, quia nec eorum naturam, nec vim & modum in calorem nostrum vitalem agendi novimus, sicut novimus morbos manifestos & sub sensum cadentes, &c.

DICO 1. Morbi maligni qui que totius substantiæ dicuntur, per se non agunt calefaciendo, frigefaciendo. Ratio est, quia eorum natura & vis agendi non consistit in calore aut frigore. Dixi per se, quia morborum malignorum natura non est ullo modo producere intemperiem nisi per accidens, quatenus videlicet sanguinem & humores corrumpunt, aut quatenus totam vim vitalem dissipant.

DICO 2. Morbi totius substantiæ non agunt suffocando calorem vitalem. Ratio est, quia non obruunt eum copiâ vaporum crassorum & frigidorum, quemadmodum fieri solet in suffocatione ab utero, ubi meatus cordis undique frigidis crassisque halitibus occluduntur; Deinde quia morbi maligni non sunt ita frigidi, ut patet in iis qui hujusmodi affectibus intereunt; Nam plerique maximis caloribus æstuant, quod fieri non posset, si in frigore consisteret malignitas, quia calor supprimeretur.

DICO 3. Non agunt etiam morbi totius substantiæ consumendo spiritus vitales aut impediendo horum generationem. Primum patet in actionibus partim vegetativis, partim motivis & sensitivis, quia vigent hæ singulæ non rarò in ægrotantibus, dum etiam instat mors & interitus, quod fieri non posset absque influxu spirituum vitalium; Deinde consumuntur spiritus per intensos calores, per multa studia, labores & motus quibus spiritus in singulas partes, viscera & sensuum organa evocantur, tum per vigilias & inediam, qua negatur & tollitur affluxus sanguinis ex quo in corde gignantur spiritus: Nam ut probetur secundum, tunc impeditur generatio spirituum vitalium, quando vel nullus per venam cavam affluit sanguis in corde decoquendus, vel meatus undique occluduntur, vel calor vitalis per quem in corde gignuntur spiritus, suffocatur; sed horum nihil fit à morbis totius substantiæ, ergo nec impeditur generatio spirituum vitalium.

DICO 4. Nec agunt morbi totius substantiæ consumendo ipsam corporis & viscerum substantiam. Prob. primò. Consumptio substantiæ corporis est actio manifesta, ut patet in exulceratione pulmonum, renum, Epatis, &c. fit etiam modo quodam nobis cognito & à causis utplurimum manifestis, v.g. ab humoribus acribus, salsis, erodentibus, &c. sed hæc non conveniunt morbis malignis, ergò falsum est quod consumant ipsam corporis & viscerum substantiam. Dixi utplurimum, quia cantharides exulcerant renes per occultum quid; similiter erodit stomachum & fauces arsenicum per vim minus nobis cognitam. Secundò, morbi totius substantiæ non solvunt unitatem partium, quia non corrodunt, non exulcerant, nec quovis modo corrumpunt viscera, ergo falsum est quod Fernelius iis attribuit, nisi tamen is morbus substantiæ dicatur, qui viscera depascit omnemque partium unitatem solvit, quod per me licet.

DICES, in dysenteria corrumpitur substantia intestinorum; sed dysenteria est morbus malignus, ergo morbus malignus consumit substantiam corporis. *Resp.* ad majorem, in dysenteria maligna non corrumpi & exulcerari intestina ab ipsa malignitate, sed ab ipsis humoribus salsis & acribus ad eum modum, quo in dysenteriis non maligna fieri solet; Neque enim malignitas in dysenteria quicquam agit in intestina, sed in substantiam cordis, ubi calorem vitalem corrumpit & vires supprimit; Et hinc

DICO 5. In morbis malignis sive totius substantiæ ideò vires tanto impetu deficiunt, quia calor & spiritus vitalis in corde sive à veneno extrinsecus hausto, sive intrà corpus genito corrumpitur & positivâ malignitate imbuitur. Nam nihil aliud superest quod tã efficaciter hominem frangat, ut hactenus in morbis Epidemicis multorum regnorum, sed & totius orbis mortales suo infeliciter fato senserunt, præter hanc malignitatem quæ in vitalibus recepta formaliter constituit morbum malignum sive totius substantiæ. Sed quis modus corrumpendi calorem & spiritum vitalem? Respondetur esse eundem quem in aliis qualitatibus observamus; Nam sicut calor v.g. ex se sufficiens est alium calorem in materia apta producere; Ita etiam malignitas sive extrinsecus hauriatur sive intrà viscera ex putredine oriatur, potens est in sanguine, in humoribus, in corde ejusque

ejusque calore & spiritibus vitalibus consimilem malignitatem quæ improportionata est & inhabilis ad fovendas & conservandas vires, producere, adeoque substantiam cordis afficere prout ipsa in se affecta est. Et hic est modus quo tam efficaciter malignitas in hominem ejusque facultatem vitalem agit, quia videl. calorem vitalem corrumpit, & in ejusmodi statum inflectit, in quo eandem ferè incapacitatem quam frigus ad producendam vitam habet.

DICES, si ad hujusmodi corruptionem, qua spiritus vitales fiunt incapaces fovendi & sustentandi vitam, tota virtus cordis frangitur etiam frangetur in aliis visceribus, quod tñ falsũ est, quia viget nihilominus vis naturalis seu vegetās. R. etiam debilitari robur totius corporis & omnium viscerum, ut effectus docet: Quod si urina bona sit, id parum est, quia ex hac non ostenditur sanitas, sed tantum hoc, quod ad eam conficiendam superfit adhuc aliquis calor aut facultas, quæ tanta non requiritur.

DIFFICULTAS IV.

Quid sit morbus totius substantiæ sive malignitas.

ADvertet Hanc esse substantiæ totius morbum ex Fernello citato, quando mixtum non secundum qualitates, sed secundum substantiam mutatur, sive illud fiat à qualitatibus manifestis sive ab occultis; Et hanc immutationem ait esse duplicem, alteram corruptionem simplicem, quando dissipatur & corrumpitur spiritus & calor nativus, alteram verò putrefactionem, qua tota substantia dissolvitur, ut fit in viscerum corruptionibus & exulcerationibus. Secundò, malignitatem aliquando sub ampla significatione sumi, pro vitio quod inest rei sive viventi, ut homini qui malignus & malitiosus dicitur, cani, equo, &c. qui ex improviso in hominem involant, nihilque timentem lædunt, sive non viventi, ut morbo qui mali mo is, pertinax, nihilq; medicamentis cedens malignus dicitur: aliquando strictè & propriè pro affectione, constitutione & qualitate occulta, quæ in peste, febribus pestilentialibus & malignis homini infesta est, & morbum ab omnibus reliquis distinctum constituit. Jam

DICO 1. Quamvis parum intersit, sive quis per morbum totius substantiæ intelligat affectum aliquem malignum & occultum, sive corruptionem substantialem viscerum; falsum tamen est illum esse morbum totius substantiæ quando spiritus & calor nativus corrumpitur. Ratio est, quia in omnibus febribus corrumpitur spiritus & calor nativus unà cum humido radicali, quas tamen nec Fernel. nec ullus Medicorum vocat morbos totius substantiæ. Quod autem spiritus & calor cum humido radicali corrumpatur, patet inde quia imprimis omnia calor in febribus est præternaturalis; Deinde, quia ex defectu spirituum vires deficiunt, quos cum humido tamquam absumpto pabulo per novum alimentum sive sanguinem restaurare necessum est.

DICO 2. Morbus substantiæ vel malignus etiam non dicitur ideò talis, quod per se primò corrumpat substantiam animalis. Ratio est, quia primò & per se intendit corrumpere spiritum & calorem vitalem, & consequenter, cum utrumque sibi velut assimilat, dispositiones ad mortem & interitum introducere.

DICO 3. Morbus substantiæ non ita nuncupatur à Medicis, quod sit substantia, quia ut constat, est qualitas, suscipit magis & minus, expellitur à suo contrario, &c.

DICO 4. Morbus malignus à Medicis totius substantiæ dicitur vel quia potiorem habere videtur connexionem & consinitatem cum substantia quam cum qualitatibus, vel quia non oritur à qualitatibus primis sicut reliquæ secundæ, ideoque est proprietas formæ suæ eamque per emanationem sequitur, vel quia totam substantiam & robur corporis ægrotantis tam efficaciter dissolvit, estque affectus præternaturalis & occultus subitò principia vitæ corrumpens & vires dissipans. Dicitur imprimis affectus præternaturalis, quia habet hoc commune cum omnibus aliis affectibus, qui corpori præter naturaliter accidunt. Dicitur secundò occultus, ad differentiam affectuum qui manifesti sunt. Dicitur tertiò principia vitæ & vires subitò dissipans, quia hæc est natura morbi totius substantiæ & maligni, quod nullibi virus suum nisi in vitalibus exerat, ibiq; spiritum & calorem vitalem, quæ sunt principia vitæ, peculiari quadam hostilitate oppugnet, & subitò quidem, quia vitalia non patiuntur corruptionem nisi cum dispendio vitæ aut virium corporis, quas venenum illud vehementer & cum magna efficacia dissolvit.

Si quæras an calor & spiritus vitalis in morbis malignis corrumpatur, sicut in non malignis. Resp. negativè, idque nec in re nec in modo, hoc quidem, quia subitò utramque cum extrema virium jactura dissolvunt, illud verò quia non corrumpunt per productionem caloris aut frigoris, quo modo etiam calor vitalis corrumpitur; sed per aliquid quod hactenus nemini cognitum fuit nisi in effectu, quem mirari licuit non capere, ex qua proinde ratione formali dicuntur morbi & affectus maligni, quia videl. consistit eorum natura in ejusmodi qualitate, quæ dum spiritum vitalem afficit, omnem calorem penè corrumpit, & cum hic vitæ thesaurus sit, ad vitam sustentandam facit incapacem.

Colligitur, morbum substantiæ posse ad libitum cujusque sub vario sensu accipi, quemadmodum id fecit Fernelius & alii.

DIF-

DIFFICULTAS V.

Quinam in specie sint morbi maligni, sive totius substantiæ.

ADverte, hic quæri de omnibus morbis malignis & virulentis sive totius substantiæ, sive producantur ab agentibus quæ putrefactionem excitant, sive infligantur ab animantibus, ut cane rabido, serpente, &c. quia omnes hujusmodi affectus maligni sunt & occulti.

DICO 1. Inter morbos totius substantiæ primas obtinet pestis sive cum febre conjungatur sive non. Ratio est, quia est malignissima & contagiosissima, nullusque cæterorum morborum, ut experientia testatur, in humanum genus sævit crudelius, unde etiam nihil magis timeri solet & fugi, quia ex se nemini parcit, omnes æquè invadit, omnesque penè quos apprehendit, intrà paucos dies aut horas occidit, ut videri possunt quæ ab Authoribus diversis memoriæ tradita sunt. Et confirmant hoc totum sacræ literæ, diversæque executiones quas Deus mediante peste tanquam morbo crudelissimo & facillimo mortis instrumento sæpius in transgressores & reos suos immisit.

DICO 2. Post pestem sequuntur omnis generis malignæ febres, ut petechialis, Ungarica, variolarum, morbillorum, omnisque generis affectus Epidemici, qui ab astris, aere vel causa communi pendent & contagione exuscitantur. Hanc conclusionem probant omnes, apud quos malignitas hæc nomen habet & cognitionem. Omnes enim hi affectus meritò totius substantiæ dicuntur, quia occulti sunt magnarumque virium, neque agunt calore aut frigore sed vi quadam calori & spiritui vitali perniciosissimâ. Sunt tamen mitiores & benigniores peste, cui etiam meritò propter ingentem crudelitatem & ferociam primas deferunt; Omnium mitissima est febris quæ morbillos comitatur, quia rarius est cum perfecta putrefactione, sæpissimè cum ebullitione tantum & levi malignitate, qualis in variis morbis epidemicis observatur, quando videl. humores excrementitii corporis sub quacunque parte corrumpuntur & malignitatem sive ab aere extrinsecus sive ab interno vitio contrahunt illæso sanguine & humoribus alimentalibus, ut fit in dysenteria, catarrhis & similibus, aut quando ex ebullitione sanguinis partes quædam subtiliores & rariores corruptæ à reliqua sanguinis massa cum aliqua saltem malignitate exhalant, ut contingit in morbillis & nonnullis aliis humorum alimentalium exhalationibus.

DICO 3. Etiam morbi totius substantiæ sunt febres multæ symptomaticæ, quæ dependent ab inflammationibus, erosionibus, ulceribus & vulneribus viscerum. Hanc conclusionem docent varia symptomata, quæ in hisce febribus observantur; Nam ut cætera taceam, agunt luculentissimum testem vires peculiariter collapsæ. quibus adeò tamque brevi tempore profligandis cum non sufficiens sit calor simplex aut substantiæ alicujus levis erosio & exulceratio, necessum est ad causam efficacius agentem recurrere; Oritur autem in his affectibus malignitas remotè ab astris, aere, vaporibusque aliunde communicatis, proximè verò à putrefactione & corruptione variorum humorum & excrementorum tum ipsius viscerum substantiæ.

DICO 4. Tandem etiam morbis totius substantiæ annumerandi sunt affectus, qui ex morsibus ictibusque variorum animalium virulentorum oriuntur, quiq; fiunt ab assumptis sive medicinis sive aliis quibuscunque venenis. Ratio est, quia in omnibus hisce affectibus venenosa malignitas operatur, & imprimis facultatem vitalem, quæ in corde sedem & principium suum habet, impetit: In horum numero sunt febris à morsu canis rabidi, venenum ab ictu scorpionis, viperæ, tarandulæ, ab assumpto mercurio, napello, crotioa cantharide, &c. Hic tamen *Adverte*, fabulas esse, quæ inter milites de intoxicatis pilis ferreis narrantur; Nam quicquid fiat cum telis, gladiis, &c. falsum est, si qui homines pilis è sclopeto emissis verberentur, intoxicari, cum effectus illi qui venenoso sclopeto vel ejus pilæ deferuntur, ad impuritatem corporum, in quibus faciles febres putridæ & malignæ accenduntur, pertineant, omne autem venenum quo extrinsecus illinitur pila, per ignem pulveris tormentarii consumatur. *Globi sclopetarii an Veneno imbuantur.*

DIFFICULTAS VI.

An pestis & febres malignæ sint morbi per se subsistentes.

SEnsus quæstionis potest esse duplex; primus, an malignitas ita habeat propriam entitatem quæ sit distincta ab omnibus aliis entitatibus in eodem genere, sive per se sola subsistat sive ad sui existentiam requirat alia necessariò coniungi. Secundus, an se sola præternaturaliter absque connexione & dependentia cum aliis corpus affligat: Et de peste potissimum quærunt Medici, an videl. unus sit morbus per se subsistens, an verò aliis tanquam accidens superaddatur: Massarias enim & cum eo non pauci ex Medicis docent, pestem quæ essentialiter est summa malignitas, conjungi semper cum febribus, inflammationibus & viscerum corruptionibus, ut cum angina, dysenteria, &c. per se autem nunquam constituere morbum aliquem peculiarem.

DICO 1. Malignitas quæ pestem & febres malignas constituit, si primo sensu spectetur, habet propriam entitatem per se subsistentem. Prob. primò, malignitas habet propriam definitionem quâ ab omnibus aliis rebus & morbis

morbis distinguitur, ergo habet etiam propriam entitatem ab aliis distinctam. 2. Tunc unaquæque res accipit propriam existentiam quando producitur; sed malignitas producitur ab Agente naturali, ergo. 3. Si malignitas non haberet actum proprium entitativum, esset simpliciter non ens; sed hoc falsum est & absurdum, ergo & illud. 4. Malignitas est agens reale & positivum, quia afficit corpus & magis quam reliquorum affectuum ullus, ergo habet entitatem propriam & independentem ab alio.

DICO 2. Malignitas pestilentialis ita habet entitatem propriam, ut se sola existere possit. Hæc conclusio probatur imprimis experientia, quæ docet sæpius reperiri pestem inter mortales quæ affligat & interimat absque febre ergo se sola existit: Et confirmatur ratione; quia pestilentialis malignitas independens est ab aliis morbis, nullamque necessariam habet cum iis in fieri quam in conservari connexionem; illud quidem quia venenum aliquando gignitur extrà corpus ut in cadaveribus, aere aliisque corporibus & mixtis putrilaginosis, esto non habeat tunc rationem formalem pestis; hoc verò quia dum intrà vitalia recipitur, subitò ea corrumpit affertque interitum se sola & absque ulla aliorum affectuum connexione & præsentia. Nam si haberet connexionem & dependentiam necessariam ab aliis effectibus, haberet maximè ab intemperie; sed hoc falsum est, ergo & illud. Prob. hæc minor, quia malignitas corrumpit vitalia absq; productione ullius caloris aut frigoris per se, ergo non habet connexionem necessariam cum intemperie; sed consistit in simplici quodam genere qualitatis occultæ.

DICO 3. Quamvis malignitas pestilentialis sit ex natura sua morbus, nihilominus tamen frequentissimè & utplurimum conjungitur cum aliis. Ratio est; quia dependet ab iisdem causis à quibus affectus cui annectitur, ut patet in febribus putridis, in quibus & febris & malignitas dependens est à putrefactione sanguinis & humorum, in dysenteria, in angina, in corruptionibus viscerum, &c.

DICES malignitas in febribus putridis v.g. in Ungarica, in petechiali, &c. non potest existere se sola, ergo nec pestilentialis, quia sunt ejusdem rationis & speciei, nec differunt nisi secundum magis & minus. Resp. si malignitas secundum se præcisè spectetur, falsum est quod non possit existere se sola & constituere morbum, ut patet in peste; si verò prout pendet ab humorum & sanguinis putrefactione, conceditur. Nam ideò conjungitur cum aliis affectibus & præsertim cum febribus, quia oritur ab æterna humorum putrefactione à qua & ipsæ febres accenduntur. Quando verò extrinsecus cum halitu virulento in vitiosa aeris constitutione intrà vitalia recipitur, producit in his constitutionem morbosam & p.n. quæ ante sanguinis & spirituum putrefactionem vitam adimit, quo casu verè propriéque dictus est morbus per se subsistens, ergo malignitas est ex natura sua morbus, non tantum quia separari potest per intellectum à reliquis morbis, sed etiam quia de facto separatur.

DIFFICULTAS VII.

Quomodo differat malignitas in peste & febribus.

MUlti sunt morbi, quibus conjungitur malignitas, ut dysenteria, angina, pleuritis, catarrhus, febris petechialis, Ungarica, variolarum, morbillorum, &c. Et de his omnibus quæritur, an & quomodo in iis differat malignitas, v.g. in peste, in febre pestilentiali, Ungarica, &c. *Adverte*, alias esse pestes & malignitates, quæ invadunt & affligunt solos homines; alias quæ boves; alias quæ porcos, equos, oves, &c.

DICO 1. Pestis quæ affligit boves, distincta est ab ea quæ invadit equos, & rursum hæc diversa ab altera, quæ reperitur in porcis; hominibus, &c. Ratio desumitur à diversitate naturarum & dispositionum tum ab experientia quâ constat in peste quæ bobus est fatalis, non perire porcos aut aliam speciem brutorum, ergo signum est eam malignitatem non esse proportionatam alterius speciei individuis. Et confirmatur ab effectibus & operandi modo, quia nec eodem modo pereunt boves, quo porci, & hi quo equi; non eadem patiuntur symptomata aut internas viscerum corruptiones ut testantur illi qui in brutorum pestibus cadavera diligenter perscrutantur.

DICO 2. Malignitas pestilentialis ejusdem est naturæ & speciei in omnibus hominibus quos apprehendit; Idem intellige de brutis animantibus in sua specie. Ratio est, quia in omnibus hominibus & reliquis brutorum speciebus ita proportionatæ sunt internæ corporum dispositiones, ut ab iisdem causis & agentibus tam extrinsecis quàm intrinsecis corrumpi possint, ergo nulla cogit necessitas entia multiplicare & constituere tot venenorum discrimina quot individua ejusdem speciei contaminantur. Nam si hæc malignitas per contagionem in hominibus reperiatur, eadem semper producitur in multis, quia transit ab uno in alium, adeòque sese multiplicat sicut calor calorem; si verò gignatur à causis & dispositionibus intrinsecis, eadem quoque est in omnibus individuis, quia omnia æquè sunt contagiosa, quod manifestum signum est, horum malignitatem & venenum esse unius & ejusdem speciei.

Malignitas pestilentialis est ejusdem naturæ in unaquaque specie.

DICES 1. Non omnes astantes corripiuntur ab infectis, ergo non omnium in eâdem specie similis est malignitas; similiter non omnes infecti pereunt, sed aliqui vix etiam sentiunt morbū. R. utramq; fieri per accidens, idq; non tam ratione agētis veneni, quàm passi resistētis.

DICES 2. Singulis annis, quibus aliæ atq; aliæ grassantur pestes, diversa reperiri in infectis

infectis symptomata & accidentia, ergo etiam ipsa venena sunt diversa inter se. Antec. patet, quia aliquando invadunt homines cum vomitu, aliquando cum subito animi deliquio, aliquando cum maximo dolore capitis, &c. Imò hæc eadem signa reperiuntur eodem tempore in diversis. Resp. neg. conseq. quia hæc omnia fiunt propter internas dispositiones quæ in diversis individuis non tantum distinctis temporibus, sed etiam iisdem annis diversæ sunt; Et hæc eadem est causa, quare aliqui moriantur & aliqui evadant; aliqui corripiantur, aliqui non; & rursum quare aliqui hæc, aliqui alia patiantur symptomata & accidentia, nempè ob diversas dispositiones subjectorum, in quibus venenum variè operatur.

DICES 3. Malignitates pestilentiales sunt similes venenis animalium, plantarum & mineralium; sed hæc specie distincta sunt, ergo & illæ: Antecedens patet ex Medicorum communi modo loquendi, dum aliam pestem vocant venenum viperinum, aliam dypsadicum, aliam scorpiacum, aconiticum, mercurialem, antimoniale, &c. Resp. multa esse similia inter se quoad quædam accidentia & operandi modum, quæ tamen nihilominus in reipsa distinguuntur & contra: Itaque hæc analogia nihil convincit, nisi hoc, quod omnia in corporibus fiant juxtà eorum dispositiones, & quod hæc singula venena habeant aliquam similitudinem in effectibus, sive benè, sive malè à Medicis eas denominationes accipiant.

DICO 5. Etiam malignitas quæ reperitur in omnibus febribus & affectibus humanis, est ejusdem speciei & differt tantum secundum magis & minus, sicut à veneno pestilentiali. Ratio eadem est quæ prius, & accedit, quia eodem modo producitur in diversis, servat etiam eundem modum corripiendi proximum, & agendi in eos quos corripuit, variatis tantum effectibus juxtà dispositiones subjectorum.

DICES 1. Magna est symptomatum diversitas in febribus & morbis malignis, quod ab eadem specie malignitate non potest provenire. Resp. diversitatem hanc provenire partim à diversitate dispositionum animalis, partim à levitate vel magnitudine veneni.

DICES 2. Ex aliis causis oritur pestis, ex aliis febris maligna, ergo. Antecedens patet in peste quæ sæpè oritur ex aere vitioso & contagio, febres autem malignæ ex interno corporis vitio. Resp. neg. conseq. quia idem est calor qui producitur à Sole, ab igne, aliisque causis: parum itaque refert, an malignitas ab iisdem vel diversis causis oriatur.

DICES 3. Pestis multos invadit, quia contagiosissima est, & multos occidit quia maligissima, quod non faciunt aliæ febres malignæ, ergo. Resp. quod pestis multos occidat, id esse propter ejus vim validam, quâ reliquos morbos contagiosos & malignos facilè superat: Quare autem sit tam contagiosa, infrà dicetur; Quod si

QUÆRAS, cur pestis semper in æstate vel autumno incipiat, hyeme verò desinat. Resp. causam esse debilitatem caloris naturalis, dispositionem sanguinis & humorum ad putrefactionem, quod utrumque tempore hyemali & vernali cessat, similiter ratione veneni frigus ipsum hyemale, quod seminium sive vapores & halitus malignos densat & constringit adeòque in ipsis venenum suffocat, cum è contra calor illud magis rarefaciat & dissipet. Quod si dicas, pestem quæ est absque febre, non requirere vel putrefactionē, vel dispositionem ad eam. Resp. non requirere quidem dispositionem absolutè ejus corporis quod corripiendum, requirere tamen putrefactionem ejus Agentis vel corporis, à quo fit contaminatio, intellige aerem vel quodcunque aliud seminium.

DIFFICULTAS VIII.

Quæ sit natura pestis & febrium malignarum.

NOTA, inter morbum pestilentialem, Epidemium, endemium, sporadicum hanc esse differentiam, quod pestilentialis sit maximè cōtagiosus & lethalis ideòq; plurimos invadat & occidat si non actu, saltem potentia; ut infrà dicetur. Epidemius autem sive vulgaris qui plurimos invadat & paucos occidat, ut tussis, catarrhus, &c. Endemius certis populis & incolis sit familiaris, ut lues venerea Indis, scorbuttus maris accolis. Sporadicus demum, qui sparsim hinc inde in civitate ex causa privata aliquos apprehendat, v. g. febris petechialis; Vide Fern. Merc. Senn. & alios.

DICO 1. Pestis variè à variis describitur, *Pestis quid.* communiter autem quod sit morbus malignissimus & contagiosissimus, in corde primùm genitus, principia vitæ subitò & vehementer corrumpens. Dicitur primò, malignissimus respectu aliorum affectuum malignorum quos omnes magnitudine & intensione superat, quod idem de contagio intellige. Nam totas hæc provincias & regna invadit ex communi aeris vitio & contagione, reliqui autem morbi maligni non tam invadunt plures ex contactu, quam ex internorum humorum putrilaginosa dispositione. Dicitur secundò, in corde primùm genitus, quia hic formam suam sicut febres omnes accipit, in hoc discrepans, quod calor in corde præternaturaliter intendatur, hic autem cum spiritu vitali corrumpatur; Et sicut calor præternaturalis non prius dicitur febrilis, quam dum substantiam cordis ingreditur, esto jam prius in loco putredinis intensior aut æquè intensus extiterit; Ita etiam malignitas non dicitur pestilentialis, nisi

quam-

quamprimum aliunde vitalia corrumpenda invaluerit, unde etiam nec æger vim hujus sentit nisi cumprimùm cordis substantiam subingreditur, & in ipsa calorem vitalem quocum fatales habet hostilitates, oppugnat, non autem cum calore Epatis, ventriculi, renum aut cerebri, &c. Et hinc dicitur tertiò, quod principia vitæ, id est, calorem & spiritum vitalem subitò corrumpat, ideòque vires omnes vehementer opprimat: Quod si tamen alia quoque corporis viscera lædantur, id vel fieri solet per calorem p.n. qui pesti conjungitur, vel quia calor & spiritus vitales corrupti non amplius influunt.

Malignitas in corde versatur & non alibi.

DICES, sæpè accidit, in civitate paucos corripi & mori peste reliquis omnibus illæsis, ergo vel pestis hæc non est, vel certè malè describitur pestis quod sit malignissima & contagiosissima: Ad hoc argumentum infrà diffic. 19. respondebitur.

DICO 2. Morbus malignus est effectus venenosus & contagiosus, vehementer quidem principia vitæ, minus tamen quam pestis offendens. Hujus explicatio sumitur ex antecedentibus: Nam dicitur primò venenosus & contagiosus, quia mitior est quam sit pestis, ut patet in febre petechiali & Ungarica, quæ utræque tantum secundum magis & minus distant à peste, unde etiam periculosus est, quia semper thesaurum vitæ & quidem efficaciter impetit, adeòque graviora invehit symptomata quam affectus simplex, benigniora tamen quam pestis, ad cujus naturam proximè accedit.

DICES, pestis non afficit partem viventem, quia afficit tantum spiritus & calorem vitalem, ergo non est affectus cordis. Resp. neg. antec. quia reverà substantiam cordis afficit, si non corrumpendo & putrefaciendo partes solidas, saltem calorem & spiritus, qui etiam spectant ad integritatem cordis. Et hinc

Colligitur, malignitatem primò omnium occupare & corrumpere spiritus & calorem, tum penetrare substantiam viscerum, præsertim cordis, ubi omne robur corporis sternit: Et quamvis malignitas quæ venit ab internis corruptionibus, primò fit in stomacho, Epate, venis, iisque in partibus in quibus à putrefactione emanat, non est tamen ibi formaliter aut efficaciter, quia non reperit ibi fontem & principium vitæ.

DIFFICULTAS IX.

An & quomodo morbi maligni producant alterationem.

CUm in morbis malignis semper deprehendatur aliqua mutatio circà primas qualitates, sive illa sit intemperies calida, ut fit in febribus putridis, sive oppressio, corruptio, extinctio, debilitas caloris, ut accidit in peste absque febre, quæritur unde hæc mutatio & quomodo fiat.

SUPPONO, alterationem sive immutationem naturalis temperamenti aliquando fieri per se, aliquando per accidens: Per se fit, cum accidit à causa per se contrarii corruptionem intendente, ut patet in frigore, quod per se intendit corrumpere calorem, atque ita temperamentum immutat: Per accidens verò, cum fit à causa non intendente per se corruptionem contrarii, ut fit dum naturalis temperies à malignitate corrumpitur, &c. His positis

DICO 1. Omnis morbus malignus mutat temperiem naturalem in homine. Ratio est, quia omnis morbus malignus corrumpit calorem vitalem & nativum, qui tanquam pars præcipua constituit temperiem, ergo eam immutat: Et hoc confirmatur ab experientia, quæ docet omnes eos qui morbis malignis affliguntur, sive cum his complicentur febres sive non, gravissimam mutationem naturalis temperamenti sentire & calore destitui, qui actionibus naturaliter eliciendis competat.

DICES, pestis est aliquando sine febre, ergo sine intemperie. Deinde non læduntur semper actiones naturales in morbis malignis, v.g. concoctio, nutritio, quod patet in urina, quæ tota sæpè naturalis à Medicis deprehenditur. Resp. dari pestem absque febre sed non absque mutatione naturalis temperamenti, quia non tantum consistit mutatio hæc in excessu caloris aut frigoris, ut quæ est propriè intemperies, sed etiam in corruptione naturalis caloris, quæ potest esse absque alteratione propriè dicta, quomodocunque hæc fiat. An autem aliquæ actiones naturales in hujusmodi malignitatibus illæsæ maneant, valdè incertum est, quia omnes indigent continuo influxu spirituum vitalium: sola urina parum ad rem facit, quia signum hujus concoctionis diuturnum non est, nec opus habet tanto calore aut virtute concoctrice, sed sufficit aliquis saltem calor absque humorum motu & incendio, quod in summa malignitate aliquando contingere potest.

In omni affectu maligno mutatur temperies.

DICO 2. Morbi maligni sive totius substantiæ non destruunt temperiem naturalem propriè & per se. Probatur primò, tunc corrumpitur temperamentum propriè quando fit insignis mutatio circà qualitates primas; sed hæc non fit à malignitate, ergo hæc non expellit aut immutat naturalem temperiem. Minor probatur, quia morbi maligni nec producunt nec corrumpunt calorem aut frigus per se, ergo nec producunt novam complexionem, nec tollunt eam quæ naturalis erat. 2. Morbi maligni ex sua natura non intendunt id producere quod in se formaliter non continent; sed non continent hoc modo calorem aut frigus, ergo non intendunt illa producere. 3. Qualitates primæ quæ conficiunt

Malignitas quomodo destruat intemperiem.

naturale temperamentum, corrumpuntur & expelluntur per se ab Agentibus univocis, id est ab aliis qualitatibus, quæ sunt ejusdem speciei aut generis cum iis; sed malignitates non sunt è numero talium Agentium, ergo ab iis non expelluntur aut intenduntur primæ qualitates per se.

DICO 3. Morbi totius substantiæ corrumpunt naturale temperamentum hominis per accidens, Ratio, quia corrumpendo sanguinem & humores faciunt plerumque putrefactiones intenduntque calorem. Deinde corrumpunt spiritum & calidum nativum quo utroque naturalis complexio conservatur. Ad hæc prohibent influxum caloris naturalis & vitalis, quo totum corpus fovetur. Denique contaminant totum sanguinem ex quo spiritus in restaurationem nativæ complexionis deferendus conficitur, ergo morbi maligni corrumpunt naturale temperamentum per accidens. Itaque

Colligitur, virus hoc malignum ideò corrumpere naturalem temperiem, quia producit in vitalibus talem affectionem quæ non sit compatibilis cum calore vitali, vel quæ eum modo incognito ad sufferendam & fovendam vitam inhabilitet.

DIFFICULTAS X.

Unde morbi maligni sint tam pernitiosi.

Multa sunt in sublunaribus agentia physica, quæ potenter in subjecta sibi proportionata operantur, ut ignis inter elementa, arsenicum inter mineralia, napellus inter vegetabilia, vipera inter animalia, & demum inter venena aerea seu spiritualis malignitas in peste & febribus putridis, de qua cæteris omissis in præsenti quæritur, unde & per quid homini vel animali sit tantoperè perniciosa. Nam

SUPPONO, inter omnes morbos, quos animal sustinet, nullos esse periculo pleniores, quique citius & facilius mortem inferent quam morbi maligni & qui totius substantiæ dicuntur, præter paucos extremæ violentos, à quibus suffocatio infertur aut magna viscerum solutio: Nam illi intercludendo viam respiratorum cordi ingressum aeris denegant adeòque calorem omnem cum vita suppriment; hi verò solvendo continuum spiritus & calorem nativum dissipant, mutuumque consensum viscerum & actionum naturalium tollunt. Itaque

DICO 1. Morbi maligni non sunt ideò tam pernitiosi, quia omnium primò substantiam cordis ejusque calorem corrumpunt. Ratio est, quia morbi maligni latent prius sæpe in aliis visceribus ut ex partibus affectis earumque signis evidens est, ergò. Secundò, febres omnes putridæ & calidæ omnium primò petunt cor, & tamen non sunt adeò lethales aut periculosæ, ergo prima cordis oppugnatio non est causa illius tantæ oppressionis virium. Tertiò, omne genus morbi obsidet & impetit cordis substantiam ut habet Fernel. de part. morbis & sympt. l. 5. c. 12. licet non à quovis æquè patiatur aut supprimatur, ergo signum est aliud quippiam esse quod principia vitæ tantis viribus oppugnet.

DICO 2. Etiam morbi maligni non sunt ideò tantorum symptomatum procreatrices, quia tollunt & depravant omnes actiones vitales, ut concoctionem, generationem sanguinis, nutritionem, sensum, rationem. Ratio, quia constat imprimis in peste quæ est affectus malignissimus, urinam sæpè esse optimam, ventriculum appetere & coquere cibum, Epar gignere sanguinem totumque corpus nutriri; Deinde quod functiones sensitivas & intellectivas concernit, videmus peste infectos & jam morti proximos optimis valere sensibus, pollere judicio & intellectu, interque actiones sanis similes agere animam, ergo aliunde petenda est sævities morbi maligni.

DICO 3. Quare morbi maligni sint animali tam pernitiosi, id oritur à vi quadam occulta & incognita per quam malignitas spiritum & calorem in universum corpus diffundendum supprimit & corrumpit. Conclusio hæc patet ex dictis, nec aliter nisi à sola probari potest experientia, quia cum primùm morbus malignus invadit hominem, & substantiam cordis subingreditur, virus vitalis corruit, stupentque astantes motum hunc & alterationem repentinam, æger autem de vita incipit periclitari, ergo cum hoc non possit in agens aliquod manifestum referri, necessum est, ut in vim quandam occultam in corde receptam quæque cum ejus calore peculiarem habeat hostilitatem, referatur: Et confirmant hoc Medici practici, qui ex nullo signo vim hanc magis deprehendunt quam ex pulsu, qui robur cordis indicat; Nam si primis statim horis aut diebus absque manifesta causa pulsum & vires postratas sentiunt, hic venenum in corde & malignitatem in visceribus latere suspicantur. Quod si quæras, an ex hac eadem causa sint tot tamque maligna symptomata, v.g. extremæ angustiæ, sudore a frigidi, deliquia, convulsiones, palpitationes cordis, dolores ingentes capitis, deliria, &c. Resp. & *Vis morborum malignorum.*

DICO 4. Ab eadem malignitate sunt omnia symptomata, quibus tantoperè fatigantur ægroti. Probantur singula; Nam imprimis angustiæ, deliquia & palpitationes cordis sunt à veneno, quod calori nativo in corde fatalem indixit luctam, & cui hic quantum licet per vim possibilem resistit; sudores frigidi fiunt à summo conatu naturæ quæ virus hoc propellere nititur; Extrema frigent, quia omnis calor ad substantiam cordis in succursum regreditur; Convulsiones sunt propter eandem antipathiam, quæ est inter cerebrum, nervos & venenum quod illi tanquam onus gravissimum excutere vellent. Dolores capitis sunt quidem à

summo adjunctæ febris calore, magis tamen à vapore & halitu malignitate pleno, qui proinde membranas cerebri aliasque partes sensu præditas, mirè percellit. Deliria eveniunt à copiosis crassisque vaporibus malignis: Nam quia venenum hoc non minus exercet vim suam in cerebro quam in corde, ubi totam functionem vitalem evertit, probabile est, etiam in cerebro vim organis eorumque facultatibus inferre, imprimis verò spiritibus, qui ministri sunt omnium operationum animalium, & qui peculiarem cum malignitate dissensum habent. Et hoc potissimum confirmat præceps lassitudo & debilitas membrorum; Nam vix venenum illud apprehendit hominem, jam membra omnia, qoibus inest potentia motiva, languent, quia videl. spiritus animales in cerebro, quibus administratur omnis motus, non minus quam vitales in corde corrumpuntur, aut certè quia non fit influxus spirituum vitalium qui in animales degenerant:

Differt debilitas facult. vitalis ab animali.

Colligitur, aliam esse debilitatem facultatis vitalis, & aliam animslis seu motricis; Et licet hæc ad illius corruptionem etiam corrumpatur, ut patet in omnibus affectibus cordis, non tamen contrà fieri solet, ut constat ex paralysi, in qua læsis actioonibus motricibus nihilominus vitales vigent, ex quo solo argumento deducitur, inter omnia membra & viscera totius humani cororis principatum cordi esse deferendum.

DIFFICULTAS XI.

Vnde producatur malignitas in peste & febribus malignis.

SUPPONO, malignitatem hanc non esse qualitatem perfectivam; qualis est in napello, cicuta, sed corruptivam tam sui subjecti passivè quàm alieni activè, ut patet in vapore putrido, tum in sanguine, humoribus & spiritibus quos corrumpit. Secundo, produci aliquando hoc venenum intra corpus de novo propter internas humorum dispositiooes, & propagari tum ad partes proximas, aliquando autem accedere per contactû ab extrinseco. His positis

DICO 1. Malignitas quæ de novo intrà corpus animalis absque contactu producitur, est ab iisdem Agentibus à quibus corrumpitur forma sanguinis & humorum oriturque putrefactio. Probatur, quia corruptio sanguinis & malignitas sunt effectus necessariò & per se consequentes, ergo unis agentibus asscribendi sunt; Deinde hæc malignitas non producitur per actionem physicam sed emanat à certa sanguinis corruptione; ergo spectat ad eandem causam agentem ad quam ipsa sanguinis & humorum corruptio; juxta illud, quicquid est causa causæ; est etiam causa causati; ut habet Arist. 2. physic. l. 30.

DICO 2. Si malignitas producitur per contactum transitque per extensivam propagationem ab uno corpore in aliud, tunc fit productio per actionem physicam ab agente univoco. id est, à qualitate consimili, quemadmodû fit cum igne ejusque calore, qui uterque movetur de ligno vel stipula in lignum & stipulam. Prob. productio malignitatis per contactum extrinsecum fit ab alio corpore maligno; sed hæc respectu ejus malignitatis quæ in alieno subjecto producitur, habet se ut causa univoca, ergo malignitas extrinsecus hausta fit ab agente univoco. Major probatur & explicatur, quia cum aliquid producitur per contactum, ita fit ut illa qualitas quæ est in re contingente, vel recipiatur in illo subjecto quod attingit & contaminat, vel minimùm producatur, sicut ignis ab una parte ligni transit in aliam, & alius modus nullus superest: clarum & manifestum exemplum est in aere, halitu vel vapore maligno; Hic enim quando intrà substantiam cordis recipitur, contaminat eandem substantiam partim communicando seipsam, partim produceodo coosimilem qualitatem & malignitatem ad eundem omnioò modum, quo ignis qui est in carbone, in ferro, in lapide. &c. producit calorem & siccitatem in alieno corpore, quod immediatè tangit, v.g in lapide, in ligno, in aqua, &c. Quod autem halitus vel vapor malignus id possit, hinc evidens est, quia habet virus maximè activum, & ita quidem ut producendo consimiles malignitates totas sæpè provincias & regna pervagatus fuerit & hominum milliones interemerit; Refert enim Niceph. l. 17. hist. Eccles. c. 17. pestem ex Æthiopia universum penè orbem penetrasse, totamq; sævitiam & crudelitatem io mortales ubiq; exercuisse, ut nemini parcendo integras civitates viduaverit; Et in annalibus Francorum notatur; anno 1374 pestem per totam Galliam & Germaniam grassantem penè tertiam partem hominû absumpsisse. Cætera relinquo historicis.

DICO 3. Producitur malignitas efficienter ab agente naturali, emanativè autem à suma humorum & sanguinis putrefactione; nisi tamen fiat per contactum; quia sic producitur per actionem realem & positivam ab alia malignitate, quæ in genere causæ efficientis consimilem in vitalibus producit. Primum patet ex iis quæ antecedenter de putrefactione diffic. 11. dicta sunt; Sub agente naturali intellige quoq; cœlos & astra, quæ efficacissimè frequenter ad gignendum hoc malum in his inferioribus concurrunt; sicut enim omnis generis mutationes & alterationes, ita & qualitatem malignam in Elementis morbosque Epidemios inter homines & animalia bruta producunt.

Malignitas à quo producatur.

DIFFICVLTAS XII.

An & quomodo per contactum producatur consimilis qualitas in alieno subjecto:

STatus quæstionis duplex est; primo enim quæritur, an quando malignitas in corde

per contactum, id est, ab halitu vel vapore externo recipitur, hæc receptio se sola sufficiat calorem vitalem corrumpere & hominem, an verò requiratur ut nova malignitas producatur, idque vel per putrefactionem, ut fit cum sanguis & humores à causis internis putrescunt & malignitatem gignunt, vel absque putrefactione, ut fit cum calor calorem producit. Secundò quæritur, an quando morbus malignus contagione apprehendit hominem, venenum illud quod in homine recipitur, semper sit æquè activum & intensum atque fuerat in eo subjecto à quo per productionem transiit, an verò sit aliquando debilius, aliquando fortius. Si enim fortius, ergo malignitas producit aliam intensiorem agitque ultrà sphæram; si autem debilius, ergo malignitas gignit qualitatem in specie quidem similem, in gradu verò inferiorem & dissimilem, cum constet calorem ut duo nec producere alium calorem ut tria nec ut unum, quia prius esset ultrà vires, posterius autem contrà naturam Agentis univoci. Cæterum repetenda sunt hic quæ jam prius de alteratione circà qualitatum partes entitativas & extensivas dicta fuerunt. Nam sicut verum est, calorem tunc produci & multiplicari in aliquo subjecto ubi prius nihil erat caloris, & intendi ubi aliquid caloris præexistebat; Ita etiam verum est, malignitatem tunc produci & multiplicari in corde, quando jam de novo per contagium accedit, & intendi, quando aliquid ejus quidem existit, accedit autem aliunde novus gradus. Et rursum sicut verum est, calorem v. g. habere partes entitativas quæ sunt totius subjecti in quo calor est, & intensivas seu graduales, quæ sunt in eadem omninò parte subjecti; Ita etiam verum est, malignitatem habere partes entitativas in tota substantia cordis, ita ut plures ejusmodi sint partes in toto corde quam in aliqua ejus parte, & intensivas seu graduales, ita ut in eadem parte cordis jam sint pauciores jam plures partes intensivæ seu graduales caloris.

SUPPONO, malignitatem & venenum suscipere magis & minus adeòque intendi & remitti. His positis

Malignitas non lædit per simplicem contactum.

DICO 1. malignitas non lædit hominem communicando se per simplicem contactum. Probatur, hæc communicatio nihil est aliud nisi juxtapositio duorum corporum quâ se immediatè tangunt, sed per hanc non læditur homo, ergo nec per contactum. Probatur minor, quia offensa tantum fit per alterationem corruptivam quam non efficit simplex contactus.

DICO 2. Malignitas ideò lædit hominem, quia producit in spiritibus, in calore vitali & in substantia cordis consimilem qualitatem. Probatur primò, non sufficit simplex & immediatus contactus vel communicatio sui, ergo necessum est ut consimilis qualitas in vitalibus producatur. 2. Non potest lædi facultas vitalis, nisi recipiat in se peregrinam & venenosam qualitatem; sed non recipit per similem contactum, ergo per veram productionem malignitatis. 3. Nullum agens alterationum agit in subjectum, nisi cum intimè in hoc recipitur, ut patet in calore qui nunquam calefacit ferrum aut lignum nisi in eo producatur, quia receptio caloris in ligno est effectus formalis caloris, ergo nec malignitas agit in hominem, & imprimis in facultatem vitalem, nisi producatur in substantia cordis. Dixi tamen *agens alterativum*, ut distinguatur ab agente motivo, quod per solum contactum extrinsecum & immediatum agit, ut patet in ligno quod solo contactu protruditur.

DICES, hinc sequi, quod non possit recipi venenum in corde nisi cum insigni alteratione temperamenti, adeò pestem semper esse cum intemperie contra hactenus dicta. Resp. &

DICO 3. Quamvis necessum sit ut in omni jactura virium vitalium, quæ fit per malignitatem in corde receptam, hæc semper in spiritibus, calidoque cordis producatur, non tamen semper requiritur, ut id fiat cum putrefactione & intemperie propriè dicta. Probatur cum peste quæ est absque febre; In hac enim nulla est sanguinis aut spirituum putrefactio, sed ea solum corruptio aut contaminatio, quâ calor & spiritus externi corporis malignitate imbuantur & citrà caloris aut frigoris introductionem vix amplius retinent vim vitalem in corpus exercendam. Adeò enim malignum est sæpè venenum hoc, ut hominem prius interimat quam sanguis & spiritus per putrefactionem corrumpantur: Sed nec opus est, ut dum ad hunc modum homo perit, ipsi spiritus & sanguis putrescant, quia sufficit ut ea malignitate imbuantur, qua imbutus aer aut halitus malignus extrinsecus accedens contaminat. Et hæc contaminatio non fit cum expulsione caloris aut frigoris aut alterius qualitatis, quia cum omnibus est compatibilis malignitas, nec cum ulla contrarietatem habet, in hoc soln omnibus maligna, quod dum ipsa cum halitu aut vapore intrà vitalia recipitur, principia vitæ faciat inhabilia ad conservandam sanitatem & vitam, qui modus nobis ideò occultus est & incognitus, quia malignitas & venenum hoc abstrusum & occultum est; Est autem res alia cum febribus malignis putridis, in quibus malignitas resultat ex putrefactione sanguinis & humorum; Nam esto ab his ad eundem modum producatur venenum in corde, sicut ab halitu & aere vitioso forinsecus fieri solet; hæc tamen est differentia, quod dum ab interna putrefactione humorum cordi communicatur, hujus substantia cum spiritu & calido nativo non simpliciter à febrili calore alteretur, sed simul ad modum ejus sanguinis putrescat, qui à fomite putrefactionis substantiam cordis subingreditur, quia sanguis hic est materia spiritus & caloris vitalis, non autem aer aut vapor malignus qui extrinsecus accedit.

DICO 4. Ab aere aut vapore maligno semper producitur consimilis in specie malignitas in corde & vitalibus. Ratio est, quia venenum hoc ex sua natura activum est & potens

produ-

producere sibi simile in subjecto proportionato. Quod productivum sit alterius in specie veneni, testatur contagium; Quod autem requirat subjectum proportionatum, confirmat experientia, quia si aer malignus sit proportionatus homini inficiendo, nunquam leones, boves, equos, porcos, &c. corripiet. Deinde malignitas hæc non infert vim renibus, lieni, stomacho, intestinis, &c. sed soli cordi, ubi fatalem & occultam exercet hostilitatem in solos spiritibus vitales.

DICO 5. Etiam malignitas quæ est in corpore putrido, semper ex se producit in corde consimilem malignitatem quoad gradum. Dico ex se, quia aliunde potest id impediri ut mox dicetur: quod autem producat aliud simile tam quoad speciem quam quoad gradum in subjecto capaci, inde convincitur, quia maximè qualitas activa est cui ex natura incumbit producere simile, ubi non reperit aliquam resistentiam, tum quia videmus eos qui hoc veneno corripiuntur, non multum dissimilia pati symptomata, sed idem necis infortunium aut saltem periculum incurrere; Quod enim non fit utrobique tam inficienti quam infecto eadem malignitatis injuria aut efficacia, id quidem manifestè docet experientia, dum videlicet videmus correptum perire & corripientem evadere, quod si tamen causam inquiras, Respondeo &

DICO 6. Per accidens fit, si malignitas non producat eandem intensionem efficaciter in alieno subjecto. Dico efficaciter, quia pot. st pestis v.g. eandem formaliter producere malignitatem in alio subjecto, licet non eum eadem efficaciâ propter multa impedimenta, quę ut fiant manifesta, probatur conclusio; dispositiones corporis passi faciunt quod agens vel magis vel minus potenter in illud agat; sed dispositiones internæ in ordine ad agens externum sunt causa per accidens, ergò eo modo accidit, quod ejusdem in specie morbi malignitas non producat eandem efficaciter in alieno subjecto; Minor vera est, major probatur, quia Agens non potest in quodlibet passum æquè agere, sed requirit aliquam partim similitudinem partim dissimilitudinem in ipso, ut juxta majorem vel minorem capacitatem & proportionem quam reperit, vel magis vel minus operetur; sic enim ignis facilius in ligno producit siccitatem quam in alio corpore humidiori, & facilius liquefacit plumbum quam ferrum & argentum; sic radii solares per speculum emissi producunt hic ignem, ibi calorem, &c. sic eadem malignitas efficacius operabitur in uno quam in alio subjecto propter dispositiones magis vel minus resistentes, & sic eadem aliquando plures aliquando pauciores ob easdem causas corripict, tandemque cessabit & evanescet in auras.

Per accidens non producit malignitas in alieno subjecto alteram tam efficacem.

Colligitur, etiamsi malignitas pestilentialis ut 4. producat in duobus individuis qualitatem & in specie & in gradu consimilem, nihilominus posse alterum eorum extincto uno salvari.

DIFFICULTAS XIII.

An & quare morbi maligni sint contagiosi.

NOn est hic quæstio de venenis mineralium, vegetabilium & animalium, quæ rationem habent qualitatis perfectivæ ideòque nunquam nisi dum in stomacho digeruntur, afficiunt, sed de malignitate pestis febriumque putridarum, quæ se multipliciter propagare & & diffundere solet; Et de hujus contaminationis causa dum quæritur,

DICO 1. Omnes morbi maligni sunt contagiosi, non tamen omnes contagiosi sunt maligni; utrumque docet experientia, ideòq; probatur primum ab enumeratione omnium & singulorum affectuum malignorum, qui omnes habent vim per contagionem sese multiplicandi. Probatur similiter secundum in scabie, phthisi, dysenteria non maligna, lepra, podagra, &c. qui omnes affectus sunt contagiosi absque malignitate, nisi hanc latissimè quis accipiat. Quod si

Non omnes morbi contagiosi sunt maligni sed omnes contrà.

DICAS, sæpè morbos Epidemios, ut catarrhos, dysenterias, anginas, pleuritides, &c. esse quidem malignos, non tamen contagiosos, cum, quod plurimos simul molestent, non à contagione sed ab aliqua causa communi, v.g. à peculiari constitutione aeris, ab alimentis & corporis humoribus vitiosis oriatur. Respondetur, hoc ipso quod sint maligni, esse contagiosos, quia videmus citius & facilius eos contaminari qui cum catarrhosis, dysentericis, &c. versantur, quam qui domi in tuto se continent, quod evidentissimum signum est, omnes morbos Epidemios præterquam quod sint à causa communi, simul etiam esse contagiosos. Cur autem omnes maligni sint contagiosi, & non contrà, id petitur ab eorum natura, quæ in hisce longè mitior est, in iis truculentior.

DICO 2. Morbi maligni non sunt ideò contagiosi, quia validissimè in corpus animalis & præsertim in substantiam cordis operantur. Ratio, quia idem faciunt venena quæ potentius adhuc agunt, & tamen contagiosa non sunt, ergo contagium non desumitur ab operatione.

DICO 3. Non sunt etiam affectus maligni contagiosi quia sunt cum putredine, & emittunt copiosos vapores malignos. Ratio est, quia hoc etiam potest competere omnibus febribus putridis quamvis non fiunt contagiosi: Deinde multi sunt affectus contagiosi, qui nec habent sordidam illam humorum putrefactionem nec multum sunt vaporosi, ut patet in lepra, scabie, luce venerea, podagra: ergo contagium aliunde petendum est.

DICO 4. Morbi maligni etiam non sunt contagiosi, quia à putrefactis humoribus evaporant insensiles particulæ putridæ facilè ob lentorem alicubi adhærescentes Ratio est, quia hæc omnia fiunt etiam in quibusvis febribus

putridis, quæ tamen non afficiunt peregrinum corpus simili putredine contagiosa. Deinde illæ putridæ particulæ adhærescunt in multis corporibus v.g. in canibus, in bobus, aliisque animalium speciebus, quæ tamen non afficiuntur hac malignitate, ergo non sufficit, quod à morbo maligno evaporent particulæ insensiles.

DICO 5. Ideò morbi maligni sunt contagiosi, quia præter multam & copiosam minimorum balituum evaporationem è corpore putrido habent quandam malignitatem alieno corpori repugnantem. Patet ex definitione contagionis infrà danda, dum ex Medicorum cõsensu, qui has sequentes conditiones in contagione requirunt. 1. Ut sit à materia putrescente, quemadmodum patet in febribus malignis, in scabie, peste, lepra, &c. in quibus etiam vapor ille tenuis & malignus est corruptus, putridus vitiosus, in quo differt à venis vegetabilium, animalium & mineralium, in quibus nihil putridi evaporativi & maligni reperitur. 2. Ut evaporatio sit multa & partium velut insensilium quæ corpora penetrent. 3. Ut halitus & vapor sit viscidus & lentus tenuitati junctus, ut pertinaciter adhærescant. 4 Ut hæ minimæ particulæ sint magnarum virium, nec facile à calore vitali animalis reprimantur. 5. Denique ut malignitas peculiarem cum calore nativo dissensum habeat & inimicitiam, quæ sola conditio si desit, nunquam dabitur contagio, ut patet in peste vel febribus pestilentialibus, quæ nullum ex animalibus, sed solum homines contaminabunt, quia venenum & malignitas cum solo ejus calido dissensum habent.

Cur morbi maligni sint contagiosi.

DICES 1. Etiam in febribus putridis est copiosorum vaporum evaporatio, & tamen non sunt malignæ, ergo ab humore putrido, lento, viscoso non est petenda malignitas. R. in his febribus non reperiri sordidam illam & putrilaginosam corruptionem, à qua emanet venenum cordi tam infensum, sed tantum incensionem cum aliqua minimarum particularum putrefactione, à qua se reliqua sanguinis substantia facilè vindicet; Deinde non adsunt in hujusmodi evaporatione reliquæ conditiones, quæ ad contagionem requiruntur, ut patet.

DICES 2. Multa sunt contagiosa quæ carent iis conditionibus, ut patet in padagra, scabie, ergo falsum est has omnes conditiones ad contagionem requiri. Resp. 1. Conditiones illas non competere omnibus morbis contagiosis, quales sunt scabies, podagra, sed tantum febribus & morbis malignis. 2. Omnes eas conditiones reperiri etiam in scabie, podagra & aliis affectibus contagiosis, quia imprimis vapor ille minimùm corruptus est & putridus, esto cæterùm non adsit peculiaris humorum putrescentia, qualis etiam non reperitur in peste absque febre. 3. Habent omnes hi affectus humiditatem quandam lentam & viscidam. 4. Habent etiam ejus vires quæ ad contaminandum sufficiunt. 5. Denique loco malignitatis quæ competit aliis affectibus, habent vim penetrantem & corrodentem quæ malignitati correspondet. Ex his autem

Colligitur, cur venena in mineralibus; in vegetabilibus & animalibus, quæ rationem proprietatis & qualitatis perfectivæ habent, non sint contagiosa.

DIFFICULTAS XIV.

Quid sit Contagio.

NEcessarium esse videtur, ut constet quid sit contagio, an qualitas, actio, passio, concretum quid vel abstractum, tum quia sine hac nunquam sunt morbi maligni, tum quia circà hanc multi varia fusaque scripserunt. Hinc antequam pauca de hujus contagionis natura dicantur recensebo breviter, quid inter cæteros Sennertus l. 4. de febr. c. 2. ex variorum Authorum suâq; mente scribat. Hic itaq; primò ad hunc modum definit contagiũ, atque esse miasma sive seminium vitiosum è corpore ægro emissum, quod in corpore analogo receptum similem in eo morbum gignere potest. 2. Contagium quod à contactu aut à verbo *contingo* derivatur, sumi pro contactu duorum corporum, & sic spectare ad prædicamentum sitûs, vel pro actione qua corpus unum alterum contingat, vel pro affectione præternaturali quæ alteri corpori communicetur. 3. Esse contagiosum spectare ad effectionem corporis morbosi vel esse corporis morbidi affectionem. 4. Corpus morbosum esse contagiosum, tam ratione morbi quàm causæ. 5. Non quodlibet corpus morbosum esse contagiosum, neq; illud quod è corpore contagioso alteri communicatur, esse ipsum morbum quo prius infectum erat, sed esse corpus quoddam è corpore contagioso effluens. 6. Contagium vel generari in corporibus ex vitiosa concoctione, vel ratione alimenti, vel aliunde ab aliquo corpore malè affecto communicari; quod autem communicatur, esse corpus quoddam nunc spirituale, nunc humoris natura præditum. 7. Contagionem etiam generari absque putredine; Ratio, quia venenum ejusmodi haustum subitò interficit & jugulat, cum tamen ad putrefactionem longius spatium requiratur. 8. Ad fermentationem omninò rectius reduci contagium quam ad putredinem; fermento enim magnam vim esse, & brevi spatio convertere alia corpora in suam naturam, & hoc non generari per putredinem sed per peculiarem fermentationem, digestionẽ & mistionem. 9. Materiam contagiosam in alieno corpore receptam occulta quadam vi & à tota substantia agere & non tantum manifestis qualitatibus putrefaciendo. 10. Variis viis ac modis seminium exire è corporibus contagiosis, aliquando per expirationem & halitum, aliquando per poros cutis, &c. sed missis his omnibus sive veris sive falsis, ut in sequentibus patebit.

Definitio contagii ex Sennerto.

Adverte,

Quid contagium, contagiosum, fomes, seminarium.

Adverte, aliud esse contagium vel contagionem, aliud contagiosum, aliud fomitem, seminium vel seminarium. De contagione mox dicetur; Contagiosum verò est ratio formalis seu denominatio intrinseca, quâ mixtum est communicativum suæ malignitatis, ideoque per contagiosum intelligitur corpus aliquod vel mixtum tali maligna qualitate præditum quæ contaminat & corrumpat. Fomes non dicitur illud quod corpori inficiendo communicatur, sed est illud unde malignitas dimanat vel ubi aliquando conservatur, ut lana, carta, pannus, vestes, & cætera id genus, in quibus vapor malignus & pestilentialis inhæret, cum è contra ferrum lapides aliaque solidiora sint ad propagandam hanc luem minus idonea. Seminium denique vocant Medici, quod ab uno corpore in aliud transit, ut vapor, halitus, qui è corpore putrido sese effundit & in alio contaminando recipitur. His positis

Contagium non est seminium,

DICO 1. Falsum est quod contagium sit miasma vel seminium vitiosum ut scribit Sennertus. Prob. primò: Contagio non est substantia nec res aliqua concreta, ut constat esse miasma sive seminium vitiosum, ergo malè hoc asseritur. Secundò, Contagio est actualis contaminatio & infectio, quia nemo dicitur contagionem sentire nisi qui actu per eam afficitur; sed miasma vel halitus malignus non est actualis contaminatio, quia plurimi sunt qui è re infecta malignum halitum intrà substantiam cordis hauriunt & tamen non contaminantur, ergò. Tertiò, seminium vitiosum est causa per quam producitur contagio, ergò non est ipsa contagio; Et hinc falsum est illud, aliquando contagium generari absque putredine, quia seminium vitiosum est semper vapor aut halitus malignus alicujus corporis putrilaginosi. Itaque

Contagio quid.

DICO 2. Contagio definiri solet, quod sit putrefactio quædam consimilis de uno in aliud transiens, vel consimilis quædam misti corruptio ex uno in aliud transiens infectione primò facta in particulis insensibilibus. Ità Fracast. l. 1. de contag. c. 9. quem sequuntur & Philosophi & melioris notæ Medici. Probatur & explicatur definitio; Dicitur imprimis putrefactio quæ ponitur loco generis, quia omnis contagio est putrefactio, non autem contra omnis putrefactio est contagio, ut febres simplices putridæ manifestant. Nam quando mistum aliquod vel humor intrà corpus corrumpitur à calore ambientis, putrefactio est non contagio; quando verò ex illo misto sic putrefacto insensiles particulæ putridæ evaporant & ob tantam suam humiditatem alteri adhærescunt, illudque consimili putredine afficiunt, tunc contagio dicitur, non quod illæ particulæ putridæ sint ipsa contagio, ut vult Sennertus, sed quod sint id per quod consimilis putredo in alio corpore producitur; potest enim calidum & humidum è putrido primo evaporare & idem facere in secundum quod fecit aer vel aliud corpus circumfusum in primum, dummodo secundum illud non sit subjectum incapax effectus consimilis contagiosi: Et hinc lippitudo non inficit pulmones sed oculos, & contra phthisis non oculos sed pulmones propter incapacitatem. Dicitur secundò, in aliud transiens, per quod insinuatur contagium esse inter duo contigua sive continua, quia habet nomen à contactu, qui inter contigua dicitur formalis, inter continua virtualis. Dicitur tertiò putrefactio consimilis, intellige in specie, si non in gradu; Nam imprimis ut sit contagio, semper debet produci consimilis putrefactio, nec est simpliciter contagio si producatur putrefactio quædam absque consimili malignitate: Deinde constat aliquando putrefactionem illam quæ à recepto vapore putrido & maligno producitur, esse mitiorem & benigniorem, aliquando majorem & efficaciorem ut effectus & symptomata ostendunt. Dicitur ultimò infectione primò facta in minimis particulis, videl. ipsius corporis quod in aliud corpus transit: Nam in his particulis latet malignitas & infectio ab alio corpore primò facta, & hæ capaces sunt alterius corporis substantiam penetrare, illudque consimili malignitate contaminare.

DICES 1. Rabies canina est contagio ut constat; sed hæc rabies non est putrefactio, ergo falsum est quod contagio sit putrefactio. Resp. neg. min. quia reverà in rabie saltem secundum minimas particulas intervenit putrefactio factâ contagione ab alio, esto id lateat nos sensumque nostrum subterfugiat, quia minimùm constat quod canes in rabiem acti febre afficiantur, quod & de hominibus intellige, saltem ut plurimùm.

DICES 2. Pestis contagio est, sed hæc non est semper putrefactio, quia experientiâ aut consensu multorum Medicorum constat, sæpè reperiri pestem absque febre; quod tamen non posset esse, si contagio semper sit putrefactio. Resp. quamvis sæpè fiat, quod in peste non observetur insignis aliqua putredo sicut in febribus putridis, in quibus sanguis & humores verè putrescunt, semper tamen & in omni peste adesse aliquam putrefactionem, id est corruptionem minimarum particularum in corde, calore & spiritibus vitalibus, quæ si non sufficiat ad febrem producendam, sufficit tamen ad mortem celeriter inferendam: Deinde seminium illud, quo mediante fit contagio, semper habet vaporem putridum, ut patet in halitu pestilentiali; qui per putrilaginosas suas particulas contaminat vitalia.

DICES 3. Contagio est illa actio, qua malum aliquod communicatur alteri, sed talis actio non est putrefactio, quia hæc est mutatio totius; ergo contagio non est putrefactio vel corruptio. Resp. non esse sensum definitionis, quod contagio sit formaliter ipsa putrefactio, sed tantum consecutivè, id est, quod tum fiat putrefactio quando fit contagio, quia non potest esse contagio absque putrefactione sive

Contagio non est putrefactio formaliter sed tantum consecutivè.

 corru-

corruptione etiam in peste in qua saltem spiritus vitales aliæque particulæ insensiles corripiuntur, licet febrem manifestam non faciant.

DIFFICULTAS XV.

Quot modis fiat Contagio.

QUæritur an semper eodem modo fiat infestio & an contagiosa semper uniformiter fficiant.

NOTA, multa esse ut experientiâ & longâ observatione constat, à quibus signa prænuncia futurarum contagionum petantur, nimirùm à cœlo, ab aëre, à terra & iis quæ circà terram aguntur, quæ tamen ita vera sunt, ut probabilitatem habeant, non certitudinem, ideòque nec timenda semper nec omninò negligenda: sunt autem inter hæc imprimis varii aspectus syderum Astronomis noti & crebra incendia aeris quę juxta Meteorologicos ostendunt putrefactionem fieri in terra, ex qua tot unctuosi lentiq; fumi ascendunt. 2. Si austri multum perflent: si ex ea regione continuò venti aspirent ubi pestis aliique morbi maligni & Epidemii grassantur; si flumina inundantia diu stagnent, si maria piscea mortuos copiosè in littoribus deponant, &c. 3. Terra quoq; dum ubertim insecta progenerat, putredinem conceptam nunciat, quæ nisi tota in ea animalia absumpta fuerit, contagiosa erit. 4. Locustarum exercitus omnia depopulantes non solum significat ingentem putrefactionem præteriisse, sed etiam novam faciunt eo io loco ubi commoriuntur, ut accidit anno 1478. in agro Ferrariensi. 5. Idem nonnunquam præstant cadavera cæsorum in præliis, ciborumque quorundam frequens usus, quorum alii propter varias humorum in corpore corruptiones, alii alium morbum progerminant. 6. Animalia quoq; subterranea sæpè infectionem sive præsentem sive futuram prænunciant, si è latibulis propriisq; laribus exeunt. Ultimò deniq; pestem & morbos malignos prænunciant longæ urbium oppugnationes, castrorumq; metationes, quia hic undique cæduntur jumenta, manent insepulta cum extatum cadavera, excitantur intolerabiles fætores, inficiuntur alimenta, aquæ & aer ipse, quę omnia cum in quotidianum usum hominis veniaot, vitiosum sanguinem & putredinem generant, prout his nostris annis & bellis ante Ræisbonam, Pragam, Nördlingam aliisque in locis factum esse novimus. Jam

DICO breviter, Contagionnm alia solo contactu proprio afficit, qualis est uvæ ad uvam, pomi ad pomum, quia immediatus hic contactus facit ut contagio unius pomi transeat etiam in aliud; alia & proprio contactu & fomite inficit ut scabies, lepra, phthisis, dysenteria, &c. Nam sicut quis scabiosus fit dum ab altero contrectatur; ita etiam hoc idem accidit dum vel pannum vel linteum vel vestes alterius scabiosi contrectat: Dicitur autem fomes ut constat, lana, pannus, vestis lignum aliaq; multa foraminosa, quæ ad propagandam luem sunt idonea; Et servant hi fomites conceptum virus ad menses & annos, quia insensiles particulæ adhærescunt, quas vel primum corpus putridum vel alia infecta ejaculantur, quæ deinde per fomitem in res varias levi contactu disseminantur, quo ferè modo odor è pomo citrio vel quavis re alia odorifera emissus vestigium in manu contrectantis relinquit. Alia deinde contagio inficit per aerem & in distans, ut pestis, lippitudo, &c. fit enim sæpè ut uno quasi momento & ictu oculi pestilentiales contagiones pervadant totum animal & interimant; quando nimirùm aer fomitis vices agit, qui per respirationem attractus facilem ad vitalia habet accessum, in quibus statim vitæ principium uno impetu corripit & corrumpit. Ad lippitudinem quoque in distans trajiciendum multum faciūt accensi spiritus catervatim ex oculis astātium erumpentes, qui ab aere se unitum conservare volente statim dissipantur latissimèque disperguntur. Denique contagionum aliæ per summa errant & vix cutem carpunt, ut fit dum canis rabiosus saliva vix aliquem prehendit, vel humor malignus in aliquam corporis partem stillat; aliæ profundius immerguntur & solidiora occupant, ut dum halitus pestilentialis substantiam cordis aliorumque viscerum penetrat; aliæ se statim manifestant, aliæ non nisi longo tempore post; aliæ sunt lethales, aliæ sine periculo.

DIFFICULTAS XVI.

Quisnam morbus sit contagiosissimus.

DICO 1. Pestis sive cum febre conjungatur sive non, maximè contagiosa est. Probatur primò ex definitione qua dicitur malignissimus & contagiosissimus, & illud quidem desumitur ex summitate symptomatum, hoc autem ex intensione malignitatis, qua non tantum oppugnantur vitalia, sed etiam producitur simile. Secundò, In peste reperiuntur omnes illæ conditiones, quæ ad contagionem requiruntur, imò plus quam in ullo affectuum malignorum, ergo. Antec. probatur ex dictis, quia venenum in peste est præ cæteris maximarum virium, est cum humore lento & viscido, est in particulis insensibilibus, est in vapore sordido putrilaginoso, habet peculiarem cum vitalibus dissensum, à quibus etiam vix aliquam reperit resistentiam. Tertiò, malignitatem pestilentialem inter omnes affectus minimè possumus evitare, ergo contagiosissimus est æstimandus; Antec. patet, quia pestem recipimus potissimum per inspirationem aeris, quem necessariò haurimus, & qui propter humiditatem suam & raritatem aptissimus est ad excipiendas propagandasque peregrinas malignitates,

tates, ita quidem ut & ipse aliquando corrumpatur prout accidisse creditur in illa insigni pestilentia, de quo Thucidides ut author est Ludov. Septalius in probl. Aristot. sect. 1. probl. 7. Efferuntur autem sæpè ejusmodi vapores è sepulchretis antrisque interraneis per terræ motum vel Solis ignisque calorem; aer etiam vitium contrahit in arculis ubi diutius clausus fuerit sine perspiratione, quia iis postea apertis & putridum halitum efflantibus primùm pauci, mox plures, tandem plurimi eodem morbo corripiuntur, quod Gal. tempore sub M. Antonio in Seleucia contigisse apud Jul. Capitolinum legimus, ubi cum in templo Apollinis aurea arcula à militibus Vidii Cassii avidioribus in prædam aperta fuisset, halitus fœtidus ergressus non modo Babyloniam totam, sed & Parthos & orbem universum peste ita contaminavit, ut tertia humani generis pars per eam perierit.

DICO 2. Post pestem veniunt febris Ungarica, petechialis, &c. de quibus jam in antecedentibus satis actum est. Et his Fracastorius adnumerat variolas, quem morbum pauci effugiunt, & ut Andreas Laur. l. 2. suarum quæst. anatom. inter decem millia vix unus. Quanta autem sit controversia & difficultas de earum causa, satis constat inter Medicos, quorum aliqui putant antiquis fuisse morbum incognitum; Potiores tamen docent apud antiquos Græcos innotuisse, & præsertim apud Hipp. I. Epidem. ubi pustularum parvarum rotundarum meminit, quamvis illis temporibus fortè mitior fuerit ob exquisitam victus & temperantiæ rationem. Quicquid autem Fernel. de aere infecto, & Hier. Mercurial. de inclementia cœli judicent, certè probabilior est eorum sententia, qui docent variolas oriri ex impuritate materni sanguinis quo alitur fœtus in utero, & quo partes omnes carnosæ & solidæ quæ hoc nutrimento coaluerunt, semel in vita instar musti depurari debent; qui enim semel perfectè variolis functi sunt (redeunt aliquando propter vim debilem expultricem & reliquias remanentes) iisdem amplius non laborant, omnemque illam impuritatem ejiciunt. Si quæras, numquid etiam bruta his iisdem pustulis tententur; Resp. incertum esse; Quod si tamen nihil tale patiantur, fieri ideò putandum est, quod ficciori cibo utantur, & totam vitam in laboribus degant, adeòque materni sanguinis reliquias & impuritates facilius digerant quam homo, qui primum septenarium ferè in otio & multo lactis pultiumque esu consumit.

DIFFICULTAS XVII.

An pestis necessariò in pluribus subjectis se disseminet.

Si pestis est morbus malignissimus & contagiosissimus, sequitur eum nunquam esse absque contagione; Quæritur itaque qua necessitate hoc verum sit;

Adverte, ad contagionem non requiri solùm vim agentem, sed etiam certum & determinatum subjectum quod cum habilitate vim illam in se recipiat; & hinc sensus quæstionis esse potest, an pestis semper actu inficiat præsentes, vel an sufficiat inficere posse si debitè applicetur ad passum.

DICO 1. Pestis ex se necessitate absolutâ in plures sese disseminat si debitè applicetur; Ratio est, quia hæc est ejus natura ut contaminet, ergo competit illi necessitate absoluta corripere plures quantum in se est; Nam eadem est vis contaminativa pestis, quæ est purgativa rhabarbari, calefactiva vini, piperis, cinamomi, stupefactiva opii, mandragoræ, &c. quæ omnia cum sint agentia purè naturalia, ex se ubique liberè agunt nisi aliunde impediantur, aut passo improportionato objiciantur; cum itaque in conclusione addita sit particula *ex se*,

DICO 2. Pestis in ordine ad subjectum in quo agendum est, non disseminat se necessariò in pluribus; Ratio est, quia non reperit ubique subjectum proportionatum; Nam ut pestis in hominem agat, debet hujus vitalia partim habere similia, partim dissimilia; Quod autem pestis hanc conditionem non semper reperiat, ex solo effectu cognitum habemus, quia multi sunt hominum, qui innocuè inter pestiferos versantur; Et hæc doctrina est Arist. l. 1. de gen. c. 7. ubi ait, agens & patiens aliquo modo esse similia & aliquo modo dissimilia; illud quidem ut actio possit fundari in subjecto, unde ignis non incendit lapidem aut aquam; hoc verò ut agens habeat causam agendi. Quod si dicas, omne agens assimilare sibi passum, quod de peste non videtur dicendum esse, cum non possit sibi assimilare substantiam cordis vel calidum nativum. Resp. Pestem producere in corde, in calido nativo, in spiritibus vitalibus, in visceribus pestem & contagionem sibi similem, quæ assimilatio verè competit axiomati, sicut & calor ignis quando agit in aquam; Quamvis enim hanc sibi non possit assimilare secundum substantiam, assimilat tamen eam secundum qualitatem, videl. calorem quem in ea producit.

DICO 3. Ut pestis inficiat & in alios sese diffundat, aliquot tam ratione sui quam ejus subjecti in quo producenda est contagio, requiruntur conditiones. Prima ratione pestis seu veneni est, ut

immediatè

immediatè contingat hominem & cum ejus partibus conjungatur. 2. Ut sit in partibus raris & tenuibus quibus penetret. 3. Ut sit cum humore quodam lento conjuncta qui faciat ut pertinaciter adhærescat. 4. ut sit magnæ efficaciæ, quæ nullam in corde reperiat resistentiam. 5. Ut sit in materia mobili, v.g. in spiritibus calidis, unde cadavera non sunt tam periculosa quam corpora adhuc calidum spirantia. Prima conditio ratione corporis passi sive hominis est, ut vitiosis abundet humoribus, quamvis hæc ratio non semper valeat, ut patet in vespillonibus & iis qui semper ebrii versantur innocuè cum infectis. 2. Ut in homine nullæ sint vel totius corporis vel cordis peculiares dispositiones quæ vel malignitati sint magis familiares vel validius ei resistant. 3. Ut in periculum ultrò se quispiam præcipitet, vel casu in hoc interitum incidat; Nam sicut nihil facilè præsentius quam longè ab omni periculo abesse, ita nihil beatius quam ab hoc malo ita conservari, & ab omni infortunio quod casuale solet esse, manere immunem. 4. Denique ut animus sit metu plenus, & continuis cogitationibus præsenti periculo non immersus. Quæ contrario modo se habent magis liberum ab hoc malo faciunt hominem, eumque etiam in medio periculo positum præsentius tuentur.

Etiam illa pestis est, quæ paucos vel unum etiam invadit. *Colligitur*, etiam illam pestem esse quæ præter unum in civitate vel oppido neminem actu corripiat, quia per hoc non amittit potentiam corripiendi & contaminandi multos, nisi tamen moraliter potius id malum vocemus pestem, dum plurimi corripiuntur & pereunt actu.

DIFFICULTAS XVIII.

An necessum sit peste multos perire.

QUæ ratio quærendi de contagione fuit, eadem hic est de interitu. Nam quæritur an necessariò multi ex infectis pereant: Et videtur esse etiam eadem ratio respondendi; Nam

SUPPONO, pestem vel considerari posse secundum se & naturam suam, vel in ordine ad hominem & animal quod apprehendit; Jam

DICO 1. Pestis secundum se spectata vel omnes vel plerosque interimit quos corripit. Ratio est, quia consensu omnium Medicorum morbus lethalis est, & patet ex Hip. in l. Epidem. passim, tum ex Gal. 3. Epidem. comm. 3. t. 20. l. de Theriac. ad Pison. c. ib. aliisque plurimis in locis. Deinde vis hujus veneni comparata ad naturam hominis longè efficacior & fortior est, ut patet ex iis quos corripit & necat, ergo in se spectata vel omnes vel plerosque jugulat quos invadit, id quod etiam longa sæculorum experientia testatur.

DICES, pestem suscipere magis & minus adeòque in multis non esse tam ferocem, ergo ex se non semper est mortalis. Resp. primò, pestem etiam in gradu remisso esse mortalem. Secundò, incertum esse an malignitas pestilentialis magis & minus suscipiat, quia quod in uno ferocius quam in altero operetur, id interois dispositionibus corporis tum sanguinis putrefactioni asscribendum est: Quod si itaq; virulentia benigna fuerit & mitis, non pestem sed febrem malignam petechialem vel Ungaricam constituit, vel certè peculiari dispositioni corporis debetur. Et hinc

DICO 2. Pestis in ordine ad animal vel hominem spectata aliis mortalis est, aliis salubris, adeòque non absoluta necessitate pluribus interitum affert: Est imprimis experientiæ, quâ videmus non tantum ab iis qui pestiferi sunt, paucos corripi, sed etiam qui correpti sunt, jugulari, ergo qua necessitate fit contagio in peste, eâdem quoque accidit mors & interitus, cujus ratio petenda est ex dispositionibus subjectorum, ut patet ex dictis; sunt autem ejusmodi dispositiones meatus corporis ampli, per quos facilè maligni vapores repellantur, viscera benè formata, ita ut unum facilè in alterius sive statum morbosum sive salutarem consentiat, eiq; auxilium præbeat; calidum nativum copiosum totoque corpore laudabiliter dispositum, & quod præcipuum est, peculiaris quædam inter vitalia & virulentiam convenientia aut sympathia, quæ probabiliter multis inest corporibus & nobis ex effectu solùm cognita; Vide quæ Mithridati fuerit familiaritas cum veneno.

DICES 1. Ex dictis sequitur, non esse necessarium absolutè, inter omnes qui in aliqua civitate corripiuntur peste, mori vel unicum; sed hoc est absurdum, ergo & illud; Antecedens patet, quis si unus evadat mortem, poterit & alter evadere & consequenter omnes qui correpti sunt. Resp. necessariò peste vel multos vel omnes perire si hæc per se spectetur, quia facilis est morbus cui non facilè vires humanæ correspondeant: Quod si tamen in ordine ad hominem spectetur, necessarium non est, quemquam, si corripiatur, perire, etiamsi necessum sit, extrema pati symptomata: illud quidem quia poterunt id impedire dispositiones internæ ubique pares, hoc autem quia morbus est ferocissimus & malignissimus, ergo etiam cum extremis accidentiis, nisi tamen id eædem dispositiones impediant. Itaque negatur absurdam esse minorem.

DICES 2. Nulla hactenus celebratæ fuerunt pestes ab historicis, nisi ubi multi correpti fuerint; Et solemus eas tantum pestes dicere, quando multi inficiuntur, & pereunt, ergo illa non est pestis, quâ vel pauci corripiuntur & moriuntur. Resp. pestem esse morbum qui semper dicit ordinem ad corpus quod corripit; Deinde pestis oritur vel

à corruptione interna sanguinis & humorum quæ paucis in civitate vel provincia accidit, vel insuper à vitio aeris & communi corporum dispositione; si primum, sufficit unum aut alterum in civitate corripi, quia pestis est morbus sporadicus; si secundum, multi corripiuntur & pereunt, quia causam habent communem, qua pestis excitatur.

DICES 3. Pestis semper est contagiosissimus & malignissimus, ergo semper multos corripit & occidit. Resp. sufficere quod possit multos corripere & jugulare, etiamsi id actu non faciat, quia id impedit interna corporum dispositio; Quod autem illæ solùm celebrentur pestes, in quibus multi corrupti perierint, id historicum est non philosophicum, quia interitus multorum non ingreditur essentiam pestis, sed malignitas quæ summa infert symptomata per se & interitum per accidens; sed nec contagio actualis est de essentia pestis, quia sufficit potentialis, si videl. subjectum debitè applicetur, & sit pesti proportionatum.

Pestis est contagiosissimus & malignissimus potentia tantum.

Colligitur, etiam illam pestem esse, quæ paucos vel nullum jugulat, si modò humini periculum mortis & extrema inferat symptomata, quia corripere & perimere extrinseca sunt.

DIFFICULTAS XIX.

An corpora viventia, an verò cadavera sint magis contagiosa.

ADverte, non esse hic comparationem vel sensum quæstionis de corporibus inanimatis, ut de aere, halitu, vaporibus, &c. sed de corporibus vel animalium vel hominum, an videl. sint magis contagiosa cum adhuc vivunt, an verò cum mortua refriguerunt. Et sunt diversæ hac in re opiniones. Nam imprimis Rondel. l. de curatione febrium docet, corpora peste emortua nullum amplius habere venenum, sed cum vita totum exspirare; Et hujus potissimum fundamentum habet experientiam, quà ait se multa corpora enecta peste præsentibus studiosis absq; noxa & damno secuisse; Quod si autem aliquod contagium ab ejusmodi hominibus contrahatur, id non non corporibus sed pannis & vestibus potius esse deferendum. Contrarium docet Jobertus l. de peste c. 3. ubi ait, à corporibus viventibus longè minus periculum imminere quam à mortuis; Rationem dat, quia in viventibus ait adhuc esse calorem vitalem, qui venenum nonnihil obtundat, illo verò extincto universum corpus à veneno occupari & putredine. Alii medium tenent & docent, quamvis cadavera non sint omninò à peste immunia, minus tamen viventibus esse periculosa. Cum his

DICO 1. Etiam cadaveribus suum remanet venenum. Est contra Rondelatium & prob. 1. etiam in cadaveribus remanet putredo, imò augetur, ergo falsum est totum venenum cum vita perire. 2. Cadavera statim terræ mandari solent nullam aliam ob causam quam quia venenosa sunt, & verendum, ne alios inficiant, ergo venenum adhuc habent & spirant. 3. Cadavera fœtent, ergo tetrum & putrilaginosum vaporem & cum eo venenum expirant. 4. Docet experientia, multos à corporibus jam emortuis contaminari, ut sunt vespillones & qui cadavera deportant.

Cadavera habent venenum.

DICO 2. Magis sunt periculosa corpora viventia quàm emortua; Est contra Jobertum, & prob. primò: Contagio magis residet in partibus vel spiritibus vel halitibus calidis, raris, tenuibus & velut insensibus quam in vaporibus frigidis & frigore densatis; sed illis abundant corpora viventia, ergo plus contagionis habent. 2. Magis contagiosa sunt corpora perspirabilia, quæque poros undique apertos habent, & non clausos; sed illud de viventibus & hoc de mortuis verum est, ergo illa magis sunt contagiosa. 3. Corpora viventia sunt in continuo motu, idcòque faciunt magis exhalare vapores & spiritus malignos; è contrà verò mortua sunt immobilia, ideòque minus exhalant, ergo probabile imò manifestum est, à vaporibus viventibus plus imminere periculi, quia cum expiratione continuum excludunt venenum.

Plus autem corpora viva.

DICES 1. Qui cum pestiferis agunt, plerunque iis extinctis inficiuntur, ergo cadavera sunt magis contagiosa. Resp. neg. conseq. quod autem contagio corripiat utplurimum alios post mortem infectorum, causa est quod malum jam prius contractum dispositiones prævias ad formam introducendam fecerit. Non enim subitò quis peste corripitur aut certè rarò, si infectos accedat.

DICES 2. Ubi major est putredo ibi major contagio; sed in cadaveribus major est putredo, ergo. Resp. cadavera vel considerari quatenus in hominem viventem excipiunt, vel quatenus paulatim in meram putrefactionem & corruptionem abeunt: Primo modo non expirant tantam malignitatem, quia sunt sine motu & evaporatione: Secundo modo sunt magis contagiosa, quia dissolvuntur paulatim in merum fœtorem & putrilaginosum halitum, quia omnia contagione corripit. Quando itaque dicitur corpora viventia esse cadaveribus magis contagiosa, intelligenda sunt cadavera recentia non putrida & fœtida: Et hinc si

DICAS 3. Laudabiliter in benè constitutis rebus publicis observari, ut cadavera quamprimum terræ demandentur & quidem altius defodiantur, ne contagionem augeant. Resp. benè fieri, quia cum hæc corpora plena sint humoribus, facilè putrescunt, eòque magis quia jam prius cum contagione inceperunt putrescere, ideòque metuendum ne cum putrefactione crescat etiam contagio, quod sæpius fieri & ratio & experientia in occisis tam brutorum quàm hominum cadaveribus & insepultis docet; Et hoc confirmat

Thuci-

Thucidides de peste Attica, in qua ait multa millia hominum periisse & insepulta jacuisse, & quæ ex brutis hæc attigerint, periisse.

DICES 4. In cadavere est venenum crudelius quam in adhuc vivente, ergo cadaver est magis contagiosum: Antec. patet, quia imprimis in vivente exhalat malignitas unà cum calore vitali, qui illam nonnihil contemperet & infringit; Deinde illa malignitas in vivente quæ tendit ad mortem, semper est major & crudelior manetque etiam in cadavere, ergo in hoc est venenum magis contagiosum. Resp. ad primum, ideò esse periculosius venenum in vivente, quia per poros totius corporis & præcipuè per expirationem exhalat spiritus & calor vitalis, qui eodem veneno imbuti sunt. Ad secundum resp. incertum esse, an veneoum illud ex quo decumbens evadit, sit minus contagiosum quam illud ex quo moritur, quia internæ sunt dispositiones quæ faciunt eundem specie morbum huic salutarem & illi lethalem esse.

DIFFICULTAS XX.

An pestis sit morbus facilè curabilis.

SUnt ex Medicis non pauci qui affirmant pestem curatu facilem esse, si modo quod addunt tempestivè manus applicetur. Cæterùm quid per facilitatem intelligant, non satis compertum est; Nam vel intelligitur, quod medicamentis facilè cedat sicut febris diaria, vel quod paucis remediis opus habeat, quia paucis diebus aut horis durat, vel quia una vel altera intensione solùm illi occurritur.

SUPPONO autem ex dictis, pestem seu febrem pestilentialem esse morbum Epidemicum, summè perniciosum & lethalem adeò q; malignum, ut plerumque primo statim impetu naturam summis viribus oppugnet, & in corde quicquid vitam fovet & fulcit, in interitum trahat. His positis

DICO 1. Falsum est, pestem esse morbum incurabilem. Probatur primò, quia non superat vim omnem agentium naturalium, ergò sicut ab aliquo Agente per actionem physicam in corpore immittitur, ita quoque per similem actionem ab alio Agente expelli potest, quod prob. 2. experientia, qua constat, multos qui peste correpti sunt, aut naturæ bonitate aut medicinis debitè & tempestivè adhibitis convalescere.

DICES pestis est morbus lethalis, ergo incurabilis. Resp. nomen illud lethale apud Medicos non significare certum interitum, vel quasi, quisquis ejusmodi morbo correptus, mortis discrimen non elabatur; sed sumi pro effectu & constitutione, quâ ægro summum vitæ periculum incumbat; Itaque negatur consequentia.

DICO 2. Si per facilitatem intelligatur quod pestis paucis remediorum generibus opus habeat, & quod intrà biduum aut triduum vel naturam supprimat vel à medicamentis longo usu & experientia hactenus comprobatis expellatur, verum est quod facilè sit curabilis; Nam verum est quod paucis medicinis egeat, quæ primis horis virulentiam frangant; verum etiam est quod affectus sit qui facilè cognoscatur, & qui solum desiderat vitalium defensiva & veneni expulsiva; Verum denique est quod media ad hunc finem obtinendum cuivis facilè Medico sunt cognita, quia cum unum operandi modum intendant, longo seculorum usu & praxi omnium Medicorum experientia sunt comprobata.

DICO 3. Falsum est, pestem facilè curari si per facilitatem intelligatur affectus qui medicamentis facilè cedat. Probatur primò, pestis ex natura sua est malignissimus & deterioris conditionis, quam ullus cæterorum affectuum, quod patet ex ejus efficacia & celeritate in agendo & corrumpendo naturam humanam, ergo difficillimè profligatur viribus remediorum, adeòque periculosior est ejus cura, quò natura virulentior, nisi tamen per curam facilem intelligatur brevis ad salutem aut interitum via, quod esset nugari. 2. Nemo hactenus in cognitionem hujus malignitatis & contagionis devenire potuit, ut fatentur omnes Medici, ergo falsum est esse curatu facilem, præsertim cum media hactenus solâ experientiâ edocta cœco quodam ductu adhibeantur; Non enim semper hoc venenum ullis consuetis & usualibus medicamentis cedit, ut constat experientia, quod signum est maximam huic malignitati & veneno fraudem subesse, cum præsertim ita inaffectibus evariet, ut omne humanum auxilium sæpè respuat & doceat omnem Medicorum scientiam in ejus natura penetranda frustraneam esse. 3. Si morbus hic facilè curabilis esset, multi diligentia Medicorum evaderent; sed hoc falsum est, ergo & illud. Nam aliquando vix vigesimus aut trigesimus mortis periculum maxima etiam Medicorum cura & solertia elabitur. 4. Pestis utplurimum primo statim impetu omnes in homine prosternit vires, adeòque enervat, ut nullam amplius actionem in propulsandam à corde malignitatem habeant, ergo falsum est pestem facilè curari etiam prima statim invasione.

DICES, sæpè fieri, eos qui tempestivè de remediis sunt solliciti, paucis horis evadere, ergo pestis est facilè curabilis. Resp. primò, hæc rarò accidere & casu, cujusmodi etiam sæpius fiunt à vetulis & obstetricibus. 2. Experientiam hanc falsam esse, nec fuisse initium pestis sed aliquod inquinamentum quod seipso frequenter etiam absque cura media evanescit, ut in febribus diariis aliisque mille casibus fieri solet, in quibus nonnulli Medicastrorum ut fumos vendant, mirè suas experientias, labores, industriam & studia deprædicare noverunt.

DIF

DIFFICULTAS XXI.

Quomodo curanda sit pestis & præcavenda.

NOn quæritur hic, quibus in specie medicamentis hæc funesta lues sit infringenda, an in ea purgandum, an sanguis mittendus, quibus vires restaurendæ, &c. quia hæc ad practicos spectant; Itaque sensus quæstionis est an media adpestem tollendam debeant esse calida, frigida, occultè alterativa, tractiva, &c. & quis modus eam præcavendi.

NOTA, morbum sive generatim sumptum sive speciatim curari vel per se vel per accidens, id est, formaliter sive causaliter & materialiter. Primo modo, quando medicina directè & immediatè dirigitur ad morbum oppugnandum; ut dum hydrops emissione humoris aquei curatur & febris refrigerantibus; secundo, quando medicina dirigitur ad causam auferendam, sive id fiat purgantibus sive sudoriferis sive aliis quibuscunq; viis & mediis, ut dum febres per evacuationem humorum putrescentium tolluntur.

DICO 1. Pestis curatur ad eum omninò modum quo omne genus cæterorum morborum. Probatur, omnes morbi vel curantur formaliter vel causaliter, ut patet ex notabili; sed pestis hoc utroque modo oppugnatur, ergo non secus ac reliqui morbi. Major est rationis, minor est practicorum, qui dum pestem formaliter curant, opponunt omnis generis alexipharmaca & cordialia, quæ longo usu noverunt esse ad opprimendum venenum comprobata; quando autem causaliter, impediunt putrefactionem, expellunt halitus & vapores malignos sudoriferis, &c.

DICO 2. Pestis non tollitur per calida aut frigida, quæq; manifestis qualitatibus operantur, sed per occultè alterativa. Hæc conclusio desumitur partim ab ipsa natura veneni cui nec calor nec frigus, nec manifestarum qualitatum aliqua resistit, sed tantum illa quæ occultè operantur, partim ab ipsa experientia, quæ docet nunquam pestifera per se calida, frigida, &c. profuisse. Solum itaque directè inveneno agunt alexipharmaca, in quibus, quicquid virium aut efficaciæ in pestem ejusque malignitatem experimur, id non à sensu sed ab usu & longa experientia habemus. Si quæ autem calida aut frigida videantur opem adferre, id non in ordine ad venenum opprimendum faciunt, sed ad alios fines, cujusmodi sunt contemperare calorem, extinguere sitim & excitatem, aperire internos corporis motus, &c.

DICO 3. Multa sunt à quibus pestis præcaveri debet. Nam imprimis avertunt pestem alexipharmaca, in quibus peculiarem cum malignitate dissensum experimur; & his ipsis ita muniuntur vitalia contra vapores aut halitus malignos. Deinde eandem malignitatem repellunt vel præpediunt medicinæ, quæ corpus omnibus excrementis & vitiosis humoribus eluunt, ne facilè gignatur virulentia; Et in hanc intentionem sunt boni odores, fumi, flammæ, quæ partim internum calorem cordis recreant, partim vapores malignos in parietibus, vestibus, pannis, aut etiam in ipso aere oberrantes consumunt & opprimunt. Tandem feliciter & cum optimo successu contagionem inhibent ea omnia, quæ communissimo illo Medicorum versu explicantur, videlicet

Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.

Nam nihil præsentius quam loco suspecta fugere, iisque ex locis sese subtrahere, in quibus contagio hominem prehendit; Nihil etiam securius quam procul abesse à locis infectis, quia longius sæpè medio aere & vapore maligno devehitur hoc venenum, ut experimur in magnis mortalitatibus, in quibus oppida & civitates nemine aliunde ex infectis adventante corripiuntur. Nihil denique ad vitam conservandam commodius quam tardè ea loca revisere ubi contagio prius fuerat, quia ut pertinaciter halitus venenosus omni suppellectilium generi adhærescit, ita quoque difficulter hinc avellitur aut viribus suis frangitur, adeòq; post multos sæpè menses instar immanis belluæ in propius accedentem ruit & sævit. Sed hæc & multa alia vide fusissimè apud Fracast. Mercurial. Jobert. Merc. Capivaci. Sennertum & alios pertractata.

DIFFICULTAS XXII.

An pestis sit morbus à Deo primum homini immissus & postea naturaliter propagatus.

SEnsus difficultatis est, an Deus omnium primò peste humanum genus punivérit, eamque se solo produxerit, ut postea ex hujus fomite vel seminio alicubi inter homines relicto in hanc vel illam nationem naturaliter sicut alii morbi Epidemii propagata fuerit: Nam constat nullum esse affectum, qui tanta crudelitate per contagionem in homines sæviat, ut proinde hic inter omnes præcipuus sit, quo Deus sæpè provincias & regna vastaverit.

DICO 1. An pestis primò naturaliter & ad modum aliorum affectuum vel virtute divina ad puniendum hominem inceperit existere, incertum est, hoc tamen certum ex sacris litteris hanc sæpè à DEO excitatam fuisse, antequam vel Medici vel rerum naturalium indagatores hujus meminerint. Exemplum sit regius Psalmista, qui inter alias à Deo sibi ob peccatum immittendas & eligendas pœnas pestem appetiit, dum excla-

exclamat, melius est incidere in manus Domini quam hostium, &c.

DICO 2. Sicut pestis à solo Deo primitus, ita etiam à causis naturalibus excitari potuit. De Deo nulla est controversia, quia potest hic eam in hominem immittere & rursum tollere quoties & quando vult. De causis naturalibus etiam probatur primò, quia ejus productio non superat vim alicujus effectus naturalis, quòd constat tam ex modo quo gignitur, quam ex virtute agentium naturalium & ex dispositione subjectorũ in quibus est receptibilis, ergo naturaliter prodoci potest. Secundò, adbuc in hodiernum diem naturaliter & ut cæteri morbi producitur, ergo & olim sine prævio veneno produci potuit: Nam potuerunt ad ejus productionem olim concurrere omnes conditiones & circumstantiæ quæ hodierno tempore, ut influentiæ cœlorum, variæ eleméntorum actiones, corruptiones & putrefactiones corporum & si quæ sunt plura ad excitandam pestem requisita. Neque dicas pestem nostris seculis semper incipere ab aliquo seminio antiquitùs relicto, quia respondeo &

Etiam influentia cœlorum disponunt ad pestem.

DICO 3. Potest pestis seipsa, id est, à causis naturalibus absque ullo seminio alicubi in aere vel mixtis relictis incipere. Probatur primò, possunt alii morbi etiam maligni quiq; proximè ad pestem accedunt, absque relicto seminio incipere ergo & pestis, quia eadem est utrimque ratio: neque enim superat productio pestis productionem aliorum affectuum aut virtutem alicujus agentis naturalis. 2. Accidit sæpè ut pestis in loco incipiat ubi nunquam pestis visa, aut quò nunquam ejus seminium deportatum fuit, ergo necessum est incipere à causis internis & naturalibus. Quod si Dicas ab aere qui facilè mobilis est, illuc fuisse deportatam; Respondetur, si ab aere id fieret, deberet multos simul corripere; ponamus autem unum solummodo vel duos saltem fuisse correptos, quod fieri posse suprà ostensum fuit; Deinde supponimus fieri in loco ubi aer semper est serenissimus & purissimus neque unquam hujusmodi corruptiones admittit. Denique possunt excitari in hominibus & brutis ejusmodi dispositiones, ad quas necessariò sequatur summa malignitas cujusmodi est pestis; Et possunt etiam harum dispositionum reperiri varia agentia naturalia, quorum virtuti & actionibus asscribantur, ergo certum est & infallibile, pestem seipsa, id est, à causis naturalibos tam externis quam internis excitari posse; malignitas enim oritur à summa humorum corruptione & putrilagine, ut alibi patet, & hæc à variis causis & dispositionibus tam internis quam externis excitatur.

Pestis se ipsa incipere potest absq; contagione

DISPVTATIO XIII.

De Qualitatibus occultis in genere, & in specie de Influentiis cœlorum.

CIrcà has qualitates magnæ tam inter Philosophos quàm Medicos existunt difficultates, dum quisq; aut pertinacius eas tuetur, aut inconsideratius rejicit, interq; manifestas & eas quæ à primis oriuntur, contemptim adnumerat. Sunt tamen ipsæ tantò difficiliores cognitu, quantò minus sub sensum cadunt, ut proinde mirum non sit, si de ipsarum origine & natura magni viri nõnunquam dubitaverint: De primis certè & secundis, de quibus hactenus paucis actum est, faciliora & certiora sunt quæ dicuntur, quia sunt objecta sensuum, palpanturque in multis tam manibus quàm cernuntur oculis; hic autem inter entia tam abstrusa hæret animus & cæcutit intellectus, quia sequitur illud tantum, qood species intelligibiles à phantasmatis elicitæ vel falsò vel verò suggerunt, nec satis aliquando tantam in humili subjecto miratur virtutem, penetratque difficulter proportionem inter agentis & passi naturam. Et quis non obstupescat, si videat in rebus sublunaribus per naturæ operationem fieri, quæ solius esse Dei credidisset? Magnetem novimus omnes, sed vim ejus tractivam non item, & quod ad ejus præsentiam ferrum nullâ penitus animâ informatum tam violenter rapiatur. Cætera hic taceo, quia dabit præsens disputatio, quid de his qualitatibus credendum & æstimandum sit, qoarum natura & essentia ut juxtà optimorum Authorum doctrinam paulò altius repetatur, occurrit primùm

DIFFICULTAS I.

An dentur occultæ qualitates.

DE his fusè agit Jac. Schaghius de occultis medic. facultatibus: Et ut eas non tam firmiter adprobaret quam solidè confirmaret, altius rem orditur, repetitque multa, quæ ex Physicorum scholis desumpsit, & hypothesium loco verius ut putat, apponit: multa enim libro citato loquitur de virtualibus & formalibus

libus medicamentorum facultatibus, de earum gradibus & ordinibus, de formis substantialibus earumq; differentiis, de mixtione, de temperamentis, de proprietatibus, de accidentiis, de potentiis & actibus, de virtute agentium, & passivorum, de productione substantiarum & accidentium, de putredine sive corruptione naturali; &c.

Cæterùm quid nomine occultæ qualitatis intelligatur, non omnium una est opinio; Nam aliqui ex Medicis, qui tantum in ordine ad sanitatem hominis circa Medicamentorum virtutes & affectus corporis solliciti sunt, eas tantum comprehendunt, quæ à tota substantia, id est, à quadam aut specifica aut individuali proprietate vel forma à primis qualitatibus independenter, ut ajunt, operantur, quo modo qualitates occultæ sunt tantum illæ, quarum caula secundū Schegkium est substantia; Sed his missis

Adverte, nomen qualitatis occultæ convenire omnibus iis qualitatibus, quarum essentiam & naturam ignoramus, sive corruptivè sive perfectivè afficiant subjectum, & sive in rebus animatis & inanimatis; sive corporibus cœlestibus & sublunaribus reperiantur, ut sunt influentiæ, qualitates occultè alterativæ & motivæ, antipatheticæ, sympatheticæ, venenosæ, &c. hujusmodi sunt qualitas maligna in peste, cœlestis Influentia, qua mare commovetur, vis magnetica qua ferrum attrahitur, virtus purgans rhabarbari, toxicans napelli, stupefaciens opii, &c. His positis

Dantur qualitates occultæ. DICO, dantur in mixtis præter qualitates primas & secundas quædam occultè alterativæ & motivæ, sive à primis, sive aliunde oriantur, ut infra patebit. Hanc conclusionem docet Gal. 6. Epid. com. 6. c. 5. 3. de temp. l. 5. de simplic. Medic. facult. c. 1. 18. & 19. l. 1. de semine c. 16. 3. de locis affectis c. 7. alibique pluries. Scalig. exerc. 153. l. 11. 218. l. 8. 101. l. 14. 218. l. 8. Mercurial. l. 1. de venenis c. 8. Schegkius cit. Fernel. in lib. m. m. & de abditis rerum causis. Probatur autem primò ab effectu & modo agendi, quod utrumque videmus in hujusmodi qualitatibus; Nam quicunque effectus ab iis agentibus producuntur, longè exuperant modum & virtutem activam qualitatum quæ manifestæ sunt, ut proinde iis ascribi nullo modo possint, quemadmodum patet in tractione ferri à magnete, in corruptione caloris nativi à vapore maligno, in fluxu & refluxu maris Adriatici ab Astris, in excretione humorum à rhabarbaro, foliis sennæ, &c. quorum actiones nemo hactenus ad manifestas qualitates reducere potuit, quia hæ longè tardius operantur & blandius, illæ autem vehementius, celerius & in minimo etiam subjecto periculosius. Secundò, dantur præter potentias & virtutes formarum perfectivas adhuc aliæ qualitates, quæ, sive oriantur à qualitatibus primis sive non, ad manifestas referri non possunt, cum sint ordinis non tantum superioris & nobilioris, sed etiam naturæ ad captum difficilioris, ergo occultæ sunt & abstrusæ. Et quis quæso revocaret vim tractivam magnetis, influentias cœlestes, virtutem mortiferam napelli & sexcenta alia ad calorem, frigus, eorumque contemperationes? Quis credat antipathias & sympathias, quæ in rebus naturalibus tam variæ tamque stupendæ reperiuntur, per primas aut manifestas qualitates posse explicari? Neq; enim sunt asylum ignorantiæ in uno vel altero, cum hactenus nemo inventus sit, qui hanc ignorantiam emendaverit, aut qualitates omnes ita solidè explicuerit, ut à posteris clarè & dilucidè sicut primæ & manifestæ cognoscerentur.

DIFFICULTAS II.

Quid sit Qualitas occulta.

AD qualitatem occultam non sufficit quod sub sensum non cadat; Ratio est, quia nec potentiæ vitales sub sensum cadunt, & tamen non sunt qualitates occultæ: Nec etiam satis est, quod non semper à qualitatibus primis oriantur, quia etiam habitus, potentiæ, &c. inde non oriuntur, quamvis non sunt qualitates manifestæ: Neque hoc quod in parva quantitate vehementer corpus moveant, quia res plurimæ qualitatibus manifestis constant, & si linguæ tantum admoveantur; eam vehementer alterant, ut piper, nasturtium, &c. Et ignis quo non est aliquid facilè sensibilius, nihil habet sibi æquiparandum; cum omnia corrumpat, consumat & incineret; Nec etiam illud quod contrario videatur carere, quia etiam lumen non nisi cœco incognitum contrarium non habet, licet sit manifestissimum. Nec etiam sufficit, quod inhæreat subjecto absque expresso nomine; quia sunt aliæ qualitates, quarum nomina non sunt hactenus evulgata, quamvis ipsæ sint manifestæ, v. g. potentia formæ conservativa, regitiva corporis, reductiva aquæ calefactæ ad statum naturalem, &c. Nec etiam satis est, quod vitalibus singulariter adversetur & corrumpat dispositiones vitæ necessarias, quia etiam calor excessivus in febribus idem præstat; Deinde multæ sunt qualitates occultæ, quæ nec viventium calori nec vitalibus dispositionibus contrariæ sunt, ut vis in magnete ferrum trahens. Nec denique, quod ut ait Fernel. 2. de abditis rerum causis, quod nec mente concipi nec verbo explicari potest, quia hujusmodi ens est extra latitudinem objecti hominis.

DICO, qualitas occulta, quæ apud Medicos vocatur specifica proprietas, substantiæ propria facultas, Agens à tota substantia vel à proprietate substantiæ ex 6. Epid. com. 6. c. 5. 11. de simpl. medic. facult. & alibi sæpius, describi potest, quod sit qualitas efficaciter *Qualitas occulta quid.*

activa, quæ sub nullum sensum cadat, ideòque per effectum solùm cognoscatur. Nam imprimis efficaciter est activa, ut patet in rhabarbaro quod bilem evacuat, in magnete qui ferrum trahit, in napello qui hominem pauca quantitate sumptus brevissimo tempore occidit, in astris quæ maria commovent, in veneno aëreo quod ab homine haustum non tam calorem vitalem corrumpit quam venenum sibi simile spargit & producit; Deinde utplurimum agit ad corruptionem subjecti externi à quo etiam non facilè reperit resistentiam, ideòque celeriter & summa efficacia operatur ut mille exemplis & experientiis patet; Dico tamen utplurimum, quia non omnes qualitates occultè alterativæ & tractivæ agunt ad corruptionem in subjecto alieno, ut patet in astrorum influentiis, in magnete, &c. Deinde ut constat ex nomine hujus qualitatis, non tantum minus cadit sub sensum quam potentiæ sensitivæ, sed etiam difficilius, quoad origenem explicatur, & obscurius quoad essentiam cognoscitur, ut ex earum naturis singulis constat. Et hinc necessum est, ut cum sint entia quæ in rerum natura existant, quæque frequenter ad corruptionem & interitum experimur, ea tantum ex effectu cognoscamus, à quo proinde habemus quicquid de ejus naturæ scimus.

DICES, multas qualitates manifestas numerari inter occultas, ergo occultum non est id, quod non cadit sub sensum, aut cujus naturam & essentiam ignoramus. Antecedens patet in antipathethicis, quia in vino quod multis venenum est, occulti nihil reperitur, sicut nec in igne qui leonem terret, in mure qui Elephantem fugat, in multis fructibus horariis, ad quorum intuitum & præsentiam multi & animo & viribus solvuntur. Resp. primò, non omnes qualitates antipath. & sympath esse occultas ut infrà dicetur. Secundò, in mixtis non esse qualitates antipath. & sympath quæ respectum habeant ad omnes species vel ad omnia specierum individua; primum patet in magnete, qui tantum trahit ferrum, non aurum nec argentum; secundum in vino quod aliquibus hominum est venenum, non item cæteris. Tertiò, nobis non constare quid in vino, caseo aliisque comestibilibus tantam movent certis quibusdam hominibus in statu sano etiam constitutis nauseam & horrorem, in mure terrorem Elephanti, in igne timorem leoni, &c. quia non est qualitas aliqua manifesta sive ex primis sive ex secundis, sed est respectua alicujus transcendentalis sive essentialis inter murem & Elephantem, quo posito resultat id cujus naturam nos ignoramus, ideòque inter occulta meritò referimus.

DIFFICULTAS III.

Quare vocentur hæ qualitates agentia totius substantiæ

ADverte, ex qualitatibus occultis alias esse perfectivas, ut vis tractiva magnetis; alias corruptivas, ut malignitas corporis putridi, venena varia mixtorum; alias nec corrumpere corpus proprium nec alienum, ut eadem vis magnetis; alias corrumpere aliquando corpus alienum, ut toxicum napelli, aliquando tam proprium quam alienum, ut malignitas in aere, sanguine & humoribus.

DICO 1. Occultæ qualitates non dicuntur ideò agentia totius substantiæ, quasi sint aliquid substantiæ. Ratio est, quia sunt vera accidentia, quæ in esse suo nihil substantiale participant; Deinde quia earum esse est inhærere, intendi, minui, habere contrarium, suscipere magis & minus, &c.

DICO 2. Qualitates occultæ ideò dicuntur agentia à tota substantia, vel quia sunt ipsi magis affines quam manifestæ, vel quia habent modum agendi solo effectu nobis cognitum, vel quia solent dici communiter proprietates substantiæ. Quod sint substantiæ magis affines quam aliæ, quarum natura nobis est manifesta, id totum liquet ex earum intrinseco, & quia per solum effectum noscuntur sicut substantiæ per sua accidentia. Quod habeant modum agendi nobis incognitum, id desumitur ab experientia & ratione; hâc quidem quia non cognoscimus ejus quidditatem, ergo nec modum operandi, illa verò, quia nemo Medicorum hactenus aut Philosophorum extitit, qui satis explicuerit, quâ vi aut quo modo venenum aut malignitas in febribus calorem vitalem corrumpat, hominemque tam parvo temporis spatio perimat. Quod denique soleant dici proprietates substantiæ, id ratio sola suadet, quia non sunt rebus mixtis communes, sed quibusdam aut speciebus aut individuis solis, ut vis tractiva ferri soli magneti, purgativa choleræ aut bilis rhabarbaro paucisque aliis, &c.

DICES 1. Etiam elementa habent suas proprietates, ut patet de calore & siccitate ignis, de frigore & humiditate aquæ, ergo etiam erunt qualitates totius substantiæ, ergo occultæ: Et hoc idem intellige de quamplurimis virtutibus mixtorum, cujusmodi sunt vis calefaciens in vino, pipere, refrigerans & humectans in pepone, &c. Resp. neg. ultimam conseq. quia non omnes qualitates & virtutes quæ sunt proprietates substantiæ, pertinent ad seriem occultarum, licet è contrà omnes occultæ soleant inter propietates substantiarum numerari, qui sint perfectivæ; hoc patet in multis virtutibus vegetabilium & mineralium,

sed

ſed & in potentiis ſenſitivis & cognoſcitivis, quæ omnes manifeſtæ ſunt.

DICES 2. Multæ reperiuntur qualitates occultæ, quæ tamen non ſunt proprietates ſubſtantiarum, quamvis ſint agentia à tota ſubſtantia, ergo eſſe proprietatem ſubſtantiæ non competit omnibus qualitatibus occultis. Antec. patet in qualitatibus corruptivis, v.g. in venenis corporum putridorum & quæ ab animalibus nocivis vel morſu vel ictu inferuntur. Reſpondeo &

DICO 3. Non omnes qualitates occultæ ſunt proprietates ſubſtantiarum. Ratio eſt, quia proprietates & facultates ſubſtantiæ ſunt perfectivæ totius ſuppoſiti, & ita ſpectant ad formam ut eam in ſubjecto compleant & perficiant, ut patet de potentiis & virtutibus variorum mixtorum, ſed non omnes qualitates occultæ ſunt ita perfectivæ ſubſtantiarum, ergo etiam nõ ſunt earum proprietates. Quando itaque dicitur qualitates occultas eſſe proprietates & agentia ſubſtantiæ, intelligitur de qualitatibus occultis perfectivis non corruptivis, cujuſmodi ſunt malignitates in corporib' putrilaginoſis; vel accipiendum eſt id disjunctivè non copulativè, id eſt, qualitates occultæ vel ſunt proprietates & facultates ſubſtantiarũ, ſi ſint perfectivæ, vel agentia à tota ſubſtantia, ſi ſint corruptivæ: Unde colligis, eſſe proprietatem ſubſtantiæ & agere à tota ſubſtantia, in hoc differre, quod hoc ultimum latius patet, & conveniat etiam qualitatibus corruptivis; Quamvis autem agere in tota ſubſtantia poſſit in lata ſignificatione ad omnia agentia naturalia ſeſe extendere, communiter tamen ad qualitates occultas aſtringi ſolet, habetque ſenſum illum, quem uſurpamus, quando rem toto genere nocivam & malignam vocamus.

DIFFICULTAS IV.

Quæ ſit differentia qualitatum occultarum.

SOlent hæ variè à variis dividi, communiter tamen vel juxtà ſubjecta quibus inſunt, vel juxta modum quo in alienum corpus operantur: Et hinc

Adverte 1. Aliquando occultas qualitates eſſe toti ſpeciei proprias, aliquando nonnullis ſolùm individuis: Illud patet in virtute tractiva magnetis, quæ toti ſpeciei omnibuſque individuis eſt propria; hoc autem in antipatheticis & ſympatheticis, quæ in certis tantum individuis reperiuntur. 2. Hujuſmodi qualitates produci & naſci cum rebus ſive animatis ſive inanimatis, aliquando iis jam in ſtatu perfecto conſtitutis ſupervenire; primæ ſunt perfectivæ ſemper, quia ſunt veluti proprietates quædam & pertinent ad perfectionem ſubſtantiæ: ſecundæ autem utplurimùm corruptivæ, quia non ſunt ad complendam ſubſtantiam, ſed accidunt à cauſis corrumpentibus ad interitum, quemadmodum videmus fieri in magnis putrefactionibus & contagionibus, v.g. in febribus malignis, canibus rabioſis, &c. Dico tamen utplurimùm, quia ſolent aliquando innaſci & ſuperveniri individuales quædam proprietates, quæ habent rationem qualitatis occultæ, licet non ſint ad corruptionem vel proprii vel alieni ſubjecti ut cõtingit in antipathiis & ſympathiis.

DICO 1. Si qualitates occultæ juxtà diverſitatem ſubjectorum æſtimentur, tot conſtat eſſe diſcrepantes, quot ſunt ſubjecta ſpecie diſtincta: Dico ſpecie diſtincta, quia cum qualitates occultæ ſint utplurimùm potentiæ & proprietates mixtorum, (nam aliud eſt loqui de qualitatibus ſupervenientibus) neceſſum eſt, ut in tota ſpecie omnibuſque ejus individuis ſint ejuſdem quoque naturæ. Jam prob. concluſio, tot ſunt proprietates & virtutes ſpecie diſtinctæ, quod ſunt ſubjecta ſpecie diſtincta; ſed occultæ qualitates ſunt rerum proprietates, ergo toties variabunt, quoties variant ſubjecta ſpecie diverſa. Major prob. quia cum à formâ proprietates emanent, adeòque cuivis formæ ſuæ debeantur virtutes & proprietates, manifeſtum eſt, ex diverſitate formarum non numerica ſed ſpecifica reſultare quoque diſcrepantes, id quod per enumerationem confirmatur; Nam alias habent qualitates occultas homines in ſaliva quâ ſerpentes v.g. interimunt, alias bruta & brutorum canes rabidi, viperæ, ſcorpiones; alias vegetabilia, ut arbores, plantæ, ſemina, radices, flores, folia, fructus, ſucci, alias res inanimatæ, ut lapides, metalla omniaq; mineralia, quæ è terris eruuntur; alias denique mixta, quæ putrefactione malignitatem contrahunt.

DICO 2. Qualitates occultæ quoad operationem ſpectatæ vel ſunt alterativæ vel motivæ, quarum tamen ſingulæ peculiarem in ſua ſpecie modum tam alterandi quam movendi diſtinctum ab aliis obſervant; Ratio eſt, quia, quicquid res ſublunares ad extra operantur, id fit vel alteratione vel motione, ergo omnes earum virtutes vel ſunt alterativæ vel motivæ; Antec. patet, quia operationes ad extra vel ſunt corruptivæ & perfectivæ; ſed in utraque ſola fit alteratio & motio, quod in omnibus rerum ſublunarium generationibus & corruptionibus manifeſtum eſt, ergo qualitates occultæ vel operantur alterativè vel motivè. Quod autem ſingulæ qualitates in ſua ſpecie obſervent peculiarem & alterandi & movendi modum, prob. quia qualitas tractiva rhabarbari vel Ellebori eſt ſpecie diſtincta à qualitate tractiva magnetis, ergo etiam eorum modus erit diverſus, cui conſentiunt omnia cætera alterantia & moventia; nam aliter napellus alterat, aliter cantharides, aliter vipera, canis calidus, &c. idque per diſtinctas naturas, quas habent ſingula individua in ſua ſpecie diſtinctas ab aliis ſpeciebus & ſpecierum individuis.

Qualitates occultæ vel ſunt alterativæ vel motivæ.

Colligitur, quando Sennertus Hypomn. 2. c. 4. qualitates occultas dividit in reales & intentionales, ſive in materiales & ſpirituales, vel neſciri quid dividat, vel certè intelligi, quod

aliquando mixta vel magis vel minus operantur ad sensum, id est, quod aliquando emittant vapores sive exhalationes crassas multarum actionum fœcundas, ut patet in corporibus putridis & affectis malignis qualitatibus; aliquando autem nihil halituum aut vaporum effundant, sed in medio usque ad determinatam sphæram suæ activitatis virtutem aut virtutis speciem producant, ut patet in magnete & astris, quæ omnia ad peculiarem cujusque naturam & essentiam spectant.

DIFFICULTAS V.

An qualitates occultæ sint veræ proprietates.

ITa passim appellantur apud Medicos, apud quos jam dudum hæc opinio recepta est, dum communi nomine vocantur proprietates substantiarum, intellige tamen perfectivæ.

Notandum ex logicis, illud quod est proprium, toti videl. speciei & omnibus ejus individuis, vel esse essentiale, quo pacto differentiæ & definitiones dicuntur propriæ, ut rationale in homine, vel accidentale, quo modo homini est proprium canescere, ridere, esse Musicum, Medicum, &c. Quando itaque quæritur, an virtutes occultæ in mixtis sint proprietates, intelligendum est primò, an sint in mixtis ut essentiæ an ut accidentia. Secundò, an ita sint addictæ formæ substantiali, ut absque ea, aut hæc absque iis existere possit. Tertiò, an idem sint in herbis, radicibus, floribus, mineralibus, &c. quod sunt potentiæ sensitivæ in brutis & cognoscitivæ in hominibus.

DICO 1. Qualitates occultæ perfectivæ sunt veræ proprietates accidentales mixtorum. Ratio prioris, quod videl. sint proprietates, est, quia ita conveniunt iis ut in nulla alia specie vel speciei individuo reperiantur, quod ad veram alicujus rei proprietatem sufficit; Et hoc modo discrepant ab omnibus aliis qualitatibus manifestis, quæ non ita strictè & propriè sunt suorum suppositorum proprietates, ut patet in calore vini, qui etiam in multis aliis mixtis reperitur, in virtute astringente rosarum, plantaginis, myrtillorum, balaustiorum, &c. virus autem napelli ita illi convenit ut nullibi nisi in napello reperiatur, quod idem de virtute tractiva magnetis multisque aliis intellige. Quod etiam hæ proprietates sint accidentales, probatur, quia nihil aliud sunt nisi virtus, facultas & potentia proxima agendi, quæ omnia pertinent ad secundam vel tertiam speciem qualitatis. Deinde illud est accidentale subjecto, quod remanet formâ pereunte, & quo pereunte nihilominus remanet forma & essentia; sed utrumque contingit in qualitatibus occultis, ergo. Major certa est, minor probatur per inductionem, quia virtus tractiva in magnete vel minuitur vel omninò tollitur illæsâ formâ magnetis quæ indivisibilis est; Idem intellige de omnibus aliis qualitatibus occultis, quæ possunt vel minuuntur remanentibus interea formis suis & substantiis vel contra, ut patet in rhabarbaro quod aridum etiam purgat, in China quæ dum è patrio solo longissimum abest, morbos occultos occultè sanat, in mille radicibus, herbis, floribus, fructibus, seminibus, quæ in diversis locis seminata vel plantata magis minusq; in alienum corpus operantur, ergo virtutes sive qualitates occultæ mixtorum sunt proprietates accidentales, quia intenduntur & remittuntur illæsis formis substantialibus.

DICES, tolle vim purgantem à rhabarbaro, tractivam ferri à magnete, &c. & tolles eorum formas, ergo virtutes hæ sunt essentiales. *Resp.* primò, antecedens non semper verum esse, ut patet experientia & ex dictis. 2. Concesso etiam antecedente neg. conseq. quia sublata primis qualitatibus earumq; temperie tolluntur formæ, & tamen illæ qualitates non ingrediuntur essentiam suppositorum: Itaq; sicut primæ qualitates ita pertinent ad totum compositum, ut iis pereuntibus hoc consequenter pereat; Ita etiam cum quibusdam proprietatibus fieri solet, quia cum bis ipsis pereunt illæ, quæ in conservari tanquam accidentia necessariò requisita pertinent ad formam totumq; compositum. 3. Quamvis pereunte proprietate accidentali alicujus rei pereat suppositum individuale, non tamen perit ipsius natura & essentia, quod fieri necessum est, si proprietas essentialia corrumpatur; Hoc patet in rationabilitate quâ pereunte perit non tantum homo, sed tota ejus quoq; essentia; contra verò in risibilitate qua sublata nihilominus manet integra rationabilitas & integra tota natura humana.

DICO 2. Qualitates occultæ perfectivæ sunt virtutes mixtorum exceptis influentiis astrorum, & emanant partim à temperamento, partim à forma eorum substantiali, sicut aliæ qualitates: Hoc constabit infrà, quia sunt ad complementum substantiæ, cujus etiam sunt potentiæ & virtutes per quas operantur, adeoq; spectant partim ad secundam speciem qualitatis, id est, ad naturalem potentiam, partim ad tertiam sive qualitatem patibilem, quia sunt vehementer activæ & productivæ effectus.

DICO 3. Virtutes sive qualitates occultæ, quæ idem sunt in mixtis quod potentiæ in homine cunctisq; viventibus, partim cum iis conveniunt partim discrepant; prob. 1. quia producuntur à generante & emanant à forma, esto aliter dependeant à primis qualitatibus. 2. Quia sunt accidentia superaddita substantiarũ, quarum ministerio substantiæ operantur. 3. Dependent in conservari à primarum qualitatum temperatione; sed de potentiis hæc verificari possunt, ergo, Prob. 2. Potentiæ imprimis magis sunt unitæ cum substantia, ideoq; etiam ea pereunte pereunt, contrà verò virtutes occultæ in mixtis magis immersæ sunt materiæ, atque ità à certa temperie dependent, ut etiam forma recedente non diffluant, sed unà cum primis qualitatibus remanent, quousq; omnes paulatim marcescant & corrumpantur; Deinde

poten-

potentiæ non existunt nisi. In corpore heterogeneo, virtutes autem & qualitates occultæ etiam in homogeneo. Adhæc potentiæ nunquam benè operantur nisi integro existente supposito, virtutes autem non nisi eo utplurimùm dissoluto, ut patet in vino, cibo, &c. quæ tam operarut quando in stomacho dissolvuntur; dico tamē utplurimùm, quia multa vel cordi extrinsecùs vel naribus admota per halitū operantur. Tandem potentiæ tantò sunt nobiliores, quantò à digniori fluunt forma, quia sunt animæ vel cognoscitivæ vel sensitivæ, virtutes autem vel vegetativæ vel formæ alicuius homogeneæ, &c. Denique potentiæ sensitivæ non possunt anima recedente superesse quia sunt vitales, quod in vegetabilibus non fit, quia in his remanent virtutes cum temperamento, à quo sunt dependentes in fieri & conservari.

DIFFICVLTAS VI.

An qualitates occultæ contrarium habeant.

CONtraria ut ex antecedentibus liquet, aliquando usurpantur latissimè pro quibuscunq; oppositis, in quem sensum rationale opponitur irrationali, dextrum sinistro, peccatum vitio, &c. quia se mutuò impediunt vel aliò divertunt, licet in se realem actionem imediatè nnu exerceant ut noverunt Medici, qui ut inflammationem v.g partis dextræ curent, sanguinem ex sinistra trahunt, vel ut febrem calidam pellāt, interiora corporis aperiunt, putridosq; & adustos halitus evacuant. Aliquando strictè & propriè sumuntur pro iis, quę sub eodem genere posita maximè distāt, &c Jam quæritur, an & quomodo occultæ qualit. contrariū habeant à quo expellātur, ut sicut frigus a calore, dispositio ab habitu, naturalis potētia ab impotētia, &c

SUPPONO 1. Occultas qualitates intendi & remitti vel suscipere magis & minus ut docet experientia. 2. Aliunde non tantum impediri, sed etiam omninò expelli è subjecto, ut patet in malignitate febrium. 3. Multa, imò pleraq; penè contraria posse naturaliter eidem subjecto inesse in gradibus remissis, ut patet de calore & frigore; Dico pleraque, quia sunt nonnulla contraria, quæ non possunt etiam in gradibus remissis simul esse in eodem subjecto, ut habitus scientiæ & erroris in eodem intellectu, quia ex natura sua perfectè adversantur invicem, ut videre est disp. de prim. qualit. ex Conn. l. 2. de gen. c. 3. q. 8. a. 2.

Qualitates occultæ non habent propriè contrarium.

DICO 1. Qualitates occultæ non habent contrarium propriè dictum vel juxtà secundam acceptionem. Prob. 1. hujusmodi contrarietas est tantū inter qualitates primas & secundas, & quæ manifestè agunt, ergo non inter occultas. 2. Eorum agentium non habetur contrarium, quorū nec essentia nec agendi modus constat; sed hoc utrumq; in occultè alterativis & motivis imperceptibile est, erg. Quod essentia qualitatum occultarū nulli hactenus cognita fuerit, testantur omnes, qui de iis vel scripserunt vel docuerunt; Quod autem & modus agendi sit incognitus, patet ex illo Philosophorū axiomate, quod modus operandi sequatur modum essendi, ut si modus essendi sit spiritualis, materialis, manifestus, occultus, &c. etiam talis sit modus operandi. Prob. 3. ab experientia, quia hactenus nullius qualitatis occultæ contrarium immediatum & directum accepimus, & si longus usus & experientia aliquid suggessit, id incertum est & obscurum.

DICES 1. Qualitates occultæ suscipiunt magis & minus, ergo habebunt contrarium directum & immediatum; quia aliàs producerentur in instanti, cum non haberent à quo impedirentur. Resp. neg. conseq. quia qualitates occultæ augentur & minuuntur à variis subjecti mediiq; externi dispositionibus, ut patet in veneno febrium malignarum, quod juxtà sanguinis & humorum putrefactionem vel augetur vel minuitur. Cæterùm quæ occultas qualitates vel in subjectis propriis vel in alienis iminuunt, suppriment penitusq; corrumpunt, ut cum vis tractiva magnetis frictione allii debilitatur, aut venenum in homine theriacā variisq; antidotis expellitur, eorum nos nullam, solius autem effectus cognitionem habemus.

DICES 2. Etiam virtutes manifestæ in mineralibus & vegetabilibus non habent contrarium, ergo in hoc cum occultis qualitatibus erunt æquales. Rx. hoc in quamplurimis verum esse, v.g. in vi astringente, condensante, somnum conciliante, sudorem provocante, &c. cujus rationem vide circà finem de qualitatibus virtualibus Et hinc

DICO 2. Qualitates occultæ habent contrarium primo modo acceptum, id est, medium secundariò & indirectè sive per accidens in illas agens; Intellige tamen qualitates non omnes sed plerasque; Nam influentiæ cœlestes omni carent contrario, id est agente creato materiali à quo impediantur, nisi in subjecto adsint efficaciter repugnantes dispositiones. Prob. conclusio ab effectu; quia videmus multa esse, quæ qualitatem occultam imminuunt ejusq; vires obtundunt, vel etiam omninò in subjecto supprimunt, ergo contraria sint oportet quocunque tandem modo; Ex horum genere sunt dispositiones vitales, virtus regitiva corporis, robur viscerum, medicinæ revellentes, cordiales, antipatheticæ. vel sympatheticæ, quæ non tam morbum quam morbi causam respiciunt. Licet enim nihil sit, quod quantum constat, directè & imediatè qualitatem occultam oppugnet, sunt tamen diversi modi & diversa media, quibus id fiat, videl. 1. per ea quæ vim & calorem vitalem roborant adeòq; in hostem animāt. 2. Quæ poros corporis aperiunt & malignos vapores non tam à corde quàm à reliquis visceribus propellunt. 3. Quæ materiam qualitatibus malignis substratam à nobilioribus partibus ad ignobiliores divertunt. 4. Quæ eandē materiam penitus è corpore excernunt, ut videre est apud Medicos practicos. Quod tamen influentiæ cœlestes ab Agente aliquo sublunari non impediantur, mirum non est, quia sunt alterius ordinis, excellentiæ superioris & efficaciæ majoris.

DIFFICULTAS VII.

In quibus subjectis aut partibus reperiantur qualitates occultæ.

HÆc difficultas oritur tantum propter corpora animata & heterogenea, v.g. animalium tam perfectorum quam imperfectorum, in quibus cum reperiantur partes viventes ut cor, ventriculus, epar, nervi, venæ, &c. & non viventes, ut humores, spiritus, sanguis, excrementa, &c. difficultas est, ubi & in quibus partibus existant hæ qualitates, an semper in locis subjectisque vivotibus & substantiis inanimatis. Ratio dubitandi est, quia qualitates occultæ videntur esse semper quasi quædam proprietates mixtis à primo ortu implantatæ, ut proinde nunquam sint in partibus fluidis, sed in subjectis permanentibus.

Suppono I. Qualitates occultas aliquando esse perfectivas, aliquando corruptivas, vel corporis alieni ut venena omnia, vel corporis proprii & alieni, ut venenum canis rabidi quod & canem & animal ab eo tactum corrumpit. Secundò, qualitatem occultam vel esse rebus mixtis congenitam, ut vis purgans in rhabarbaro, vel accessoriam, ut malignitas in aere, aqua, sanguine, humoribus, &c. putrefactis. Tertiò, corpora quædam esse homogenea, quædam heterogenea: His positis

DICO 1. In corporibus inanimatis & homogeneis qualitas occulta perfectiva est diffusa per totum. Patet hoc in magnete, in quo vis tractiva non habet locum aut sedem peculiarem, sed æqualiter dispergitur per totum, quod idem de cæteris mineralibus venenosis intellige, quæ sicut ubique habent partes ejusdem rationis, ita etiam virturem undique æqualiter extensam.

DICO 2. In corporibus heterogeneis non semper est qualitas occulta æqualiter diffusa. Probatur ratione & experientia; Illâ quidem, quia partes in corporibus heterogeneis habent diversas primarum qualitatum temperationes, ergo etiam qualitates occultas & virtutes quæ ab iis oriuntur; hâc verò, quia videmus alios effectus à radicibus, alios à floribus, fructibus, foliis, &c. Quod tamen aliquando venenum in vegetabilibus undique diffusum reperiatur, patet in napello aliisque validè venenosis, quorum non tantum radices, sed etiam flores, fructus & folia virus habent.

DICO 3. Qualitates occultæ, quæ rebus inanimatis fiunt accessoriæ, producuntur in partibus uniformiter, id est, juxtà dispositiones totius subjecti; Nam si subjectum sit undique homogeneum, producetur in eo propter æquales omni ex parte dispositiones qualitas occulta, quæ per totum æqualiter diffundatur; Quod si verò subjectũ nõ habeat omnes partes ejusdem rationis, sed hic rariores, ficciores, ibi densiores, humidiores, &c. habebit etiam qualitatem in tota materia in æquali gradu inhærentem, quia producitur juxtà dispositiones non ubique similes sive id fiat in corpore perfectibili ut cicutâ, viperâ, magnete, sive corruptibili ut cadavere, sanguine, humoribus, aere, aquâ stagnante, &c.

DICO 4. In homine & animalibus variæ sunt partes, quæ occupantur à qualitatibus occultis. Constat experientia, & ratio est, quia omnes habent capacitatem & habilitatem recipiendi cujusque generis qualitates, ergo & occultas. Quod autem aliquando sint in partibus inanimatis, patet de excremento multorum animalium, & imprimis de saliva jejuni hominis, quæ serpentem tactum enecat. Quod etiam sint in partibus animatis, docent scorpiones, tarandulæ, aliorumq; animalium ictus venenosi, qui non ab excrementis sed à partibus animatis fiunt. Quod denique utræque potestates tam animatæ quam inanimatæ sint subjectum ejusmodi qualitatũ, patet in cane rabido, in animalibus venenosis, & in febribus malignis sive pestilentialibus, in quibus malignitas non tantum reperitur in sanguine, humoribus & spiritibus putrefactis, sed etiam in in ipsa substantia cordis, in qua calorem corrumpit vitamque adimit.

DIFFICULTAS VIII.

Unde oriantur qualitates occultæ.

SUPPONO hic ex dictis, qualitatem occultam vel esse perfectivam tantùm sui subjecti, ut est vis tractiva magnetis, quæ in alieno corpore solam alterationem producit; vel perfectivam subjecti proprii & corruptivam alieni proportionati, ut est vis napelli, viperæ, ellebori, quia perficiunt hæc suam substantiam vel subjectum cui insunt, & corrumpunt extrinsecum in quod agunt; vel deniq; tam corruptivam subjecti sui quam alieni, ut malignitas in corpore putrescente. Jam

DICO 1. Qualitas occulta, ut est perfectiva, oritur à forma & temperamento connaturali per emanationem, per veram autem & physicam actionem principaliter à generante, & à qualitatibus præviis instrumentaliter & dispositivè. *Unde oriantur qualitates occultæ.* Prob primum, sicut potentiæ sensitivæ & cognoscitivæ, ita & qualitates seu virtutes occultæ oriuntur à forma per emanationem, ergo & istæ, in hoc solùm discrepantes, quod illæ majorem habeant connexionem cum anima, hæ cum materia. Major certa est, quia quod sunt potentiæ & facultates in animalibus, id sunt virtutes in vegetabilibus; Prob. secundum, qui producit formam, producit etiam ea quæ formam sequuntur & substantiam complent; sed generans producit formam, ergo etiam qualitates occultas velut ejus proprietates, v.g. in productione napelli principale producẽs est napellus, vel Sol, vel ut aliis placet, Deus, semen napelli & vis generativa in semine sunt

causæ

causæ minus principaliter agentes ad eum modum qui l.1. disp.4. de format. corp. organ. patet: A forma autem napelli recenter inductæ dicuntur ejus virtutes procedere per emanationem, quia producuntur ab eodem agente à quo forma, quam ceu complementum sequuntur, suntq; simul cum ea saltem tempore. Causæ deniq; instrumentales, seu dispositiones sunt omnes qualitates generantis & illæ quæ extrinsecus à Sole vel elementis ad generationem suppositi accesserunt. Et hæc eadẽ intellige de omnib' aliis qualitatũ occultarũ productionibus.

DICES, qualitas occulta est accidens, ergo debet principaliter produci ab alio accidente, quod illi simile est & univocum, ergo principalis causa non est generans. Resp. neg. conseq. Dicitur autem tunc accidens principaliter produci ab alio accidente, quando non habet necessariam connexionem cum subjecto, ut est calor in aqua productus; qualitates autẽ occultæ perfectivæ cum sint proprietates, habẽt connexionem connaturalem cum subjecto, ideòq; producuntur principaliter a substantia, ut patet ex disp. 2. hujus lib. diffic. ult. Et sic qualitas venenosa napelli non ab alio accidẽte principaliter, sed ab aliqua substantia producitur, sive hæc sit Sol sive Deus, conservatur autem à forma propria cum qua habet necessariam connexionem; Et sic vis tractiva magnetis non oritur ab alia virtute simili, vel à primis qualitatibus, sed ab astris, vel elementorũ concursu, quod idem de cæteris mineralib' rebusq; inanimatis earumq; perfectivis non corruptivis qualitatibus occultis intellige; Et sic etiam calor formalis in igne, aut virtualis in vino non producitur ab alio calore, sed à substantia, v.g. igne, Sole, &c.

Qualitas occulta non perfectiva subjecti unde producatur.

DICO 2. Virtus occulta, quæ non est perfectiva sui subjecti, oritur à causis superiorib', à qualitatib' & dispositionib' corrumpentibus, à virtute simili occulta, &c. Prob. 1. malignitas in febribus pestilentialibus est qualitas occulta, ut receptum est apud Medicos sed hoc sæpissimè oritur ab astris, ut constat in morbis epidemicis, ergo. Prob. 2. ab iisdem causis producitur qualitas occulta & maligna, à quibus producitur putrefactio; sed à qualitatibus & dispositionibus corrumpentibus fit putrefactio, ergo etiam qualitas occulta maligna. Prob. 3. à contagione quæ communissima est & frequentissima in febribus pestilentialibus, quæ ideò se tantoperè diffundunt & multiplicant, quia qualitas pestilentialis in alienis corporibus recepta producit corrumpendo similem sibi malignitatem. Influentiæ cœlestes productæ sunt cum ipsis cœlis à Deo, à quo etiamnum cum formis cœlorum conservantur.

DIFFICULTAS IX.

An & quomodo qualitates occultæ inter se differant.

ADverte, dividendas esse qualitates occultas primò in eas quæ perficiunt & complent proprium subjectum tam in specie quam in individuis. 2. Quæ accidunt rebus extrinsecus sive ad alterationem tantum, ut accidit in antipathia, sive ad corruptionem, ut fit cum venenum pestilentiale in alieno corpore gignitur. 3. Quæ sunt cœlo & astris propriæ; Et de his omnibus sive in specie tota v.g. in solis hominibus, jumentis, ovibus, equis, stirpibus, mineralibus, &c. sive in nonnullis tantum individuis reperiantur, quæstio & difficultas est, an differant solo numero, an specie, an secundum magis & minus.

DICO 1. Qualitates occultæ, quæ sunt totius speciei perfectivæ & ejusdem ordinis in omnibus individuis, solo numero differunt. Ratio est, quia sunt proprietates formarum sive substantiarũ quæ sunt ejusdem rationis, à quibus proinde non possunt specie distinctæ proprietates profluere, quod confirmatur in virtute tractiva magnetis quæ est ubique ejusdem speciei, sicut & vis purgativa in rhabarbaro, in elleboro, agarico, alterativa opii, napelli, arsenici, &c quæ omnia cum conveniant in naturis specificis, etiam conveniunt in proprietatibus.

DICES, reperitur magnes, qui ferrum repellit, & rhabarbarum quod vel debiliter vel omninò nihil purgat, ergo in individuis ejusdem speciei sunt virtutes specie distinctæ. Resp. an verum sit illud de magnete & quomodo fiat, infra de virtute magnetica patebit. Vires occultæ in rhabarbaro aliisque mixtis aliquando debiliores, aliquando validiores differunt secundum magis & minus, deficiunt autem propter temperamentum totiusque suppositi corruptionem & marcorem, quomodo verisimile est id contingere, cum ex Indiis quæ diu mixta in Germaniam sive Europam transportantur, & in via virtutem omnem nativam amittunt.

DICO 2. Qualitates occultæ, quæ extrinsecus subjecto tam ad alterationem quam ad corruptionem superveniunt, aliquando sunt ejusdem, aliquando diversæ speciei, sive sint in individuis unius aut alterius naturæ. Ratio est, quia tam individua ejusdem quam diversæ naturæ habent aptitudinem omnis generis accidentia in se recipiendi & sustentandi, quod confirmatur experientia; Nam imprimis venenum quod reperitur in canibus rabiosis, ubiq; est ejusdem speciei, quod idem intellige de virulentia febrium malignarum. Deinde in eodem homine sunt varia & distincta accidentia antipathetica, ut patet in aversione à vino, quæ distincta est ab odio in mures, cattos, &c. Denique in aqua stagnante, in aere, cadaveribus aliisque rebus putrescentibus aliquando hæc aliquando alia reperitur malignitas, quod ostendunt morbi Epidemici boum, equorum, porcorum, hominũ qui pro varietate naturarum & internarum dispositionem contaminant; habent enim hæc mixta dum putrescunt, diversas suas diversis temporibus malignitates, ut proinde jam solos homines, tum solos porcos aut solos boves perimant.

DICES,

DICES, non tantum distinctis temporibus sed etiam diversis in provinciis suboriuntur pestes & febres malignæ diversæ, ergo etiam in eadem specie ejusque individuis distinctæ sunt qualitates occultæ. Resp. neg. antec. quia diversa tantum suboriuntur symptomata & accidentia propter diversas hominum & corporum dispositiones, quæ etiam faciunt, ut simul correpti eodem in loco eâdemque in domo fratres aut consanguinei videantur distinctis malignitatibus & venenis affligi, ut alibi de peste constat.

Influentiæ cœlorum sunt distinctæ. DICO 3. Etiam influentiæ cœlorum sunt inter se specie distinctæ. Probatur hoc primò à præstantia & nobilitate astrorum, quibus non una sed plures debentur qualitates occultæ. Secundò, à potentia divina, quam non decebat tam immensa, firma solidaq; corpora in usum unius hominis creare, & non simul tribuere plures distinctas & excellentes naturas, qualitates & virtutes. Tertiò, demum ab effectu, quia videmus esse alias influentias quibus cœli mare commoveant & Oceanum, alias quibus acum magneticam ad se convertant, alias denique quibus alios effectus eliciunt, de quibus in sequentibus.

DIFFICULTAS X.

An sit qualitas aliqua congenita & perfectiva occulta quæ sit subjecti proprii corruptiva.

NOn est hic quæstio de qualitatibus manifestis & sensualibus, quia constat omnia mixta ab extrinseco propter actiones qualitatum contrariarum esse corruptiva; nec de occultè alterativis aut motivis, quæ subjecto ad corruptionem superveniunt, quia certum est, ab his ipsis vim fieri, ut patet in malignitate, quæ sive intrinsecus sive aliunde in sanguine recipiatur & gignatur, corruptionem facit: Neq; etiam est difficultas de accidentibus antipatheticis, quæ homini accidunt eumq; remanent, quia constat ab his proposito objecto dissentiente corpus moveri ad alterationem. Itaque difficultas tantum concernit qualitates occultas perfectivas, sive existant in partibus animatis & solidis sive in inanimatis excrementitiis, si præsertim sint rerum vegetabilium, animalium & hominis. Et de his quæritur an subjectum non aliter corrumpant ac qualitates primæ contrariæ, quarum actionibus omnia viventia tandem naturaliter intereunt, ut constat de plantis, de brutis animalibus & de homine, quorum omnium actiones vitales & vegetabiles faciunt, ut si non ab extrinseco, saltem ab intrinseco dissolvantur.

DICO 1. In rebus & mixtis purè inanimatis qualitates occultè alterativæ & motivæ perfectivæ non corrumpunt subjectum proprium. Dico in mixtis purè inanimatis, intellige fossilia & mineralia, quia rhabarbarum arefactum etiam res inanimata est; habuit tamen nihilominus animam & vitam vegetantem. Jam prob. conclusio 1. Qualitates hæ ideò datæ sunt rebus mixtis à natura ejusq; Authore, ut sint ad perfectionem & complementū, ergo non corrumpent subjectum proprium. 2. Qualitates perfectivæ non habent ullam vim aut actionem in corpus proprium, cui in omnibus sunt assimilatæ, ergo. 3. In mixtis homogeneis & inanimatis non exercent qualitates primæ actionem corruptivam, quarum tamen efficaciæ & virtuti activæ subjecta sunt omnia corpora sublunaria, ergo multò minus qualitates occultè alterativæ & tractivæ. Antec. patet in lapidibus, metallis, quæ à solis causis & injuriis extrinsecis in prima elementa dissolvuntur.

DICES 1. Cuncta vegetabilia si sint resecta, avulsa, &c. corrumpuntur & marcescunt paulatim ab intrinseco, ergo idem de rebus purè inanimatis intellige. Resp. neg. conseq. quia in vegetabilibus plerunque abundat humidum aqueum, cæteræq; partes non sunt ita perfectè mistæ quemadmodum videmus in lapidibus & metallis.

DICES 2. Per qualitates primas omnes res sublunares agunt & patiuntur, fiuntq; omnes generationes & corruptiones, ergo etiam corrumpent subjecta propria, ut lapides & metalla. Resp. agere in res sublunares easq; disponere ad corruptionem novamq; generationem ut agentia extrinseca, verum est, ut intrinseca, quemadmodum videre est in multis subjectis propriis, falsum.

DICO 2. Nec in vegetabilibus, quando non vegetantur amplius, adeòque vitâ carent, agunt qualitates occultæ in subjectū proprium corruptivè. Ratio est, quia non datæ sunt ad corruptionem sed ad perfectionem: Deinde quia non habent subjectum in quod agant, cum in se ipsas agere non possint proindeq; cessat omnis actio; Adhæc quia solæ primæ qualitates habent hanc vim & prærogativam, ut ipsæ substantiis ad omnes generationes & corruptiones superadditæ sint: tandem qualitates occultè alterativæ & motivæ nihil aliud in se possunt producere quam id quod sunt, v.g. vis rhabarbari vim purgantem, cujus actionis ipsum incapax est, ergo nec qualitates occultæ, quæ in vegetabilibus tanquam subjectis propriis nec calefaciunt nec frigefaciunt, &c. operabuntur in illa tanquam in subjecta propria corruptivè.

DICO 3. Nec qualitates occultæ quæ sunt in animalibus eorumque partibus animatis & solidis, corrumpunt subjectum proprium, sed nec illæ quæ sunt in excrementis. Ratio prioris est quæ antecedentium; Nam activæ non sunt in subjectum proprium sicut primæ qualitates, nec sunt ad corruptionem sed ad perfectionem & complementum substantiæ propriæ. Ultimum prob. ab experientia, quia vipera non nocet sibi, dum venenum ab ore removit, nec excrementa venenosa in aliis partibus noxam sibi inferunt, quia venena nō sunt nisi in ordine ad aliud, proinde in se actionem nullam habent; Nam actio tantùm est intrà contraria & dissimilia.

DIF-

DIFFICULTAS XI.

An qualitates occultæ sint activæ & quomodo.

DICO 1. Omnes qualitates occultæ sunt activæ & productivæ effectus, sed non habent omnes eundem modum neque eandem vim agendi. Prob. primum, ab effectibus earum, quas stupemus dum ignoramus, & horremus dum cernimus, quod confirmat experientia & inductio singularum. Nam ut faciamus initium à mineralibus, quas non exercent actiones tam in se mutuò, quam in vegetabilia, hominem & bruta? magnes trahit ferrum violenter, arsenicum exurit hominem, argentum vivum suffocat calorem nativum, antimonium convellit viscera, &c. Nec minus agunt qualitates occultæ rerum putescentium & Astrorum influentiæ, quarum illæ in variis specierum individuis sese multiplicant, hæ verò gravissimas alterationes in hoc mundo inferiori suscitant. Similiter plantæ earumq; radices, semina, folia, fructus, succi, &c. miros in homine & animalibus producunt effectus, dum huic sanitatem, alteri morbum depellunt vel etiam vitam adimunt. Succedunt bruta animalia & animalium notissimus homo, qui non minus salivâ serpentem, quam vipera, tarendula & scorpius vel ictu vel morsus vel canis rabidus hominem necat. Prob. secundum, quod videl. occultæ hæ qualitates non habeant eundem modum agendi, quia sunt diversarum naturarum & specierum, proinde sicut alium habent modum essendi, ita etiam alium habent operandi, ut manifestum est in magnete, cujus non tantum vis tractiva sed etiam agendi modus dum ferrum ad se trahit, diversus est à vi & modo purgandi in rhabarbaro, &c. De cæteris idem intellige.

Qualitates occultæ sunt tantum vel motivæ vel alterativæ.

DICO 2. Omnes virtutes occultæ vel sunt tractivæ & motivæ vel alterativæ. Ratio est, quia omnes actiones quæ fiunt in animali ab extra, vel sunt motivæ vel alterativæ, ergo etiam agentia quibus eliciuntur hæ actiones, sunt motivæ & alterativæ tantùm, ut patet in magnete, rhabarbaro, elleboro, mercurio, antimonio, &c. quæ movendo tantum, vel movendo vel alterando agunt; in opio, arsenico, napello, cantharide, quæ ad corruptionem alterant.

DICO 3. Multæ ex qualitatibus occultis producunt sibi simile, multæ dissimile. Probatur primum in contagione & malignitate quæ est in rebus putridis, in aqua, aere, cadaveribus, sanguine, corde aliisque visceribus, in quibus producit qualitatem omnino sibi similem, quemadmodum de calore constat. Prob. secundum in eâdem malignitate, quæ corrumpendo calorem & spiritus vitales enervat corpus omnibus viribus, mortemq; infert & interitum; sic magnes producit in ferro partim eandem vim per frictionem, partim alienam per tractionem, sic influentiæ cœlestes non producunt in sublunaribus novas ejusmodi qualitates sed alterationem & motum; sic rhabarbarũ non producit vim purgantem in homine, sed motionem & alterationem; sic napellus non producit in homine novam napelli proprietatem, sed in vitalibus corruptionem, adeòq; alterando occidit & occidendo alterat. De modo autem quo singulæ hæ virtutes operentur, res omninò incerta est, quia essentia earum incerta, hoc unicũ indubitatum, quod perfectivæ nihil nisi conservando suum subjectum operentur, vel ad extrà motum & alterationem producant, ut patet in magnete & influentiis quæ sine corruptione movent & alterant; corruptivæ tamen mortem intendunt & interitũ, non frigore, non calore, non humore aut ex manifestis aliquâ, ergo occultâ & cùm apud veteres tùm apud modernos adhuc virtute latente.

DIFFICULTAS XII.

An dentur Influentiæ cælestes tanquam occultæ qualitates.

EX genere qualitatũ occultarum sunt Influentiæ quæ cœlo attribuuntur & quarum effectus in his inferioribus manifesti sunt, cum non item ipsæ sicut motus & lumen à nobis sentiantur. Quæritur itaq; an ejusmodi qualitates reverà cœlo cõcedendæ sint, an verò quæcunq; à cœlo in his inferioribus fiunt, solo lumine & motu salvari possint. Nam Perer. t. t. in Gen. l. 2. & 3. Averrh. Picus Mirand. & Molina omnes influentias conantur salvare per lumen & motum, quia docent mare v. g. rarefieri per lumen & motum, proinde intumescere, ad littus sese diffundere, & postquam aqua calida suas evaporationes excluserit, dicunt aquas & mare suo pondere ad antiquum locum reverti, &c.

SUPPONO, cœlos vim magnam habere in hæc inferiora corpora, ut experientia luculentissimè docet; Nam videmus Solem accessu suo & recessu calorem & frigus nobis adferre, iisq; veluti mediantibus instrumentis rerum generationes & corruptiones producere; Experimur etiam quædam astra suo ortu & occasu in certo aspectu & congressu sterilitatem terræ aut ubertatem, tranquillitatem, tempestates, &c. invehere, imò vitam nostram & sanitatem cum toto viventium genere conservare, maria commovere, sationes & plãtationes promovere, &c. Et de his omnibus sicut & de sexcentis aliis quæritur, an solo lumine & motu salvari possint, an verò certis astrorum influentiis ascribenda sint.

Adverte, multiplices esse effectus qui fiunt in hoc mundo sublunari, & cœlo adscribi solent, ut calores, frigora, nives, pluviæ, venti, tempestates, siccitates, sterilitates, ægritudines incendia, infortunia, agitationem marium, &c. Et de his omnibus quæritur ad quam causam efficienter spectent.

DICO 1. Influunt cœli & astra, potissimum verò Sol & Luna per lucem & motum. Hanc conclusionem quisquis negat, Solem negat, quia utroque in his inferioribus producit calorem

calorem & hujus beneficio in visceribus terræ mineralia, tum vegetabilia, animalia, &c. Nam accessu suo ad nos omnia calore fovet, coquit & maturat; recessu verò frigus & humorem dominari facit, terram montesque tegi nivibus, aerem densis oppleri vaporibus hominemque hyemalibus affici injuriis. Similiter Luna lumine variè afficit hunc mundum, & quicquid in eo comprehenditur, in quo etiam dum aërem cæteraque elementa alterat, omnis generis tempestates, ventos, siccitates, pluvias, &c. gignit.

Dantur influentiæ.

DICO 2. Dantur qualitates & influentiæ cœlestes, quæ non dependent à motu & lumine. Ita jam pridem sensit D. Thomas, Cardanus, Valel. de s. Phil. c. 31. Hurtad. d. 2. de cœlo §. 44. & inter multos alios Conn. 2 cœl. 3. q. 3. a. 2. cum Soar. d. 18. s. 9. n. 30. & prob. 1. si enim conceditur qualitas occulta ferro à magnete imprimi sine asylo ignorantiæ, cur debet negari occulta qualitas polo & ejus stellis, quæ semper ad se acum magneticam convertunt, si nihil peculiare est inter utrumque, & cur illa tantum polo & non aliis cœli partibus sese obvertit? Ad lumen contraria pars confugere non potest, quia etiam in tenebris acus hæc polum prospectat; multò minus ad calorem, quia fit etiam hoc in maximo frigore. Prob. 2. dantur alii effectus qui pendent à cœlo, neque tamen proficisci possunt à motu & lumine; neque in cœlo est ulla alia qualitas manifesta à qua fieri possint, ergo restat ut fiant ab occultis, major patet notissimo exemplo æstus maris, quia hoc 6 horis fluit totidemque refluit; quod autem ejusmodi fluxus & refluxus à cœlo pendeat, manifestum est, quia quando Luna Soli conjungitur, nullus est fluxus, soluta autem conjunctione sequitur, & pro vario accessu & recessu utriusque astri mutatur, ut ostendunt meteorologici: Et certè non potest dari ratio sufficiens, quod quacunque diei aut noctis hora in mari Adriatico fluxus & refluxus oriatur, & ubi ad summum cœli Luna pervenit, refluat & relabatur mare, & post occasum Lunæ rursum excrescat, & ubi Luna medium in hemisphærio apud Antipodas cœlum attingit, mare recedat, nisi occultus influxus admittatur. quia hoc lumini Lunæ ascribi non potest, cum alioquin majores fierent recessus in plenilunio propter majorem lucem, solum autem fiant in novilunio, ubi minor lux splendicat; Deinde quando Luna est infrà nos, etiam patitur mare Euripum, etiamsi in nostro hemisphærio lumen non appareat. Tertiò, quando Luna concurrit cum Sole, vehementius commoventur sublunaria, causantur dolores & morbi, & tamen tunc minor est lux Lunæ: similiter in quorundam syderum exortu causantur magnæ inundationes, sterilitates, frigora &c. & tamen nec lux humectat nec frigus facit. Rursum crescente Luna crescunt conchylia & ostrea, sicut & in animalibus perfectis medulla ossium & cerebrum, & medulla quorundam lignorum ut sambuci, quæ Lunâ rursum decrescente etiam decrescunt, quæ non fiunt ex augmento caloris, quia major est calor in plenilunio quam in novilunio. Huc pertinent rationes, cur in quibusdam regionibus præstantiores generẽtur equi, vina, populi, &c. quia populi septentrionales sunt fortiores, meridionales prudentiores ex Arist. probl. 8. & 50. sect. 14. Denique quod à motu non pendeat fluxus & refluxus maris aliique effectus similes, patet ex hoc, quia cœlum non agit per motum ultrà mediam regionem aeris, ergo multò minus in mari, & hoc ex cōmuni Philosophorum & Medicorum doctrina.

Non omnia fiunt ab astris.

DICO 3. Falsum est, omnes illos effectus, qui in his sublunarib⁹ fiunt, & ad astra referuntur, ab iis efficienter produci aut futuros significari, sive per se sive in ordine ad diversas positiones sumantur. Hæc conclusio continet 1. cœlos & astra habere vim magnam in hæc inferiora. 2. Hanc vim potiori ex parte esse occultā; 3 Quosdam effectus in genere causæ effic. produci, quosdam futuros significari. 4. Astra aliquando posse sumi prout in se constituta sunt, aliquando prout dicunt diversas in cœlo positiones. 5. Denique, pleraque falsa esse, quæ cœlis & astris immediatè & principaliter ascribuntur, cujusmodi sunt ægritudines, incendia, interitus, infortunia, omniaq; casu aut fortuitò cōtingentia, quæ oriri dicuntur ex certis astrorū angulis, positionibus, ecclipsibus, &c. priora constant ex dictis, sumunturq; ab authoritate ratione & experientia, quibus omnib⁹ constat, cœlos magnam efficaciam habere in hunc mundum inferiorem, ut in sequentibus fusius dicetur; De ultimo lis est & cōtroversia inter Authores, dum aliqui parum aut nihil pleriq; autem vel nimiū astris eorumq; operationibus addicti sunt, adeòq; cum à pulice aut musca punguntur, aut aliquid iis infortunium accidit, id à Marte vel Mercurio causari ridiculosè credunt: Quod autem quamplurima ex his falsa sint, prob. 1. quia multorum effectuum, quos experimur, habemus causas proximas & notissimas, ut quod hic divexetur podagra, ille dolore capitis, alter brachium fregerit, aut omninò ex ægritudine animam vitamq; egerit, ergo ad astra tanquam causas remotas & universales recurrendū non est. 2 Multi sunt effectus, quos astra nec formaliter nec virtualiter in se continent, ut infrà de effectibus contingentibus & è libera voluntate pendentibus patebit, ergo. 3. Quicquid sit de planetarum positionibus, quatuor illa puncta, quæ tantoperè respiciunt & exhorrescunt in Luna crescente & decrescẽte mortales, omninò efficaciam illam, quę à multis iis attribuitur, non habẽt, quia quicquid operatur Luna, id nō tam ante quā post hæc puncta vel quadraturas operatur, ergo absurdum est hos dies aut has horas quibus quadraturæ fiunt, in morbis cæterisq; actionibus vereri, præsertim cum experientia non minus pro reliquis pugnet. Ecclipses utriusque corporis innumeras invehunt superstitiones quæ potius tacendæ sunt quam promulgandæ, quia accidunt eadem etiam tunc, quando nullæ sunt, cœliq; nullos in hæmisphærio nostro aut planetas aut eorum congressus

habent

habent, id quod prob. 4. ab experientia; Nam cum hæc in omnibus effectibus potissima sit ratio & magistra, hâc solâ non minus una quam pars altera suam roborat & confirmat opinionem, præterquam quod hæc solâ experientiâ, illa verò & ratione & experientiâ innitatur. Dixi tamen quæ immediatè & principaliter cœlis ascribuntur; Quamvis enim multi sint effectus, qui immediatè fiant à cœlis, ut præter influentiarum occultarum operationes frigora ex recessu Solis, calores ex ejus accessu, siccitates, venti, tempestates, pluviæ, aliæque elementorum impressiones; sunt tamen nihilominus non pauci qui proximè & principaliter ad agentia naturalia hujus inferioris mundi referendi sint, ut sationes, plantationes, accretiones & decretiones in vegetabilibus & animalibus, alterationes, generationes & corruptiones, &c. quorum omnium principia immediatè effectiva sunt omnis generis mixta, concurrentibus simul elementorum dispositionibus & cœlis ut agentibus æquivocis & universalibus: sic conchylia & ostrea crescunt & decrescunt juxta Lunæ accretionem & decretionem, sed immediatè ab elementorum constitutione, quam ab astris habent; sic sationes & plantationes ex elementorum dispositionibus quà superne reguntur, benè habent; sic morbi epidemici & maligni ita sæpè causas immediatè effectrices in sublunaribus agnoscunt, ut tamen cœlestes promotrices non excludant; sic qui aliqua corporis parte olim læsi tempestatos graviter sentiunt, ab his immediatè, à cœlis autem remotè affliguntur, &c.

DIFFICULTAS XIII.

Quid respondendum sit argumentis contrariis.

DICES 1. Omnes stellæ sunt ejusdem rationis cum suo orbe, ergo non minus deberent esse influentia in reliquo orbe quam in stellis, quia orbis nobis semper incumbit, ergo etiam influentiæ, ergo semper influunt contra experientiam. ℞. influentias quidem esse in toto orbe, potissimum tamen in stellis, quia ut influentiæ vehementius agant, requirunt subjectum densius, quale sunt stellæ.

DICES 2. Omne agens ideò agit, ut assimilet sibi passum; sed corpora cœlestia non possunt sibi assimilare corpora sublunaria, ergo non agunt in inferiora. ℞. agens univocum assimilat sibi passum quoad speciem, cōceditur major; sed negatur, quod agens æquivocum id faciat, quia satis est quod assimilet sibi quoad virtutem; eodem modo distinguitur minor.

DICES 3. Stellæ semper sunt eædem, ergo semper producent easdem influentias contra experientiam. Resp. esse quidem easdem essentialiter, non tamen accidentaliter, quod etiam requiritur, quia interdum conjunguntur cum hoc, interdum illo planeta; Deinde faciunt aliquando angulum obtusum, aliquando acutum, id est, aliquando influentiæ reflectuntur, & in ea reflexione efficiunt diversos angulos tam majores quam minores, prout fit cum Sole, qui æstate facit angulum magis acutum & hyeme obtusiorem; Adhæc variant etiam dispositiones subjectorum, quia aliter agit influentia in corpus sanum ac debile, aliter in ægrum, aliter in terram sulphuream, aliter in lutosam, &c. *Cœli agunt juxta diversitatem subiectorŭ.*

DICES 4. Si influxus syderum causaret fluxum & refluxum maris Adriatici, causaret etiam eandem in Oceano septentrionali & in mari Caspio; similiter in fontibus, fluminibus, lacubus, &c; sed hoc falsum est, ergo & illud. ℞. idem argumentum est solvendum iis, si videl. lumen rarefacit mare Adriaticum, ergo etiam Caspium, fontes, flumina, &c. Resp. hic Alex. ab Angelis l. 1. c. 5. contra Astrol. cum Andr. Cæsalpino l. 3. contra Peripateticos c. 5. In terra videl. esse ingentes cavitates & hiatus subterraneos, per quos spiritus & flatus huc atq; illuc collisi ac repercussi mare exagitant; sed hęc responsio non satisfacit, quia tales flatus eum etiam sæpè sint causa terræ motus, nunquam servarēt stabiles motus aut vices in mari, cum per tot secula certis horis certoq; tempore semper in novilunio observatus sit Euripus maris; si confugiant ad naturam maris & dicant, quemadmodum febris certo die cessat & certo tempore redit; ita aquæ sua intervalla observant; urgeri potest in contrarium, cur unum mare & non aliud eandem habet naturam; hinc omninò discedendum est à motu & lumine, cum tales effectus non possint per ea salvari.

DICES 5. Influentiæ sunt seminarium superstitionis & Astrologiæ judicariæ, à quibus etiam maximè defenduntur, ergo. Resp. infrà ad hanc impietatem, quæ illa vanitate contiretur, tum ad effectus quosdam peculiares quibus glorciantur Astrologi judicarii.

DICES 6. Cœli sunt agentia nobilissima, ergo paucioribus egebunt instrumentis, proinde lux una sufficiet iis cum calore quem producit. ℞. neg. conf. quia non semper agentia quò nobiliora sunt & præstantiora, eò minoribus egent instrumentis, ut videmus in perfectis animalibus quæ plures habent potentias & organa plura quam imperfecta.

DICES 7. Nullibi egit Arist. de influentiis, nec ullum aliud instrumentum cœlis attribuit quam motū & lumen, ergo. ℞. incertum esse, an non inter eos libros qui ad nos nō pervenerunt, aliquam ipse mentionē de influentiis fecerit; Et quamvis hoc expressè non tractaverit, sufficit tamen, quod in scholis Peripateticis magno virorum doctorum numero defendantur; Dico magno numero, ut constet contrariā sententiā quæ actiones corporū cœlestiū sub solo motu & lumine defendit, non adeò esse absurdam, ut non publicè tanquam probabilis defendatur.

DICES 8. Si darentur influentiæ ex varia astrorum positione proficiscentes; hæ semper certæ & infallibiles essent, cum eorum conjunctiones, oppositiones, &c. semper sint tales, quod tamen falsum est. ℞. quāvis semper in suis cōjunctionib' aut oppositionib' astra operētur, nobis

nobis tamen non constare nec ratione nec experientia quid quantumque operentur, non tam quia tota cœlestis machina cum omnibus stellis nunquam habet eandem positionem, quam quia mundus inferior non semper easdem patitur dispositionea, juxtà quas tamen astra operantur. Sunt itaque paucissimæ influentiæ certæ & stabiles, ut in Euripo, æstu maris, versione magnetis ad polum arcticum est videre, reliquæ omnes incertæ, sed nec probabiles, quicquid etiam Astronomici aliique iis cognati comminiscantur.

DIFFICULTAS XIV.

Vbi subjectentur Influentiæ.

HÆc difficultas tantum est propter cœlum Empyreum; Nam cum ex communi Philosoph. & Theolog. consensu certum sit, omnes cœlos qui moventur, in hæc inferiora agere, & D.Thomas in 2.dist.2.q.2.a.3. cum nonnullis aliis doceat, cœlo empyreo vim nullam esse in sublunaria, idcircò quæritur quid in hac re dubia statuendum sit.

SUPPONO, dari cœlum empyreum, id est, igneum, mirè lucidum & immobile, ut consentiunt omnes S.Patres & Theologi contrà unum fortè Cajetanum 2. ad Corinth.12. esto illud nulla ratio physica demonstret, cum nec sub sensum cadat nec ullum motum sibi vendicet ut reliqua corpora cœlestia. Et hoc cœlum creditur esse quadratum versus partem superiorem juxta illud Apocal.c.21. Civitas in quadro posita est, & eminere non tantum loco sed etiam dignitate naturæ inter omnia corpora simplicia, fuisse etiam in eo à principio creatos Angelos juxtà Mag.sent. in 2. dist. 2. D.Thom. 1. p. q. 61. a. 4. & alios. His positis

Etiam cœlum Empyreum mittit influentias. DICO breviter, præter cœlos mobiles etiam mittit suos influentias in hæc inferiora cœlum Empyreum. Ita docent plerique Theologi orthodoxi cum D.Thoma, qui quamvis contrarium alibi senserit, re tamen, ut ipse air, melius & diligentius spectatâ, in hanc sententiam Quodl.6. art.19. & 1.p. q.66. a.3. descendit. Prob.1. In toto universo nulla substantia debet esse otiosa & actionis expers, ergo nec convenit cœlo Empyreo, ut sit absque ulla operatione. Antec patet ex Arist.9. met.c.9. unumquodque esse propter suam operationem. Prob.2. ex illo Genes.2. ubi habetur, cessavit ab omni opere, quod creavit ut faceret, id est, ut non esset otiosum, sed aliquid ageret, prout hunc locum scripturæ viri docti interpretantur. Hanc eandem conclusionem confirmat idem D. Thomas loco cit. quia inquit omnes partes universæ habent inter se connexionem & tanquam ejusdem corporis membra in quandam ordinis unitatem conspirant; Hæc autem unitas in eo potissimum elucet, quod substantiæ materiales ab immaterialibus & inferiora per superiores regantur atque administrentur. Si itaque cœlum Empyreum nihil influeret, non esset pars universi, quod absurdum foret, cum etiam Angeli, qui sunt substantiæ à creatione materiæ liberæ, sint ejus partes, ut docent Conn.1.cœl.c.1.q. 1.c.7. ad argum. sextum.

DICES 1. Cœlum Empyreum est immobile, ergo nullum habet vim agendi in hæc inferiora eaque movendi. Resp.neg.conseq. quia etiam magnes trahit ferrum, etiamsi ipse sit immobilis, quod idem de multis aliis agentibus naturalibus intellige, in quibus sufficit, quod per virtutem à se emissam & in medio productam operentur. Deinde cœlum Empyreum ita est immobile ut ab Angelo moveri possit, cum sit ens naturale.

DICO 2. Cœlum Empyreum in hunc finem solùm à Deo creatum est, ut sit habitatio Angelorum, ergo non ut quicquam præstet corporibus inferioribus. Resp.neg.conseq. quia possunt inferiora corpora sentire vim agendi ejusdem cœli, quod est theatrum divinæ Majestatis & domicilium Sanctorum; Nec est contra ejus dignitatem & præstantiam, cum etiam divinam bonitatem & sapientiam deceat res quasvis in sublunaribus conservare, & cum iisdem in singulis actionibus sibi suæque naturæ convenientibus concurrere. *Cœlum Empyreum est ens naturale.*

DIFFICULTAS XV.

An omnes Influentiæ sint qualitates occultæ.

RAtio dubitandi est, quia effectus qui virtute cœlorum in his sublunaribus fiunt, sunt duplices; quidam rari, insoliti & admirandi, ut fluxus & refluxus maris, &c. quidam manifesti, qui non superant vim & efficaciam alicuius causæ sublunaris, v.g. productio caloris, frigoris, &c. Et de his omnibus quæritur, an sint effectus qualitatum occultarum, an verò quidam manifestis virtutibus ascribi possint.

DICO 1. Virtutes illæ, à quibus effectus rari & insoliti sive admirandi producuntur, occultæ sunt; Est communis opinio & doctrina eorum qui præter motum & lumen in cœlis influentias admittunt; & probatur partim ex insolito modo quo fiunt hi effectus, partim ex defectu nostri ingenii & judicii, quod utrumque illi superant, quia fiunt ab agentibus, quorum modum operandi non comprehendimus, sed quia potior difficultas est circà effectus nobis magis manifestos & naturales v.g. circà calorem, frigus, &c. an videl. horum effectuum causæ & virtutes occultæ quoque sint; Respondeo &

DICO 2. Etiam illæ virtutes à quibus producuntur effectus communes, ut calor, frigus, pluviæ, tempestates, &c. sunt occultæ, nisi tamen aliqui fiant à lumine vel motu. Prob.1. omnes *Etiam omnis generis ipsi sunt ab influentiis.*

omnes influentiæ cœlorum sunt qualitates occultæ; sed plerique hi effectus fiunt ab influentiis, ergo à virtutibus occultis: Quamvis enim lumine quod est qualitas manifesta, producantur calor, siccitas evaporatio, humorum resolutio, pluviæ, tempestates, quod idem de motu, quo rapitur aer in media & suprema regione, licet intelligere, recessu verò Solis frigus, aeria condensatio, vaporum concretio, glacies, nives, &c. Nihilominus tamen comparantur cœli cum hoc utroque per suas influentias sive qualitates occultas, quia aliàs semper in æstate foret magnus calor & in hyeme magnum frigus cum iis accidentiis, quæ sequuntur calorem & frigus, non obstante hoc, quod dispositiones terræ & aquæ tanquam com̃uni subjecto multum ad hujusmodi effectus faciant; Et hinc probatur conclusio 2. quia non cognoscimus eas virtutes sive influentias cœlorum, quæ præter lumen & motum producunt calorem, frigus, &c. ergo occultæ sunt.

Solum lumen est qualitas manifesta.

DICO 3. Solum lumen est qualitas manifesta à corporibus cœlestibus, quod in hæc inferiora operatur; Ratio est, quia sub sensum nostrum cadit, ejusque naturam & essentiam tum modum operandi cognoscimus: Quamvis autem cum reliquis influentiis cœlis competat & à nobis inter qualitates manifestas referatur, quia à nobis cognoscitur; est tamen nobilissima eorum affectio, superatque omnes qualitates horum mundanorum corporum, ut videre est apud S. Dionis. c. 4. de divinis nominibus, & c. 15. de cœlest. hierar. ubi ultrà triginta lucis hujus proprietates enumerat. Dixi tamen quod in hæc inferiora operatur, quia etiam raritas, densitas, &c. in cœlis sunt qualitates manifestæ, sed non activæ, quia habent se potius passivè & non secus ut illæ quæ sunt in corporibus hujus inferioris mundi. An in cœlis sint qualitates primæ, id plerique negant, aliqui autem sine absurdo etiam affirmant.

DIFFICULTAS XVI.

Quid cœli agant per lumen.

EXistimant nonnulli, lumen cœli per se ad omnes actiones rerum inferiorum concurrere ita, ut calefaciat, refrigeret, loco moveat, &c. Hoc an verum sit, paucis sequentibus videndum est.

Cœli quid per lumen producant.

DICO 1. Cœlum immediatè per lumen nihil aliud producit quam calorem; dico immediatè, quia mediatè etiam alios effectus producit; sol enim in aere producit lumen, quod reflexum & repercussum ab alio corpore gignit calorem, qui si excipiatur in materia idonea, potest vel ignem vel aliquid simile producere. Hanc conclusionem docent passim Philosophi ex Arist. l. 4. de part. animal. c. 5. & l. 4. de gen. animal. c. 2. Et prob. 1. Specula combustoria concipiunt ignem ex sola reflexione radiorum solarium, ergo. 2 Loca aprica lumini exposita sunt calidiora umbrosis, cæteris paribus. 3. Dies est calidior nocte propter præsentiam lucis, ergo lux calefacit. 4. Infima regio aeris est calidior mediâ propter radiorum reflexionem. Neque dicas, lumen in plenilunio humectare, cum tamen deberet siccare si calefaciat; quia resp. etiam calida humectare, ut patet in aqua calida. Prob. 5. Si lumen Solis immediatè aliquid aliud quam calorem produceret, aut id faceret quatenus est lumen cœleste aut quatenus est qualitas continens virtutes omniũ inferiorum corporum & qualitatum, aut quatenus est instrumentum intelligentiæ moventis cœlum; non potest dici primum, quia lumen cœleste est ejusdem speciei cum nostro, neque secundum, quia est contrà experientiam dicere, quod lumen idem per se calefaciat, frigefaciat, humectet, &c. cum tantum calefaciat & exiccat per se; neque tertium, quia lumen non est aliter instrumentum intelligentiæ, quam quod hæc moveat cœlum à quo procedit lumen, si tamen verum sit quod intelligentiæ cœlos moveant.

DICES, lumen non potest producere calorem per se, cum non sit calidum. Resp. neg. ant. c. nam lumen est causa æquivoca, cujus est proprium producere effectum, quem in se non habet; neque enim lumen producit quovis modo calorem, saltem qui à nobis percipi possit, quia radii recti vel nullum vel admodum exiguum producunt calorem, reflexi autem manifestum & valdè sensibilem, & ideò regio infima aeris est calidior reliquis, quia excipit radios solares à terra reflexos; media autem regio aeris per quam transeunt radii simplices, & ad quam reflexi non pertingunt, est frigida. Hinc patet, lumen ex sua natura producere calorem, si nimirùm radii per reflexionem duplicentur, ut aucto lumine etiam calor augeatur, cum radii simplices non sufficiant.

Lumen cœli producit Elementa & mixta.

DICO 2. Lumen cœli mediante calore producit elementa & mixta tam animata quam inanimata. Primum probatur, quia producit ignem in stipula: similiter producit aerem cum attrahit vapores & exhalationes ex aqua & terra, easque tam diu alterat, donec in aerem vertantur. Prob. secundum ab experientia, quia Sol alterat & attrahit elementa, quæ cum inter se pugnant, oritur mixtum ex illa pugna & conjunctione. Rursum producit animalia ex putri materia juxtà multorum opinionem non improbabilem, vel certè omnis generis vegetabilia; præterea in producendis perfectis animalibus adjuvat cœlum suo calore virtutem causarum secundarum, ut patet in omnibus generationibus & actionibus rerum sublunarium.

DICO 3. Lumen cœli non per se, sed per accidens refrigerat. Patet hoc in hyeme & nocte, quo tempore omnia propter absentiam lucis frigefiunt, ideòque cœlum dicitur per accidens causa refrigerationis, quia neque conservat neque producit sufficientem calorem; Et est res similis cum nauta, qui quando

abest à navi vel cessat à gubernatione, dicitur esse causa per accidens submersionis; unde adverte, quando dicitur etiam cœli influentias refrigerare, id absque lumine fieri intelligendum esse.

DICO 4. Cœlum non concurrit ad omnes actiones per lumen; Probatur, nam etiamsi nullum esset lumen Solis, posset nihilominus lapis v.g. cadere deorsum, etiamsi verum sit illud, quod communiter à Philosophis dici solet, nimirùm generationes omnes naturales pendere à cœlo vel mediatè vel immediatè.

DIFFICULTAS XVII.

Quid cœli agant per motum.

Dupliciter intelligi potest cœlum agere per motum; Primò directè, ut nimirùm per motum localem directè producat calorem, quemadmodum producit per lumen. Secundò potest intelligi agere per motum, ita ut motus sit conditio sine qua non ageret in inferiora eo modo quo nunc agit, eò scil. quod motum deferat ac disponat per universum orbem. De hoc posteriori modo nullum est dubium, quia Sol per motum accedit & generat, recedit & corrumpit; Quod si autem suprà verticem immotus consisteret, nimio calore omnia consumeret. Tota ergo quæstio est de priori modo, & quidem de motu lationis, non augmentationis, videl. an agat cœlum directè & primariò per motum, ita ut motus non tantum sit conditio ad hoc requisita, ut lumen producat calorem vitalem, & utilem rebus inferioribus, sed ipse etiam motus per se aliquid caloris efficiat.

DICO 1. Cœlum usque ad supremam regionem aeris agit per motum, in inferioribus autem regionibus per lumen & non per motum. Probatur primò ex Arist. 2. cœl. c. 2. ubi hoc argumento confutat antiquos opinantes stellas esse ignes; Nam cum illi dicerent stellas in suprema regione aeris accendere cometas, trabes, capras aliaque id generis; Respondit eos ignes accendi per motum localem; Videmus enim inquit motu locali accendi ligna, lapides, ferrum & sagittas emissas cum scindunt aerem, calefieri circà mucronem, & si plumbus fuerit, liquari etiam; Eodem modo ait accendi Cometas, evehi enim siccas exhalationes è terra usque ad supremam regionem aeris, qui cum vehementissimo cœli moti rapiatur, exhalationes unà in orbem raptas atteri ac demum accendi, ergo in supremam regionem aeris agit cœlum per motum. Prob. 2. ex 1. meteor. c. 4. ubi quærit Arist. cur nubes & pluviæ generentur in sola media regione aeris; & Respondet, non generari in infima propter reflexionem radiorum Solis, qui suo calore illos dissipent; In suprema autem quod illa regio rapiatur à cœlo eoque raptu vapores calefiant & dissipentur. Prob. 3. Experientia, cometæ & similes ignitæ impressiones generantur in suprema regione aeris; atqui non possunt aliter accendi quam per motum, ergo. Major probatur, quia cometæ moventur motu diurno, quia oriuntur & occidunt; At sola regio suprema movetur motu diurno, ergo. Major constat experientia, minor probatur, quia media regio aeris non movetur motu diurno ut patet ex nubibus quæ in illa regione videntur. Prob. minor primi syllogismi, quia cometæ non possunt accendi per lumen, cum in suprema regione radii sint tam simplices, ut nullius penè sint caloris, cum tamen ad accensionem calor vehemens requiratur; Neque accenduntur ab influentiis, quia etiam alias accenderent mediam regionem, quæ tamen frigida est; Non potest autem aliud assignari quod cometam accendat, nisi dicamus illũ esse tantũ trajectionem quandam luminis, quod tamen Meteorologici refellunt.

DICO 2. Motus hic aliquando per accidens est causa caloris, aliquando per se. Prob. primum, motus aliquando producit calorem, quia adducit ad nos Solem & Planetas; sed hoc est calefacere per accidens, ergo. Prob. secundum, motus cœli cum sit velocissimus, per se atterit corpus obvium, disgregat, rarefacit, &c. atque ita aerem attritione accendit, ergo per se calorem producit, quo eodem modo ferrum ignitur, lignum incalescit, plumbum liquatur, &c. atque ita cœli etiam agunt in hæc inferiora, alterando scil. per motum subjecta sibi corpora quæ sic calefacit; Nam primum mobile suo rapidissimo motu rapit secum omnes inferiores sphæras, lunaris ignem, & hic aerem qui attrita etiam incalescit. Quod si dicas, aerem flabello motum refrigerari & aquam agitatam citius exuere calorem, imò ipsum ignem ventilatum extingui, ergo motus localis est potius causa frigoris. Resp. cum Zabarella theor. 45. & Conn. 2. cœ. c. 7. q. 6. a. 3. motum localem per se calefacere rarefaciendo per attritionem; refrigerare autem per accidens, vel attrahendo aliorsum agens frigidum, ut in ventilatione, flabello, quod discutit aerem calidum circumstantem, vel discutiendo vapores & exhalationes calidas, vel exponendo corpus motum agenti frigido, &c. Non enim aer æstivo tempore flabellis agitatus & ventulatus ideò refrigerat, quia ex motu frigus per se oritur, sed quia aer ambiens & calidus discutitur, & alius frigidior succedit; quod idem in respiratione, quæ ventilatio cordis est, accidit; similiter aqua calefacta dum movetur & concutitur, frigescit quia evaporant exhalationes calidæ; Ignis autem nimia ventilatione extinguitur, quia totus dissipatur & divellitur, plusque frigescit quam ferre possit. Et hinc *Aqua calida si concutitur, frigescit.*

Colligitur, cœlos agere in hæc inferiora per lumen, motum & influentias; lumine quidem, quia totum universum illuminant, ex quo sequitur calefactio, exsiccatio & similes effectus;

Motu

Motu verò, quia hoc calefaciunt partem supremæ regionis; Ad reliquos effectus non aliter concurrit quam circumferendo lumen. Influentiis demum quæ sunt qualitates insensibiles, concurrunt cum diversis agentibus particularibus ad producendos certos effectus, qui nullius corporis objectu impediuntur.

DIFFICULTAS XVIII.

An Influentiæ possint agere in intellectum & voluntatem hominis.

ADverte, dupliciter posse hanc actionem vel motionem intelligi; Primò directè, id est, per se atque immediatè aliquid in ipsam voluntatem imprimendo. Secundò indirectè, id est, remotè & ex accidente, interventu scil. organorum corporis & potentiarum ipsis inhærentium eam inflectendo. Jam

DICO, non sunt in cœlis vel stellis ullæ influentiæ, quæ directè possint agere in intellectum & voluntatem hominis, etiamsi indirectè movendo & alterando corpus animum hominis excitare possint, semper tamen intereà liberâ voluntate hominis. Hæc conclusio in gratiam Astrologorum judiciariorum proponitur, ne ipsi putent ullum sibi in influentiis præsidium esse collocatum. Solent enim hi venditare, posse se ex concursu Astrorum certò prædicere non modo effectus naturales, sed etiam eos qui dependent à libera voluntate hominis, quo nihil dici aut fingi potest amentius. Et certè inter multos alios egregiè eos confutarunt duo Mirandulani principes Joan. Picus libris 12. contrà Astrologos, & Joan. Franc. Picus ejus nepos libris quinque de prænotione, quos pro defensione patrui scripsit. Verum ita prior Astrologos confutavit & oppugnavit, ut influentias funditùs sustulerit quod non erat necessarium; satis enim est ad opprimendam eorum audaciam ostendere, quod hac conclusione traditur, nihil scil. influentias in animum vel voluntatem hominis directè posse, idque prob. 1. Si cœlum directè ageret in intellectum & voluntatem hominis, id faceret vel producendo qualitatem aliquam in intellectu & voluntate, quam intellectio & volitio sequeretur, vel certè ipsam intellectionem vel volitionem producendo immediatè; prius dici non potest, quia ad intellectionem producendam non concurrunt aliæ qualitates quam habitus & species intelligibiles, habitus autem producuntur per actus, species intelligibiles ab intellectu agente; Neque est quisquam qui experiatur in se speciem ullius rei quam non aliquando aliquo sensu perceperit, ergo nulla qualitas producitur à cœlo in intellectu, à qua pendeat intellectio; Neque etiam id dici potest de voluntate quia hæc ex se cæca est, ejusque operatio sequitur operationem intellectus, sed nec potest dici alterum, quod nimirum intellectio & volitio procedant immediatè à cœlo, quia hæ sunt operationes vitales, quales immediatè debent procedere ab anima; sed cœlum est extrinsecum, ergo. Prob. 2. Stellæ sunt agentia necessaria, ergo si directè agunt in intellectum & voluntatem hominis, cum non possint non agere, funditùs tolletur omnis libertas hominis contrà veram religionem & philosophiam & experientiam; quandoquidem quilibet experitur se quodlibet propositum amplecti posse, aut si nolit, respuere, qua de re optimè D. Thom. l. 2. contrà Gentes à cap. 84. usque ad 87.

Influentiæ quid possint in voluntatem hominis.

DICES, in Dæmones agunt cœli & astra, ergo etiam in animũ rationalem. Antec. prob. 1. quia Dæmones invadunt homines lunaticos secundum Lunæ incrementa, & promptius accurrunt, si certò syderum aspectu evocentur, quod non videtur aliunde provenire, nisi quia sydera aliquid in ipsos Dæmones imprimunt. 2. Dæmones alliciuntur & arcentur quibusdam herbis & lapidibus, ergo multò magis id poterunt corpora cœlestia, quæ majorem vim obtient: Antec. constat ex Joseph. 8. l. antiq. ubi scribit, compositam fuisse à Salomone artem, quâ continebantur reconditæ herbarum proprietates, quarum vi Dæmones ex corporibus expellerentur. Resp. neg. antec. ad primam ejus probationem dico, duas ob causas solere Dæmones secundum stellarum aspectus homines divexare; primò ut res à Deo creatas tanquam maleficii participes dedecorent; Secundò, quia cum non possint ullam qualitatem corporibus imprimere, nisi naturalia activa passivis applicando, observant ad id commoditatem temporis & aptitudinem corporum; Constat autem sydera pro aspectuum & irradiationum varietate humana corpora diverso modo afficere, præsertim verò Luna dum acrescit ex insita proprietate humorem cerebri, in quo functiones animales perficiuntur, commovet, ideòque consuevêre Dæmones per id tempus hominis arreptitii phantasiam perturbare, non autem quod stellæ aliquid in eos imprimant: similiter dico, idcircò Dæmones à Magis evocatos sub certis constellationibus accurrere, vel quia sciunt pariatorem tunc esse materiam ad effectus quorum gratia tunc vocantur, vel certè quia tali artificio conantur homines superstitiosè imbuere eisque persuadere, astris aliquod numen inesse: Ad secundam probationem respondetur, Dæmones non allici herbis aut lapidibus, quasi illa quicquam in eos imprimant, sed tanquam signis ad quæ ex inito cum maleficis fœdere accurrunt, qua de re vide S. Aug. 21. de civ. Dei c. 6. Illud verò quod Josephus de Salomone scripsit, falsum est & figmentum quod adhuc Judæi Cabalistæ vel Rabini credunt.

Quare certo tempore Dæmones divexent homines.

Quomodo Dæmones vocati compareant.

DIFFICULTAS XIX.

An per influentias possint in sublun. gigni animalia.

ANimalium quædam sunt perfecta, quædam imperfecta; de utrisque est quæstio; Et quamvis

quamvis constet, animalia imperfecta ex variis rebus & materiis putridis tam in aëre quam in mari & terris produci; magna tamen difficultas est, à quonam formas accipiant, quæ sponte nulloq; paris congressu nascuntur, ut sunt limaces, cochleæ, mures sapiæ, vaspæ, erucæ, papiliones, locustæ, cicadæ, &c. de quibus fusè Arist. l. 5. hist. anim. Est autem de his imperfectis animalibus.

Opinio 1. Veterum quorundam Philos. cum Avicenna, produci ab aliqua intelligentia separata à materia; sed hanc doctrinam meritò rejiciunt meliores Philosophi, & patet ex alibi dictis, quod videl. spiritus immateriales ex se nihil possint producere.

Caeli an animalia etiam imperfecta producant.

Opinio 2. est, imperfecta animalia, quæ ex semine aliorum non proveniunt, à cœlo produci. Hæc sententia communis quidem est philosophorum, sed diversimodè intelligitur & explicatur; Nam quidam putant cœlum esse causam primam & principalem, quia docent, cœlum tanquam perfectissimum inter non viventia esse præstantioris naturæ quam cuncta imperfecta animalia: Hæc tamen sententia, quam multi viri eruditissimi cum magna probabilitate defendunt, à potioribus rejicitur, ut videre est apud Conn. 2. cœl. c. 1. q. 2. a. 2. Thomistæ cum Thoma 1. p. q. 45. a. 8. ad 3. docēt, cœlum non vi propria, sed tanquam instrumentū motricis intelligentiæ animalia imperfecta gignere; sed nec hæc sententia aliis placet, eò quod intelligentiæ non habeant virtutem ex se formas viventes producendi, ut pulchrè docet idem qui suprà, Conn. 2. Phys. c. 7. q. 1. a. 3. Alii deniq; statuunt, cœlum esse eandem causam quam in productione viventium solemus instrumentalem vocare, videl. semen ejusq; virtutem, Deum verò principaliter agentem & producentem, &c.

DICO 1. A cœlo ejusq; influentiis non possunt gigni animalia perfecta, sed egent proprio & peculiari progenitore. Ita comuniter docent Phil. & Theologi, & ratio est, quia sicut perfectiora animantia habēt naturam excellentiorē, ita ad sui productionem plura exigunt, adeòq; non nisi propagatione seminis à propriis parentibus gigni possunt: Et hoc cōfirmat experientia, quia nunquam videbimus equum generari nisi ab alio equo ejusq; semine, nec ullū animal perfectū nisi à semine sui genitoris; Et certè sicut totius philosophiæ placitis & decretis fidei repugnat, posse hominis animum à cœlo affici, quod aliqui ex antiquiorib' & fortè etiam ex recentiorib' ausi fuerunt cōfingere, ita etiam non minus improbabile est, integrū animal perfectū quod tam admirabili organorū structura & tam sapienti viscerū coñexione constat, virtute cœlesti formari, perfici & gigni posse. Quod si tamē non desint argumenta, quæ id probare conentur, hęc vel indigna sunt quæ refutentur, vel certè in præstigia Dæmonum referenda sunt.

Animalia imperfecta producuntur à so[le] Deo.

DICO 2. Animalia imperfecta quæq; sponte nascuntur, causam instrum. habēt corpora cœlestia, principalē verò primum Authorē Deum. Prob. causa principalis vel debet esse æquè nobilis atq; suus effectus, si sit univoca, vel nobilior si æquivoca, sed nullum ex his competit cœlo, quia imprimis non est æquè nobilis, multò minus nobilior; neq; etiā est univoca, ergo non est causa princ. animantiū imperfectorum, ergo Author Deus, quia nihil amplius superest.

Plantæ & mineralia producuntur à Sole.

DICO 3. Plantæ & mineralia producuntur à Sole principaliter; Ratio est, quia maximè pendent ab hujus influxu, & quia hic effectus non superat virtutem agentis Solis vel cœli, quando verò una planeta gignit aliam, sive illud fiat ex semine, sive ex ramis & surculis implantatis, tunc una est causa alterius principalis.

Sol quomodo sit perfectior plantâ.

DICES, Sol est ignobilior plantâ, ergo non potest esse causa principalis. R. neg. antec. licet enim vivens ex genere suo sit nobilius nō vivente, tamen non vivens ex differentiæ conceptu, id est, ex natura sua etiam adeò excedit differentiā vivētis, ut simpliciter illo sit perfectius; sic unio hypostatica ratione suæ differentiæ simpliciter est perfectior quavis substantiâ creatâ, cum tamē substantia ex genere suo sit nobilior unione; quis autem dicet rapam esse nobiliorem cœlo? Animalia verò ratione vitæ sentientis simpliciter sunt perfectiora Sole, & plantæ simpliciter imperfectiores licet perfectiores secundum quid, sc. in ratione vitæ. Ita Hurt. d. 9. phys. s. 4.

DIFFICULTAS XX.

An & quid Astrologi ex observatione syderum & influentiarum possint prædicere.

POsitis influentiis quibus astra in hunc mundum pro diversitate positionum & conjunctionum operantur, quæritur, an & quantum Astrologi ex his syderum virtutibus possint prædicere, quia delabitur paulatim ars vel scientia astrologica, quæ in se nobilissima est, in tantos abusus, ut quilq; cœlispex ex certis syderum concursibus promittat nescio quos effectus non tantum circa ea quæ purè naturalia sunt, sed etiam quæ fortuita & voluntaria, quæq; circa mores, fortunam, vitæ statum, negotiationes, mutationes regnorum, religionum, regum, belli eventum, &c. versantur.

NOTA, prædictiones Astrologorū vel fieri 1. de motu syderū; vel 2. de effectibus purè naturalibus, ut pluvia, tempestate, sterilitate, frigore, &c. vel 3. de effectibus fortuitis casuq; contingentibus, vel 4. de iis quæ pendent à libera voluntate hominis. Jam

DICO 1. Ortus & occasus syderū, aspectus, ecclipses, &c. possunt ab Astrologis certò prævideri & prædici idq; jure optimo. Ratio est, quia hæc omnia pendent à cœlorum motibus, qui stabilem cursum quotannis tenent, tametsi divina voluntate mutari possint, ut est communis doctrina.

Effectus naturales non possunt ex astris prædici

DICO 2. Tempestates, pluviæ, calores, frigora, siccitates, sterilitates, morbi, &c. quæ contingunt ex vario syderum concursu & influxu, probabiliter possunt ab Astrologis prædici & non certò. Dico probabiliter, quia ex præteritorum temporum observatione possunt vim planetarum,

&ef-

& effectus certo tempote provenientes cognoscere: Dico non certò, quia non possunt ea impedimenta scire & prævidere quæ intervenire possunt, sive ea oriantur ex aliorum syderum concursu, sive ex mala dispositione medii aut subjecti, sive ex divina voluntate contrarium permittente vel puniente scelera hominum; uode etiam ex 100. ejusmodi prædictionibus vix 4. aut 5. verum sortiuntur effectum, ut Picolominius observat.

Multi minus casuales.

DICO 3. Effectus contingentes casusq; fortuiti nullo modo possunt prædici. Ratio est, qoia causæ eorum contingentes sunt, proindeque antequam sunt, possunt esse & non esse, ergo ab intellectu creato non possunt prævideri, quia talium rerum præscientia soli Deo propria & juxta illud Esaiæ 41. annunciate quæ futura sunt & cognoscemus quia Dii estis vos. Confirmatur, quia eodem regnante Planeta simul & semel io diversis partibus orbis complures nascuntur, quam aliqui futuri sunt reges, alii rustici, alii ingenio subtili, alii tardo, &c. Idem accidit in geminis, quorum diversæ complexiones, mores, studia, officia, interitus. Præterea multum facit educatio, consuetudo, victus ratio & alia quamplurima, quæ planè contra propensionem complexionis in contrarium trahunt hominem, ut mille exemplis testatur experientia: Influentia coim non potest habere vim suam nisi in materia idonea, ergo si aliquis nascatur v. g. sub Marte, sed parentibus ignavis, debilibus, pituitosis, &c. nunquam hic biliosus erit aut martialis: Et hinc est, quod eodem tempore & loco nati, imo etiam gemelli tam diversis sæpè sint motibus & corporum constitutionibus, ergo de effectibus contingentibus Astrologi nequicquam prædicere possunt, quia primò ipsas influentias non possunt satis perspectas habere, quia occultæ sunt, maximè cum pro diversitate Astrorum variæ sint, & una aliam impediat. Secundò, quia si ab experientia aliquid certi desumere cupiant, eadem cœli & astrorum constitutio multis annorum millibus noo redit; & tertiò, quod sequitur, quia non possunt certò cognosci effectus futuri nisi cognitis omnibus causis & circumstantiis.

DICO 4. Multò minus possunt Astrologi prævidere actiones hominum, quæ ab eorum libero arbitrio pendent, ut sunt emptiones, venditiones, connubia, status, prælia, &c. & consequentes nec interitus regnorum, mutationes populoram, expugnationes urbium, aliaque infortunia, nisi fortè hæc singula causam jam habeant certam & determinatam, quia tunc beneficio alicujus spiritus prædici possunt. Patet ex dictis, quia astra non habent vim agendi in voluntatem hominis; deinde quia actio liberi arbitrii seu voluntatis nunquam certa est, nisi dum actu est. Adhæc voluntas vehementer inflecti potest, cogi nunquam, ergo actiones voluntariæ planè non dependent à rebus inanimatis earumque influentiis, proindeque nec prævideri nec prædici possunt.

Hanc verò doctrinam probant & docent, contrariamque ceu vanam & superstitiosam ideòque omnibus fugiendam damnant imprimis sacræ litteræ ut Isa. 41. v. 23. 44. v. 25. 47. v. 10. & 13. Jerem. 10. v. 2. Ecclesiast. 8. v. 7. & c. 20. v. 14. Pauli ad Coloss. 2. v. 8. &c. Secundò, sacra Concilia & Canones Patrum, ut Concil. Tolet. primum, & Trident. Jus civile Rom. l. 2. de malef. & mathem. bulla Sixti V. Pontif. contrà Astrologos. Tertiò, omnes sancti Patres, qui hujus materiæ mentionem fecerunt, ut S. Basil. homil. in Genes. 6. D. Chrysost. in c. 2. Matt. D. Ambros. l. 4. hexam. c. 4. D. Gregor. homil. de Epiphania. D. Aug. l. 2. de doctr. Christiana c. 21. l. 5. de civ. Dei aliquot primis capitibus, & homil. in Psalm. 60. Quartò Theologi, ut D. Thomas, Guil. Paris. Medina, Bened. Pererius l. de divin. Astrol. Nicolaus Causinus de regno Dei, &c. Quintò denique Jure Consulti, Philosophi, Medici, Poëtæ & Historici, ut Tacitus l. 17. de Mathematicis, quos humanum genus tosidum petentibus sperantibusque fallax appellat. Quisquis autem plura de his vanissimis malæq; fidei hominibus petit, legat Astrologium Tanneri super practicâ Georgii Galgenmajer, Picum Mirand. cit. Alex. ab Angel. l. 5. c. 6. in Astrol. Pererium l. 3. de divin. c. 2. §. 8. &c. Et multa hic dicenda forent de fallacissimis Thematis, quæ miseri hi Judiciarii in cujusque ferè oativitatem erigunt; sed quia vereor, ne multos, qui ex mera ignorantia & fragilitate sive defectu judicii fidem suam turpius quam verius hisce habent, offenderem, malo de iis tacere quam ea dicere quæ vera sunt; Nam positis variis & efficacissimis cœlorum io hæc inferiora influentiis, nec rationem habent nec experientiam, quare tales in specie ex Astrorum situationibus & positionibus effectus, & maximè qui eventuales sunt & à libero hominis arbitrio pendent, sequantur, quia plerunque aliter atq; aliter juxtà hujusmodi dispositiones influunt. *Si quæras*, an Astrologi sumant astra ut signa, an ut causas effectrices. Respondeo &

DICO 5. Quamvis verum sit, quod astra in ordine ad futuros effectus oon tantum se habeant ut agentia realia physica, sed etiam ut signa, id tamen nihil Astrologis in suis prædictionibus jam enarratis patrocinatur. Quod necessariò debeant ea agnoscere ut agentia physica, patet, quia cootinuò mutant & alterant sublunaria: Quod etiam eadem ut signa habeant, constat ex nativitatum horoscopis, ex quibus ea prædicunt, quæ post multos annos futura sunt, dum etiam oativitatis astra noo dicunt ordinem ad eos effectus qui tum fient: Et hinc prob. quod videl. cœli sub ratione signorum nihil conferant ad effectus eos, de quibus in præsenti difficultas est, præcognoscendos, quia Astrologi incerti, sed omninò inscii sunt de cœlorum natura, qualitatibus activis & operandi modo, ergo eos ut signa ad futuros effectus applicare non possunt, adeòque ex horoscopo hominis nati superstitiosè prænuntiant, quid totâ vitâ circà prospera vel ad-

versa contingere possit. Quid enim Mercurius hodiernus, in quocunque angulo aut domo cœlesti sub quacunque debilitate, dignitate, triplicitate, fortitudine, &c. miser lateat, habet connexionis cum Saturno crastino, aut hic cum Jove post aliquot annos hic vel ibi currente? & quid hic aut ille Planeta qui incidit in nativitatem, contulit ad hoc vel illud post dies, menses & annos infortunium, quod hic natus sit cœcus, clausus, gibbosus, aut post annos in mari submersus, in furca suffocatus, in consulem aut regem aut mendicantium superintendentem electus? aut quid si hodiè crus fregeris, infeliciter aleâ luseris aut cum hoste conflixeris, tibi innocentissima sydera nocuerunt? Vides in quot quantasque absurditates vanissima hæc & deliramentis plenissima Astrologia olim à Chaldæis, Persis, Arabibus, Ægyptiis aliisque gentibus superstitiosis incepta, & demum subsequentibus seculis per similis farinæ homines propagata delabatur.

DIFFICULTAS XXI.

Unde Astrologi aliquando verum dicant.

QUæ multa & varia hic objici solent, ea brevitatis causa omittuntur, tum quod nullius sint ponderis & momenti, quod apud Delr. disquis. magic. l. 4. c. 3. q. 1. sufficienter habeantur; Ad difficultatem tamen, ex qua contrariæ partis doctrina multum elucere videtur,

DICO 1. Multæ sunt causæ, quare Astrologi quandoque verum prædicant; Et primò quidem casu fit, si quandoque verum dicant, quia etiam ille qui multum mentitur, quandoque fit verax, & sus arando literam A. rostro format: hoc patet in Genethliacorum vaticiniis, ad quæ si quis diligenter attendat, vix inter centum unum reperiat verum, illudque casuale, vel ita assertum, ut facilè in omnem partem Zingarorum more inflecti & in quamvis casum torqueri possit: Et quid mirum, hic tantoperè fidem haberi Astrologis, quia fit ut plurimùm ab iis qui rerum naturalium ignari sunt, adeòque magno affectu in hæc vaticinia feruntur, ut dum ad unum veridicum studiosius attendunt, cætera omnia mendacia ex æquo non æstiment, quod experientiæ, testimonia & exempla hic ex abundati probarent, nisi turpe esset in tam manifestis falsitatibus pluribus inhærere. Secundò, aliquando ex instinctu tacito vel manifesto consilio & ope Dæmonum eousque curiositas & levitas hominum delabitur, ut ea futura pronuncient, quæ Dæmones causis & dispositionibus prævisis probabiliter prædicere possunt; Cum enim illi optimam rerum naturalium scientiam habeant, quam per peccatum non amiserunt, hominum item propensiones, temperamentum, affectus, & sciant quod ex illis sequi possit, vel quò homines indirectè, id est, mediante appetitu sensitivo inclinent, prædicere possunt, quid talis homo vel populus acturus sit, quia causam prævident: Et hoc idem de peste, fame, interitu exercitus, regis à regno exturbatione & sexcentis aliis intellige, quia hæc omnia partim ex causis naturalibus, quas optimè perspectas habent, partim ex fide conjuratorum, odio, diligentia, vel contrà ex negligentia & incuria eorum, quibus hujusmodi mala imminent, antecedenter cognoscunt & futura suis devotis clientibus probabiliter prænunciant; Adhæc possunt Dæmones Astrologis prædicere, quæ sciunt Deo permittente se facturos, imò etiam ex aliquo occulto inditio naturali possunt cognoscere, morbum aliquem Epidemium certo tempore cessaturum aut incepturum; sic Turca quidam Famagustanus farinæ hujus socius prædixit se intra horam moriturum, & pestem tunc cessaturam. Contingit etiam quandoque Deo permittente ut quædam futura Dæmonibus per revelationem innotescant, sicut ex Niceph. l. 1. c. 17. oraculum Lithei Apollinis Augusto quærenti, quis post illum Romæ regnaturus esset, hoc responsum dedit: *Me puer Hebræus divos Deus ipse gubernans Cedere sede jubet tristemq́; subire sub orcum; Aris ergo dehinc tacitis discedito nostris.* Tertiò, quando ipsi homines ex dispensatione divina occultoque instinctu ignari quid dicant, futurum prænunciant, quæ consulentes vel ex suis meritis vel ex abysso divini judicii audire oportet. Quartò, sæpè Astrologi æquivocationem sicut Dæmones adhibent, & quædam tam in genere quam in communi, ut si alicui in particulari aliquid infausti accidat, id per universalem vaticinii sui propositionem jam compleri dolosè annunciant.

DICES, Astrologi noverunt positiones & congressus astrorum, eorum item naturas & influentias, & quid singulis temporibus ex hujusmodi aspectu factum & secutum sit, ergo negari non debet, quod illi multa circà hunc statum mundanum ex astris possint scire. *Resp.* exceptis cœlorum motibus neg. simpliciter antecedens. Quod Astrologi congressus astrorum noverint, nemo dubitat, quia noverunt eorum motus; Et sanius esset, nihil eorum novisse, ne tot absurditates in vaticiniis suis committerent, sive de iis ut signis sive ut agentibus loquantur, quia in utroque errant; Nam quod naturas & influentias astrorum noverint, & quam vim in specie in hæc inferiora habeant, falsum est, neque ausi sunt hoc unquam sibi adscribere viri quique doctissimi, ut qui hactenus non tantum de substantia sed etiam de qualitatibus & accidentiis cœlorum litigant, sed pauci quidam veterum errorum defensores, qui vel ob lucrandum panem vel ob aliquam apud rerum naturalium ignaros acquirendam celebritatem hujusmodi vanitatibus & superstitionibus sese addixerunt. Et quis quæso dicat Mercurium in cœlis esse ventosum, Martem calidum, Saturnum tristem & malevolum, &c.? cum nec Mars nec Venus nec Mercurius sit in

cœlis,

cœlis, tantum verò ficta hæc nomina ad distinctionem stellarum & luminarium cœli; nec insit iis calor aut frigus nisi virtualiter, in quantum scil. potentiam habent hunc mũdum variè alterare, quod ex solis effectib⁹ indeterminatis habemus: Nam quod aliquando in hac cœli & astrorum constitutione talis effectus consecutus fuerit, v.g. bellum civile, horrenda tempestas, gravissima aeris mutatio; pestis, mors principum, eversio regnorum, &c. habet id magna ex parte causam non in cœlis, qui ad effectus pure naturales & non fortuitos aut voluntarios se determinant, sed vel in Elementis vel animis hominum quærendam: Deinde malè ab hujusmodi effectibus ad alioa futuros fit argumentatio: primò, quia non soli Planetæ, sed & reliqui stellæ fixæ operantur in hæc inferiora; cum quibus cœli nunquam vel certè vix spatio multorum millium annorum in eâdem stabunt positione, proinde nec in eâdem operatione: Secundò, cœli & astra semper agunt juxtà dispositionem hujus inferioris mundi, quia aliàs producerent in æstate nives & in hyeme fulgura ordinariè, vel sequerentur talea effectus tam in rebus politicis quam profanis & Ecclesiasticis, qui ante annos centenos vel millenos, quo nihil dici potest amentius. Cum itaq; certæ sint generales influentiæ cœlorum, & incertæ speciales, malè faciunt Astrologi judiciarii, quod vaticiniis suis tam temerariè totum orbem dementent, & ad certoa effectus ex astris sese obligent, unde postea cum infamia sua & detrimento hujus nobilissimæ artis dispereant, sicut eventus de nupera anni 1654. ecclipsi solari dedit, propter cujus insolitam ut prænunciabant magnitudinem & effectus turpiter totam ferè Europam suis mendaciis adimplerunt, mirèque animos mortalium anxios & turbatos, dum nihil aliud nisi ridiculus mus dicente ipso Cæsare Ferdinando III. productus, reddiderunt. Quod si urgeant, plerumque se veritatem in erectione thematum pro cujusq; status hominibus dicere; Resp. & hoc falsum esse; quia eventus longè aliud docet, dum turpiter multos decipiunt & sæpè propter nimiam eamque falsam credulitatem in sanitatis vitæq; pericula præcipitant, quemadmodum etiam meritò accidit iis, qui temerè annorum climactericorum vanitati fidem adhibent; Et esto aliquid in thematum erectione dici, cuius veritatem eventus probare videatur; quia mirum non est, aliquando etiam casu verum dici; Deinde ita solent Astrologi in futuris eventibus procedere, ut cum pleraque æquivoca sint vel dextrè & artificiosè dicta, aliquam veritatem habere videantur; Adhæc illi ipsi, quibus erigitur horoscopus, hoc studiosè affirmant, ne cum suis Astrologis confusionem patiantur. Plura vide apud doctissimum Nicol. Causinum l. de regno Dei, ubi in Maximiliano I. Carolo V. aliisque magnatibus malos & perversos aspectus, prout ab Astrologis habiti, longè aberrasse demonstrat. Et quis dicat omnes Reges & Imperatores sive Gentiles sive Christianos qui à tempore mundi conditi malâ morte perierunt, sua nativitate incidisse in perversos syderum aspectus, & contrà alios, quibus & vita & mors felix fuit, in benignos? causam proximiorem quære & veritatem invenies.

DIFFICULTAS XXII.

Quid cessantibus cælorum influentiis futurum sit.

NOn est quæstio, an cessante motu cœli agẽtia naturalia quicquam possint efficere; constat enim, si à motu cœlum quiesceret, lumine autem & influentiis ageret, actiones rerum sublunarium adhuc duraturas. Nam tempore Josuæ, cum cœlum staret, milites intereà dimicabant, ex vulneribus dolorem sentiebant, victi fugiebant, &c. Quæstio ergo est, an si & motus & lumen & influentiæ cœlorum cessarent, aliquid ab agentibus naturalibus fieret; pro qua re imprimis

NOTA, duplex esse rerum genus, de quibus hic sensus esse potest an fiant; alterum eorum quæ ita producuntur & fiunt à cœlo, ut certo tempore gignantur, qualia sunt quæ æstate solùm videmus gigni, non autem hyeme; alia sunt quæ æstate & hyeme adeòque quovis tempore gigni possunt. Jam

DICO 1. Non omnia inferiora ita pendent à cœlo in suis actionibus, ut absque ejus concursu nihil omninò operari possint. Prob. si omnia dependerent à concursu cœli, omnia pro varietate cœli mutarentur; sed hoc falsum est, ergo & illud. Minor probatur, quia ignis admotus ligno illud comburit, sive sit nox sive dies, ergo ignis in suis actionibus non ita dependet à concursu cœli; quod idem de motu lapidis deorsum intellige.

DICO 2. Plurima fiunt in sublunaribus, quæ cœli concursu sublato non fierent. Patet hoc in plantationibus frugum & herbarum, quæ ut è terra gignantur, requirunt concursum cœli & præsertim calorem Solis, ideòque pro varietate cœli variantur etiam earum generationes; quædam enim nascuntur vere, plurima æstate & autumno, quæ reliqua parte anni non crescunt; ergo cessante concursu cœli horum generatio impediretur; Et idem intellige de rerum omnium generationibus ac productionibus, quæq; vitam habent & vitaliter operantur, quia cessabunt operari.

DICES, agentia sublunaria essentialiter in agendo subordinata sunt superioribus, id est. corporibus cœlestibus, ergo cessante motu istorum, cessabunt etiam actiones inferiorum. Resp. eas actiones cessare, quæ pertinent ad mutationem tam substantialem quam accidentalem, id est, ad generationem & corruptionem,

nem, non autem eas quæ ad ejusmodi mutationes non ordinantur, ut est productio luminis à corpore lucido, tum specierum visibilium ab objectis, motus ignis sursum, lapidis deorsum, quæ actiones rationem quandam velut immaterialem & spiritualem sortiuntur.

Colligitur 1. Motu cœli cessante nihilominus omnis generis actiones in hoc mundo inferiori datum iri, ut descensum lapidis deorsum, incensionem ligni ab igne, &c. 2. Motum cœlestium corporum esse necessarium ad influentias in mundum sublunarem immittendas, ut patet in lumine, quod sua circumvectione jam frigus jam calorem producit. 3. Hoc cœli motu cessante non fore amplius vicissitudinem generationum & corruptionum, quia nullæ germinabunt arbores, nullæ gignentur segetes, nullus frugum fructuumque proventus erit futurus, adeòque & vita & vitales operationes, quæque ad harum conservationem inserviunt, sive sint corpora simplicia sive mixta, desinent.

COROLLARIUM.

Ex dictis colligitur, non esse audiendos illos, qui nimium temerariè & superstitiosè astris tribuunt, sed nec illos, qui omnem iis vim & actionem in hæc sublunaria demunt; Nam certum & indubitatum est, quicquid à centro terræ ad usque Lunæ concavum agitur, quicquid gignitur & corrumpitur, id cœlis & eorum influentiis adscribendum esse adeò etiam, ut sublato eorum concursu omnis rerum vicissitudo sit finem habitura. Hoc testantur elementorum mutuæ transmutationes & frequentes actiones, quas in ciendis tempestatibus, depluendis vaporibus, inflammandis exhalationibus, exhibendis omnis generis phænomenis sive meteoris, concutiendâ terra, commovendo aere & æquore, alterandoque universo mundo sublunari eliciunt: hoc loquuntur mixtorum in terræ gremio generationes, vegetabilium fæcundæ productiones, brutorum animantium diversæ naturæ ac virtutes, tum hominis per tam vasta orbis spatia habitantis, mores, ingenia, studia, inclinationes, &c. hoc fatentur plantationes, sationes & culturæ hortorum, agrorum, vinearum, varietates temporum anni & diversa provinciarum regnorumque climata, menstrua viventium incrementa & decrementa, totque in humano corpore affectus motrices, & tam præsentium quam futurarum tempestatum indices & prænuncii. Neque tamen hæc sunt, quæ impiæ Genethliacorum opinioni, & vanissimæ judiciariorum Astronomorum doctrinæ quicquam patrocinentur, quia vera sunt illa, hæc falsa; consentiunt illa veræ Philosophiæ, sacris literis, sanctorum Patrum doctrinis, omniumque virorum illustrium dictis & scriptis, hæc verò ab iisdem turpiter & ignominiosè proscribuntur & condemnantur, & à nemine hactenus nisi ab exiguæ notæ & doctrinæ hominibus apud eos, qui de variis eventibus nimis imprudenter sollicití sunt, ceu fumi & cineres sparguntur; Neq; enim bellorū incentores sunt cœli, neq; fortunę aut infortunii ullius causæ procuratrices, sed nec præmonstratrices, quia in hunc finem à Deo producti non sunt, tantum verò ut effectus quosdam, quos non nisi extrà causam datos cognoscimus & miramur, producant, & universaliter suis influentiis hunc mundum foveant, omniumque agentium naturalium virtutes roborent & secundent, & si deficiant, ipsi in se id muneris suscipiant; Neque etiam dati sunt cœli ut ex ipsis constet, quid cum homine ab hora nativitatis circà ejus actiones naturales, eventuales liberasque & intellectuales futurum sit, sed ut hujus calorem vitalem foveant, suoque motu & lumine vitam ejus sicut & reliquorum omnium viventium conservent: In punctum nativitatis non influunt magis quam ante & post, nisi fortè prius viscera matris penetrare non potuerint, qui tamen profundissimos terræ hiatus penetrant; Diem & horam conceptionis sive formationis & infusionis animæ nullo influentiarum genere illustrant, quia deficit subjecti capacitas, & quia soli parentes concurrentibus cœlis in genere causæ universalis operantur & imprimunt tenellis visceribus temperamentum & complexionem & cum his dotes corporis animique propensiones; sed nec in cœlo signatum est, quis horum effectuum in ulla creatura futurus sit unquam, quia experientia, quâ solâ nitimur, in contrarium pugnat, & quia nunquam hactenus à mundo condito idem fuit in omnibus cœli stellarumque status & positio, adeòque nec idem influxus, in quo solo cum Astrologorum judiciariorum doctrina sit fundata, evidenter constat, quam nulla fides sit eorum vanissimis prædictionibus adhibenda. Quamvis itaque multas & varias calorum influentias & ratio & experientia commonstret, illud quidem, quia cœli sunt corpora physica summèq; necessaria, adeòque etiam ut eorum influxu totus regatur mundus, hoc verò quia videmus & experimur ex eorum motu, lumine cæterisque occultis qualitatibus operationem; Nihilominus tamen præter paucissimos, quæ in Euripis, æstu maris & magnete observantur, nullæ penitusque nullæ sunt, quæ ex astrorum conjunctionibus, oppositionibus, quadraturis, &c. vel certò vel probabiliter possint prævideri, quia nec ratio nec experientia pro iis militat, dum in cœlis nihil præter materiam & formam unamque vel alteram qualitatum secundarum habemus cognitam & perspectam, causæ etiam plures sunt, quæ tam ex parte Astrorum agentium quam patientis inferioris mundi ejusmodo influxus impediunt, adeòque rarissimè cum hisce Planetarum congressibus in eundem effectum conspirant.

DISPVTATIO XIV.

De Antipathia, Sympathia & Venenis.

HÆc adeò rebus naturalibus inesse constat, ut ne cœlos & creaturas immateriales exceperis: Talis enim est imprimis inter naturas omnium rerum ordo & dispositio, qualis ad cujusque & totius universi conservationem requiritur; Hinc tanta complexionum, temperamentorum, formarum & proprietatum varietas, quibus res creatæ à se invicem distant, in se mutuò aut corruptivè aut perfectivè & conservativè agunt; Et videre est hoc in ipsis Angelis beatis, qui damnatos spiritus odiunt, amicos autem Dei & hominem amant, tum in ipsa anima rationali, quæ licet inæqualis sit conditionis cum corpore suo, tamen ab eo nunquam avelli desiderat, sed separata jam reuniri appetit. Corpora cœlestia, quantum in hæc inferiora operentur, nemo est qui nesciat; Magnetem enim trahunt, maria commovent, morbos augent & imminuunt, &c. Et homo post Angelos primus, quid non patitur à rebus levioribus, quantumque non amatur aut odio habetur à diversis? Cætera quæ ab animantibus & vegetabilibus ad res inanimatas usque conveniant aut dissentiant, nemo est qui id scribere satis aut explicare sufficienter possit; Hoc unum docet venenum quod hostiliter agendo in hominem, suam hanc meretur denominationem; Nam actio quam habet in res inanimatas, famam non reportat, sicut nec illa, quam in vegetabilia exercet, quia solus homo est, ad cujus vitam conservandam reliqua condidit Deus, & in quo maximè animadvertitur, quicquid delinquitur. De hoc agere spectat ad physicam & ad Medicum; ad illum ut explicet qua virtute naturali tam perniciosè operetur, ad hunc ut doceat quibus remediis ab humano genere profligandum sit; Damnavit quidem Gal. l. de antid. c. 7. omnes eos qui rationem componendi venena scriptis tradiderant, quod & idem videre est apud Plat. 2. de republica; sed fatetur in 6. Epid. c. 5. se non eo animo de venenis scripsisse, ut sint ad pernitiem, sed potius ad tutelam hominis. Est autem

DIFFICULTAS I.

An in rebus naturalibus detur antipathia & sympathia.

PEr antipathiam nihil aliud intelligitur quam affectio quædam contraria vel dissensus quem habent res omnes naturales, v. g. calor & frigus juxtà Vales. l. 4. controv. c. 6. per sympathiam verò passio & consensus, quem habent, quando sa in actionibus suis mutuò juvant & conservant, v. g. calor qui humore conservatur, siccitate autem ad agendum intenditur. Gal. 3. de simpl. c. 5. vocat has affectiones amicitiam vel inimicitiam. Plinius l. 37. c. 4. concordiam vel discordiam. Fracast. l. de antip. & symp. latentem rerum consensum vel dissensum. *Per antip. & symp. quid intell. ligatur.*

Adverte, rerum omnium naturalium quoad antip. & symp. communiter constitui triplicem ordinem; primus ordo est rerum disparatarum, quæ videlicet nec amicitiam apertam inter se habent, ut est humor & calor; eò quod vis agendi & patiendi si non similem, saltem non repugnantem habeant naturam; sic fulmen liquefacit aurum illæso vase propter certam convenientiam & respectum seu proportionem complexionis & virtutis activæ, quam habet cum marsupio & vase, non autem cum vino & auro; sic ventriculus nauseat caseum & vinum, non lac aut mustum; sic adamas non mollescit sanguine cervi cum quo non habet eam dissensionem, quam habet cum sanguine hirci. Secundus ordo est eorum, quæ positivè sibi sunt contraria, sive illud fiat per qualitates manifestas, ut frigus & calorem, sive per occultas, ut experimur in malignitate febrium pestilentialium, in quibus statim sentimus calorem vitalem cordis latenter opprimi & oppugnari, proinde hæc inter se pugnant iisque nocent à quibus diffident; sic umbra taxi necat serpentes, nux vomica mortalis est quibusdam solùm animalibus, torpedo piscatoris brachiū torpefacit, medicinæ abigunt qualitates morborum effectrices. Tertius denique ordo est eorum, quæ se mutuò juvant, ut est *Malignitas calori vitali & non ut sic est contraria.*

est calor solaris & nativus, calor & siccitas, medicamenta & alimenta conservativa; sic argentum vivum ebibit effusum oleum, & furentem taurum ficus virens mansuefacit, si tamen vera est experientia & id quod narrant Authores.

Datur antip. & symp. DICO, datur antipathia & sympathia in rebus naturalibus. Est rationis, Arist. & quotidianæ experientiæ quâ ferè nihil est communius. Prob. primum, quia ita totum universum constitutum est, ut in eo nihil planè sit quod cum altero non cohæreat, consentiat aut dissentiat, ut inde omnium rerum naturalium corruptiones & generationes dependeant, sicut videre est apud Fracast. l. de symp. & antip. c. 2. Prob. secundum ex Aristotele, qui hoc ipsum tota sect. 7. problem. docet. Tertium prob. ex rerum omnium creatarum similitudine vel dissimilitudine, juxtà quam sese aut mutuò conservant aut destruunt; Adeò enim sunt mirabiles actiones in venenis, purgantibus & totis cùm medicinis tum alimentis, ut planè à Philosopho naturali explicari non possint, nisi occultus ille & stupendus rerum consensus & dissensus admittatur: Hinc patet conclusio enumeratione diversissimorum effectuum, quos à cœlis & quicquid intra eos concluditur, observamus: Ut enim ex multis pauca dicantur, brassica rutam & vitis hederam nullam aliam ob causam juxtà se plantari nolunt, quam quia in propriis naturis dissentiunt. Magnes attrahit ferrum, non aurum, non argentum, non lapidem aut aliud quippiam ob quandam naturæ & complexionis similitudinem. Gallus gallinaceus non refugit Elephantem, sed milvum aut accipitrem, quin imò leonem aliàs quin mille viris formidabilem solo suo aspectu vertit in fugam panicoque terrore concutit. Eâdem de causâ cauda lupina, si tamen experientiæ sit fides, ex præsepio boum suspensa cibis prohibet jumenta, & agninæ fides nunquam lupinis concinunt, quacunque tandem diligentia & dexteritate intendantur, &c.

DICES, hinc sequi, omnes res sublunares ad antip. & symp. referendas esse, quia omnes habent inter se consensum vel dissensum quendam. Resp. id verum esse si amplè sumantur pro quacunque convenientia vel disconvenientia, neque hoc absurdum esse; falsum autem si strictè & propriè pro latente rerum consensu vel dissensu ex Fracast. citato, quia datur utraque tam inter res occultas quam inter manifestas.

Antipathia & symp. est latens consensus vel dissensus.

DIFFICULTAS II.

Quid sit Antipathia, quid Sympathia.

ADverte, antipathiam & sympathiam ut ex proximè dictis constat, aliquando sumi latissimè pro quovis consensu vel dissensu, quem inter se habent cuncta sublunaria vel composita physica, & ad quam acceptionem etiam pertinent virtus & vitium, tristitia & lætitia, voluptas & dolor, &c. strictius autem & propriè pro quibusdam peculiaribus rarisque affectionibus sive proprietatibus, quas citiùs causam aliquam manifestam in rebus quamplurimis advertimus; Et hujus generis sunt quod magnes ferrum trahat & non aurum aut plumbum; quod gallus terreat leonem & non milvum aut vulpem, quod homo moveatur præsentia muris, catti, sive alterius rei levissimæ. Et cum hæc omnia juxtà communem Philosophorum & Medicorum doctrinam referri soleant ad quendam consensum vel dissensum rerum, quæstio oritur, quid sit hic mutuus consensus vel dissensus, an qualitas, an substantia, an relatio, an quid aliud.

Propriè sumitur antip. & symp. pro latente rerum consensu & dissensu.

DICO 1. Sympathia est amica affectio, coordinatio sive habitudo duarum vel plurium rerum ad invicem, ita ut unâ hoc aut aliud agente vel patiente, vel etiam solum præsente, altera quoque aliquid agat vel patiatur; licet una in alteram nihil agat: Antipathia verò, quæ opposito modo se habet, est inimica affectio duarum vel plurium rerum, &c. Ita Forerus in suis thesibus, ubi ad intelligendum hanc utramque definitionem advertit, antipathiam & sympathiam variis modis esse inter res creatas, quia vel unum tantum agit & alterum patitur, ut patet in magnete, & ferro; vel utrumq; agit & patitur, ut videre est in patre & filio le mutuò amantibus vel odientibus; vel agunt in se mutuò actione reali & physica, ut magnes dum trahit ferrum; vel nulla planè intercedit actio positiva, cujusmodi est fuga leonis viso igne, & pulli conspecto milvo, ubi nec ignis in leonem, nec milvus in pullum physicè quicquam agit nisi producendo speciem intentionalem sui in medio. Dicitur autem sympathia amica affectio & antipathia contrario modo, quia utraque non est ea virtus aut qualitas quæ facit ut res naturales dissentiant aut consentiant, quia hoc est quidpiam naturâ posterius; sed est aliquid resultans ex duabus naturis: Nam ad sympathiam & antipathiam requiruntur res duæ vel plures distinctæ, ex quarum coordinatione & habitudine resultet vel consensus vel dissensus: Hoc inde patet, quia si in rerum natura nullum esset ferrum, magnes non esset nec diceretur sympatheticus propter tractionem quæ deficeret; Et hoc idem de reliquis intellige.

Antipathia & Sympathia quid.

DICO 2. Connexio illa, coordinatio seu habitudo, in qua videtur formaliter consistere sympathia & antipathia, est respectus aliquis, non quidem prædicamentalis, sed transcen-

transcendentalis sive essentialis, quo potest & solet aliquod subjectum certis dispositionibus & conditionibus positis vel pati quidpiam, & est ipsa capacitas naturalis passiva, vel agere, & est ipsius principium productivum talis affectus; Ita idem Forerus citatus, & probatur, quia sicut materia prima & forma substantialis habent inter se naturalem & essentialem habitudinem ac connexionem; ut mediante unione constituant unum per se, materia verò prima & forma accidentalis ut constituant unum per accidens; similiter sicut calor per se respicit frigus tanquam hostem suum eumque expellendum ex eodem subjecto, non autem humorem aut nigredinem; Ita quoque de hac connexione naturali sympathetica & antipathetica est ratiocinandum. In magnete enim v.g. sympathia fundamentaliter & passivè consistit in eo, quod positis ipsius formæ substantialis debitis dispositionibus sit proximè capax illius virtutis tractivæ ab astris recipiendæ; illa verò virtus essentialem habet respectum ad impulsum in ferro & non in alio producendum, cujus impulsu vi postea ferrum movetur, ut proinde sympathia aliud non sit, quam appetitus innatus seu naturalis propensio & inclinatio cujuslibet rei in suum bonum, quæ in potentiis passivis est naturalis capacitas & proportio cum sua perfectione sive cum suo actu, in activis verò ipsa naturalis facultas agendi, nec addit aliquid ultrà ipsam naturam, nisi quod connotet & requirat dispositiones ac conditiones certas. De his vide plura apud Philosophos, tum verò apud Soar. t.1. metaph. disp.1. s.6. n.3. & apud Murciam 3. de anima d.2. q.1. ubi ait à S. Dionisio de div. nomin. hunc apppetitum vocari substantialem & essentialem habitudinem.

Sympathia quid proprie.

DICES, ex dictis sequitur, nullum esse discrimen inter ea quæ agunt per antipathiam & sympathiam, & inter alia agentia, quæ omnia respectum habent ad suam perfectionem naturalem suumque actum; ideò potentia visiva v.g. respicit essentialiter non sonum, non odorem, sed colorem, & tamen cum colore non dicitur habere sympathiam, ergo hæc non consistit in tali respectu essentiali. Resp. esse quæstionem de nomine, ac in rigore concedendam sequelam antecedentus; Ex usu tamen & more loquendi Philosophorum non vocari sympathiæ aut antipathiæ effectum naturalem, nisi cum causa efficiens est minus manifesta minusque nota respectu nostri, esto secundum se non aliter sese habeat quam reliquæ causæ: Nam ut ex dictis constat, antipathia & sympathia propriè oritur ex latente & occulto rerum consensu vel dissensu.

DIFFICULTAS III.

An Antipathia & Sympathia possint referri ad primas qualitates tanquam ad causam efficientem.

OPINIO multorum est quidem magni nominis Doctorum, tam antipathiam quam sympathiam posse referri ad primas qualitates, ex quarum permixtione rerum omnium temperamenta constituantur, innumerisque ferè modis varientur, ut proinde alia sint cognata & amica, alia dissimilia & diversa, alia planè contraria, idque minus aut secundum variorum graduum perceptionem: Et hinc oriri dissensiones & consensiones formarum substantialium, non ut sunt substantiæ, sed ut talibus qualitatibus hoc vel illo modo contemperatis sunt affectæ; solere autem quamlibet rem, prout ipsa est affecta, ita & aerem proximum afficere, idque vel propagatione ejusdem qualitatis sensibus manifestæ, cujusmodi est calor, frigus, vel arcanæ & occultæ, quæ à nobis non percipitur per se, sed tantum per effectum, ut est vis magnetis, venenorum, purgantium, &c. vel certè emissione tenuiorum quarundam exhalationum quas à multis corporibus effundi certum est, ut proinde diuturnitate temporis res aliquando marcescant ac vires amittant, ut experientia in vino, fructibus, floribus, &c. Ita ferè Alex. ab Ang. l.1. in Astrol. c.18. Antonius Zara de cult ingeniorum membro 4. sect.1. & alii qui omnes omninò rejiciunt qualitates occultas, solisque primis contenti sunt: Ut enim hic Zaræ verbis utar, magnes is inquit ferrum, solùm per suum temperamentum ac per certam primarum qualitatum commixtionem; Ex hac enim non modo hominum & belluarum sed & stirpium ingenia prodeunt, tantaque morum & studiorum varietate emergunt, quam si probè cognovissent ii qui de occultis rerum miraculis parum philosophicè scripsêre, ubi illis omnia apertiora fuissent, nec effectum magnetis occultæ naturæ consensui & sympathiæ quæ ignorantiæ asylus, & indoctorum est clypeus, sed huic temperamento ex primis qualitatibus tribuissent: Cum enim omne simile simili gaudeat, & magnes ac ferrum qualitatibus frigidis & siccis imbuta sint & colore etiam similia, fit ut illum reciprocum amorem poliq; arctici plagam frigidam & siccam absque intermissione prospectent; Hinc Echineis piscis ex valentissima siccitate sistit navim, &c. Hæc Zara, sed *Qualitates occultas rejicit Zara.*

DICO, sympathia & antipathia non oritur à solis primis aut manifestis qualitatibus. Probatur primò, plurimi effectus dantur in rebus naturalibus, qui nullo modo explicari possunt per qualitates manifestas, ergò Anteced. probatur multis experientiis, & præsertim *Unde oriatur antip. & symp.*

præsertim virorum fortium, qui magis à muribus quam à muralibus tormentis abhorrent, tum aliorum qui caseum, vinum, fraga, certos colores, odores, &c, totis præcordiis nauseant, solisque sensibus externis degustata animo quasi delinquunt, sive etiam aliorum, qui è summis se potius præcipitant, quam felem secum tolerent, quâ proinde nec visâ nec cognitâ sudant, expallescunt, summisque angustiis defatigati vix non animam agunt, quod idem de sexcentis aliis intellige. Quomodo autem hæc à solis qualitatibus manifestis efficiantur, explicatu difficillimum est, quia imprimis non apparet qualem temperationem homo habeat ad odiendos mures, feles, &c. an fortè talem, quæ temperationi muris, felis, &c. sit contraria: feles omnes non sunt ejusdem temperamenti sicut nec omnes homines aut bruta in sua specie, & tamen homines diversorum temperamentorum odiunt non unum sed omnes mures, feles, quibuscum temperatione partim conveniunt partim dissident. Adhæc integræ familiæ abhorrent aliquando feles vel habent familiares, in quibus licet diversissima temperamenta reperiantur. Et cur mus aut felis non odit hominem sicut è contra, si causa inter qualitates primas existat? Certè multa sunt contraria in primis qualitatibus, in quibus singularis viget sympathia, ut patet in cerebro & corde, quia licet temperamento distent, amicissimè tamen in actionibus suis & conservanda vita conspirant; similiter omnia sicca facilius humorem imbibunt, quam humida, ut patet in cineribus, terra sigillata, bolo armeno, &c. Neque dicas, apprehensionem esse causam ejusmodi effectuum, quia Resp. hominem alterari antequam de præsentia ejusmodi rerum quicquam intelligat. Et quis credat, aliquam ex primis qualitatibus sudorem exprimere, afferre deliquium aut conjicere hominem in tantas angustias? Prob. secundò, si temperamenti similitudo est causa sympathiæ, & dissimilitudo antipathiæ, non est ratio, cur potius homini sit antipathia cum muribus, felibus, caseo, vino, &c. quam cum auro, argento, ferro, &c. quæ non minus suis temperamentis sunt homini dissimilia: Deinde similior est homo homini quàm magnes ferro, & tamen inter hæc est actio sympathetica, non autem inter illa; similiter non esset ratio, cur magnes ferrum & non contrà ferrum magnetem traheret; quia eadem est similitudo ferri cum magnete quæ magnetis cum ferro, ergo deberet esse mutua actio contra experientiam. Prob. tertiò, si ideò magnes polum arcticum prospectat quia etiam est frigidus & siccus, sequitur quamvis particulam terræ imò integros montes eò sese vertere, cum hi sint æque frigidi & sicci, quod tamen est contrà experientiam: ferrum non adeò siccum esse, patet ex ejus liquabilitate; quæ enim talia sunt, non abundant humore, ex 4. meteor. contra Zaram.

quæ de Echineide pisce narrantur, fabulâ sunt, quia aliàs plura, quæ longè ficciora sunt, id præstarent, licet per se ridiculum videatur, integram vastamque navem vix tot remigibus ventorumque turbinibus propellendam huic pisciculo ejusque virtuti fictitiæ obtemperare. Probatur quartò, sæpè unus idemque homo res duas, quæ sunt diversi temperamenti, abhorret, ubi ad nullam ex primis qualitatibus confugiendum est, ergo antipathia & sympathia non oritur è qualitatibus manifestis. Antecedens patet enumeratione infinitorum mixtorum quasi & rerum alimentalium, quæ ab hoc in delitiis habentur, ab illo maxima nausea repudiantur.

DIFFICULTAS IV.

An solæ qualitates occultæ sint causa antipathiæ & sympathiæ.

OPINIO priori immediatè contraria est, sympathiam & antipathiam fieri per occultas quasdam & innominatas qualitates, quæ ab astris, in prima generatione sublunaribus imprimantur, quæque cum non sint omnes uniusmodi, pro varia subjecti dispositione varientur; Vide quæ antecedenter de qualitatibus occultis & præsertim in specie de influentiis cœlorum dicta fuerint; Nam quod cœli præter lumen & calorem in hæc inferiora occultè influant, probant imprimis varia metalla in visceribus terræ. Secundò, acus nautica magnete illita quæ etiam in densissimis tenebris maximoque frigore trahitur ad polum arcticum. Tertiò, æstus & euripus maris. Quartò, variæ tempestates & mutationes aeris, quæ non possunt fieri à lumine, motu aut calore. Quintò deniquè varii effectus, qui in hoc mundo inferiori circà sationes & plantationes, circà accretiones & decretiones conchiliorum aliorumque vegetabilium circà affectus & signa natalitia sive notas hominum corporibus impressas, &c. quotidie accidunt, nullique Agenti manifesto aut sublunari ascribi possunt.

DICO, quamvis negari non possit, dari occultas qualitates sive ab Astris sive aliunde in sublunaribus productas, à quibus antipathia & sympathia naturalis efficienter fiat, non est tamen verosimile, omnem harum effectum ad illas referendum esse. Prima pars probata est conclusione præcedentis difficultatis, probetur hic secunda; Nam exceptâ eorum opinione, quæ nimium vult, dum omnes effectus ad qualitates primas reducendas esse statuit, constat primò dari naturalem sympathiam inter voluntatē & potentias inferio-

Etiam datur sympathia inter res manifestas ut inter volunt. & facult. inferiores.

inferiores in homine, quamvis in ſe mutuò non agant phyſicè per qualitatem aliquam occultam, ergo non ſemper fit effectus antipathiæ & ſympathiæ interventu qualitatum occultarum. Prob. hæc conſeq. quia ſatis eſt voluntatem velle ut aliæ inferiores potentiæ operentur, v. g. ut æger comedat hoc aut aliud, ſumat Medicinam, ambulet &c. idque ſine omni qualitate occulta ſolùm verò ex naturali connexione & ſubordinatione potentiarum iſtarum cum voluntate, quam connexionem vocare ſolemus ſympathiam. 2. Etiam inter intellectum & voluntatem intercedit ſympathia; ſed neutra potentia agit in alteram phyſicè per occultam qualitatem cæleſtem, ergo. Major vera eſt, quia non poteſt agere voluntas niſi agat quoque intellectus: minor prob. quia etiam in ſtatu ſeparationis manet utraque potentia, & concenſus, ubi tamen nequicquam influxus cæleſtis ſive directè ſive indirectè agere poteſt. Et hoc idèm de intellectu cum ſenſu interno, & hujus cum externo intellige, quia ferè ubique eadem eſt ratio. 3. toti univerſo & ſingulis ejus partibus ineſt ſingularis antipathia eum vacuo, quod tamen effectivè non fit per aliquam occultam qualitatem ut conſtat apud phyſicos, ergo. 4. omnes partes in homine v. g. talem habent inter ſe conſenſum & amicitiam, ut ſi uni malè ſit, reliquæ etiam vel omnes vel pleræque langueant, & illaudabiliter operentur, ut videmus in unico renum calculo, in una ſtomachi refrigeratione, in uno capitis dolore &c. quæ omnia non poſſunt fieri per occultum aliquem influxum, qui ſpectat ad ſolam antipathiam & ſympathiam in ſtricta & propriè ſignificatione ſumptam ut placuit Fracaſtorio.

Etiam diſſentiunt partes corporis inter ſe dum malè vel benè habent.

DIFFICULTAS V.

Quæ ſit cauſa finalis antipathiæ & ſympathiæ.

HÆc quæſtio aliter ab aliis proponi ſolet, videlicet unde fiat quod ovis timeat lupum, Gallinæ miluum, Leo Gallum, gallinaceum &c. Et rurſum quo Authore fiat iſta præſenſio, quod v. g. Ovis in ore Lupi necem ſuam præſentiat &c.

DICO primò, duo animalia inter ſe diſſident vel ob pabulum vel ob locum, vel ob venerem. Ita Scal. exerc. 342. numero 2. & Alex. ab Angel. l. 1. contra Aſtrol. c. 18. De pabulo & loco res manifeſta eſt, cum ſcilicet idem locus aut cibus à duobus animalibus expetitur; ſic enim ea quæ non tantum ſunt diverſæ ſed etiam ejuſdem ſpeciei, ut felis & canis, aut duo canes, ſe mutuo perſequuntur & lacerant ob idem fruſtum carnis, & duæ aves decertant inter ſe roſtris & unguibus ob eundem nidum, quod etiam inter homines mendicos videre eſt, qui ob eaſdem cauſas non tarò inſigne aſpicientibus exhibent ſpectaculum & riſum: Neque verò de venere & præſenſione futuræ voluptatis res minus certa eſt, adeòque etiam ut hujuſmodi corrivales proci & porci in odium exitiale & damnum irrecuperabile cum corporis tum animæ frequentiſſimè ruant.

Vnde animalia inter ſe diſſideant.

DICO 2. aliquando diſſidium inter animalia non eſt mutuum, ſed tantum unius in alterum, Patet hoc expreſsè in Lupo, qui non odit Ovem, captam &c. Cum enim hæc in cibum & alimentum cupiat, ea vehementer appetit, etiam aliquando cum vitæ pelliſque propriæ diſpendio. E contra verò Lupus tanquam inimicus ſummo habetur odio à capra, ove &c.

DICO 3. etiam animalia multipliciter diſſident propter noxam & malum quod ſibi inferri timent; ſic enim homo timet ſerpentem, pulicem &c. licet non æqualiter; aliter autem timet illum cum quo rixas habet; aliter ab eo diſſidet, cujus mores vita & verba diſplicent: ſic ovis timet lupum ex præſenſione futuræ necis, quam in ore lupi ſibi paratam cognoſcit: In contrarium autem videmus ſympatheticè ad tuendam vitam, ad perpetuandas ſpecies, ad communicandas voluptates &c. omnis generis animantia quotidiè conſociari & gregatim incedere, Si

QUÆRAS, quis facit in pullo timere accipitrem &c. Reſp. &

DICO 4. à Philoſophis jam receptum eſſe, quod motus animalium opinione boni vel mali excitentur; ſic enim opinio boni præſentis affert lætitiam, mali verò triſtitiam; boni futuri ſpem, mali deſperationem. Et hujuſmodi motus ſunt cauſæ mutuæ perſecutionis & fugæ in animalibus: ſic pulli fugiunt miluum, ovis lupum, mus felèm &c. ex præſenſione imminentis mali. Quod ſi cupias ſcire, quis excitet hunc motum; Dicendum eſt, ab objectis per medium tranſmitti ſpecies tam proprias quam communes, ut ſunt magnitudo, motus figura &c. ſenſumque moveri; Et hinc animalia naturali inſtinctu ex apprehenſa ſpecie ſenſibili æſtimare rem viſam aut apprehenſam ſibi convenientem aut diſconvenientem, quod adeò verum eſt, ut etiam in homine plerumque & antipathia & ſympathia ex potentia æſtimativa & phantaſia dependeant; ſic pullus horret miluum, quia ex apprehenſa ſpecie ſenſibili & naturali inſtinctu æſtimat eum ſibi hoſtem fatalem; Et idem de mille aliis intellige.

Vnde ovis timeat lupū.

Animalia ex naturali inſtinctu æſtimant rem bonā vel malam per ſpecies ſenſibiles.

DICES, Ergo nullo modo ſunt rerum quarundam effectus arcani & mirabiles cælorum influxui adſcribendi, cujuſmodi ſunt, quod Adamas & Electrum pilos trahant, quod remora ſiſtat navim, cicuta alat ſturnos, hominem autem interimat, porcus aut mus Elephantem terreat &c. Reſp. quidquid ſit de quibuſdam arcanis & abſtruſioribus qualitatibus, de quibus jam ſuprà, omninò negandum

Z eſt

est hos & similes effectus astris esse adscribendos. Ratio, quia hujusmodi effectus, qualitates & proprietates oriuntur partim à manifestis causis, qualitatibus & proprietatibus individualibus, partim emanant à forma, eamque ita comitantur, ut sine illis forma nunquam sit nisi contrarium adsit & impediat: sic fœtorem allii petroselinum & amygdalæ impediunt, & allium sive ignis impedit vim tractivam magnetis; sic quædam herbæ juxta se positæ aut virescuot uberius, aut arescunt citios, quia propter complexionis & temperamenti consensum aut dissensum sibi mutuò demunt sive addunt humorem nutrimentalem.

DIFFICULTAS VI.

An detur effectus antipathiæ & sympathiæ inter ea quæ distant.

HÆc quæstio non movetur de agentibus quæ positivè agunt, etiamsi dissita sint; Nam constat magnetem attrahere ferrum à se distans, & flammam terrere Leonem longius absentem vel quousque illam hic contueri possit: quæstio igitur est non inter ea quorum saltem datur actio unius in alterum, sed inter ea, inter quæ prorsus nulla datur & intercedit actio, v.g. inter voluntatem, phantasiam & potentiam loco motivam: Nam primo inter hanc utramque & voluntatem nulla intercedit actio. 2. distant à se invicem. 3. ad Impetium voluntatis obedit facultas motiva. quartò, quod hioc sequitur, absurdum est, dati posse effectum sympathiæ & antipathiæ ad quamlibet distantiam, quod etiam nullo modo conceditur à Philosophis, Quod autem illa sequela sit verissima, patet inde, quia si conceditur aliquid agere in distantiam unius passus & nihil producat in medio, necessariò sequitur, etiam agere in distantiam 10. passuum, & si in 10. etiam in 100. 1000. & sic in infinitum quod & absurdissimum; sequelam confirmat ratio paritatis quæ ubique est eadē.

DICO breviter, non datur effectus sympathiæ & antipathiæ inter agentia dissita, quorum unum nihil agat in alterum. De agentibus positivis eorumque actione vide disp. 2. hujus l. diffic. 28. prob. de voluntate, Nam hæc, phantasia & potentia loco motiva, de quibus hic maximè est controversia, licet loco distent, in eodem tamen sunt supposito, & quod magis, in eadem numero anima, à qua non omnes emanant, ita copulantur ut censeantur esse virtualiter conjunctissimæ, ergo licet phantasia dicatur esse in cerebro, & facultas motiva in pede, non tamen dicentur dissitæ, sed radicaliter in eâdem anima. Nec juvat quod juxta moltorum opinionem animæ brutorum sint divisibiles, quia nihilominus est unain subjecto uno quod informat.

DIFFICULTAS VII.

An & qualis sit consensus inter longissimè loquentes, morientes &c.

HIc mira ougantur plebs indocta, & qui in solis experientiis suam ponuot firmamque doctrinam & scientiam: Observari enim sæpissimè docent, quod per pixides nauticas duo invicem ad multa miliaria distantes colloqui possint; Quod mortuo parente, filio aut consanguineo longissimè etiam distantibus id alibi filius, parentes & proximi sentiant. Et huc referunt alias experientias de latratu canum, tumultibus nocturnis, interitu eorum animantium quæ in delitiis habentur. &c.

DICO primo, non est probabile, operâ duarum pixidum nauticarum, quæ alphabeto circomscriptæ sint, amico absenti & carceribus occluso, posse arcana nos pandere & colloqui; Ita Henr. Salmuth l.2. de mineralibus, Guidon. Pancirollius tit. 11. & alii. Ratio est, quia non potest naturaliter fieri ut quod superstitiosè credoli putant, moto uno magnete aut ferro magnete illito, etiam alterum ferrum quantumvis dissitum, simili modo & motu moveatur, & sic quasi litteræ ab amico conspiciendæ in aere describantur vel in carta descriptæ ea motione designentur. Et confirmatur authoritate sive observatione multorum Illustrium Virorum, qui huius rei veritatem nunquam, falsitatem verò semper experti fuerunt. *Pixis nautica non habet vim in absētia.*

DICO 2. Naturaliter etiam fieri non potest, ut ex sola sympathia parente v.g. Viennæ mortuo, filius in Italia vel Gallia existens sentiat tristitiam inusitatam & physicam alterationem in corpore quasi mortis illius nuncium. Ratio est, quia corpus parentis demortui nullam habet actionem physicam, ut possit eam ad tam remotam distantiam in filium exercere. Et si dicas, habere hoc quasdam familias illustres, ut quoties aliquia ex ea moriturus sit aut aliquam similem calamitatem domi forisque perpessurus, toties per certa quædam inditia & fatales notas prius moneatur, Resp. id verius dici quam probari; Quod si autem aliquando simile quid accidat, credendum est, id vel casu contingere, vel interveniente Angelo sive bono sive malo, cujus suggestu etiam probabile est perturbari animum, & commoveri humores in parentibus, filiis, consanguineis. *Parentes quid sentiant in filiis alibi existentibus.* *Vnde frenant absentes aliquando fuerunt casus.*

DICO 3. Falsum similiter est, cum quis nasum vel aliam particulam alterius corporis excissam suoque per veram generatio nem adnatam circumfert, eo corpore percunte & putrescente, hæc particula quoque putrescat. Ratio eadem est quæ prior, *Nasus abscissus & ex alterius carne adnatus rursum quid possit.*

quia

quia videlicet nulla est actio physica inter utrumque corpus, aut corporis pereuntis & putrescentis cum particula corporis olim excissæ & alibi adgeneratæ. Et quoties contingit canes, porcos vel alia bruta partes integrantes hominum devorare, qui tamen propterea nullam hoc homine moriente sentiunt alterationem eâ parte corporis quâ accessit nutritio & augmentatio; Certum enim est, quod si canis, lupus, porcus &c. Manum aut brachium hominis devoret, id in sanguinem & substantiam canis, porci, lupi &c. commutari: Et huc spectant aliæ consimiles superstitiones hominum, cum sanguinem in arbores desodiunt &c, quia nullam omninò inter se tam agendi quàm patiendi habent dependentiam.

DICO 4. si quando canes, equi, aves aut alia domestica animalia repentè moriuntur, non dicendum est, hæc ex aliqua sympathia mortem heri sive præsentis sive longius absentis directè portendere, sed vel casu contingere, vel tanquam signa à Deo immitti, vel operâ alicujus sive boni sive mali genii fieri, quem credibile est talia crebrò præstare ut homines ad superstitiosas observationes & augurandi artes malas inducat. Ratio consimilis est cum prioribus, quia nulla est cohærentia canis cum hero suo ad 20. & plura miliaria vel ægri cum mortuo; Neque etiam ulla est naturalis combinatio Leonis, Ursi, Leopardi aut Aquilæ cum heris suis Cæsaribus, Regibus, Ducibus. Quod autem ad mortem unius bestiæ subsequatur mors Cæsaris, Regis, ominosum est & signum quod in natura nullum habet fundamentum, sed à Deo ut constat, immittitur. Et huc spectant latratus canum, insueti tumultua nocturni in cæmeteriis, templis, arcibus, intempestivus sonitus horologiorum, campanarum aliaque præsagia ominosa, quæ circa obitum quorundam, contigisse referuntur, & nemini nisi geniorum alicui adscribi possunt. Epilogus sit hæc succincta, vera tamen narratio. Anno 1620. mense Septembri, cum Ambrosius Spinola palatinatum inferiorem occuparet, duo sacerdotes Castrenses in febres lethales incidunt, dum interea Moguntiæ Frater quidam Societatis Paulus nomine mihi non obscurè notus vesperi in choro preces consuetas exsolveret, duobus in locis tumultum & vespillonum more terram erui inaudit, locum notat, communicatoque cum aliis consilio tacet, quousque ex febribus emortuorum cadavera allata iisdem in locis sepeliuntur. Addam breviter & alterum, cui ego interfui; ultimo Julii ejusdem animi visitavi post decantatas vesperas cum aliis studiosis Magistrum quendam in Collegio non procul à choro Musico ægrè decumbentem; narratur præsente me & audiente tumultum eâ nocte terribilem inaudisse nonnullos in ipso choro ideoque præsagire mortem ægrotantis. Subrisit hic aitque, hunc casum à se quoque inauditum, esse vel suæ vel alterius mortis prænuntium: Dixit & factum est; Nam ipsi ex febre maligna restituto successit alter tum etiam præsens cum hæc dicerentur, qui postridiè in idem genus morbi (nam febres malignæ incipiebant grassari) incidit, & post aliquot dies vitam finiit. His quisque plura si volet, addat, non tamen ad causas superstitiosas aut falsas referat.

Unde filio moriente sentiunt id alibi parentes, similiter unde tumultus vel latratus nocturnus &c.

DIFFICULTAS VIII.

Quomodo per solam imaginationem tam mirabiles effectus fieri possint, maximè in gravidis.

HÆc quæstio licet disput. 3. libri primi diffic. 3. satis explicata videatur; quia tamen inter effectus sympatheticos numerari solet, non incongruum erit; eam hic paucis repetere. Est autem difficilè explicatu, quomodo ea quæ per imaginationem concipiuntur, in actum naturaliter deduci possint: Nam primo ipsa phantasia extra se non est activa, ut docent communiter omnes contra Avic. qui putavit, ab ea etiam aliena corpora verè mutari actione transeunte. Secundò, in hoc toto negotio imaginationis tria tantum interveniunt, videlicet potentia imaginativa, actus & species rem sensibus ingerentes, quorum verò nulli tam prodigiosa opera possunt ascribi, quia imprimis ipsa potentia non potest directè agere in fœtum quia residet in cerebro & distat procul à fœtu; nec ejus species, quia sunt merè intentionales qualitates, quæ effectum tam realem non attingunt; nec denique ipse actus phantasiæ, quia ipse non est principium effectivum, habetque pro termino speciem expressam sorsarionis. Tertiò requiritur ad effotmationem v. g. infantis nigri, hirsuti, jubati vultus &c. certa temperies primarum qualitatum & certa materia, quæ per solam imaginationem non potest statim produci, aut tam repente aliunde advenire; quod enim ante imaginationem non fuerit, inde manifestum est, quia nisi fuisset ipse actus imaginationis, nec ipse effectus fuisset consecutus. Videndum ergo quæ causa dari possit, cum ejusmodi accidentia nec à virtute seminis, quæ ex natura est determinata ad configurandam effectum suæ causæ principalis, nec à phantasia efficiantur. Quartò, si phantasia tantos effectus potest producere, sequitur etiam, quod morbos possit pellere, famem sedare &c. quæ omnia nemo nisi stultus credat. Quomodo ergo hæc fiant.

DICO primo, Tametsi phantasia non agat directè in fœtum, ob sympathiam tamen & singularem connexionem in operando conformat se potentia generativa matria phantasiæ cæco quodam ductu & impetu, ut proinde imaginatio si non habet rationem causæ efficientis, saltem

Phantasia in feminis gravidis.

saltem conditionis necessariò requisitæ. Est autem qood notandum, potentia generativa in matre duplex; una quâ mater semen conficit & qua effectivè etiam ad generationem concurrit; altera vis generatrix seu formatrix ipsi semini inexistens, oee tamen prima aliqua aot secunda qualitas elementaris, sed altioris ordinis ut suo loco patet.

DICO 2. Ut potentia generativa matris & phantasia ad huoc modum opereotur, oon tantum dispositio requisita sed etiam materia ex parte submioistrat spiritus ministros & humores in corpore matris, qui ob eandem sympathiam & subordinationem huc illucque per potentiam attractivam & propulsivam discurrentes variorom accidentium sunt causæ; Et quia peculiaris sympathia intercedit inter partes matris & prolis, fit ut si mater vultum v. g. brachium aut pedem durante adhuc vehementi actu imaginationis tangat aut fricet, in iisdem quoque partibus prolis respondeat quodammodo aliquis similis effectus, qui vel virtutis formatricis vel aliorum spirituum & humorum interventu producatur.

Vis formatrix habet diversas partes. DICO 3. Vis formatrix in semine, quia ooo consistit in divisibili, constat pluribus partibus diversæ rationis, prout diversa sunt membra prolis generandæ; alia ergo est vis seminis quæ caput efformat, alia quæ brachia, alia quæ pedes &c. quarum unaquæqoe ut munere suo ritè fungi & materiam subjectam melius subigere possit, virtualiter continet aliquam è primis qualitatibus, quæ membro suo efformando magis fit idonea; Et mediis hisce virtutibus ferè quidlibet effigiari potest in oteto ad imitationem imagioationis, quia effectus qui sequitur, licet oon omnino sit talis, qualis per imaginatiooem apprehensus fuit, est tamen talis per quandam similitudinem & analogiam ut patet in quibusvis notis fætui impressis: Neque enim morus aut fragum brachio sive pedi adhærescit sed aliquid simile, quia materia propinqua oon est talis qualis requiritur ad veri fragi vel mori productionem, tum etiam quia vis formatrix ex natora sua ad carnem vel aliam partem animasticam generandam inclinatur, esto aberret nonnihil in parte producenda propter imaginationem intervenientem. Et hinc difficulter aut vix unquam credi potest naturaliter ex meta imaginatione posse in materiam totam fœtus humani induci figuram integram alicojos bruti, licet quandoqoe referat unam aut alteram partem bruti, quales sont milvi, aquilæ, oris Canini, pedis Leporini &c. quæqoe ex materia adscititia vel excrementitia fiuot, qoia hoc sæpius fieri experientia testatur, rarius quoad partes nobiliores aut spermaticas, nisi causæ extraordinariæ aut commistio naturarum interveniant. Et hinc facilè colligitur, quare fames, sitis, cæcitas, morbus &c. per phantasiam non possint similiter depelli; Nam licet ob commotos spiritus & humores in his plurimum faciat imaginatio, ipsa tamen fames aut sitis propterea non fugatur, quia ad hoc necessariò requiritur alimeotum, quod per phantasiam nou producitor in veotricolo, sed debet per os iogeri aut ex aliis partibus corporis ad ventriculum transmitti, sicut ad maternum uterum humores & spiritus: In morbis etiam & cæcitate frustrà eâdem de causa laboratur à phantasia quia morbi nimis pertinaciter pendent à materia morbosa quæ requirit realem expulsionem; deinde multa habent impedimenta, ob quæ minus promptè obediant phaotasiæ; organum autem visus in cæcitate requirit exquisitissimas dispositiones ad videndum, quæ si semel lædantur gravius io partibus jam efformatis & nonnihil induratis, ooo pari facultate reparantur, quâ prius in utero, dum materia adhuc mollis erat facileque flectebatur.

DIFFICULTAS IX.

Quare cadaver fundat sanguinem præsente occisore.

Est quædam consuetudo apud Germanos aliasque nationes, ut si contingat aliquem occidi reumque nesciri, eum tunc qui suspectus est, ad occisum deduci & ad confessionem stringi; quod si tunc cadaver sanguinem ex vulnere oaribusque fundat, reum haberi, sin minus, tanquam inoocentem rursus dimitti. Hujus rei causa requiritur, quia difficile est explicare, cur cadaver quod multis jam diebus jacuit & paulatim putrescere iocipit, adducto jam occisore sanguioet.

DICO 1. quod occisus coram occisore fundat sanguinem, non fit ex aotipathia, quæ oriatur, ex vehementi odio ejus corpori impressum, ut multis placet. Ratio, quia nihil potest assignari uode talis qualitas vel dissensio in cadaver translata fuerit, ut hoc solo manifestum est, quod frequeotissimè oee occiso quidem constet quisnam reus sit ut dum plures simul in aliquem vel gladios stringunt vel ejaculantur, vel etiam dum inopinatè ab aliis confoditur aut trajicitur. Delrio disquis. magic. l. 1. c. 3. q. 4. multas quidem ait se hac in re legisse sententias, sed in re tam ancipiti & difficili oullam hâc solidiorem, quod juxtà Lev. Lemn. l. 2. de occult. nat. mir. c. 7. Lang. Epist. 40. & alios occisos, qualitatem latentem & arcanam impresserit corpori cum forma cadaveris permanentem; hanc tamen insufficientem esse fatetur alibi; Unde verius & probabilius

DICO 2. Potest fieri, ut occisos adducto occisore casu idque naturaliter fundat sanguioem: Ratio est, quia sanguis non con-

Post occi-ſum certum acsistre ſanguinem. [illegible] concreſcit ſtatim in cadavere, ſed multis ſæpè diebus retinet fluxibilitatem, imo magis attenuatur & rareſcit per putrefactionem, ergo probabile eſt caſu quandoque ſtillare; ruptaq; venâ vel propria rarefactione in pleno corpore uberius protumpere, quod etiam non rarò videmus in hydropicis aliiſque corporibus, quæ poſt mortẽ uberius fluunt ſanguine.

DICO 3. ſimiliter fieri poteſt, ut cadaver præſente reo ſanguinet vel Authore Deo bonoque Angelo, qui ſupernaturaliter manifeſtet commiſſum homicidium, vel opera Dæmonis. De primo res clara eſt, quia ſolet Deus in pœnam variis modis manifeſtare ejuſmodi ſcelera. ut ex hiſtoriis liquet. Quod etiam id operâ Dæmonis fieri poſſit (quamvis aliquando citrà veritatem) nemo dubitabit, quia poteſt hic in corpore tam vivo quam mortuo ſanguinem & humores commovere, vaſa dilatare & aperire, adeoque vel in dolum & fraudem, vel in cognitionem veritatis fuſionem variè concitare. Et hinc

Colligitur, non temerè fidem adhibendam eſſe, ſi fortè contingat, cadaver coram Reo putativo ſanguinare, niſi plura & magis probabilia correſpondeant, Reuſque tandem facto commotus ſuam addat confeſſionem. Exempla paſſim habentur, noviſſimum illud Ratisbonæ anno 1630. ubi præſente Cæſare & ſtatibus Imperii Judæus Juvenem quendam Mercatoris Francofurtenſis filium occidit, & ex cauſa probabili tanquam Reus ad occiſum deductus, cum prius additis minis fateri nollet, ad fuſionem ſanguinis & eruptionem conſternatus culpam & factum liberè edixit. Quod autem hujus fuſi ſanguinis Author Deus vel Angelus bonus eſſe potuerit, abſurdi nihil eſt, quia in defectu cauſæ 2. licitum eſt ad Deum confugere, ut cui æquè facilè eſt effectum ſe ſolo, atque una cum cauſa 2. producere; ſicut ergò illicitum eſt in hunc modum veritatem inter occiſorem & occiſum indagare; Ita etiam piis legibus prohibetur elicere verum per monomachiam, attactum ferri candentis, & quæ ejuſmodi ante multa ſecula malè concedebantur, quia per hoc expreſſe offenditur Deus, ut videre eſt apud Theologos.

DIFFICULTAS X.

Quid de faſcinatione vetularum aliorumque certorum hominum credendum ſit.

FAſcinatio vel ſumitur in ampla ſignificatione, prout ſe ad incantationes etiam & veneficia quæ arte diabolica exercentur, extendit, & de qua Grill. de Sortil. Bodinus l. 1. Dæmonom. De[illegible]io cit. Ronſæus Epiſt. medic. numero 48. 50. 51. &c. vel ſtrictius pro ea quæ non fit interventu Dæmonis, ſed animantium brutorum & hominum, imprimis verò vetularum per truces aſpectus, cõtactus, nuda verba, incantationes &c. Et hujus diviſionem vide apud Hucherum l. 3. de ſterit. c. 1. & Card. l. 1. de venenis, c. 17. quia cum Infantibus brutiſque animantibus accidat, dici communiter ſolet affectio morboſa, quæ per vetulas potiſſimum truci aſpectu aut halitu venenoſo infertur. Cũ verò de hac inter homines rudes mira & varia ſpargantur, tum inter cætera, quod parvuli & bruta faſcinentur truci vetularum aſpectu, contrectatione, collaudatione, verbis quibuſdam inſolitis &c. ideo quæritur an in aliquam antipathiam referenda ſit.

Suppono 1. magnum aliquando reperiri diſſenſum inter homines & bruta, quæ proinde nunquam ſe ſimul compatiuntur. 2. dari non rarò vetulas, quibus ex oculis totoque reliquo corpore tetri vapores & ſpiritus exhalent, quod idem de nonnullis viris & animantibus v. g. de felibus, canibus intellige, ne quis putet ſolas vetulas in hanc odioſam cauſam eſſe trahendas. Jam.

DICO 1. Infaſcinantur bruta, homines adulti & parvuli, docet hoc experientia cum Delr. Vaito & aliis. Nam videmus bruta ſæpè repentè ſine cauſa manifeſta toto corpore ſudare, tremere pauciſque horis extingui, quod idem de hominibus & potiſſimum de parvulis verum eſt; Horum enim affectus ita aliquando ſunt conſtituti, ut cum & naturam & cauſam neſciant Medici, in extrinſecum quippiam, videlicet infaſcinationem aliquam tranſcribant: Dico tamen aliquando ne & Medici & parentes aut circumſtantes ex defectu judicii & magnitudine ſive latente morbi natura decipiantur malèque judicent, quod tamen frequentiſſimè fieri ſolet.

Faſcinatio unde. DICO 2. faſcinatio referri poteſt ad aliquam antipathiam; ante probationem Adverte, non fieri hic mentionem illius faſcinationis quæ fit operâ Dæmonis, ſed certorum hominum aut brutorum intuitu, contactu &c. ut habetur apud Card. citatum, ideòque prob. Concluſio hunc in modum; diſſenſus qui inter res duas realiter diſtinctas ex quâdam mutuâ habitudine exiſtit, morboſamque affectionem infert, ad antipathiam referri ſolet; ſed talis diſſenſus eſt inter faſcinantem & faſcinatum, ergo major vera eſt ex diffic. 2. hujus diſputationis, prob. minor, quia diſſenſus pendet à quadam humorum & qualitatum contrarietate, à malignis exhalationibus, à torvo aſpectu & malitioſo contactu, quæ utplurimum ad diſſenſum duarum pluriumve rerum pertinent. Quod ſi dicas ſæpe hoc in parvulis ex ſolo terrore quem intuitu alicujus ingrati & inſoliti aſpectus concipiunt, accidere; Reſpondetur, & hic intercedere aliquem diſſenſum, ſicut inter Ovem & Lupum, milvum & pullum, ubi peregrinæ ſpecies turbant phantaſiam,

DICO 3. Falſum eſt quod faſcinatio ideò fiat, quia vetulæ collaudant parvulos. Ita Huchetus citatus, & communiter omnes tam Philoſophi quam Medici. Prob. nuda verba vel voces earum nihil

producunt in audiente, nisi vel ratione soni quando est nimis vehemens, vel ratione significationis verborum, eum scilicet rem tristem audienti ingerunt; Ita Delrio, Vairus & alii cũ Philosophis, qui nullam prorsus vim in nudis verbis ponunt, si quæ autem verba vel carmina Magorum aut superstitiosorum hominum ad depellendos morbos valeant, vel etiam sacerdotum ad imperrandam gratiam divinam; id vel casu accidit, ut cum quis verba quædam ad depellendam febrem tertianam tribus vicibus recitat & sanatur, vel operâ dæmonis & vi pacti, ut cum quis certis verbis in aurem tauri insusurratis eum ut mortuum prosternit, vel ex vehementi alteratione, timore, tristitia, ut eum parentes filios, domini servos & subditos execrantur, vel ex influentia divinæ gratiæ quæ verbis factis in Baptismo, pœnitentia, transubstantiatione &c. fieri solet. Et huc spectant maledictiones in inobedientes & refragarios, imprecationes in Impios, citationes eorum qui malè judicant, ad Tribunal Christi &c. non quod hæc verba in se & ex natura sua vim habeant, sed quod Deus ut justus Judex, si intentio sit bona, & verba licito modo fiant, ideò suo concursu extraordinario influat, ut impios & malè agentes puniat.

Provocatio ad Tribunal Christi & maledictio in malos.

DICO 4. intuitus etiam & aspectus ex se nihil in parvulos efficit nisi terrorem aut metum si torvus sit, aut si aspiciens vitiosis abundet exhalationibus, laboretque lippitudine, deformi squalore, menstruatione. Prob. primum, quia ut visio nihil demit, ita nec addit quicquam objecto quod videtur; Deinde nec species ab objecto in oculum transeuntes activæ sunt ex se, ergo nec intuitus aut aspectus alicujus vetulæ. Prob. secundum, quia trux vetularum deformis & squalidus aspectus potest parvulos terrere, humores concitare, graves morbos invehere, quod non ratò etiam in adultis fieri experientia testatur: Deinde possunt vetulæ quique lippos habent oculos, halitu quodam putrilaginoso & maligno spiritu ex ore & naribus vel ex concavitatibus oculo vicinis intuentium prorumpente tenellorum corpora penetrare, sanguinemque & humores alterare, quod idem non tam de vetulis quam de quibusvis aliis malè dispositis sive hominibus sive animalibus intellige.

DICO 5. nec tactus quicquam efficit ex se, facit tamen si sit vehementior, v.g. à percuriente, vel à corpore contagioso & venenoso, ut constat ex iis, quæ de contagio jam prius adversa fuerunt. Quæ de torpedine & Echineide seu remora narrantur, fabulæ sunt. Quæ de curationibus per afflatum, sibilum, osculum &c. inter delirantium commenta numerari possunt, ut infrà dicetur. Quæ de sanatione Regis Franciæ per solum tactum dicuntur, in Deum tanquam Authorem hujus gratiæ referenda sunt. Si quæ denique extrinsecus corpori applicata movent & alterant; id per suas virtutes & qualitates efficiunt.

DIFFICULTAS XI.

Quæ sint virtutes sympatheticæ magnetis.

ADeò nostro & superiori seculo celebratus est magnes, ut ad naturam ejus explicandam vix integra volumina sufficiant. Ex antiquis nulli quod constat, de hoc peculiariter scripserunt juxta Pinedam de rebus Salomonis l. 4. c. 15. §. 4. Aristoteles solius tractionis ferri mentionem fecit, quod idem de Gal. Alex. Aphrod. & multis aliis constat. Conversionem autem in polos primum celebravit Alb. M. Vincentius Belluac. & Paulus Venetus qui circa annum Christi 1260. è finis versus Europam navigavit; nostris autem temporibus crevit magnes, creverunt virtutes & libri, in quibus ad amussim de his omnibus tractatur ut constat apud Gilb. Angli. Nicol. Cabeum, & ut multos alios tam Philosophos quam Medicos taceam, apud Athan. Kircher, qui nuper tractatum ut reliquis majorem ita accuratiorem de solo magnete conscripsit.

DICO breviter, prima Virtus Sympathetica magnetis est tractiva ferri, non item rerum aliarum, nisi fortè vitri liquoris ut tradit Isid. l. 16. Etymol. c. 4. & alii magnetis ut testatur experientia. Dand. l. 1. de anima digress. 6. docet etiam trahere chalibem, argentum, cuprum, stannum, plumbum, pilos, ossa & pisces juxta Alb. Magnum: Insuper esse, qui unâ facie ferrum trahant, aliâ magnetem, aliâ utrumque; Alium qui non trahat ferrum sed trahatur à ferro; alium qui uno angulo trahat ferrum, alio fuget & repellat secundum Plinium. Secunda virtus & proprietas est, quod hanc vim etiam communicet ferro per affrictionem. Tertia demum quod altera sui parte septentrionem, alterâ verò meridiem respiciat, mundique situm cælo sive turbido sive sereno demonstret, idque ingenti bono nautarum & Mathematicorum, & quod item ejusmodi vim in ferrum affricta transfundat. Ita autem magnes ferrum trahit, ut illud etiam in medio aere pendulum detineat, quo modo ferunt simulachrum Arsinoes Reginæ diu in Ægypto Damocratis arte in medio tholo pependisse, & solis Alexandriæ in templo Serapidis, ut scribit Ruffinus l. 11. hist. Eccles. suspensum fuisse, id quod etiam de Mahomete narratur; Hic enim fidelissimus Dæmonis assertor multis annis post obitum Mechæ in tumba ferrea reclusus, à 4. insignis quantitatis magnetibus in sublimi fornice templi positis, ut tanto major honor tam præsenti quam futuris seculis spurcissimo cadaveri haberetur, attractus, & cum admiratione totius ferè Orientis in medio

Virtus 1. magnetis tractiva ferri.

2. Communicativa ferro.

medio multis annis pendulus hæsit, quousq; tandem justo Deo vindice ignitus halitus cum vehementissimo impetu è nubibus excussus hoc pulveruleotum sive putridum nebulonis cadaver rupto tecto fissoque & diffracto fornice cum omnibus absumpserit, & Cineres Dæmoni sacras sub imam terram orco animæque proximam defoderit.

DIFFICULTAS XII.

Quomodo & qua virtute trahatur ferrum à magnete.

HOc adeò fusè tractatur ab Authoribus, ut in adducendis singulorum opinionibus vix integer sufficeret liber. Extraham pauca & necessaria; plura qui cupit, Gilbertum, Nicol. Cabeum, Pinedam, Dandinum, Connim. Card. Scalig. Kirchnerum & alios consulat.

Adverte tamen primo, magnetem non esse animatum contrà Cardanum apud Scal. exerc. 31, ubi ait, quod ferro tanquam alimento suo naturali victitet & nutriatur. 2. plerosque recentiores, inter quos est Nic. Cabeus, hæc duo supponere; primo in attractione alterari medium, ferrum & magnetem ipsum. 2. in ea aliquid communicari medio, tum ferro, quod an sit corpusculum, spiritus, vapor, exhalatio, an verò nuda qualitas, id est, species intentionalis, dubium esse. Nam si primum, semper in attractione minueretur magnus, sicut minuuntur obiecta sensuum, si ab iis substantiale quid effluat sensumque moveat. Si secundum, sequeretur, rem quæ incorporea est & spiritualis, tantum autem repræsentativa obiecti, movere & alterare corpus inanimatum quod tamen falsum est. Iam

DICO 1. magnes non trahit ferrum ad se ut vult Galenus, sicut trahunt naturales facultates alimentum; nec etiam ideò secundum Averrhoem, ut ab eo immutetur & alteretur. Ratio prioris est, quia naturales facultates intimè sunt præsentes alimento, & sunt principii viventis, animæ scil. deinde appetitus iis non est purè naturalis, sed sensitivus seu animalis. Ratio posterioris est, quia ferrum non requirit ullam immutationem aut alterationem à magnete, cum sit aliàs in suo esse perfectum; imò nec in minimo alteratur, cum illi nihil per hanc coniunctionem accedat. Et idem Responderi potest Gilberto, qui falsò putat ferrum extrà venam induere primò formam perfectam.

DICO 2. ferrum non trahitur à magnete ut à fine. Est communis doctrina, & prob. 1. quia causalitatem finis nihil inhibere potest, nec infinita etiam locorum distantia; Nam si gravia forent sub concavo lunæ, moverentur liberrimè & ex natura sua deorsum ad centrũ; sed ferrum non movetur è quavis distantia ad magnetem, sed quæ est intra sphæram ejus activitatis. 2. quia magnes in igne longiori mora positus ferrum non amplius allicit, ergo hebescit in eo vis tractiva, ergo fungitur munere non causæ finalis sed efficientis.

DICO 3. in attractione ferri à magnete nõ exhalat quidem vapor & spiritus subtilissimus, qui per medium usque ad ferrum penetret illudque demum hoc modo alteratum penetret. prob. primo, quia sic exhauriretur non tantum tota virtus sed etiam totus magnes, & in nihilum redigeretur, quia non tantum exhalarent vapores præsente ferro, sed etiam eo absente, & sic continuò, quousque nihil de lapide amplius superesset. 2. sequeretur, magnetem aliquando ad majorem aliquando ad minorem distantiam tracturum, quia exhalationes vel plus vel minus tempore ventoso vel quieto distraherentur, 3. hoc modo magnes nunquam attraheret ad se ferrum, sed potius contrarium fieret, eò quod ferrum obtentâ magnetis exhalatione quiesceret, quæ tamen omnia falsa sunt.

DICO 4. illud quod è magnete egreditur, mediumque movet & ferrum, non est species intentionalis. prob. 1. hæc species in solo organo sensuum recipitur, quibus ferrum caret. 2. species intentionalis in re inanimata non est productiva ullius effectus, ergo neque in ferro. Deinde res naturales inanimatæ non producunt effectus per species intentionales sed per qualitates reales & positivas, quibus medium afficiunt & sic in distans agunt, ut patet de carro milleque aliis quæ per qualitates insensiles, quas impropriè vocamus species penè incorporeas, ita medium afficiunt prout ipsa in se affecta sunt.

DICO 5. è magnete emittitur vis vel qualitas tractiva, quæ per medium propagata tandem in ipso ferro recipitur. Ita sentiunt plerique ex recentioribus; difficultas saltem est, utrum hæc qualitas in ferro producta sit immediatè tractiva an non; si primum, ergo nihil differt ab impulsu; & quæ causa est, quare ille impulsus non moveat etiam interjectum aërem, siquidem est ejusdem speciei cum quovis alio impulsu movente aërem, & nullus impulsus differt ab alio specie essentiali. Itaque

Magnes quomodo trahat ferrum.

DICO 6. hæc qualitas non est immediatè tractiva adeoque nec ipse impulsus, sed est qualitas productiva impulsus, non in quovis sed in certo subiecto, ut manifestè docet experientia: Nam permisce scobem ligni v. g. cum scobe ferri & magnetem admove, ita tamen ut aliquid aëris adhuc intercedat, & videbis statim scobem ferri non ligni moveri & attrahi, quod fieri non posset, si per impulsum impressum immediatè magnes traheret. Cum enim magnes in ferrum dissitum non possit agere nisi per medium aërem (aliàs daretur actio in distans) necessarium est si immediatè producat impulsum in ferro, ut similem quoque in aëre producat, ergo & aër movebitur, qui motus etiam simul reliquos pulveres agitabit; quod cum non fiat, nec alterum fieri concedendum est. Hinc in ferro non producitur

Per quid magnes trahat ferrum, an per impulsum, an per aliam qualitatẽ.

citur immediatè impulsus sed alia qualitas, sicut nec cælum efficit immediatè calorem in aëre, sed mediante lumine. Neque hinc sequitur, unum impulsum differre ab alio specie, etiamsi is à quibusdam agentibus immediatè, ab aliis verò mediatè possit produci; quia etiam calor non differt ab alio specie, etiamsi hic immediatè ab alio calore vel igne, ille autem medio lumine à sole sit productus.

Cælum nõ efficit calorem in aëre nisi per lumen, sic magnes impulsum per aliquã qualitatem in ferro.

DIFFICULTAS XIII.

Quomodo magnes ad septentrionem se vertat,

AN magnes ubique terrarum polos prospectet, intelligendum est ex nautis hollandis, anglis, lusitanis & aliis; an etiam hujus prospectus causa sufficienter hactenus ab ullo data & inventa sit, licet à multis diligenter indagata, videri potest apud Nic. Cabeum, qui inter multos accuratè omnia examinavit & tractavit. Quod autem magnes altera sui parte septentrionem, altera verò meridiem respiciat, hactenus apud neminem in controversia fuit, sicut nec illud quod hæc vis tractiva in ferrum affrictu transfundatur. Vt tamen aliquid de causa generali huius conversionis dicatur, sciendum est varios variè sentire, dum alii expressam cæli imaginem inesse magneti contendunt; Alii in cælo esse qualitates correspondentes magneti; Alii magnetem in sua vena habere talem situm, ut Gilbertus dum ait terram esse magnum magnetem & situatum per ordinem à polo ad polum, globũ autem terræ continere vim magneticam eiusque partes dirigere se ad polos. Alii sub polo esse montes ferri & magnetis feracissimos ut Fracast. l. de antipathia c. 7. Alii esse unum ex iis quæ nos natura mirari non scire voluerit ut Fern. l. 2. de abd. rerum causis, Lev. Lemnius & Scal. exerc. 131. Alii denique, hac de re probabile nihil dici posse, quamvis certum sit, quod res omnes sublunares magnopere pendeant à cælorum influxu, ut Dandinus citatus.

DICO 1. magnes & corpore eo illita vertuntur se ad polum utrumq; ea ratione qua habent poros projectos & venas diffusas, quem ad modum patet in ligno in quo semper per determinatam rationem & viam quæ ligni longitudo dicitur, arbores suum accipiunt incrementum. Ita Cabeus & alii, qui duplicem in magnete statuerunt faciem motivam eo modo quo videmus in plantis & arboribus quasdam ad longum protractas venulas & quasi naturæ ductus seu virtutis rivales, quæ determinata corporis positione excurrunt; Et secundum hos ductus quos Authores duplicem appellant faciem, magnes utrumque polum respicit: Non est tamen quod notandũ, hæc facies virtus motiva magneris, sicut levitas est ignis & gravitas terræ, quia facies hæc non est propriè qualitas, sed tantum conditio seu dispositio ad ejusmodi conversionem, levitas autem & gravitas, à quibus motus in genere causæ efficientis pendet.

Facies duplex in magnete.

DICO 2. magnes movetur versus polos à principio intrinseco adeũ modum quo ignis sursum fertur. Ita Cabeus l. 1. c. 8. & potiores philosophi. prob. magnes aliquid obvertit se polis; sed hoc nihil est aliud nisi virtus à forma emanans, ut discurrenti per omnes qualitates magneticas patet, & in sententia eorum qui formas immediatè operari negant, ergo per hãc virtutem magnes polos respicit: Quare autem polos tantum & non etiam alias partes cæli respiciat, hoc ipsum ad naturam magnetis referendum est, quia hic non aliter determinat suam actionem quam omnia alia agentia libera quæ limitatè & naturaliter operantur, sic enim ignis non fertur deorsum, sed sursum, à principio scil. intrinseco, quod in singulis agentibus est natura peculiaris; Nihilominus tamen probabiliter dici potest, partes cæli utrique polo vicinas ob occultum naturæ consensum & sympathiam, id est, per aliquam qualitatem attractoriam id præstare, & ad hoc nullo lumine egere ad eum ferè modum, quo sol herbas quasdam & heliotropiũ, tragopogum &c. secum vertit; Deinde incredibile non est, hoc effectus provenire ab aliqua qualitate ipsi magneti insita, ut sicut per certam aliquam qualitatem ferrum ad se trahit, ita per aliam illud dirigat & ad mundi polos impellat: Vnde colligitur virtutes illas, tractivam nempè ferri & directivam ad polos esse distinctas, primo quia inter se nullam habent dependentiam & connexionem, 2. quia non sunt effectus, qui se mutuò consequantur. 3. quia minimùm possunt separari, si non realiter saltem per intellectum; datur enim magnes qui ferrum trahit, licet polos non respiciat, & verè magnes est qui polos respicit, licet ferrum non trahat. Quæ cæterùm tam circà magnetem quam electricam attractionem plura dici possunt, apud Authores videantur; Nam compertum habemus, non tantum trahere magnetem sed etiam electrũ, adamantem, saphirum, crystallum, vitrum antimonii, ceram duram, salem gemmæ, resinam duriorem, alumen, arsenicum &c. trahique paleas, pilos, surculos aliaque corpuscula non secus ac ferrum ad magnetem, licet à diverso principio ut habet Gilbertus, Cabeus & alii.

Magnes à quo principio movetur se versus polos.

Vis tractiva ferri & directiva versus polos distinctissimæ sunt.

DIFFICVLTAS XIV.

Quid de unguento magnetico judicandum sit.

ADverte, solere quosdam cerebri debilioris homines conficere unguentum ex certis ingredientibus infrà dicendis, eoque omnis

omnis generis vulnera in quodvis etjam distans curare; ad hoc autem efficiendum non applicant unguentum vulneri ut chyrurgi solent, sed qui distantes sint, gladio, pugioni, clavo vel cuicunque rei qua vulnus inflictum fuit, tum gladium illud aut pugionem fasciis diligentissimè circumligatum fovent non secus ac si pars aut membrum corporis læsum esset, quo facto confestim ajunt diducta vulnera & vulneris labra in distantissimis etiam locis mirabiliter in unum coire eâque facilitate conglutinari, ut nec vulneratus dolorem sentiat, nec magnas impensas facere cogatur, Quod si gladius aut pugio quo inflictum fuerat vulnus, desit, tunc telum aut particulam ligni accipiunt, eâque vulnus ad sanguinem usque fricant, & in unguento præsente reponunt; Imò si unguentum haberi non possit, tum cultrum aut quodvis instrumentũ, quod vulneratum læserat, recenti lardo sive adipi porcino aut certo ligno infigunt eoque modo solutum feliciter curant. Neque enim unguentum hoc solum est, cui tantæ virtutes adscribantur, sed prodiit etiam nuper pulvis quidam sympathicus ex solo vitriolo Romano, tum alius ex eodẽ Vitriolo cum nonnullis additis, quem utrumque Medicus quidam Nicolaus Papinius Blęsensis in eundem finem in quem unguentum armarium, exclusit; De huius autem pulveris effectibus, quos approbavit & censuit Ioannes Veslingus Medicus Paduanus, vocantur in testes oculatissimos Chassenæus, Carmæus Chyrurgus & alii. Sed

Ungu. armar. superstitiosum est.

DICO, unguentum hoc magneticum sive armarium superstitiosum est, ideoq; omnium bonorum calculo condemnandum. prob. 1. à natura agentium & actionum physicarum huius unguenti. 2. ab inventore. 3. ab ingredientibus sive ab ipsa materia quæ ingreditur hoc unguentum. 4. à superstitiosis ritibus & ceremoniis quæ in usu huius unguenti observantur. Nam imprimis constat ex alibi dictis, hanc esse naturam & constitutionem agentium naturalium, ut nunquam agant in distans, cum habeant limitatam virtutem, sed semper ita requirant passum ut illi vel per contactum actualem vel virtualem approximentur. Deinde in confesso est, hanc sutilissimam & spurcissimam artem profiteri venerabiles fratres roseæ crucis, ejusque patrocinium jam pridem scripto libello suscepisse Goclenium Medicum & Professorem Marpurgensem, tum novissimè Servium quendam peculiari libro, & plures alios ut essent qui Theophrastum Paracelsum si non inventorem, saltem propagatorem defenderent, ut testatur ipse Gocl. pag. 498. & Bapt. de porta l. 8. c. 10. Quis autem fuerit Paracelsus, audiri potest Thomas Erastus Medicus Heidelbergensis ex Conrado Gesnero Tigurino ad calcem disp. de medicina nova his verbis. Theophrastus Paracelsus inquit nostro tempore vixit, qui veterum omnium placitis contemptis multa nova in artem medicam inducere

Theoph. Paracelsus quis?

conatus est, & medicinam per diversas Helvetiæ, Germaniæ & Poloniæ Regiones vagabundus exercuit, dum pecuniâ careret, quâ modicâ acquisitâ vino & lusui deditus nemini medebatur; Dęmone utebatur familiarissimè ut ex eius discipulo audivi; Vir naturâ & eloquentiâ quam literis & studiis excellentior, prorsus inconstans; nunc Theologus, nunc Medicus, nunc Magus, sæpè compotator & aleator inter rusticos &c. Ecce unguenti vulnerarii Architectum, qui dignus ut quisq; benè de ejus unguento ominetur, & credat vectorem spiritum, qui secundum Goclenium unguenti virtutem ad distantes deferr, esse eundem, quo hic Theophrastus tam familiariter usus est. Quæ ingredientia sint, patet ex eodem Gocl. tract. de unguento armario fol. 491. ubi ait adhiberi cranium humanum, vel usneam concretam in calvaria furis suspensi & in aëre relicti, adipem humanum vel mummiam veram quæ apud ipsum l. de mirab. nat. fol. 11. est sanguis concretus corporũ ægyptiacorum myrrhâ, aloë, cassiâ ligneâ, amomo & id genus aliis conditorum, sanguinem deniq; humanum adhuc calore fumantem, quamvis alii alia adhibere soleant. Et hæc sunt materialia, quibus hoc unguentum conficitur, & quibus Dæmon venefici que libentissimè ad omnem suã nequitiam perpetrandam utuntur: Nunquam enim ferè Dæmon impiissimum fœdus cum quopiam paciscitur, nisi cruore humano id ratum fiat, aut crudelis intercedat evisceratio corporis humani, ut patet ex tot infanticidiis, quæ stryges, latrones & id furfuris tenebriones avidissimè desiderant: Et simillima sunt maleficia conjurata veneficorum & sagarum in totum genus humanum & decretum pseudothei Dæmonis, quod in conventiculis nocturnis proclamari solet, videl. ulciscimini vos, alioquin moriemini, ut habet Delrio disquis. magic. l. 2. q. 16. & l. 3. q. 5. Neque Dicas, sæpè fieri ut vulnera per eiusmodi unguentum sanentur; Nam observa, omnes huiusmodi unguentarios præcipere, ut in applicatione huius unguenti nihilominus semper vulnus etiam longissimè distãs diligenter mundificetur, siccetur, & quotidiè à sordibus expurgetur, tum ab externis injuriis foveatur. Hinc respondet Mindererus Thren. medic. c. 14. his casibus semper vulnus sanari per accidens & non vi unguenti, quia hoc modo sæpissimè curantur vulnera absque emplastris; Ita etiam canes aliaq; animalia sola lambitione qua mundificant vulnera, & ex qua consolidatio sequitur, absque unguento armario sanant, quod non tam linctui salutari, quam repurgationi adscribendum est. Eodem modo etiam fracturæ ossium nullam aliam operam aut opem adfert medicus, quam quod extremitates ritè conjungat, arctâq; ligatione confirmet ne denuò laxentur, reliqua committit providæ naturæ. Denique sunt superstitiosæ ceremoniæ; Nam Goclenius fol 493. docet telum aut gladium unguento illitum primò in loco mundo & calido

Materia unguenti.

calido esse reponendum, aliàs vulneri absenti maximum inferri dolorem. 2. telum vel gladium, vel in eorum defectu lignum seu ramum salignum in vulnere cruentatum esse immergendum in unguentum. 3. attendendum, an vulnus sit factum cæsim vel punctim: Nam in punctura gladium esse unguendum à cuspide versus capulam, in cæsura autem ab acie versus tergum. 4 obligandum esse diligenter gladium fasciis secundum illam partem tantum quæ in vulnere fuit; Quod hæc omnia sint damnandæ superstitiones & tales circumstantiæ quæ ad hunc effectum naturaliter nihil conducant; probatur primò, quia sive malè sive benè foveatur & mundificetur vulnus, ubicunque etiam reponatur unguentum, nihil conducunt eius virtutes quæ nullæ sunt. 2. nulla ratio est, quare pro gladio non possit inungi vagina, quæ fortè magis egeret & pro ligno saxum, nisi tamen quod necessum est. intercedat pactum Diaboli, qui non ad saxum aut vaginam sed ad gladium, cultrum vel telum vult concurrere. 3. si unguentum naturalis causa est, quid facit ad rem ille modus, sive gladius seorsum sive deorsum inungatur, quia semper idem effectus sequetur, nisi adsit pactum. 4. similiter nihil refert, sive gladium liges secundum totum sive secundum partem, quia id pendet ex tuo arbitrio. Vt itaque rem totam paucis concludam, utar verbis Goclenii, qui, ad initium huius tractatus scribit, superstitionem deliram & inanem esse, quoties homo dicit vel facit aliquid, quod non habet vim naturalem ad effectum: sed ad vulnus sanandum non habent vim ullam ritus illi & ceremoniæ, Ergo. Quæ autem de unguento hoc, eadem de pulvere illo intellige.

DIFFICVLTAS XV.

An unguentum hoc agat sicut Magnes.

OPinio Goclenii est, quod ille, qui unguentum hoc ejusque modum agendi cognoscere velit, debeat habere scientiam astralem, syderalem seu magneticam, cognitionem scil. proprietatum spiritualium totius naturæ, hoc est, magni & minoris mundi; & hâc philosophiam consistere in sympathismo seu magnetismo, & antipathismo seu theamedismo, quia theamedes lapis ferrum respuit: Et utrumque per astralismum perfici mediante synatthrismo spiritus sive animæ mundi communissimæ, secretissimæ, mysticæ. Horum verborum, quæ pomposa sunt, & Iovis Cerebrum sapiunt, sensus hic est, videl. rebus omnibus huius universi congenitam esse certam quandam amoris & odii proprietatem in profundo naturæ reconditam, quam sympathiam & antipathiam vocant; Et hanc qui intimè penetraverit, eum habere scientiam quomodo astra in hæc inferiora influant, scite etiam modum quo unguentum armarium agat, &c. His autem positis quæritur, an juxta senteotiam Goclenii hoc unguentum agat sympatheticè; deinde quid de philosophia astrali sentiendum sit.

DICO 1. unguentum armarium vel magneticum non agit ad eum modum, quo magnes trahendo ferrum, electrum paleas &c. prob. quæcunque sympatheticè agunt, ea semper produeunt aliquid in medio, quia alias agerent in distans; sed unguentum magneticum nihil producit in medio, ergo non agit sympatheticè; hæc minor constat ex dictis, quia nullas habet virtutes quas in medio producere possit; ut constat ex ejus ingredientibus; sed nec superstitiosi eius ritus & ceremoniæ superaddunt aliquid, nisi fortè quod bis ipsis eorum vanitas magis manifestetur; Deinde unguentum hoc nullam dicit habitudinem nullumque respectum ad suum passum sive subiectum vulneratum, sicut magnes ad ferrum, in quo producit qualitatem & impulsum, ergo nec agit magneticè nec sympatheticè. Et confirmatur experientia, quâ apud quamplurimos constat, frustrà unguentum hoc fuisse adhibitum, præsertim apud eos quibus nonnihil suspectum fuit: unguentum illud sive Emplastrum magneticum, quod Medici ad extrahendum ferrum si quod fortè intrà viscera adactum fuit, conficere solent, non est eius speciei aut naturæ cuius armarium; nec constat ex eiusmodi ingredientibus, habet etiam alium modum operandi citrà ullas superstitiosas ceremonias, si tamen vim ullam habeat quippiam efficiendi de quo meritò dubitatur, quia Emplastra magnetica ad extrahendum è corpore non agunt virtute magnetica, quæ cum liquido subacta & corpori viventi applicata omninò evanescit, sed eo modo quo alia Emplastra solent operari, de quo vide alibi vim attractivam &c.

DICO 2. philosophia astralis, quam tantoperè deprædicat Goclenius, nec est ars nec scientia, sed est aliqua experientia, quam ab influxu quotidiano astrorum habemus. Hæc conclusio desumitur ex iis quæ de cælorum influentiis jam tractata sunt, ubi etiam constat quid quantumq; cæli agant in hunc mundum inferiorem, & quam incerta sint quæ de supernis influentiis, quarum paucas solùm certas habemus, tantoperè laudari & deprædicari solent.

DIFFICVLTAS XVI.

Qua ergo virtute agat hoc unguentum armarium.

GOclenius tract. magn. fol. 479. hæc habet: fit inquit illa sanatio per meram naturam atque magneticam quandam efficientiam, attractionem & deductionem, nec non toties decantatum vectorem spiritum, qui tanquam medium vinculum primo ex definitis & propriis

priis conſtellationibus ſympathiam & copulam ſeu convenientiam inducit, ex qua deinceps vis ſanatoria io telum medicatum derivatur, è quo poſtea egreditur & ad partem usque vulneratam continuatur ac traducitur, tandemque actione iſtius virtutis conſequitur effectus. Idem ferè dicit pag. 488. Hinc autem duo colliguntur, primo eſſe quandam ſympathiam inter unguentum & vulnus ſicut inter magnetem & ferrum. 2. eſſe vectorem ſpiritum, qui tanquam medium vinculum vim ſanatoriam ex certis conſtellationibus inductam & in telum deinde transfuſam usq; ad vulnus deducat, non ſecus forte ac ille ſpiritus, qui noctu ſagas per aërem ligneo bacco vel caballo circumvehit. Adhæc requirit Goclenius phantaſiam hominis læſi, quia hanc ait plurimum habere momenti tum ad balſamicam in ſanguine virtutem à telo medicato attrahendam dirigendamque ad partem affectum, tum ad movendum principium ſanativum in corpore exiſtens; Tandem cælum etiam, quod vim ſanatoriam ad determinatam in corpore partem mediante imaginatione & ſympathia deducat, vel potius vectore ſpiritu. Iam

DICO 1. Vector ille ſpiritus fictitius eſt, & ſine ratione excogitatus. prob. 1. nullū agens naturale opus habet tali ſpiritu, ſed virtus ad actionem limitata ſufficit. 2. nemini conſtat, an ille ſpiritus ſit ſubſtantia an accidens, ergo fruſtrà fingitur; Antec. prob. quia Gocl. facit illum aliquando ſubſtantiam, aliquando accidens tanquam tranſcendens pro varietate rerum quibus conjungitur, & paulò poſt dicit; illum eſſe cauſam omnium mirandorum effectuum. Sed primum eſt contra ipſos Authores Goclenii, qui dicunt ſpiritum hunc eſſe vivens & ſpirans ſubſtantiale principium omnium actionum totius univerſi; Deinde cum tranſcendens ſit neutrum ſuorum membrorum, ſed aliquid abſtractum & ſuperius ſicut ens, nec eſt ſubſtantia nec accidens. 3. ille ſpiritus vel illa mundi anima eſt phyſica vel metaphorica cum chymicis; ſed utrimq; peccatur, quia nec prior eſt accidens nec poſterior ut apparet ex Tyrocinio Chymico Ioannis Beguini l. 1. c. 4. qui principia ſenſibilium corporum ex furno alchymiſtarum, non niſi tria admittit, ut Mercurium, ſulphur & ſalem. Si dicas cum Gocl. hunc ſpiritum eſſe ſubtiliſſimum, licet corporeum, ab aſtris in unguento productum; vocari autem ſpiritum impropriè, quo modo vinum ſublimatum vocamus ſpiritum. Reſp. eſto etiam hoc ita eſſe, nihilominus illa ſanatio vulneris non erit naturalis, quia ille ſpiritus ſive ſit accidens ſive ſubſtantia, habet virtutem limitatam. Sicut omnia entia creata; ideoque non aget in vulnus ad quamcunque diſtantiam.

DICO 2. hoc unguentum non agit in vulnus ob ſympathiam, proinde malè dicitur ſympatheticum & magneticum; ratio eſt, quia haberet vim limitatam, ſicut habent omnes res naturales, quæ per ſympathiam agunt. Quod ſi dicas, etiam ſolem remotiſſimè agere; reſp. non eſſe faciendam ſimilitudinem cū hoc unguento & ſole qui ingentis eſt magnitudinis, & meritò in terris hic producit lumen, calorem &c. non tamen ultrà ſphæram ſuæ activitatis ſicut fætidum unguentum Goclenii, ſi verum eſſet quod aliquam haberet efficaciam in vulnus ſanandum; Magnes quidem etiam agit per veram ſympathiā, ſed non ad quamcunque diſtantiam cum ſit limitatæ virtutis; Neq; dicat Goclenius aliam eſſe rationem inter magnetem & hoc unguentum eò quod in hoc ſit vector ſpiritus, non autem in illo; Non enim conſtat quid ſit ille ſpiritus, & quomodo tranſvehat virtutem ſanativam unguenti ad vulnus; quo vehiculo aut quo motu locali, cuius directione & impulſu, ut non aberret à via, cur tantum tunc quando unguento illitus eſt gladius qui vulnus facit, & non quivis alius gladius aut culter, an per hanc diviſionem cutis & carnis gladius ſit factus ſympatheticus cum vulnere cum quo antea non fuerat &c. De telo idem intellige, quia nec eſt cauſa ſanationis, nec conditio ſine qua non, ſi enim primum eſſet, jam non virtus unguenti ſanaret ſed teli, à quo immediatè egreditur vis ſanativa in vulnus ob ſimilitudinem ut loquitur Goclenius: Quia nulla eſt ſimilitudo vel ſympathia inter telum & vulnus ut examinanti patet: Nec eſt ſecundum, ſcil. conditio ſine qua non, quia vel diſpoſitivè tantum vel etiam activè requiritur telum ad excitandam virtutem unguenti, ut deinde poſſet à vectore ſpiritu per aërē vehi, ſicut per actualem calorem ventriculi excitari debet calor virtualis vini; ſed nec hoc dici poteſt, quia in ventriculo eſt naturalis aliqua qualitas, ſcil. calor actualis, quæ fungitur munere excitantis, cum in telo nihil ſimile oſtendatur niſi fortè aliqua proprietas quod tamen falſum eſt, quia aliàs quodvis ferrum haberet hanc virtutem & proprietatem, cum tamen illud ſolùm ſanet quo vulnus eſt inflictum; Deinde quia poteſt aliquis vitro, ligno, lapide vel re quavis alia vulnerari. Concluditur ergo, hanc curam eſſe impoſtoriam & minimè naturalem, ſed ab atro aliquo ſpiritu vectore productam.

Corollarii loco Quæres, an ſit aliqua ſympathia inter aurum, argentum &c. & virgulam bifurcatam ex corylo, piceaſtro &c. Ante reſponſionem, quam eandem vide ſuperius diſp. 3. diffic. 22. Adverte, ſolere quoſdam ſurculum bifidum ex corylo, ſi aurum & argentum, ex fraxino ſi æs, ex piceaſtro ſi plumbum quærant, decidere, virgulamque divinam appellare aut metallicam, qua venas auri argentique aut alterius metalli explorant, inclinante eò ſe virgulâ, quâ ſub terris venæ porriguntur. Reſp. probabiliter impoſtores eſſe, quia huiusmodi virgulis theſauros monſtrare ſe poſſe profitentur; Quamvis enim aliqui putent, fieri poſſe ut tanquam magnetes vi quadam occulta naturalique ſympathia hi ſurculi à metallis trahantur, ut videre eſt apud Majo-

Virgula bifurcata ex Corylo, piceaſtro &c. an ad. mittenda.

Majolum part. 2. colloq. 4. qui id fieri posse omninò credit; res tamen valdè incerta est, eamque suspectam facit, quod plerunque fures, & magicis imbuti tali virgula etiam in privatorum ædibus aurum quærant & inveniant. Audi quæ Greg. Agricola l. 2. de metallicis circà finem scribat; Hic enim postquam superstitiosas aliquas circumstantias in usu huius virgę metallicę adhiberi solitas enumerasset, nempè quod eum certis quibusdam incantationibus necesse sit eam usurpari, quod qui apprehendit utrumque virgæ cornu, debeat pugnas efformare, ita ut digiti compressi ad cælum spectent, quod tantum bifurcata & non trifurcata esse debeat, quod digiti leviter nō sint stringendi, nec acriter nimis comprimendi &c. Tandem subiungit hæc verba: Metallicus igitur quia eum virum bonum & gravem esse volumus, virgulâ incantatâ non utitur, quia rerum naturæ peritus & prudens furcatam intelligit sibi usui non esse, sed habet signa naturalia quæ observat &c.

DIFFICVLTAS XVII.

An & quid sit venenum.

Venenum latè sumptum esse antipatheticum nemo est qui negare ausit; Nihil enim est in rebus sublunaribus, quod rationem veneni habeat nisi in ordine ad aliud cui toxicum sit; Et vipera nunquam venenum intra corpus gestare dicetur, aut putridum cadaver expirare virus nisi reperiantur, quibus utrûmque sit noxium. Quamvis autem pleraque venena non tam bruta quam hominem lædant & perimant, ab hoc tamen, cuius & vitam & sanitatem maioris quàm brutorum animantium æstimamus, suam potius habet denominationem. Cæterùm sumitur aliquando venenum metaphoricè, quo modo unum homini alteri venenum & pestem dicimus; propriè tamen & physicè pro ente reali & positivo, quod actione physica noxam alteri infert; Et hinc sive spectetur venenum in concreto pro substantia & corpore, quod vim malignam & homini nocivam sustentat, sive in abstracto pro ipsa qualitate seu virulentia, quâ noxa corpori infertur,

DICO 1. datur in rebus sublunaribus verè & propriè dictum venenum. Ratio est, quia dantur mixta, quæ intrà corpus animalis hausta efficaciter vitalia corrumpunt, ut patet in serpente, vipera, cicuta, napello, opio, mandragora, arsenico, antimonio, peste febribusque malignis, ergo,

DICO 2. Venenum in abstracto seu pro ipsa venenositate sumptum definiri potest, quod sit qualitas seu vis quædam cordi aliisq; membris peculiariter inimica; & vitæ animalis directè corruptiva. Dicitur primo qualitas seu vis quædam effectrix, quia est vera & realis qualitas, quam sive sub potentia naturali activa, sive sub tertia specie qualitatis comprehendas, parū interest, quia ad utramque spectat; Dicitur autem effectrix, quia violenter alterat ut experientia testatur, unde etiam non est potentia passiva. Quod si Mercur. l. 1. c. 5. dicat venenum esse corpus & de genere substantiæ; intelligendum est, eum loqui de veneno concretim sumpto; Nam de veneno quatenus est sola proxima facultas operandi, dici non potest quod sit corpus aut substantia, quia facultas est accidens, & substantiæ semper agunt ad extra per accidentia velut per instrumenta, Quod si etiam Gal. l. 2. de morbis acutis doceat, quædam venena esse quorum substantia nobis sit contraria; Resp. Galenum vel vocare hāc qualitatem substantiam, quia est occulta, vel certè loqui in concreto, ut patet in aëre, qui licet semper dicatur infectus ut patet tempore pestis; nihilominus tamen dici potest, vel aërem secundum se & suam substantiā non esse venenosam, sed secundum tenues exhalationes & corpuscula exilia per aërem sparsa, vel aërem aut exhalationes & vapores infectos non agere nisi per qualitatem virulentam, quæ secundum Medicos dici solet proprietas totius substantiæ seu potius agens à tota substantia. Dicitur 2. cordi singulariter inimica; Nam ut rectè advertunt Medici, qui veneno inficiuntur, hi subitò patiuntur defectum pulsus, palpitationem cordis, syncopen vel aliam corporis debilitatem, quia hic calorem & spiritus vitales, à quibus robur & vita hominis, corrumpit, non autem in stomacho, epate aut alio corporis membro, ubi virulentiam suam non ita efficaciter exerit, nisi tamen sint venena, quæ magis materialia sunt & certorum mixtorum, quæ ex diversitate naturarum diversa & determinata corporis membra respiciunt: Et hinc dicitur 3. aliisq; membris, quia dantur quamplurima venena, quæ non tantum antipathiā cum corde sed etiam immediatè cū aliis partibus habent, ut antimonium cum membranis aut nervis, arsenicum cum faucibus & stomacho, Cantharides cum Vreteribus, opium cum cerebro &c. Dicitur 4. vitæ animalis; Quamvis enim maximè insidientur venena vitæ humanæ, tamen etiam brutis quibusdam sunt noxia; hinc alia bruta & homines indifferenter occidunt; alia homines & bruta quædam licet non omnia; alia sola bruta eaque non omnia, alia solos homines; sic saliva hominis est lethalis quibusdam insectis, sed ipsi homini aliisque brutis non item; sic cicuta homini est venenum non sturnis aut capris &c. Negari tamen non potest, dari venena quæ etiam plantas corrumpant, quia autem minus sunt cognita & minoris momenti, idcò etiam negliguntur in definitione; unde si quis plantas quoq; sub data definitione comprehendere velit, poterit loco animalis substituere particulam viventis. Dicitur ultimò corruptiva, id est, natura sua apta corrumpere; Nam omne venenum ex natura sua corrumpit; quod si autem minus faciat, per accidens

cidens est ut infrà patebit; Et hinc malè quidam venena dividunt in lethalia & non lethalia, quia venena dicuntur tantum talia in ordine ad hominem sive animal, cui si non sint nociva aut lethalia, veneni rationem non habent; An autem mixta dici possint venena, quæ cor indirectè petunt, ut cantharides quæ ureteribus infestæ sunt, lepus marinus qui pulmones primo lædit &c. dubium est apud multos, quorum aliqui hæc è numero venenorum excludunt, alii autem ab iis cor quoque lædi non malè sentiunt licet indirectè & secundariò.

DICES, multa esse venena quæ etiam validissima non perimunt, ergo venenum non semper ex natura sua est corruptivum: Deinde certum est, non omne venenum esse mortiferum, aliàs quisquis eo hausto periret contrà experientiam. Respond. si quando venenum non corrumpat aut perimat actu, per accidens est, quia varia huius rei impedimenta esse possunt; Nam primo aliqui sunt ita benè à natura constituti, ut à venenis non offendantur quicquid etiam devorent; sic Æthiopes bydaspis accolæ dicuntur vesci scorpionibus & serpentibus ob singularem corporis constitutionem ut ait Mercurialis, quod idem de Mithridate passim ab historicis traditur; Ac ob eandem causam credibile est serpentes aliaque animalia venenosa lædi non posse à proprio veneno, vel quod illud sit iis à natura familiare, vel quod in quibusdam certis & determinatis partibus habeant antidota, quibus contrà interuum suum hostem roborentur & armentur; Et patet hoc in viperis quorum caro non est minus potens ad vincendum venenum quam venenum eorum sit aptum ad necandum, ut trochisci in Theriacam ingredientes confirmant & caro ipsa in cibum caponibus data: Adde quod scorpiones ictibus à se factis compressi super imponantur, adeòque sua substantia rursum medeantur, ut proinde nullum facilè sit animal tam venenosum, quod non simul habeat certum antidotum adversus proprium venenum. 2. potest etiam quis per medicamenta & qualitates ascititias paulatim ita disponi ut venenis resistat, sicut constat de Mithridate, qui ideò venenis non lædebatur, quod assiduo usu mithridaticæ confectionis vim eam repelleret. 3. fit aliquando ut venena prius è corpore vomitu rejiciantur vel sudore expellantur, quam intrà corpus operentur. 4. quia non semper in sufficienti quantitate sumuntur ad nocendum; sicut enim centesima pars scintillæ vix aut nihil urit; Ita nec pars aliqua nimis parva veneni, quamvis constet aliquando esse venena, quæ in minima etiā quantitate sumpta occidant; Ita enim narratur à Ioanne Leone in descriptione Aphricæ, repetri scil. quoddam venenum in Nubia, cuius unicum grauum 10. homines intrà quadrantem horæ occidat. Et hinc colligitur, venenum semper tale dici in ordine ad illud quod læditur, quia accidit sæpè, ut quod uni est venenum, alteri sit alimentum; unde etiam venenum semper dicit respectum ad extra, quia in corpore proprio non habet nec exercet ullam virulentam actionem, ne existat aliquod, quod seipsum ab intrinseco semper corrumpat, quod esset omninò contrà perfectionem compositorum physicorum, imò totius universi.

DIFFICVLTAS XVIII.

Quænam sit illa vis venenosa aut quæ illius actio.

OPinio prima est, venena tantùm agere per excessum primarum qualitatum ita ut alia intetimant per excellens frigus cor constringendo, membra stupefaciendo, caloremque vitalem extinguendo, alia per nimium calorem cor comburendo &c. Alia per siccitatem absumendo humidum radicale, perforando intestina &c. Alia demum per humiditatem putrefaciendo viasque obstruendo. Nam mors est cessatio seu ablatio motus cordis ut ait Gal. 3. de simpl. c. 18. sed hic motus potissimum aufertur per intemperiem aliquam insignem, quæ non fit nisi per qualitates primas? Cum enim temperies consistat in symmetria primarum qualitatum, intemperies illi opposita nihil aliud esse potest nisi dissolutio huius symmetriæ, quæ dissolutio fit per excessum vel defectum alicuius ex primis qualitatibus; ergo si venena inducunt hanc intemperiem, faciunt id per primas qualitates, illas vel nimium intendendo vel corrumpendo &c.

Opinio 2. est concil. de ven. c. 1. ubi ait duo esse genera venenorum, alia enim operari per qualitatem manifestam, calorem sc. virtualem, frigus, humid. sicc. alia per proprietatem naturæ & formam specificam, id est, per virtutem occultam fluentem à forma substantiali vel ab astris; & hæc occidere, non quia sunt calida, frigida, sed quia adjunctam habent aliam qualitatem immanifestam quæ directè vitam & cor impetat. Ratio prima huius opinionis est, quia si in solo excessu prim. qualitatum consistat actio veneni, non erit causa cur aqua pura, piper, cinamomum, &c. non recenseantur inter venena, quia sunt calidissima & frigidissima, ergo præter calorem & frigus quærenda est alia qualitas quæ sit venenum. Ratio 2. est, quia Arist. 2. de gen. animal. c. 3. docet, calorem vitalem non esse ignē aut elementarem, sed divinum & cælestē, ergo etiam qualitas illa quæ huic calori contraria est, debet esse cælestis, cum contraria debeant esse eiusdem rationis: Et consentit Mercur. l. 1. dum ait, constantissimum esse debet, huius-

 modi

modi naturam naturæ nostræ inimicam, esse vim superiorem ipsis elementis, ita ut non sit sola caliditas aut frigiditas, sed mirabilis caliditas, id est, juncta cuidam alteri mirabili virtuti; Idem docet Matthiol. l. 6. in Dioscor. sub initium.

DICO primo, nullum propriè dictum venenum agit per qualitatem manifestam pruindeque non consistit in calore, frigore &c. Prob. primo, venenum non expellitur per has qualitates manifestas, ergo in nulla earum consistit. 2. alius est modus operandi qualitatis manifestæ & alius veneni, ut testatur experientia, ergo. argumenta plura sumantur ex jam alibi dictis. 3. non possumus venenum ad ullam qual. manifestam reducere, ergo. Itaque

Venenum agit occulte. DICO 2. venenum agit per qualitatem occultam. Ratio præcipua est, quia agit longè celerius & vehementius quam ullum aliud agens cum qualitatibus manifestis, id quod experientia quotidiana comprobatur; Nam non procul Româ dari specus ait Mercur. in quas sive homo sive animal ingrediatur, subitò moritur, prout idem referunt alii testes oculati; Deinde tam ferociter aliquando grassatur pestis, ut aliqui ex improviso cadant exanimes ab unico haustu maligni aëris. Tandem dantur venena admodum tenuia & fluxa, de quibus scribit Greuiuius l. 1. quod sint adeò noxia, ut illita stapedibus etiam in minima portione ocrearum soleas & carnem pedum usque ad cor sine sensu caloris vel frigoris penetrent, & brevissimo tempore perimant: plura petantur ab Authoribus.

DICES primo, sublimatum sæpè paucis horis occidit per solum calorem, ergo venenum est agitque per qualitates manifestas Resp. neg. conseq. quia actio hæc fit per calorem summum & igneum quo vitalia incenduntur & exuruntur, qui modus agendi sensibilis est & manifestus; Deinde cogeremur etiam ignem vocare venenum; quod tamen nemo concedat.

DICES 2. si venenum qualitas cœlestis est, sequitur eam à cœlis in sublunaribus produci; sed hoc falsum esse probatur inde, quia tunc vel produceretur etiam in regione aëris & ignis vel non; si ultimum, actio dabitur in distans: si primum, contrà est primò, quia hæc qualitas non recipitur in elementis sed in mixtis; Nam elementa tantum constant qualitatibus manifestis; Deinde ignis purgat & liberat omnia à venenis, ergo per ipsum non potest venenosa qualitas propagari. Respond. quicquid sit de illo, an & quomodo hæc qualitas dicatur cœlestis, vel producatur ab astris, ipsa astra non producunt hanc qualitatem in regione ignis vel aëris, sed aliam quæ sit veneni productrix in mixtis, cũ quibus maligna astra sympathiam habent ad eum ferè modum quo cœlum producit secundum multos virtutem occultam trahendi ferrum non in silice sed in magnete, quæ virtus non est ipse impulsus sed productiva impulsus, & quidem in ferro, non autem in silice: Et hinc manifestum est, cur non detur hic actio in distans, neque ab igne veneni propagatio impediatur, neque nos, ut multorum est opinio qui aëris substantiam putrefieri & in venenum abire negant, cum aëre malignitatem hauriamus, nisi illud prius in mixto aliquo productum in tenues exhalationes abeat atque ita cum aëre attrahatur. *Quomodo vis magnetica tractiva ferri producatur à calis in magnete & non prius in aëre.* Quod si dicas, si saltem alia virtus in aëre producatur, quæ deinde in cicuta vel serpente est veneni productiva, tunc illa virtus poterit etiam venenum in homine immediatè producere, quandoquidem cicuta & serpens postmodum id potest. Resp. neg. seq. quia etiam virtus magnetica per aërem producitur ab astris in magnete, non tamen in ferro, tametsi deinde à magnete in ferro per affrictionem producatur, ut clarissimè videmus in acu nautica, etiamsi nemo hujus causam à priori assignet.

DIFFICULTAS XIX.

Quomodo venena reducantur ad actum.

ADverte, venena vel sunt naturalia vel artificiata; Hæc in variam formam & consistentiam rediguntur, ut primò in vapores sicut fuit fumus ille, quo quidam Franciscus Ordeluphus apud Mercurial. enecabat omnes præsentes, quos volebat; tum in succos ut in vina, mella &c. adhæc in pulveres vel quamcunque aliam formam, quam humana pravitas excogitare novit. Naturalia possunt dividi in tria genera, quia vel sunt ab animalibus, vel à plantis, vel à mineralibus: Animalia vel sunt talia secundum se tota ut salamandra; vel secundum partes ut vipera, quæ venenum in cauda solum habet sicut & scorpius & felis in cerebro; vel secundum excrementa, ut urina muris, sudor equi irati, quo ut ait Rhases, milites ex tempore consueverant olim intoxicare suas sagittas, vel secundum partes utiles ut saliva canis tabidi, viperes & hominis, fel Leopardi, sanguis tauri irati, ova aspidum. *Quæ sint venena.* In plantis possunt esse venena flores, fructus, folia, succi, semina, radices &c. In mineralibus numeratur argentũ vivũ, gyplũ, lapis lazuli, arsenicum, antimonium &c. His omnibus adnumerari possunt insignia illa venena, quæ in forma fumi, vaporis & exhalationis è corporibus putridis in quibus ipsa nascuntur, hinc inde per mediũ aërem vagatur, & quævis corpora obvia, si proportionata sint, contaminãt; Et talia magnam plerumque stragem & mortalitatem inferunt cum humano tum brutali generi ut manifestum est. Alia quæ malitiosi & virulenti homines quotidiè excogitant, præstat tacere, ne ut proverbium

sonat,

sonat, virus anguibus superaddatur. Iam si de his omnibus quæratur, an eodem modo in actum reducantur,

DICO primo, quædam venena sunt majoris, quædam minoris virtutis & activitatis, quædam rarioris quædam crassioris substantiæ. Fortiora citius penetrant quæque sunt tenuioris substantiæ, nec inveniunt tantam resistentiam à virtute corporis animalis tam activa quam passiva: Quæ autem sunt è contrà debiliora, facilè superantur exhaustis suis spiritibus; crassiora etiam sunt pigra & tarda ad motum & actionem &c.

DICO 2. venena actu calida quæ ab animalibus, ut buffonibus, serpentibus &c. evomuntur, non indigent multo calore interno recipientis, ut suas vires exerant. Prob. hæc venena emittuntur à vivente actu calido, abundant calore & spiritibus, ergo facilè penetrant ad interiora, si tantum extrinsecus etiam hominem contingant; docet hoc experientia in sputo venenoso canis tabidi, quod contactu solo exteriori inficit, & per poros cutis subeuns in rabiem mortemque conjicit hominem; Et idem de aliorum animalium venenis intellige, quæ licet aliquando sint debiliora ut videre est in quibusdam serpentibus & araneis, eodem tamen fermè modo operantur aguntq; si non ad corruptionem saltem ad aliquam alterationem.

DICO 3. venena quæ actuali calore sunt destituta quæque sunt virtualiter talia v. g. mixtorum inanimatorum & vegetabilium, ut excitentur requirunt calorem recipientis tanquam conditionem necessariam. Probat. omnia mixta debent prius à calore stomachi actuari quam in corpus agant, quia postea exerunt primò vim suam & actualiter calefaciunt, constringunt, rarefaciunt, movent, alterant &c. Et venena quæ calore actuali destituuntur v. g. canis tabidi, viperæ, non omnem malignitatem per exhalantes spiritus amittunt, sed nihilominus retinent aliquam intrà partes terreas conclusam quæ accedente calore stomachi aut alterius partis viventis eo modo in actum deducitur, quo cuncta virtualia deduci solent; Itaque huc spectant non tantum res inanimatæ ut lapides, terræ, metalla &c. sed etiam cuncta vegetabilia eorumque partes ut succi, flores, fructus, radices, semina, quæ omnia virtualiter hoc vel alio modo operantur.

DICO 4. quæ sunt frigida valdè, densa & spissa ut opium, tardissima sunt ad actionem, antequam in ventriculo virtute caloris naturalis attenuentur & propellantur per venas & arterias. Attenuata enim agunt ferè ad eum modum quo Arist. sect. 3. problem. 3. docet, vinum sc. aqua dilutum magis inebriare quàm purum, quia loquitur de vino per calorem mellis instar inspissato, quod sapa apud veteres vocabatur. Hi enim

Sapa quid.

solebant, ut notat Lud. Septalius in idem problema ex Livio & Plinio, uvas & vina ipsa ad solem vel ignem adeò inspissare ut ad mellis consistentiam quasi redigerentur, vixque per se potari possent teste Plin. l. 14. cap. 4. Hinc ob illam crassitiem hausta non facilè in caput evaporabant, donec aqua affusa diluerentur, quia tunc fumabant & caput replebant: Eodem modo frigida venena, quia admodum spissa sunt & ad agendum inepta, debent à calore actuali aliquantulum prius rarescere.

DICES, si frigida venena actu calefiunt, ergo non possunt amplius frigefacere. Hoc patet in aqua licet frigida; si enim semel calorem concipit, dum calida est, non frigefacit ut experiuntur qui manus in calida lavant. Deinde non constat quid sit dicendum ad venenum quod stapidibus illitum occidit quia non calefit prius; similiter nec soporifera illa quibus incumbentibus homines æternùm dormiunt ut narrat Diod. Siculus l. 2. de herba quadam felicis Arabiæ: Ultimò scribit Gal. l. 3. de temper. c. 3. venena frigida ut opium, cicuta &c. nequicquam mutari in corpore nostro, ergo non prius calefiunt. Respond. ad primum neg. seq. quia calor ille modicus, qui in stomacho vel alibi venenis frigidis additur, est tantum actualis quia non potest impedire frigus illud virtuale quod etiam calefactum frigefacit sicut medicinæ omnes virtualiter frigidæ, quæ in febribus intensissimis ad extinguendum sitim & calorem porriguntur; licet enim calido sumantur, nihilominus tamen frigefaciunt, quia modicus ille calor non impedit vim frigefactivam. Hoc etiam norunt qui ænea tormenta sæpius explosa nimiumque incensa lavant aceto calido ad extinguendum calorem, quod certè non facerent nisi acetum haberet vim quandam virtualem frigefaciendi essetque tenuioris substantiæ; aqua frigida talis est non virtualiter sed actualiter, unde non mirum si semel calefacta non frigefaciat nisi post reductionem. Ad secundum resp. venena quæ stapidibus vel aliis rebus illinuntur, valdè esse subtilia & poros facilè ingredi, vel per attritionem pedum manuumque nonnihil caloris accipere quantum opus est. Herba illa soporifera potest somnum conciliare per virtutem transfusam in corpus, prout autem ex incubatione calefieri, ut facilius soporiferas exhalationes possit emittere, ut fieri solet iis qui ex sententia Mercur. super Crocum dormiunt, quia hic ex decubitu calefactus omnes suos vapores in cerebrum effundit; Adhæc vapor per nares attractus absque mutatione aliquaidem præstare potest, ut norunt ij qui facilè odoribus offenduntur. Ad tertium Resp. Gal. negare solam substantialem mutationem venenis, non accidentalem, quasi diceret, ea in nobis non ita in nostram substantiam essentialiter converti sicut alimentum: Ex his patet non esse absurdum

Tormenta sæpius explosa lavantur aceto, ut statim refrigerentur.

venena frigida virtualiter inesse animalibus actualiter calidis.

DICO 5. Nec vapores & exhalationes venenosæ quæ è rebus & corporibus putridis elevantur, indigent multa alteratione & prævia decoctione. Ratio est, quia hæc venena sunt subtilissima rarissima & validissima, ideòque se facilè ubique, potissimum verò medio aëre ingerunt & citissimè penetrant. Hoc experimur in peste, quam unico haustu attrahimus & quâ solâ absq; maligni vaporis prævia mutatione inficimur, animo delinquimus & occidimus; Neque tamen opus est, hanc noxam aëri commixtam semper inspirare, quia transit ubique poros corporis, ubi se sanguini commiscet, alterat repitque alterando, donec fontem & principium vitæ subingrediatur, in quo robur totius corporis invadit mortemque accelerat; Eidem proportionaliter de aliis febribus malignis intellige.

DIFFICVLTAS XX.

An unum venenum sit alteri contrarium.

QVod non omnia corpora indiscriminatim patiantur à quibuscunque venenis, patet ex hactenus dictis, refferturque totum in peculiarem tum agentis tum passi consensum & dissensum, quem venena cum homine cæterisque brutis animantibus habent. Ad præsentem difficultatem Resp. &

Quomodo venenum unum alteri sit contrarium.

DICO, venenum unum non videtur alteri ratione sui propriè contrarium. prob. primo, quia nulla experientia testatur, quod unquam unum venenum aliud expulerit aut imminuerit nisi per indirectũ ut ex proximè dicendis patebit, ergo. 2. contrarietas est tantum inter qualitates primas & aliquas secundas, quæ à se mutuò & in esse & in operari maximè distant ut manifestum est, ergo. 3. unum uni tantum est contrarium; sed cum venena multa sint, non constabit, an unum omnibus aliis vel aliquibus tantum sit contrarium, vel quænam tandem sibi amica sint vel inimica, quod nullus docet effectus, ergo. probatur 4. ex Aristot. qui l. 8. de histor. animal. cap. 29. scribit venenum viperæ nocentius reddi, si scorpionem devoraverit, ergo venenum unum non extinguit aliud sed roboret potius & consequenter nulla est inter ea contrarietas, cujus causa est, quod serpentis temperamentum frigidum ex cibo frigido robur sumat, unde & vis veneni potentior evadit, quod non fieret si devoraret aliud animal venenosum valdè calidum nisi fortè per antiperistasin. 5. quando serpens serpentem vel scorpius scorpionem mordet, non venenat propter naturæ similitudinem, ergo nulla est inter hæc contrarietas.

Quomodo animal venenosum occidat aliud.

DICES primo, fieri ex venenis amuleta quæ tempore pestis collo appenduntur, nullam aliam ob causam quam ut venenum abigant vel expellant & retundant, ergo unum venenum erit alteri contrarium. Respond. amuleta vel habere vim attrahendi in se pestiferum venenum ita ut non permittant illud in corpus gestantis transfundi, vel habere vim illud per impulsum repellendi instar magnetis, si tamen quicquam præsteut huiusmodo amuleta, de quibus non immeritò multi dubitant, imò planè & meritò reiiciunt.

DICES 2. sunt multa animalia venenosa, quæ teste experientia fatales inimicitias inter se gerunt, seque mutuò venenis suis enecant ut constat de buffone & aranea. Respond. quando animalia venenosa se mutuò occidunt, non fit ideò quod venenum unius sit contrarium veneno alterius, sed quod calorem cordis & dispositiones vitales corrumpant, quia his propriè contrarium est venenum: hinc aliud est buffonem à veneno aranei necari, aliud illius venenum corrumpi, quia illud verum est, hoc falsum.

DICES 3. ex Avic. l. 8. de animal. cap. 2. fuisse hominem, qui commorsus ab animalibus venenatis ea omnia occidebat, ita ut statim ab impresso illi morsu corruerent & extinguerentur, ergo venenum huius hominis fuit contrarium venenis aliorum animalium. Respond. corpus illius hominis undequaque fuisse malefico humore repletum, qui dentibus ac linguæ mordentium adhærescens ac profundius ad cordis substantiam penetrans mortem illis attulerit, non per corruptionem veneni nativi, sed per apportationem alieni; Et hinc

Venenum unius animalis non est contrarium veneno alterius, sed calori eius vitali.

Colligitur, quando unum animal venenosum occidit alterum, non facere id quia utriusque venena inter se sunt contraria, sed quia venenum unius corrumpit alterius vitalia, cum quibus dissensionem habet.

DIFFICULTAS XXI.

An posit parari venenum quod certo tempore occidat & pestem inducat.

PRimum affirmat Theophrastus libro de plantis c. de aconito, ubi ait parari venenum quod spatio unius mensis, trium aut plurium, imo anni unius vel medii occidat; Et hoc confirmat Gellius, qui scribit Atti-

Attilium regulum à Carthaginensibus Romam missum dixisse, venenum se hausisse quo intrà certum tempus sit periturus; His positis

DICO primo, non potest per artem parari venenum quod determinato tempore occidat. Probatur, nullum venenum sive naturale sive arte factum habet æqualem vim & efficaciam in omnia corpora, ergo nec æqualiter ubique suos producit effectus adeòque nullum parabitur quod determinatè corrumpat. Anteced. est rationis & experientiæ; rationis quidem, quia agens quoad operationem semper respicit passum, in quo diversimodè propter majorem vel minorem convenientiam suas elicit actiones; Experientiæ autem, quia idem venenum in eadem quantitate pluribus datum dissimilia efficit symptomata, dum unum citò, alterum tardè occidit &c.

DICO 2. Quemadmodum venena vel parum vel multum offendunt animal, ita similiter arte parari possunt, quæ indeterminato tempore corrumpant. Probatur, propter quam causam venena naturalia vel brevi vel longo tempore occidunt, propter eandem etiam præstant idem artefacta, ergo sicut venenorum naturalium ratio necandi desumitur ab intrinseco, ita & artefactorum, id est, ad tempus breve vel longum, non diem aut horam; Ad hæc si darentur talia venena, etiam darentur talia pharmaca, cum par sit utriusque ratio. Sed consequens repugnat experientiæ, quia pharmaca intrà corpus ingesta jam sunt extrà potestatem Medici tantumque operantur quantum viribus suis possunt, ergo & venena. Et respondent ad hanc quæst. Matthiolus & Mercurialis, arte quidem parari posse venenum, quod tardius aut citius operetur, cum videamus etiam venenum canis rabidi interdum serius interdum citius operari; non tamen parari posse, quod determinato die aut hora occidat, cum non tantum ratio ipsius veneni habenda sit, sed etiam subjecti, quod vel fortius vel debilius veneno resistit. Ad argumentum illud Attilii reguli respondetur, vel illud ex opinione vulgi esse probatum, vel certè Attilium non intellexisse horam diemque definitam, sed pro definito accepisse indefinitum. Quod ad alteram partem difficultatis,

DICO 3. Probabile est, nullum venenum ingenio humano tam solerter tamque artificiosè parari posse, quod pestem inducat. prob. primo, non potuit adhuc indagari humano ingenio, quæ sit illa qualitas pestilentialis, quo modo producatur in subjecto eidemque cum aliis accidentiis & qualitatibus combinata inhæreat, ergo non videtur aut per se parari posse malitiâ humanâ, aut per venenum variè prius confectum & coagmentum. 2. nemo hominum ex se potest producere levissimum etiam venenum, ergo multò minus id, quo pestilentialis malignitas disseminetur. 3. Non potest homo producere febrem aut aliquam putrefactionem simplicem directè, quando vult & in quo vult, ergo longè minus poterit ejusmodi mixtum producere quod fœdam & malignam putrefactionem, quæ necessariò requiritur ad disseminandam pestem, gignat; Nam nulla est pestis ordinaria, ad quam evulgandam non pertineat magna rerum sublunatium corruptio, putrefactio & contagio, ut patet in corporibus quæ nunquam febribus malignis corripiuntur, nisi impura sint,

DICO 4. Probabile tamen est, operâ Dæmonis hæc omnia fieri posse, id est, pestem fieri tam per se, quam per venenum prius ad hoc paratum. Probatur primo, perfectissimè Diabolo sunt cognitæ qualitatum occultarum combinationes in quovis subiecto, & in quo gradu cum omnibus aliis requisitis ad gignendam similem formam induci possint; 2. novit Diabolus quem effectum quodvis agens sub hac vel illa forma possit producere, ergo verisimillimum est, eum applicando activa passivis posse quodvis venenum perniciosissimum producere; quod deinde sufficiens sit in corpore animato pestem gignere. 3. possunt spiritus sive boni sive mali tales in sublunaribus putrefactiones qualitatumque combinationes producere, quæ sufficiant totum orbem complere, & in omne genus animaliū grassari, ergo. Et confirmatur hoc multis exemplis, quibus constat, excitatas sæpè fuisse ingentes pestes ab unica rei putridæ & malignantis exhalatione, cuius productionem nemo nisi indoctus negabit Angelo vel Dæmoni fuisse cognitam, ad quos etiam olim spectabat sævissimas mortalitates jubente vel permittente Deo humano generi infligere & constar iam ex prophanis quam sacris annalibus.

DICES, si præstigiator Dæmon posset pestem ex se producere, eam certè singulis annis produceret, adeòque jam dudum mediam orbis partem necasset, quod tamen est absurdum. Respond. multa posse Diabolum ex se facere, à quibus tamen per angelicam vel divinam potestatem repellitur; sic enim posset cum suis legionibus maleficorum spirituum omnia invertere totumque orbem turbare adeòq; totum genus humanum perdere, si ei per divinum brachium hoc liceret.

DIFFICULTAS XXII.

Quæ sit causa efficiens & quis finis venenorum.

DICO 1. Venena oriuntur ab iisdem causis à quibus qualitates occultæ; Ratio est quia venena sunt è genere qualitatum occultarum: Adverte autem ex dictis, venena vel esse rerum animatarum ut animalium & vegetabilium, vel mineralium vel deniq; rerum computrescentium, ideòq;

Unde producantur venena. DICO 2. Venenum in animalibus & vegetabilibus quæ sunt perfectiva substantiæ, emanant à forma & producuntur principaliter à generante. Probatur eodem modo quo constat qualitates occultas fieri partim à generante partim à forma; Nam certum est, venenum salamandræ & aliorum animalium quæ secundum serota sunt virulenta, prodire per emanationem à forma salamandræ & produci ab ejus generante, quod idem de venenis omnium vegetabilium intellige, quia sunt velut eorum proprietates. De venenis quæ animalium excrementa sunt, res dubia est; Nihilominus tamen producuntur ab eorundem formis quæ vim habent producendi tam excrementa quam in his ipsis virulentiam.

DICO 3. Venena in mineralibus sive mixtis inanimatis partim producuntur ab Astris partim à qualitatibus elementaribus. De astris manifestum est, quia hæc producunt in mundo inferiori varias qualitates occultas ut plerique concedunt, ergo & venena; Et mineralium generatio præcipuè asseribitur soli cæterisque plantis. De qualitatibus elementaribus patet, quia ut docet generatio lapidum & metallorum, præstant hæ plurimum in iis coquendis & coagmentandis.

DICO 4. Venena quæ sunt in corporibus putridis, producuntur partim à variis mixtorum & elementorum qualitatibus, partim etiam Astris: Primum patet de generatione malignitatis in peste, febribusque malignis, de corruptione humorum, sanguinis, cadaverum, liquorum, aquarum stagnantium &c. De cælis nemo facilè dubitat, quia fœcundissimi sunt in producendis impressionibus, quas frequenter in his sublunaribus experimur, cum præsertim omnibus annis morbos Epidemios jam in his jam in aliis locis & regionibus grassari videmus.

DICES cum Pico Mirand. l. 3. contrà Astrologos, fieri non posse ut à causa cælesti ac divina tam perniciosus seu malignus effectus prodeat. Respond, negando hoc, quia aliàs nec Deus serpentes produceret aliaque noxia animalia: Venena autem non sunt malus effectus moraliter, esto sint physicè quod nihil ad rem, quia hoc modo etiam calor physicè est malus effectus frigori quia corrumpit illud, & tamen à cælo producitur; nec homini venena fuissent perniciosa nisi peccasset; Et credibile est quod Sanct. Basilius homil. 5. super Exodum tradit, ea fuisse producta etiam ante peccatum.

Finis venenorum. DICO 5. Causa finalis veneni dicitur à Plinio l. 2. cap. 23. ea esse, ut homo pressus fame, morbis, ærumnis &c. possit se citò interficere. Sed impietas est hæc hominis impii, & tam de DEO quam de immortalitate animæ non rectè sentientis. Melius itaque varii dicuntur à Sanct. Basilio cit. venenorum fines esse; Primò ut serviat multis artibus ad usum hominum excogitatis, v. g. arti tincturiæ, sutoriæ &c. sic etiam argentarii, aurifabri & alii sæpè utuntur venenis ad varia opera perficienda. 2. ut animalibus quibusdam cederent in cibum, v. g. sturnis & capris cicuta, suibus hyosciamus &c. 3. Non panca hominibus utilia sunt ad morbos pellendos, ut argentum vivum ad lepram, morbum gallicum, scabiem, pediculos abigendos; Elleborus ad insaniam curandam; antimonium ad humores hypochondriis impactos exturbandos; aconitum ad scorpionis morsus mitigandos; arsenicum ad pestem avertendam. 4. ut per venena hominibus salutaris timor à DEO incuteretur: Plures fines quisque sibi affingat.

DIFFICULTAS XXIII.

An argumentum vivum sit venenum.

DE hoc variæ sunt Autborum Opiniones, an venenis annumerandum sit: Constat quidem esse enim Europa communissimam & nulissimam, non tamen item quid in præsenti difficultate statuendum sit. Dicam præcipuorum Opiniones.

Dioscorides l. 5. cap. 64. his verbis sequentibus ait argentum vivum esse venenum; Lethale potum ait argentum vivum est pondere suo interno dirumpens.

Brassavolus air, argentum vivum esse quidem venenum, non tamen qualitate sed pondere, & nos ideò infantibus, cum vermibus laborarent, exhibuimus, & illicò sanati suot.

Matthiolus lib. 5. cap. 70. sunt Inquit qui purum sincerumque argentum vivum hauriendum præbeant, non tamen adulteris sed

tis ſed pueris & infantibus ætate tenellis; Ait porrò hic ipſe, ſe dediſſe infantibus vi vermium jam deſperatis ſtatimque reduxiſſe ad vitam, id eſt, ſanaſſe: De menſura tamen & quantitate tacet.

Gotitienſes obſtetrices gravidis diu laborantibus & periclitantibus ſtatim argentum vivum ſcrupuli pondere nullis incommodis potandum exhibent; hinc qui Dioſcoridem ſequuntur, putant argentum vivum ſolo pondere peccare.

Matthiolus autem l.6.c.28.& in loco Dioſcoridis addit, argentum vivum necare, ſi largius bibatur, exceſſu ſc. ſummè frigido & humido.

Braſſavolus tamen ait, controverſum eſſe, an argentum vivum ſit frigidum adeoque adhuc ſub Judice litem pendere; ſed

Matthiolus affirmat & ait putrefacere ſuo frigore innatum cordis calorem & congelare ſanguinem, ſpiritus vitales & cordis ſubſtantiam, ut patet in iis, qui hauſto hoc argento vivo calorem nativum ſuffocare ſolent.

Argentum vivum eſt venenum. DICO, Argentum vivum eſt venenum & virtutis perniitioſiſſimæ: Ita docent plerique Medici ſola experientia edocti. Effectus omnes illius videri poſſunt apud Fernel. de curatione luis venereæ cap. 6. & 7, apud Renod. in ſuo diſpenſ. l.2, ſ.1, c.15. de hydrargiro, ubi ait inter reliqua, monſtrum eſſe naturæ, quod nullas naturæ leges obſervet; Nam aliquando morbos frigidos ſanare, aliquando calidos, aliquando in pauca quantitate ſumptum nocere, & in magna mederi; aliquando per os ſumptum inſigniter prodeſſe, aliquando foris adhibitum tremorem, paralyſin, alioſque ſimiles pravos effectus gignere, ut teſtatur Fallop. c. 27. & 76. l. de lue venerea, adeo ut non immeritò naturæ monſtrum appellent, quod ſæpius larvam exuat induatque novam & in mille formas mutetur; nec ulla arte tanquam ferociſſima bellua cicurari poſſit; Unde etiam denuò probatur hæc concluſio ab ipſis foſſoribus, qui ex terræ viſceribus hoc eruunt; Omnes enim quotquot ſunt, paucos annos vivunt, & vel paralyſi vel nervorum corrugationibus vel aliis ejuſmodi affectibus miſerè pereunt.

Ad Authorum quorundam experimenta dicendum eſt, pernitioſam vim hujus veneni non vindicari una vel altera felici exhibitione, quia fieri poteſt, ut pondere ſuo citius è ſtomacho ad inteſtina indeque per alvum elabatur quam alicubi vim ſuam exerat; ſatis eſſe quod multi unius fortunam vel caſum fortuitum ſecuti miſerrimè ſæpè luerint pœnas. De chymicis non eſt opus quicquam dicere quia notum eſt hoc ipſorum idolum, quod ideò adorant, ut ejus intereceſſione fumos vendant, aurum ab indoctis exprimant & quod dolendum eſt, vitam ab innumeris extorqueant. De *Galenus non fidit argento vivo.* Gal. conſtat l. 9. ſimpl. c. 59. quam meticuloſus fuerit in ejus exhibitione; Nunquam enim auſus fuit ejus facere periculum edoctus nimirum à Dioſcoride de virtutibus ipſius & effectibus.

DIFFICULTAS XXIV.

An & unde detur antipathia & ſympathia inter venenum & animal.

NOn tantum agentis manifeſta ſed etiam occulta & venenoſa ita agunt in corpus animalis, ut aliquando unam aliquando alteram partem alterent; ut patet in opio, quod illæſu ſtomacho cerebrum tantum afficit, in antimonio quod inteſtina & ventriculum movet, in aëre vel habitu maligno, qui cordi inimicus eſt, Jam quæritur quæ hujus rei cauſa;

DICO primò, nulla datur ſympathia inter venenum & vivens. Ratio eſt, quia ſympathia tantum eſt inter illa quæ ſe mutuò juvant & propter affinitatem complexionis ſeu proprietatum fovent & conſervant, quod non fit inter venenum & vivens. Deinde implicat venenum ut ſic eſſe in qualitatibus conforme viventi, ergo fruſtra de ſympathia quæritur. Antec. patet. quia venenum eſt tale cum reſpectu & habitudine ad hominem vel animal adeò etiam, ut niſi vim corruptivam in utrumque haberet, venenum nec eſſet nec diceretur.

DICO 2 habent quidem venena cum toto animali, non tantum cum ſingulis ejus partibus antipathiam. Primum patet ex dictis, quia venena dicuntur talia in ordine ad totum ſuppoſitum cui nociva ſunt, ergo eum eo habebunt antipathiam. Probatur ſecundum ab experientia, quia videmus pleraque venena reſpicere unam aliquam partem vel alterandam vel corrumpendam, ut arſenicum fauces & pectoralia, Canthatides ureteres, opium, cerebrum, peſtis vitalia &c. cujus ratio petenda eſt tam ab agentis quam paſſi natura & temperamento diſſimili. Et hine *Venena reſpiciunt alias, atq; alias partes in animali*

DICO 3. non lædunt ſingula venena ſingulas partes ſive mediatè ſive immediatè. Ratio prima eſt, quia non contingunt eas immediatè ut fit in arſenico quod partes ſuperioris ventris tantum exurit. 2. quia non ſunt magnatum vitium quæ proinde facilè à natura animalis ſupprimuntur antequamſe in corpus extendant, ut fit in quamplurimis venenis quæ vix ſtomachum ſubvertunt. 3. quia non habent ab intrinſeco eundem cum ſingulis partibus diſſenſum, ut patet in malignitate peſtis vel febrium malignarum, quæ non renes aut lienem ſed vitalia reſpicit impugnanda. 4. denique, quia non eſt tantus omnium partium conſenſus, ut unâ læſâ lædatur altera & totum corpus. Sed unde oritur hic diſſenſus inter venenum & partes corporis? Reſpondeo &

DICO 4. Diſſenſus hic oritur à diſſimilitudine naturarum & proprietatum quæ inter

Aa 4 utrum-

utrumque intercedit, sive ea manifesta sit sive non, probatur. Nam ideò Agens agit in passum, quia reperit illud sibi dissimile, ergo eodem modo agit venenum in hominem & animal quia reperit utrumque sibi dissimile, & in contrario cessat omnis actio: sic malignitas in peste agit in calorem ut eum tota natura & complexione diffidentem corrumpat, quod non faceret, si in his convenirent: sic reliqua venena vim animali ejusque vitæ tàm partib⁹ quam toto inferunt, quia tam in specialibus quam individualibus differentiis discrepant.

Cantharides per quid agit & quomodo. Et quid de Cantharidibus, quæ solas vias urinarias & non alias quoque partes membranosas feriunt? fateor hic meam ignorantiam, quia non videtur sufficere ad commune illud asylum confugere & peculiarem antipathiam obtrudere; Nam dum Cantharides in stomacho per calorem naturalem dissolvuntur, penetrant viscera partesque multas nervosas & membranosas, quæ ab ureteribus nihil differunt; cur ergo hos solos erodunt & vellicant, non autem partes alias in genere similes, sicut arsenicum quod proximas ut fauces & stomachum, sed & omnes alias quas penetrat, adurit? Opium in cerebro sensum & intellectum turbat quia spiritus animales densat, quod alibi facere non potest; Virus aëreum in vitalibus & non in ventriculo aut intestinis effectum habet, quia spiritum vitalem corrumpit, & non viscera: alia alias partes ob aliquam similitudinem respectum vel ordinem inter se habentem nobisque cognitum molestant; solæ autem Cantharides difficultatem faciunt, quorum tamen virtutem si cui placeat, poterit sine scrupulo appellare latentem & ab omni sensu remotam antipathiam, quam cum ureteribus solis habeant, & non cum Æsophago, tunicis ventriculi aliisque partibus membranosis quas pertreptat.

DIFFICULTAS XXV.

Unde constet hominem hausisse venenum.

AN homo vel animal intoxicatus sit, ideo-cognoscitur ex certis signis, quæ partim propter diversa venena & dispositiones in viventibus, partim propter statum corporis intoxicati & modum intoxicationis multum semper evariant; Hinc enim

Adverte primo, aliis symtomatis affligi hominem qui Mercurium hausit, aliis qui aconitum, cicutam, napellum &c. voravit. 2. alia pati symptomata hominem biliosum, alia pituitosum, alia melancholicum. 3. alia signa comparere in homine adhuc vivente, alia in emortuo. 4. aliter hominem habere à morsu vel aculeo venenoso, aliter à toxico per os assumpto, aliter ab eo quod cum aere inspiravit. 5. denique alia symptomata & signa desumi ab ipso corpore, alia ab accidentis sive extrinsecis. Jam

DICO primo, si de veneno sermo sit, quod medium intrà corpus assumptum est, illud detegunt certa vasa, metalla, lapides, cornua &c. de quibus vide Mercurialem, qui inter signa prognostica refert cornu vel linguam cujusdam serpentis, quæ præsente veneno sudant; Deinde vasa ex aurichalco facta variè ad præsentiam veneni colorem mutantia; Smaragdum item quē agit diffringi vel colorem viridem immutare &c. horum omnium, si tamen vera sint, proculdubio ratio est ex sola quadam antipathia, quæ inter venena & certa mixta, sive hæc sint vegetabilia sive minerlia, intercedit.

DICO 2. si de veneno sermo sit, cujus vim jam in corpus sævire suspicamur, pro signis præsentis veneni habentur apud Mercur. Apponensem & alios hæc 1. in vivente adhuc; si quis optimè valens absque manifesta causa vel aliis casibus subitaneis, quibus subjectum est corpus humanum, repente moriatur; si post acceptum cibum cum appetitu frequens vomitus subsequatur; si ventriculus & venter intumescat, cor palpitet, crebra deliquia incidant, pulsus stupeat & variet, maculæ variæ in corpore compareant, intestina vellicentur &c. 2. In cadavere, si fiat valde lividum, si rubris nigrisque maculis conspersum appareat, si non tangatur à feris vel avibus ut habeat Plin. l. 2. cap. 63. &c. 3. In morsu, aculeo vel sputo, si pars læsa gaugrænosa fiat & sphaceletur, id est, omninò emoriatur; si supra modum tument, doleat, inflammatur & putrescat. Plura vide apud eos qui de venenis ex professo scripserunt.

DIFFICULTAS XXVI.

Quæ sint venenorum resistentia.

NOtum est credo omnibus vulgare illud Apponensis carmen, quo communia Antidota contra omnis generis venena complexus fuit nimirum

> Allia, nux, caricæ, pyra, Raphanus, & ruta, cæpa;
> Hæc sunt antidotum contra mortale venenum.

Non tamen sufficiunt hæc, quia plura sunt, quibus vim repellendi venenum adscribere ex longo jam usu & experientia solemus: Ethorum quædam cordialia sunt, quæ indeterminatè omnibus venenis opponuntur, non quod illis directè sint contraria, sed quod calorem cordis foveant, ejusque robur attenuatione & dissipatione crassorum & malignorum vaporum, apertione pororum & meatuum, resolutione materiæ malignæ & venenosæ in sudorem, moderata astrictione, concentratione spirituum vitalium, expressione veneni &c. indirectè confirment. Hujusmodi sunt Theriaca, Mithridatium,

Ele-

Electuarium de ovo, lapis bezoarticus &c. Et de his propriè quæstio non est, sed potius an specialia quædam reperiantur antidota sive alexipharmacaea quæ aut certis venenis aut omnibus indifferenter ideò resistant, eaque è subjecto expellant quia naturaliter & directè iis sint contraria, sicut calor qui ideo expellit frigus, quia eodem ex natura contrarius est; & de his Respondeo &

DICO breviter, à Medicis quibusdam & Cardano l. 3. de venenis c. 23. singulis quidem viruleotiis sua oppoouutur alexipharmaca, ut infrà videre est, incertum tamen qua contrarietate; quia uemo hactenus assequi potuit, in qua conjunctione sive temperatione qualitatum singula venena consistant, & in qua alexipharmaca; Et quicquid intellectus humanus indagavit, id à posteriori per solum effectum longumque usum & experientiam obtinuit. Inter communia & simplicia agentia quæ veneno resistant, sunt Angelica, Aristol. cardous ben. Valerian. diptam. scabios. pimpinella, quam Carolus V. quutidiè potui contrà venenum imposuisse dicitur, torment. scord. ruta, scorz. Zodoar. gentian. baccæ juniperi, poma citria, lapis bezoart. nicorinu, cornu cervi ustum, bolus armenus, terra sigillata, & sexceota alia, tum vasa murrthina quæ ab aliis porcellanæ dicuntur, & de quibus Scalig. exerc. 92.

VENENA	ALEXIPHARMACA	VENENA	ALEXIPHARMACA.
Hydrargito	resistit stercus col. seu costum nostrum uinale.	Mandragoræ	resistit radicula agrestis
		Thoræ	anthora
Minio & cinnabari	Spodium ex ebore	hydrargiro sublimato	Crystallus
Ærugini	Corallium		
Gypso	stercus muris	auripigmento	oleum è nucleis pini
lepori marino	caro vulpis assata vel ostrea	æris squamæ	succus acori
		lapidi herculeo	smaragdus,
felli vlperæ	Theriaca	Aconito	aristologia longa
extremitati caudæ cervinæ	Theriaca	fungis	allium
spumæ salamandræ	semen halicacabi	scammonio	succus ribium
cucumeri asinino	succus menthæ	Tithymalo	mummia
Cantbaridibus	semeo halicacabi	Elleboro	flos nympheæ
chameleæ	origanum	morsui canis rabidi	radix cynorrhodi
Ricino	hypericon	ictui crabronum	ferrum frigidum impositum
Nuci vomicæ	cortex litti	Excoriationi venenatæ	succus Eudiviæ vel folia juniperi
viperæ morsui	Theriaca		
scorpii ictui	scorpius suppositus	Cicutæ	gentiana
tarandulæ ictui	musica & melaothion	hyoscíamo	pistacia
Araneæ pouncturæ	Endivia epota & supposita	succo coriandri	vincetoxicum
		buffoni	myaxis
opio	Castorium vel assa	Napello	nihil, vel anthora, quæ dicitur juxtà eom erescere.
arsenico	lac, aqua frigida, quæque causticis resistuot.		

Veneno ex puttefactiooe aëris aliorumque corporumque, quod insensile est, Theriaca aliaque jam longo Medicorum usu comprobata.

DISPUTATIO DECIMA-QUINTA.

De Morbis compositionis.

Ita scilicet homo ex materia corruptibili compactus est, ut si corpus ejus benè conformatum sit, nec ulla in parte defectuosum, nihil admirabilius, nihil divioius penè reperias; sive in hoc animam, sive faciem, sive colores partium membrorumque omnium varietates, proportiones & connexiones contemplaris, habes quod suprà res omnes in sublunaribus existentes admireris. Nihil profectò in toto homine est animâ nobilius, nihilque in toto corpore ad speciem ipsa facie pulchrius & decentius, quia in illa est imago Dei, & in hac tanquam in speculo radiante naturæ spiritualis decor, facultates, habitus, motus ægritudinesque ad amussim repræsentantur. Facies est quoddam quasi propilæum, in

in quo humanus animus jura reddit hominibus nobilissimaque munera, consilia & rationis expertia, ideòque ut sit compendium pulchritudinis rerum corporearum, egregiè à primo ArchitectoDeo in primis parentibus, à natura autem in tota posteritate facta est. Et quæ colorum amplitudo non conspicitur? in oculis albus, niger, viridis, cæruleus, fuscus aliique quamplures pro varietate corporum; supercilia quoque, barba, Cæsaries coloribus nigro, ferrugine, aureo, argento pro personarum diversitate discriminantur, & in reliqua facie bilia mixta rosis insignem in modum diversas faciei partes exornant. Nihil de admirabili symmetria & partium inter se proportione loquar, quia tam insignis & divina est, ut in illam tanquam in absolutissimum exemplar perfectissimi quique Artifices perpetuò intueantur, & exinde Epistilia, Zophoros, coronides aliaque id genus nobilium operum membra suis magnitudinibus ritè definiant: Et hinc cum verissimum sit, additione, detractione, mutatione, luxatione & dolorem & turpitudinem inferri, idcircò, hac præsenti disputatione videndum est, qui sint affectus & morbi, à quibus absolutissima hæc hominis fabrica tam turpiter deformetur; In fronte autem occurrit

DIFFICVLTAS I.

An & quid sint morbi compositionis.

HActenus de morbis intemperiei & totius substantiæ actum est; sequuntur jam ii, qui malæ compositionis & depravatæ conformationis dicuntur; Et de horum natura dum inquiritur

Adverte, sicut sanitas non dependet solum à connaturali primarum qualitatum temperie, sed etiam à debita justaque omnium partium conformatione & compositione; Ita etiam morbus præter complexionem præternaturalem consundatur quoque in turpi & deformi structura tam partium similarium & homogenearum quam dissimilium & heterogenearum.

Etiam in partibus homogeneis sunt morbi cõpositionis.

DICO primo, dantur affectus compositionis sive confirmationis: Ita docet ratio, experientia & authoritas medica; Nam imprimis constat ex ipsa natura corporis organici, in quo anima laudabiliter elicit operationes, si membra omnia perfectè coagmentata sint & connexa, nec habeant aliquem defectum, qui impediat actiones, malè autem & morbosè, si depravatè constructa sint, & in numero, magnitudine, meatibus &c. vel excedant vel deficiant, ergo si ideò datur corpus morbosum, quia membra habet vitiosè conformata, etiam dabuntur morbi & affectus ex hac depravata compositione resultantes, qui compositionis sive conformationis dicantur. Et hoc idem docet experientia quâ constat, quotidiè hoc morborum genere homines fatigari, quemadmodum tota consentit Medicorum schola; Nam ideò hi omnes hos affectus comprehendunt sub diverso genere, quia sunt alterius naturæ ab iis quos intemperiei, totius substantiæ & solutæ unitatis appellant, à quibus etiam in modo curandi & lædendi discrepant.

DICO 2. Morbi compositionis sunt affectus præternaturales à partium depravata constitutione lædentes. Primum dicitur loco generis, alterum differentiæ. Nam ut constat, in hoc differt id genus morbi ab aliis, quod ipsum peccet in deformi membrorum constitutione, reliqui autem in simplici intemperie, solutione unitatis &c. Et hinc affectus omnes, de quibus hac præsenti disputatione, desumuntur à vitiosa membrorum compositione, ut apparet in scirrho Epatis vel lienis, in obstructione venarum & variorum meatuum, in magnis tumoribus, partim dislocationibus, luxationibus, vitiosis connexionibus &c.

Morbus compositionis quid.

DICES primo, calculus renum & vesicæ, digitus sextus, impactio materiæ viscosæ in meatibus, magnitudo in lingua &c. non sunt morbi, & tamen dicuntur affectus vitiosæ compositionis, ergo nulli dabuntur morbi ad hoc genus spectantes.

Resp. calculum renum, obstructionem, digitum sextum &c. vel considerari materialiter sive causaliter, id est, pro ipsa materia quæ partim in genere causæ materialis, partim efficientis facit corpus morbosum, vel formaliter, id est, pro quodam constitutione præternaturali sive indecenti habilitate corporis ex materiæ obstructione, defectu, excessu &c. resultante; primo modo dicuntur morbi materialiter, secundo formaliter.

Calculus quomodo dicatur morbus.

DICES 2. multa sunt vitia compositionis vel conformationis, à quibus nulla læditur actio, ut patet in sexto digito, in gibbo, in pustulis, parvis tuberculis, ergo è genere morborum excludendi sunt. Resp. primo, aliquando affectus compositionis ita leves esse, ut meritò videantur è natura morborum excludendos esse; Nam illud tantum rationem vel causæ p.n. vel morbi obtinet, quod actiones lædit. Resp. 2. neg. antec. quia in affectionibus magnis magnæ fiunt læsiones in parvis parvæ; Cum enim ad naturalem constitutionem partium organicarum pertineat certus digitorum numerus, debita magnitudo, justaque conformatio & connexio, ut convenienter omnes actiones vitales administrari possint, necessario sequitur à quovis excessu vel defectu, si manifesti sint, infringi constitutionem naturalem, & actiones sive parum sive multum pro affectuum varietate debilitari; sic constat gibbum impedire liberiorem respirationem, inflexionem corporis, motum homini convenientem &c Sextum vero digitum exqu sitam apprehensionem aliosque actus, ad quos exercendos manum & quinque digitos homini natura dedit. Collig. etiam partibus

homo-

homogeneis inesse morbos vitiosæ compositionis.

DIFFICULTAS II.

Quid & quot sint Morbi compositionis.

QUæritur non tantum, quot modis in genere deformetur corpus humanum & à connaturali partium compoſitione ſituque declinet, ſed etiam qui in ſpecie ſint morbi, à quibus in hunc modum dicatur homo vitioſus, videtur enim requirere decurſus totius operis, ut affectus magis notabiles & qui ſunt ad rem præſentem, breviter ex Medicorum placitis explicentur.

4. Genera inferiora morborum compoſitionis. DICO primo, quatuor ſunt genera morborum depravatæ compoſitionis; primum numeri, ſecundum magnitudinis, tertium figuræ, quartum ſitus & connexionis; Hæc eſt communis medicorum doctrina, & prob. quia tot ſunt genera inferiora morborum organicorum ſeu deformationis, quot ſunt modi quibus fit receſſus à ſtatu naturali partium organicarum, vel quibus humani corporis membra & viſcera à vera & legitima formatione deflectunt; ſed tales ſunt 4. vel ſecundum alios 6. & 7. ergo. Hæc minor prob. inductione: Nam imprimis requiritur ad partis organicæ rectam debitamque conſtitutionem definitus numerus, v.g. ad manum 5. digiti, ad digitum excepto pollice 3. articuli &c. ſi itaque juxtà hanc conſtitutionem fiat vel exceſſus vel defectus, fit morbus in numero. *Numeri* Deinde præter hunc definitum numerum opus eſt, ut quodlibet membrum organicum ſuam habeat decentem & tam actioni exercendæ quam corpori convenientem magnitudinem; ſi enim vel pars aliqua ſolito ſit major vel minor atque ita impedimento ſit animæ in operando, fit morbus in magnitudine. *Magnitudinis* Adhæc neceſſum eſt, ut organa decentem habeant figuram, cavitatem & ſuperficiei vel lævitatem vel aſperitatem, in quibus ſingulis ſi erratum à natura fuerit, dici ſolet morbus in conformatione. *Conformationis & connexionis.* Accedit ultimo competens & connaturalis membro cuivis ſitus, debitaque cum aliis connexio, à quo utroque ſi receſſus fiat vel error, jam dicitur morbus in ſitu vel connexione.

Intemperies quomodo ſpectet ad morbos compoſitionis. DICES, etiam requiritur ad veram & decentem partis conformationem legitima temperies & unitas, ergo receſſus ab utroque in partibus organicis, id eſt, intemperies & ſolutio continui ſunt morbi compoſitionis, quod tamen falſum eſt. Reſp. verum eſſe, quod etiam intemperies & ſolutio continui accedant partibus organicis, ſed extrinſecus & violenter, non per veram compoſitionem ſeu conformationem quæ eſt actio ſubſtantialis, & de cujus erroribus in præſenti agitur: Quamvis itaque receſſus à naturali conſtitutione partium organicarum etiam conveniat intemperiei & cuivis ſolutæ unitati, non ſunt tamē vitia compoſitionis aut conformationis, ſed alicujus actionis tranſeuntis & violentæ, ac proinde ad alia morborum genera ſpectant; vel certè verius & commodius Reſp. quamvis temperies laudabilis etiam ſpectet ad partem organicam bene ſe habentem, & intemperies contrà; hæc tamen non afficit eam in eſſe organi aut quatenus benè formata eſt, ſed quatenus juſtam debitamque qualitatum temperiem habet: Et hoc modo eſt intemperies diſtinctum genus morbi ab altero compoſitionis, quia licet eandem partem occupent, ſub diverſa tamen ratione formali eam afficiunt. Quod ſi urgeat, luxationem v.g. eſſe morbum vitioſæ compoſitionis & fieri per ſolutionem continui, vel etiam eſſe ipſam unitatem ſolutam. Reſp. in luxatione quod idem intellige de ſimilibus aliis affectibus, conſiderari primò extenſionem, ſeparationem, fracturam &c. 2. indecentem figuram, ſitum, connexionem: primo modo eſt morbus ſolutionis continui. 2. compoſitionis in quo abſtrahit à ſoluta unitate; Et reperiuntur hi duo affectus frequentiſſimè complicati, ut videmus in magnis tumoribus, in tuberculis, in puſtulis, in fracturis, in eroſionibus, in convulſionibus &c.

Affectus compoſitionis qui. DICO 2. affectus in numero ſunt omnes illi, in quibus vel reperitur exceſſus vel defectus partium, quæ per ſe corpori debentur; ſic ſextus digitus excecit in numero, quia non eſt ad perfectionem corporis, quod idem de tertio teſticulo, duplici ordine dentium, ungue in oculo, excreſcentia carnis in fronte, pericranio, oculo, aliiſque in partibus intellige, qui autem ſunt morbi exceſſus, iidem à contrario ſunt defectus. In magnitudine aucta ſunt tumores omnes, magnitudo capitis, linguæ, pedum, manuum, brachiorum, ventris, ſcroti &c. in diminuta vero tabes vel conſumptio pulmonum, Epatis, renum, lienis totiuſque corporis; mutilationes item linguæ, omenti, peritonæi, digitorum, manuum, pedum &c. quamvis hi omnes affectus ad ſolutionem continui quoque referri poſſint. In vitioſa conformatione ſunt gibbus, diſlocatio quævis coſtarum, meatus à veſicula fellea ad ventriculum, inſoliti meatus eorumque anguſtia, clauſura ani & pudendorum muliebrium, obſtructio in variis cavitatibus, conſtipatio, compreſſio, laxitas pulmonum, ventriculi &c. In quarto denique genere ſunt omnes illi affectus, qui ſitu & connexione lædunt ut luxatio artuum, v. g. mandibuli in oſcitatione, contorſio digitorum in podagra, vertebrarum in magnis convulſionibus, oculorum in contuſionibus; prolapſus uteri, deſcenſus omenti & inteſtinorum ad ſcrotum &c.

Colligitur, eos ſolos eſſe affectus conformationis ſive compoſitionis, qui adferunt membro ſive organo turpitudinem & indecentiam in eſſe conformationis, quod nec in-

tem-

ejusque affluxum fieri à causis morbosis; Deinde sensus non est, quod ab utrisque collectivè sumptis fiant, quia sufficit aliquando ab una causari, v.g. tabes & consumptio viscerum à calore præternaturali, qui consumendo humidam & carneam substantiam facit morbum in magnitudine imminuta; Et certè quando tumores aliqui fiunt à sanguine, hic jam non amplius habet rationem humoris alimentalis sed excrementitii & p. n. quam induit, cum extrà venas & vasa sua connaturalia excidit. Hic

Adverte, augmentationem in humano corpore variis modis fieri; primo enim augetur pars æqualiter, ut cum totum abdomen à flatu & aqua intumescit; vel inæqualiter, ut cum una pars augetur & altera imminuitur, sicut videre est in manu, cujus una pars intumescit & altera decrescit. 2. fit augmentum in aliqua parte vel secundum unam dimensionem, ut cum scrotum in longum excrescit, vel secundum omnem, ut cum venter in omnem partem extenditur. 3. augetur corpus secundum aliquas partes, ut cum caput augetur reliquo corpore imminuto, vel secundum omnes, ut cum homo toto corpore intumescit aut omnibus membris naturam giganteam acquirit. 4. fit augmentum toto corpore æqualiter secundum omnes dimensiones, ut cum homo tantum crescit in longum, quantum in latum, vel inæqualiter, ut cum homo juxtà naturalem exigentiam plus crescit in longum quam in latum. 5. excrescunt partes vel ab humore utili & alimentali vel ab inutili & excrementitio, ut à flatibus, à materia aquea & serosa, ab humoribus sallis actibus & quovis modo vitiosis; Et quia non omnes hæ magnitudines sunt vitiosæ seu morbosæ, idcircò

QUÆRITUR, an ille qui secundum omnem partem assequitur corpus giganteum, censeatur habere corpus ex hac magnitudine vitiosum, si præsertim à pusillis parentibus sit natus. Respondeo &

Corpus gigantæum non est semper morbosum. DICO 3. Gigantes, qui habent corpus æqualiter secundum omnes partes justâ debitâque magnitudine augmentatum, non sunt censendi vitiosi & morbosi. Ratio, quia habent omnia membra & organa debito modo formata, justoque ordine constructa & collocata non minus quam habeant ii, qui communi hominum sunt statura; Deinde eliciunt omnes actiones humanas & vitales laudabiliter; adhæc si haberent corpus in magnitudine vitiosum, haberent ideò quia respectu aliorum hominum essent longè procetiores; sed hanc rationem nullam esse hinc liquet, quia præterquam quod statura Gigantea non superet naturam, virtutem & magnitudinem hominis, vir aliàs adultus & quadratus esset vitiosus respectu infantis, quod tamen nemo concedit, ergo corpus gigantæum, quod omni ex parte justa & debita magnitudine est formatum, non erit vitiosum aut morbosum. Dixi tamen si omni ex parte sit laudabiliter formatum & constructum, quia potest ejusmodi corpus non minus quam parvum & exiguum esse vitiosum, adeòque in quibusdam morbis excedere & in aliis deficere, ut constat fuisse corpus ejus juvenis, qui ex districtu augustano oriundus Viennæ Anno 1644. spectatus maximum gibbum & costarum dislocationem habebat.

DICES, nullus affectus sub ratione magnitudinis lædit operationes vitæ, ergo nullus dabitur morbus magnitudinis. Resp. neg. antec. quia si lingua magnitudine excedat, impedit vocem, loquelam & cibi masticationem; similiter magnitudo manus & brachii motum, pedum deambulationem &c. & hoc sub ratione magnitudinis, non autem intemperiei ut in hydrope, vel solutæ unitatis ut in hernia, vel gravitatis & distensionis, quia sunt hæ diversæ causæ & rationes formales sub quibus actiones impediuntur.

DIFFICULTAS V.

De differentiis tumorum eorumque causis ingenere.

PER tumorem nihil aliud intelligitur quam eminentia corporis, non quidem naturalis ut in capite, ventre, juncturis aliisque partibus videmus, sed præternaturalis, à qua actiones corporis læduntur; sunt autem tumores hi omnes morbi magnitudinis ex humorum labe succrescentes. Hinc

DICO primo, tumores ad varia genera morborum possunt referri, ut ad intemperiem cum materia, ad solutam unitatem & ad vitiosam conformationem. Ita Avic. 2. primi doctrina 1. c. 5. ubi statuit in tumore reperiri intemperiem cum materia, morbum in figura, situ, magnitudine, & solutionem continui; Et constat etiam ex Gal. l. de diff. morb. c. 5. & 13. l. 6. de caus. morb. c. 3. & 9. de inæq. intemperie: Et confirm. ratione, quia in carnis membranarum & ligamentorum inflammatione omnia ex humorum affluxu necessariò in tumorem attolluntur, ideoque vera intemperies cum materia introducitur, id est, calor p. n. ex inflammatione & putrefactione, humiditas major ex congestione materiæ &c. sed & partes ex influxu humorum distenduntur céduntque de sua unitate, quod præter rationem Gal. etiam lib. de inæq. intemp. c. 3. docet. Denique sensu ipso probamus & judicamus omnes humores p. n. peccare in magnitudine, ideoque ad affectus vitii conformationis vel compositionis esse referendos, quod rursum Gal. lib. 1. de caus. sympt. c. 2. docet.

DICO 2. Tumor p. n. ex Gal. l. 13. m. m. c. 1. est morbus, in quo partes à naturali habitu in quantitate discedunt. Hanc descriptionem approbant plerique Medicorum excepto Fallopio, qui propter rationem infrà *Tumor quid.*

 dicen-

dicendum ait tumorem eſſe morbum utplurimum compoſitum & ab eo denominandum à quo actio læditur : ſed prob. Galeni deſcriptio, quia omnes tumores præternaturales reverà nihil aliud ſunt, quam nimia humorum quantitas in aliqua parte corporis præternaturaliter collectorum, vel partes ipſæ viventes ex collectione humorum vitioſorum præternaturaliter augmentatæ: Et hæc omnia colliguntur ex Fern. l. 7. de ext. corporis affect. c. 1. ubi ait, cauſam continentem tumoris eſſe humorem vitioſum præternaturaliter cumulatum. Quod ſi cum Faliopio

DICAS, In Eryſipelate exquiſito non eſſe magnitudinem, & nihilominus referri ad tumores. Deinde herniam inteſtinalem vel omenti numerari inter tumores, & tamen in iis non læditur actio à magnitudine aucta, ergo malè dicuntur tumores, ſed potius à morbo in ſitu. Reſp. ad primum, ſi Eryſipelas non tumeat, ſed ſit cuti æqualis, non eſſe tumorem ſed intemperiem cum materia, & ab hac ſolâ lædi actiones. Reſp. ad ſecundum, herniam inteſtinalem referri ad magnitudinem vitiatam, ad morbum in ſitu & ad ſolutionem continui, proindeque ab omnibus lædi actiones ſed inæqualiter.

Differētiæ tumorum unde ſumantur.

DICO 3. Differentiæ tumorum ſumuntur ab humoribus influentibus, à partibus decumbentibus & à propria forma; Declarantur ſingula; Nam omnis humor vel fit à ſanguine ut phlegmone, vel à bile ut Eryſipelas, vel à pituita ut œdema, vel à melancholia ut ſcirrhus, vel ab humore aqueo & ſeroſo ut hernia aquoſa, vel denique à flatibus ut tumor flatulentus; Deinde partes quæ decumbentes faciunt tumorem, conſtat vel eſſe inteſtina vel omentum; ſi inteſtina in ſcrotum delabantur, faciunt herniam inteſtinalem ; ſi omentum, herniam omenti; ſi utrumque per umbilicum prodeat, gignunt herniam umbilicalem mixtam factamque ex inteſtinis & omento. Denique tumorum aliqui ſunt à propria forma parvi, ut puſtulæ, alii magni ut œdema, alii calidi ut Eryſipelas, alii frigidi ut ſcirrhus, alii maligni ut cancer &c. Hic tamen OBSERVA

Inflammationes partium.

primo, inflammationem ſeu *phlegmonem* qui tumor eſt à ſanguine incenſo varia pro variis partibus affectis ſortiri nomina; ſi enim fiat in membranis Cerebri, vocatur *phrenitis*; ſi in tunicis adnatis oculi, *ophthalmia*; ſi in gargareone, *columella* vel *uva*; ſi in glandulis, *tonſillæ*, ſi in faucibus, *pariſthmia*; ſi in larynge, *angina*; ſi in pleura, *pleuritis*; ſi in pulmonibus, *peripneumonia* &c. Similiter humor aquoſus & ſeroſus ſi in toto corpore abundat, generat aſcitem l. 3. de cauſ. ſympt. c. 2. ſi in ſcroto, herniam aquoſam : Eodem modo flatus in toto corpore collecti generant *tympanitidem*, in virga *priapiſmum*, in aliis partibus *tumores flatulentos*. 2. ab humoribus variè affectis & conſtitutis varios quoque fieri tumores; ſi à bile naturali gignitur *Eryſipelas*, quæ eſt affectio in ſumma cute juxta Gal. l. 1. ad Glauc.

Phrenitis. Ophthalmia, uva Tonſillæ. pariſthmia Angina. Pleuritis. Peripneumonia.

Tympanitis. priapiſmus Eryſipelas.

c. 1. à non naturali autem & craſſa & mordaci Eryſipelas ulceroſum vel *herpes excedens* aut *Ignis ſacer*. ſic pituita naturalis, inſipida & tenuis facit *anaſarcam* ſi univerſum corpus occupet, vel *œdema* ſi aliquam tantum partem l. de cauſ. morb. c. 6. non naturalis autem craſſa, glutinoſa & exicca ſcirrhum ex Gal. l. 2. ad Glauc. c. 4. ſicut uriliginem albam quæ eſt cutis defædatio cum ſquamis quibuſdam ex 3. de cauſ. ſympt. c. 2. ſalſa & nitroſa achores, qui ſunt tumores in corpore cum parvis ulceribus l. de tumoribus p. n. c. 15. ſic melancholia naturalis afficit *ſcirrhum*, qui tamen in diverſis partibus diverſa ſortitur nomina, ut in glandulis nomen ſtrumæ, in ſcroto *ramicis*, in cute *vitiliginis nigra*. Non naturalis autem ſuperaſſata facit in toto corpore *Elephantiaſin* vel *lepram* & in aliqua parte *Cancrum*, & ſi præter aſſationem fiat fervidiſſima, *Carbunculum* vel *anthracem* ex l. de atra bile c. 4. & l. 14. m. m. cap. 10. 3. Non ſemper humores eſſe ſed plurimum inter ſe commixtos, ita tamen ut unus alterum æquet, vel parum multumve ſuperet. Et has differ. vide apud Gal. l. de tumor. p. n. c. 9. l. 14. m. cap. 2. lib. 2 ad Glauc. cap. 1. lib. 2. de criſ. c. 12. tum communiter apud Medicos practicos.

Ignis ſacer ſive herpes. Anaſarca. Oedema.

Scirrhus. Struma. Ramex. Varix. Elephantiaſis.

Anthrax.

Tumorum cauſa.

DICO 4. Tumorum omnium cauſa immediata proxima & conjuncta vel eſt humor vel pars aliqua corporis : ſi hæc, accidere ſolet à ruptione vel dilatatione; ruptio habet cauſas externas ut contuſionem, inciſionem, ſaltum, pondus, motum concitatum ; dilatatio autem meatus vel fit à cauſis externis jam enarratis vel ab internis, videlicet ab humoribus, potiſſimum pituitoſis, qui laxando meatus dilatant & extendunt. Si cauſa ſit humor, vel fit à congeſtione, id eſt, humor in aliqua parte generatur & congeritur, vel à fluxione, id eſt, humor aliunde influit. Utraque ſuas habet cauſas tam proximas quam remotas : Nam congeſtio fit quando pars aliqua vel ita imbecilla eſt, ut affluens alimentum non poſſit in ſubſtantiam propriam immutare, prout in podagricis affectibus inter alios fieri probabiliſſimum eſt, vel ita vitiata ut illud alimentum corrumpat, & jam genita excrementa minus à ſe propellat. Fluxio autem contingit partim propter materiæ fluentis copiam, acrimoniam & tenuitatem, partim propter propellentis partis robur, viarum laxitatem, partim propter excipientis partis imbecillitatem ſitumque decliviorem.

DIFFI-

DIFFICULTAS VI.

De tumoribus in specie, imprimis de sanguineis.

EX sanguine vel puro vel cum aliis humoribus permisto generantur tumores, tubercula & pustulæ, quæ in variis corporis partibus emergunt, & cum frequentes sint, mirè hominem calore & dolore divexant. Omnes ad phlegmonem, carbunculum, furunculum & pustulas referuntur ut videre est apud Fern. cit. c. 2.

DICO primo, cum quavis inflammatione jungitur intemperies, tumor & soluta unitas. Quod intemperies calida jungatur, patet ex vi ipsius nominis, quia corruptio sanguinis vel accensio, quæ nunquam abest, facit locum & partem, in quam sanguis decumbit, inflammari & accendi. Quod autem hæc inflammatio sit cum tumore, manifestum est, quia semper est cum affluxu sanguinis, qui necessariò gignit intumescentiam. Quod denique solvatur in omni inflammatione partium unitas, hinc perspicuum est, quia vel partes dilatantur, vel etiam dum fit abscessus, vasa & membranæ rumpuntur & exeduntur.

Phlegmone quid sive inflammatio.

DICO 2. Phlegmone tumor est calidus præter naturam ex sanguine collectus. Ita communiter à Medicis definitur. Dicitur primo tumor, quia in parte corporis prominet & circumscribitur saltem ad ovi communioris magnitudinem. Dicitur 2. tumor calidus, quia sanguis extrà locum suum naturalem collectus putrescit ab ambiente calido, æstumque & fervorem contrahit. Dicitur 3. p. n. collectus, quia sanguini naturaliter competit intra sua vasa ad tolerantiã detineri, ut in iisdem à calore naturali ad futurum corporis alimentum & deperditæ substantiæ reparationem decoquatur; unde cumprimum extrà hæc propria conceptacula subsistit, suam exuit naturam, grumescit & naturali putredine consumitur. Itaque causa immediata sanguis est, qui è venis & arteriis, cum immodicâ copiâ distenduntur, in cutem, carnem subjectam aliasque partes fibrosas & membranosas ita illabitur, ut primo in minores tum minimas venulas tandemque per extrema oscula cæcosque tunicarum meatus in loca obvia sese diffundat. Adverte tamen, si purus sit, gignere phlegmonem exquisitam ut *opthalmiam*, *parotidem*, *anginam*, *tubercula sanguinea* majora; si autem aliis humoribus commisceatur, id est, si sit sanguis biliosus, pituitosus, melancholicus, fieri *phlegmonem biliosam*, *pituitosam*, *melancholicam*, quam Medici à Græcis *Erysipelatodem*, *œdematodem* & *scirrhodem* appellant.

Parotis, angina, ophthalmia, tubercula majora.

Anthrax vel Carbunculus quid.

DICO 3. Anthrax, qui aliter *Carbo* vel *Carbunculus*, *pruna* Avicennæ & ignis persicus dicitur, est tumor maximè adurens crustamque nigram habens, à sanguine crasso, nigro, calido, fervente & corrupto originem trahens. Dicitur primo Carbunculus vel pruna, quia urit ut pruna refertque colorem carbonis extincti. Duplex est, alius simplex, qui nascitur ex simplici putredine & solo ardore; alius malignus & pestilentialis, qui superadditam habet malignitatem, & quem in pestiferis frequentissimè observamus; non differunt nisi per ea signa & symptomata, quæ febris simplicis & pestilentialis socia sunt. Dicitur 2. tumor maximè adurens, quia in quamcunque partem incidit, eam mox exurit, pustulasque circum se ardentissimas excitat propter ingentem calorem & acrimoniam, quamvis aliquando nullam habeat pustulam, aliquando unam vel plures. Dicitur 3. crustam nigram habens, quia pustulæ paulatim nimio calore crustam vel nigram vel cineritiam accipiunt; Nec ulla hic est partium suppuratio, sed mera carnis corruptio, quæ tota simul separata cavum & sordidum ulcus post se relinquit. Dicitur 4. originem trahens à sanguine crasso ex Gal. l. 2. ad Glauc. c. 5. l. de tumor. p. n. c. 6. & l. 2. de diff. febr. c. 9. ubi designatur causa proxima & immediata, qua ferventissimus hic tumor gignitur.

DICO 4. Bubones sunt tumores glandularum seu partium glandulosarum aliquando cum inflammatione, aliquando sine hac. Dicitur primo, quod sint tumores, quia fiunt ex congestione seu affluxu sanguinis variorumque humorum, qui deinde congesti extrà cutem supereminent. Dicitur 2. quod sint tumores glandularum, quia has partes solùm occupant, vel quia tumores in his partibus conspicui dicuntur bubones; licet autem glandulæ variis in partibus & locis reperiantur, hic tamen potissimum intelliguntur emunctoria post aures, sub axillis, & in inguinibus; ubi maximè bubones oriuntur eò quod partes ex se sint imbecillæ & imbibendis humoribus aliunde dilabentibus propriè dicatur. Dicitur 3. quod sint aliquando cum inflammatione, & aliquando sine hac, ubi OBSERVA, bubones esse duplices, contagiosos & non contagiosos; utrique possunt esse sine inflammatione ut docet experientia. Nam bubo simplex fit aliquando ex humoribus frigidis, serosis, pituitosis, aliquando ex calidis & ferventibus; si primo modo, nulla comparet inflammatio, nisi dum fortè paulatim ad suppurationem deducitur; si 2. potest esse cum calore & incendio, sive habeat rationem inflammati tumoris simplicis, sive etiam phymatis aut alterius speciei deterioris, phygethli scilicet; quem utrumque tumorem Medici inter bubones referunt. Bubo contagiosus vel est luis gallicæ vel pestis; ille rarò est cum inflammatione, quia est sine rubore, sine calore, sine pulsatione, & sponte frequenter intrà corpus recedit; nisi per artem sicut & alter pestilentialis foras attrahatur, quod etiam utilissimum est: Hic penè semper est

Bubones simplices & contagiosi.

cum febre, non tamen semper cum inflammatione, quia materia venenosa ad has partes debiles detrusa, utplurimum est sine incendio, & vel homine ad sanitatem tedeunte evanescit, vel nisi post longum tempus in abscessum desinit. QUÆRES, an bubones nunquam appareant in peste absque febre, & an bonum sit in febribus pestil. apparere. Resp. in peste, quæ est absque febre, tatissimè comparere; ratio, quia in hac nulla est humorum commotio aut putrefactio; sive autem in peste quæ est cum febre, compareant sivè non, parum intetest, quia nec tum vel magis vel minus malignitas à vitalibus recedit, solum humores quidam supetvacui & excrementitii, qui undique venenum participant, & ad partes debiliores disperguntur; protrudit autem natura aliquando humores post aures, si nimitum in capite pleniores existant, vel sub alas, si in pectore, vel denique ad inguina, si in visceribus ventris inferioris.

Furunculus. Cæterùm quæ de *furunculo* quod est *tuberculum* acutum cum calore ac dolore, de Epinictide, terminthо & ecthymatis quæ pustulæ sunt ferventissimæ & velut igneæ, supersunt, vide apod Fernel. cit. & alios. sunt autem juxtà communem Medicorum opinionem inter tumores qui majores sunt tuberculis & pustulis, referendi *phlegmone, phygethalon, bubo, phyma, Erysipelas, œdema, tumor flatulentus, scirrhus, ganglion, parotis, struma, cancer, hydrocele, branchocele.* Inter tubercula *carbunculus, furunculus, terminthus, glandula, nodus.* Inter pustulas denique *psydracia, Epinictis, phlyctæna, ecthymata, Ephelides, hydroa, herpetes, scabies, lichen, psora, lepra, omnia verrucarum genera, clavus, callus &c.*

Tumores omnes.

DIFFICULTAS VII.

De tumoribus biliosis,

VNicum tumorum biliosorum est Erysipelas, cui annumerantur phlyctænæ, papula sive herpes miliatis & fera, tum impetigo cum suis speciebus, quæ cum pustulæ sint, & quoad materiam non formam tumoribus tantum similes, ideò in alium locum transferri possunt.

Erysipelas. DICO primo, Erysipelas est ardor magnus in cutis summa diffusus; Ita Fern. cit. c. 4. Dicitur primo ardor magnus, id est, tumor cum ardore magno, quia in quamcunque partem incidit, eam statim exurit & mordacitate vellicat; Deinde est ab humore calidissimo, non quidem à bile corrupta & excrementitia, sed à naturali ut infrà dicetur. Dicitur 2. in summa cute diffusus, quia non protuberat manifestè, nec multum distendit partem, sed latè hinc inde diffunditur diffluitque sua tenuitate; Et quando humor hic in partem influit, horrorem facit & febrem quasi diariam sine dolore insigni aut pulsu vehementi, tum verò serpit herpetum more, vicinasque sensim partes occupat. Nec propterea malè refertur inter tumores, quod in summa cutis manifestè non promineat, quia reverà nonnihil partem attollit, ut proinde cutis distendi notabiliter conspiciatur.

DICO 2. Erysipelas duplex est; unum simplex dicitur, afficitque locum rubore & ardore, nulla autem exulceratione; alterum vocatur ulceratum, quia vel summam cutem leviter vel altius etiam penetrando exulcerat; Et hoc aliqui sacrum ignem vocant, falsuque id Celso l. 5. c. 26. imponunt, cum tamen ipse longè aliter c. 28. sentiat. Cæterum quantò mitior est humor, bilisque vel sanguini vel pituitæ magis permixta est, tantò minus fervidum est hoc malum, sed tumentius, quia nimis calore & raritate diffluit.

DICO 3. Originem habet Erysipelas à tenui biliosoque sanguine, an autem ab hoc semper, litigant Medici; Fernelii opinio est, Erysipelas simplex fieri à bilioso sanguine, ulceratum verò à bile supervacua, & excrementitia, vel minimum ab utroque humore & alimentali & excrementitio, illumque è venis effusum sua tenuitate in cutem ferri ibique dispergi. Gal. autem licet l. 2. ad Glauc. c. 1. docet fieri à sanguine tenuissimo, proindeque à bile alimentali; scribit tamen lib. 3. de caus. sympt. c. 2. bilem amarum in toto corpore redundantem facere morbum regium & in una parte Erysipelas, ex quo colligitur ab utraque fieri posse. Nam icterus fit ex bile excrementitia, ergo & Erysipelas secundum Galenum. Aquapendens l. 1. de tumor. p. n. c. 8. putat semper fieri à bile alimentali. Quid reliqui sentiat, quisque eos consulet. *Causa sanguis biliosus.*

DIFFICULTAS VIII.

De tumoribus pituitosis eorumque causis.

TUmores qui à pituita gignuntur, sunt imprimis œdema, tum scirrhus, ganglion & glandulæ de quibus

DICO primò, Oedema est tumor frigidus, laxus & mollis, doloris expers; Ita Fern. de ext. affect. cap. 3. Dicitur primo, quod sit tumor; quia maximè præeminet reliquis partibus. Dicitur 2. quod sit tumor frigidus, quia est à materia frigida, videlicet à pituita. Dicitur 3. quod sit tumor laxus & mollis, quia est ab humore aqueo, cujus non est indurare sed emollire & laxare. Dicitur ultimò, quod sit doloris expers, quia est à materia non mordaci aut erodente sed dulci & benigna vel insipida, ita ut si dolor adsit, is à nimio poodere gravante & distendente producatur. *Oedema quid.*

DICO 2, gignitur œdema ab humore pitui-

pituitoso. Hoc verum esse docet natura tumoris, qui substantia & qualitatibus pituitam refert; indicat etiam, quod sive multum sive parum digito prematur, nullum vel certe exiguum sensum excitet. Non tamen gignitur à quovis humore pituitoso, sed ab eo solum, qui in ventriculo vel epate concoctus in massa sanguinea continetur, nimiâque copiâ adauctus à potentia expultrice quaquaversum in corpus expellitur, vel qui ex se excrementitius non in una aliqua parte sed ubique & præsertim in cerebro collectus in genua, brachia aliasque partes decumbit, nec tamen à frigiditate, tenuitate, humiditate, colore albo, sapore dulci vel insipido recedit. Nam si per corruptionem salsus fuerit & nitrosus, jam in capite efficit tumores, quia chores dicuntur; si crassus & glutinosus, excitat scirrhum; si sanguini admisceatur, facit œdema calidum; si bili, biliosum; si melancholiæ scirrhosum.

Scirrhus. DICO 3. Scirrhus est tumor p. n. durus ac renitens, concolor ac indolens, factus vel à pituita crassa & glutinosa, vel ab humore melancholico naturali. Est Scirrhus duplex, alter exquisitus, alter non exquisitus, ut habet Gal. 2. ad Glauc. c. 4. primus est tumor durus ac insensilis, secundus habet aliquem sensum. Quod sit tumor durus ac renitens, sensus indicat, unde etiam à nonnullis apostema lapidosum dicitur, quod videlicet materia vi caloris in lapidem velut concrescat. Indolens est ob nimiam siccitatem & duritiem, quæ utraque facit, quod nec ossa nec aliæ partes, quæ non sunt moderatè vel siccæ vel humidæ, sensum habeant; per verba reliqua exprimitur causa materialis, unde scirrhus fiat: Nam quod fiat ex pituita vel superexsiccata, vel ex humore glutinoso, frigido, crasso, viscido, ut est melancholia naturalis, vel ex utroque mixto, id docet Gal. l. 14. meth. c. 14. Unde certum est, scirrhum vel oriri in partibus internis ut liene, Epate &c. vel in externis, ut circa capita musculorum. Ratio hujus est, quia partes hæ sunt densiores aliis, ideoque magis indurantur; Gignitur autem scirrhus ex humorum in aliquam partem deflexione, vel coogestione, vel imperitia Medicorum, dum videlicet inflammationibus intempestivè refrigerantia vel astringentia de discutientia validà adhibent, adeoque humorem vel frigore induratum, vel partium tenuium evaporatione desiccatum lapidescere velut & coagulari faciunt, id quod in epate fieri advertimus, ubi ab ictero scirrhum ob successivam bilis incrassationem timemus.

Struma quid. DICO 3. Struma est scirrhus vel tumor obduratus glandolarum; Ita communiter sentiunt Medici ex Gal. l. 14. meth. c. 11. Advertte ex Fernelio, strumas aliquando sensim digeri & dissipari posse, quia humor non est adeò crassus & viscidus; aliquando suppurare & defluere in abscessum, quia videlicet sunt calidos & sanguinis participes; aliquando in veram scirrhi duritiem migrare, quia sunt ex pituita gypsea; aliquando demum contrahere malignitatem & exulcerari, unde etiam exulceratæ dicuntur sicut illæ simplices. Dicitur primo tumor induratus, quia accedit ad materiam scirrhi, cum quo etiam habet eandem causam efficientem; Dicitur 2. tumor glandulatum, quia in his solis subjectantur, imò vocantur à Fernel. tumores glandulosæ, quia cum hæ sint substantiæ spongiosæ, facilè quemvis humorem à capite decumbentem imbibunt ut in tumorem attollantur. Oriuntur omnes à pituitoso humore, crasso, vel melancholia naturali, vel utroque misto ex Gal. lib. 2. simpl. & sect. 3. aphor. 26. & quidem ex communi doctrina in inguine, sub axillis; & maximè frequentissimoque circà collum, ubi glandulæ caput, à quo stillat pituita, vicinum habent. Hinc autem manifestè licet colligere, non ita facilè contrahi strumas vel scrophulas, ut quidam sibi persuadent, dum ex unico haustu aquæ fontium in montibus Carinthiacis vel aliis scaturientium mox glandulas in collo succrescere firmiter credunt: Quamvis enim iis in locis sint frequentes inter homines strumæ, id tamen ex copioso phlegmate, quo vulgarium hominum corpora sunt repleta, ipsæ etiam aquæ & omnis generis alimenta hoc ipso perfusa, accidere credendum est. Cæterum quem tumorem Medici ganglionem vel nodum appellant, is non dissimilis est naturæ eum strumis vel glandulis, nisi quod ab his solo situ distat; sicut enim à solis hæ adenibus, ita ille è nervis aut articulis emergit; Et hujus generis est hernia gutturis vel bronchocele, quæ inter asperam arteriam & cutem ex crassa lentaque pituita quæ sensim è capite ejusque partibus externis dilabitur, accrescit.

DIFFICULTAS IX.

De tumoribus melancholicis eorumque causis.

Hi vix aliqui sunt præter cancerum, varices & tubercula quædam seu tumores carneos, qui in variis partibus corporis non ex affluxu humoris excrementitii, sed ex solo patris alimento gignuntur. De his itaque

DICO primo, Cancer est tumor durus, rotundus, inæqualis, venis quandoque in ambitu turgidus, colore livescens ac nigricans, dolore ac interdum calore gravis, Ita Fern. c. 3. cui consentiunt Medici. Dicitur imprimis cancer ad similitudinem canceri fluviatilis, quia sicut hoc animal habet pedes hinc inde dispersos; Ita cancer in ambitu turgidas habet venas, quas instar pedum cancri undique dispergit. Dicitur 2. quod sit tumor, quia est quædam eminentia corporis ex affluxione & congestione certi humoris, vel est intumescentia ex rarefactione partis viventis & humorum. Reliqua omnia explicant morem & *Cancer quid.*

 naturam

naturam cancri: Nam tumor eſt initio exiguus inſtar lentis ſæpè, & rotundus quidem, ſed tamen inæqualis partim propter materiæ inæqualitatem partim propter venulas in quibus materia continetur: Turgent autem venæ hac materia, quæ eſt craſſus nigerque ſanguis, aliquando mitior aliquando calidior & acrior, qui proinde etiam brevi cutim exedit & partes exulcerat. Dolorem excitat ob humoris, acrimoniam, additumque habet calorem citrà inflammationem, quia ſanguis hic retorridus & aduſtus non tantum acris eſt, ſed in qualitatibus activis & primis etiam calidus: Naſci ſolet in quavis parte corporis, maximè tamen in fœminarum uberibus, quia non tantum facilè ob laxitatem recipiunt humorem melancholicum, ſed etiam quia ea capite & utero, ubi ejuſmodi ſanguis repurgatur, huc facilè affluere ſolet. Principia obſcura ſunt, laterque ſæpè multo tempore malum, aliquando cum dolore & calore inſtar candentis acus aliquando dolore nullo, imprimis lentis ciceriſque, tum fabæ, juglandis & ovi magnitudine, dum tandem ut ait Fern. in ampliorem molem excreſcat. Oritur

Cauſa Cancri. à bile nigra ea Gal. 2. de criſ. c. 12. & l. de tumor. p. n. c. 7. & quidem à præternaturali, ut habet idem Gal. 3. de ſympt. cauſis c. 2. dum ait, ſi atra bilis, quæ videlicet præternaturalis eſt, redundat in toto corpore, fieri elephantiaſin; ſi autem in una aliqua parte, cancrum; Alii tamen volunt, eum fieri à melancholia aduſta; alii à bile fervefacta &c. Quicquid ſit, aliquando bilis hæc mitior eſt. facitque cancrum ſæpè latentem, aliquando acrior & calidior, quæ ſtatim ſe prodit ulceratque partes ſubjectas. Cauſæ externæ ſunt alimenta vitioſa, calida & craſſa, tum reliquæ res non naturales ut animi paſſiones &c. Internæ ſunt ſuppreſſi menſes, obſtructæ hæmorrhoides, intemperies Epatis nimis calida, quod proinde vel ob inſitum calorem exaurit & exurendo gignit bilem atram ut ait Gal. l. 2. ad Glauc. c. 10. vel ob imbecillitatem lienis, qui cum non attrahat humorem melancholicum, dat anſam aſſationi. Via tamen malignus eſt hic affe-

Non omnis affectus venenoſus eſt contagioſus. ctus, id eſt, contagioſus ut docet experientia, ſed venenoſus, quia humor ex ſe vitioſus eſt, contrahitque majus venenum cum aſſatur & corrumpitur.

Varix quid. DICO 2. *Varix* eſt immodica dilatatio venæ, ut plurimum in cruribus conſpicua. Dicitur dilatatio venæ, quia affectus eſt huic membro propria. Cum enim multo ſanguine craſſo & melancholico repletur, pars aut nigra aut livida conſpicitur, adeòque tumet quamvis ſine peculiari dolore. Oritur ex concluſione. conatu, labore & ſæpius ex plethora, quemadmodum in fœminis gravidis fieri obſervamus. Huic conſimile eſt *Aneuriſma*, quod eſt dilatatio arteriæ ſicut il-

Aneuriſma. la venæ, ex ſanguine ſpirituoſo melancholico. Accidit imprimis in partibus externis circum jugulum & pectus, in manibus & pedibus. Deinde in internis, maximè ſub pectore, circà lienem, meſenterium aliaſque partes, in quibus vehementi pulſatione fatigat. Quæ de carneis excreſcentiis dici poſſent, ea vel exigua ſunt, vel apud alios breviter & clare habentur: Nam ſi ejuſmodi tuberculum in ano emergat, ficus dicitur, ſi in naribus contuſis, polypus; ſi in gingivis ad dentium radices, Epulis; ſi denique in male curatis ulceribus, caro quædam excrementitia.

DIFFICULTAS X.

De tumoribus aquoſis & flatulentis.

HI affectus ſub alia ratione morbi ſunt, ſub alia ſymptomata; Nam ſub indecenti & præternaturali magnitudine corporis ſunt morbi vitioſæ compoſitionis; Qua verò ſequuntur obſtructiones & intemperiem frigidam, ſunt è genere ſymptomatum potentiæ nutrientis. Pertinent autem ad hos tumores hydrops ejuſque ſpecies ramea aquoſus & flatulentus, de quorum eſſentia & cauſis.

DICO primo, Hydrops in genere deſcribi ſolet, quod ſit moles quædam præternaturalis corporis, ex cruditate & imbecilla concoctione viſcerû, tum ex ſeroſo humore vel flatu etiam in abdominis ſpatium aut ſimul in reliquas muſculorum cavitates affuſo contracta. Explicantur breviter ſingula. Dicitur primo moles p. n. abdominis totiuſque corporis, quia ſecluſis aliis tumoribus comprehendit 3. illas notiſſimas ſpecies Hydropis, videlicet anaſarcam, aſcitem & Tympanitidem. Prima dicitur Anaſarca, id eſt, ſubtercutem, quia in hac totum corpus ſenſim æqualiter intumeſcit, indeque molle, laxum, pallidum & robore diſſolutum hebeſcit; ſuccedit cachexiæ quæ ad eam gradus quidam eſt, unde etiam non aliter differunt niſi ſecundum magis & minus, habentque unam & eandem cauſam, quæ eſt immodica Epatis & venarum refrigeratio partim à cauſis externis evidentibus, partim à liene, ventriculo, meſenterio aliiſque partibus concoctioni ſubſervientibus contracta. Secunda dicitur Aſcites, quam Fern. cap. 8. de lienis & Epatis ſymptomatis definit diſtenſionem abdominis ex ſubdito aquoſo ſeroſoque humore; Materia hujus affectus aliquando ſub abdomine tota concluditur reliquo corpore quaſi marceſcente, aliquando in pedes, thoracem, uterum, ſcrotum, aliaſque cavitates ſibi viam quærit; differt ab anaſarca primo, quod non ex ſola viſcerum nutritioni ſervientium refrigeratione nec ex ſola cruditate ducat originem, ſed maximè ex ſoluta unitate vaſorum quibus humores

Hydrops quid. *Species Hydropis. Anaſarca.* *Aſcites.*

conti-

contineri solet. 2. quod in anasarca crudus humor mediantibus venis in omne corpus excurrat, illudque debilitato sensim calore nativo impleat; in ascite verò solus humor serosus sine sanguine per partes ruptas, hiantes, fissas aut quovis modo discontinuas in spatiū abdominis sese effundat; unde & illi ut plurimùm his affectibus subjecti sunt, qui ruptis vel exesis viscerum venis sæpius affliguntur vomitionibus aut dejectionibus cruentis, quia perit paulatim calor nativus, gignitur que serum, quod per partes discontinuas facilè in obvia spatia effunditur. Tertia dicitur Tympanitis, quæ sic dici solet quia abdomen multo & copioso flatu intrà suam capacitatem concluso distenditur, & veluti Tympanum tinnit; Huius causa communis est cum reliquis, cruditas scil. & imbecilla concoctio, nisi quod hic multi flatus accedant, qui in ventriculo & intestinis cohibiti viam quærunt, & per cæcos meatus in spatium abdominis devolvuntur. Dicitur 2. contracta ex eruditate & imbecilla concoctione viscerū, quia ex hac utraq; gignitur serosus humor & flatuum copia, qui imediatè abdomen replent & distenduut, vel etiam in reliquum corpus diffusi illud attollunt & in molem p.n. augent. Generatio itaque humorum serosorum & flatuum est ab intemperie viscerum & depravata concoctione; Collectio verò eorundem in spatio abdominis à soluta viscerum unitate.

Tympanit.

DICO 2. Hernia sive ruptura & ramex flatulentus & aquosus est tumor p. n. ab illapsu flatuum & humoris aquosi in scrotum, actiones lædens. Dicitur imprimis quod sit tumor sive affectus p.n. quia est morbus partim solutæ unitatis partim vitiosæ conformationis; Nam sive rumpatur sive dilatetur peritonæū, sit ejus solutio, sequiturque ex flatuum sive humoris aquosi collectione morbus in vitiosa magnitudine. Et hinc dicitur 2. ab illapsu flatuum & humoris aquosi in scrotum, ut designetur causa proxima & continens, tum locus & membrum quod occupet affectus; Nam causa conjuncta sunt flatus & humores, antecedens autem est dilatatio vel ruptio peritonæi, & hæc utraque fit tam à causis internis, v. g. ab humoribus & flatibus qui intrà corpus continentur, quàm ab externis, cuiusmodi sunt percussio, clamores, saltus, labores, motus, exercitia &c. Porrò per illapsum humorum & flatuum in scrotum designatur discrimen & contradistinctio ab aliis rupturis; Nam sicut humores & flatus, ita etiam intestina, omentum & sanguis in scrotum delabuntur, ut proinde si intestina rupto peritonæo descendant, intestinalis; si omentum omentalis; si sanguis & hic demum concrescat, carnosa; si venæ eo in loco varicum instar repleantur & distendantur, varicosa; si denique lacerato umbilico vel intestina vel flatus sub cutem promineant, umbilicalis dicatur. Dicitur 3. & ultimò actiones lædens, quia sive rumpatur sive dilatetur peritonæum, gignitur affectus præternaturalis, quo laudabilis actionum vitalium administratio corrumpitur.

Hernia.

Hernia species.

DIFFICULTAS XI.

De pustulis earumque causis.

ETiam hæ tumoribus annumerari solent, esto sint plerunque cum excoriatione cutis & partium carnosarum. Vt itaq; pauca de earum natura & causis dicantur.

Suppono, omnes pustulas, quas hactenus tota Medicorum schola observavit, magnâq; ex parte græcis nominibus indigitare solet, esse psydracia, epinictidem, phlyctæne, ecthymara, ephelidem, hydroam, herperem, scabiē, pruritum vel pruriginem, lichenem, psoram, lepram, clavum, callum, omniaque verrucarum genera. Iam

Pustularū species.

DICO primo, pustula est tumor in cute leviter protuberans. Dicitur tumor extuberans loco generis, quia prominentiam in cute habet communem cum omnibus tumoribus. Quod autem dicatur leviter prominere, id rationem habet differentiæ, præsertim si intelligatur hanc eminentiam cutis tantùm esse, & non partium interiorum, prout constat esse tumores magnos, qui plerunque in partibus profundioribus existunt. Neque dicas, pustulam semper esse eum erosione, quia respondetur, hanc illi esse per accidens; Deinde considerari hic pustulam in ratione tuberculi vel prominentiæ, non erosionis.

DICO 2. variæ reperiuntur pustularum differentiæ apud Authores; Nam imprimis aliæ sunt à sanguine ut Epinyctis, quę licet sit nullę malignitatis particeps, est tamen cum magna inflammatione & ingenti dolore, ideoque etiam habet speciem carbunculi & causam similem; Et huius generis sunt ecthymata & Terminthus. aliæ sunt à bile flava, ut phlyctænæ, quæ ob ferventissimum humorem à quo gignuntur, ignis sylvester appellantur; cum herpes miliaris & fera, impetigo, cuius est aspera sive dura cutis & sicca cum ingenti prurigine, eiusque species lichen, psora & lepra, quæ velut gradus quidam sunt ad summam malignitatem, seu lepram. Deinde sunt aliæ pustulæ malignæ & venenosæ, ut quæ in carbunculis, anthracibus & lue venerea erumpunt; aliæ sunt benignæ omnique veneno carentes ut scabies communis. Adhæc aliæ sunt cum dolore ut Ephelides, quæ pustulæ sunt in ambitu rubræ ac fervidæ cum dolore; aliæ sunt absque dolore quidem, sed semper vel ut plurimùm cum prurigine, ut scabies sicca sive humida, quæ est asperitas cutis seu levis exulceratio pruriens. Insuper aliæ sunt paulò maiores, ut Ephelides, aliæ exignæ & aquosæ, ut sudationes, quæ sparsim toto corpore, sed maximè in pedibus & manibus milii magnitudine aqua plenæ sine rubore & dolore emergunt. Denique aliæ sunt pustulæ, quæ

Differentia.

ruptæ vel humorem vel saniem vel pus emittunt; aliæ autem quæ cum rumpuntur, nihil humoris profundunt; Inter siccas numerantur omnia verrucarum genera, quæ licet mole sint exiguæ, in morbis tamen habentur, quia fœdæ sunt ac plerunque molestæ; Tales sunt verruca pensilis, verruca sessilis, clavus, callus &c. Humorales sunt sudationes, quæ fiunt ex sudoribus sub Epidermide detentis, per cuius spiracula digeri non possunt, tum aliæ in ambitu majores & rubræ ideoque dolorosæ cum vesicula in medio, quibus ruptis scabies succedit, quia videl. fiunt ex fervido & impuro sanguine sub cutem effuso. Vt tamen earum pustularum quæ pejores & malignior es sunt, & communiter lepra dicuntur, aliquantò fusior habeatur cognitio, ideircò sequitur.

DIFFICVLTAS XII.

Quid sit lepra & quæ ejus causæ.

Lepra. HÆc à nonnullis dicitur lues elephantica, quod infectotum hominum aures patulæ sint & latæ, verèque alarum instar aures elephanticas exprimant. Lepra dicitur ab Arabibus ob cutis scabritiem, quæ Græcis lepra dicitur; Differt tamen hæc græcorum lepra quam etiam psôram vocant, non parum à lepra Arabum, quæ propria est lepra homines que facit leprosos, quia levior est illa & benignior, quamvis æquè incurabilis, aut sicutetur, eâdem plerunque malignitate redeat, et proinde non mirum, si aliquando hæc vitia confundantur, & propter cognatos affectus etiam iis imponant, qui judiciis & examinibus præficiuntur.

Lepra quid. DICO primo lepra seu elephantiasis est morbus venenosus sive contagiosus, in terrena substantia fundatus, per summam cutem efflorescens & totius naturam immutans. Loco generis est morbus contagiosus, quia acquiritur à parentibus omnique contactu ut febres malignæ, dysenteria, scabies &c. cætera sunt loco differentiæ. Nam dicitur 2. in terrena substantia fundatus, quia subjectum primum est terrestris & melancholicus humor, qui utplurimum malignam qualitatem vel per corruptionem vel per communicationem alterius infecti corporis acquirit, eamq; toti sanguini & singulis visceribus imprimit, præcipuè autem ventriculo, lieni & epati, quæ inquinata consimilem malignitatem in subsequentibus homorum generationibus, tum ejusdem naturæ succum terreuum producunt, futurum in toto corpore huius affectus stabile fomentum & nutrimentum. Dicitur 3. in summa cute efflorescens, quia quamvis ab internis humorum dispositionibus fiat, extrinsecus tamen vel maximè conspicua est. Statim enim atque hominem invadit, vividus perit color, cutisque jam flavescens, jam nigricans, jam albescens apparet, maximè autem consequitur durities & scabrities in facie, in manibus & pedibus, quò aliàs natura fortior sua solet deponere excrementa; succedunt paulatim stupor & frigus, intumescentia, tubercula in articulationibus, rumores lividi, crustulæ nigræ & cruentæ, defluxio pilorum, inversio labrorum &c. quousque tandem horrenda omnium partium accedat deformitas. Nam ubi formatus est morbus, dehiscunt siccitate digiti pedum & manuum, unguesque finduntur, arescit cutis totius corporis; fœdâque scabie exasperatur, liquescit caro musculorū, perit sensus, raucescunt fauces & guttur, fœdet exhalatio, impeditur respiratio, totumq; corpus & imprimis nares, gingivæ, fauces, & articulorum cavitates sordidis & virulentis ulceribus per gravissimā putrefactionē inductis contaminantur & excavantur. Dicitur deniq; totius naturā immutans; quia vitioso nutrimento & humoribus malignis tota viscerum complexio evertitur, ut liquet ex dictis. Quod si de causis & modo contrahendi hanc labem quæras; Respond. & *Effectus lepra vel signa.*

DICO 2. Lepra contrahitur vel à parentibus, id est, à prima conceptione, vel à contactu, vel sponte propriâq; internorum humorum dispositione. Si ab ortu vel à parentibus, tum causa referenda est non in vim formatricem, quæ corpus connaturaliter & juxtà requisitum partium ordinem format, sed in impuritatem seminis, quæ cum in Embryonis structura non exhalet, ita quamcunque partem solidam sive spermaticam afficit, prout ipsa in se affecta est. Huc itaque spectant parentes leprosi & concubitus menstruatus, quod tamen rarissimè & non nisi in fœminis valdè impuris insignique mensium malignitate vel corruptione laborantibus. Si à contactu, tum nulla re alia opus est, quam communicatione vel productione malignitatis in novum subjectum, quemadmodum constat pestem v.g. & aliom quemcunque morbum malignum produci in alieno subiecto vel per novam qualitatem malignam vel per ejusdem cum vapore receptionem. Et huc referri possunt concubitus; vitæ consuetudo, lectus, vestes &c. Si denique proprio corporis & humorum vitiorum plurimum atræ bilis exuperat, quæ sensim præsentibus aliis ad hunc affectum debitis dispositionibus per varias alterationes novasque corruptiones malignitatem contrahit, ut quotidie fieri videmus in iis, qui pestem, aliosque morbos malignos sponte & proprio corporis vitio absque ullo contagio contrahunt. Et huc pertinent, quibus menses vel hæmorrhoides aliæque consuetæ evacuationes supprefsæ sunt, quique prava victus ratione ad generandam flavam bilem & atram conducente utuntur. Ex omnibus autem colligitur, non facilè pueros aut adolescentes sponte hanc luem incurrere, quia non prædominatur in iis temperatura aut complexio sicca ut in melancholicis & ad senium deflectentibus, sed calida & humida. *Causa lepra.*

DIFFI-

DIFFICVLTAS XIII.

Quid sit lues venerea.

Etiam hic affectus videtur commodè ad hanc disput. referri posse, quia utplurimum est cum pustulis per quas cum frequentissimè innotescit. Est malorum nō maximum quidem, nihilominus tamen turpissimū portatque panem suo commisso sæpè dignissimū. Europæ non nisi priori seculo innotuit, cum per Hispanos milites ex India Orientali sub Emanuele Lusitaniæ Rege allata quaquaversum inter Christianos, & tum maximè inter Gallos in expugnando regno Neapolitano sub Carolo octavo Francorum Rege sparsa fuit. Iam

Lues venerea. DICO, lues venerea vel gallica vel Neapolitana est affectus turpis, contagiosus cum ulceribus, pustulis & tumoribus ubique in corpore emergens, contractus ex venere. Per ulcera, pustulas & tumores non intelligitur semper necessum esse, ut conjunctim & in omni lue venerea reperiantur, sed sufficere vel tumorem aliquando, vel exulcerationem, vel loco huius internarum membranarum distensionem absque pustulis & tumoribus, ut patet in multis qui ingentes membrorum dolores nulla ex causa manifesta patiuntur, nec ullis unquam mediis, nisi quæ huic lui competunt, restituuntur. Dicitur itaque primo, affectus turpis, vel quia est frequentissimè à causa turpi, vel quia mirè deformat hominē, facitq; aliis odiosum & despicabilem. Dicitur 2. contagiosus, quia per hanc luem non pustula tantum, scabies aut tumor summa cute emergens, nec aliqua simplex intemperies intelligitur, sed insuper aliqua maligna qualitas & occulta, quæ connaturalem constitutionē evertit; Et ideò dicitur contagiosus, quia per contactum transit ab uno subjecto in aliud, & quidem per solum contactum, quod nulli cæterorum affectuum in humano genere accidit; Nam alii morbi contagiosi per internas dispositiones absque ullo contactu in pluribus gignuntur, quod in lue venerea nonquam fieri experientia docet: Est maximè contagiosus, quia tarò quisquam ab eius reali contacto evadit liber, quod non fit in febribus malignis, quæ licet majoribus viribus vitæ principium oppugnent. Dicitur 3. cum ulceribus, pustulis & tumoribus emergens, quia hi sunt effectus huius morbi non præcisè per vim acrem & mordacem sed per aliam occultè superadditam producti, quæ ceu vermis rotum rodit hominem & ad marasmum eum ingētibus doloribus & cruciatibus dedocit, nec cessat aut abit sponte, nec tollitur nisi unico suo antidoto. Dicitur 4. contractus à venere, impura scil. & vitiosa, ut designetur omnis ejus causa principalis; Nunquam enim hoc malum invadit hominem nisi per actum impurum veneris aut alium contactū, nō quemvis sed æquivalentem, proindeque non facilè fides iis adhibenda est, qui, cum hoc turpissimo malo corrupti sunt, aliis conantur balneū, lectum, secessum, vestes, comessationes & id genus alia persuadere, ut scil. suam infamiam occultent, & quod summoperè intendunt, innocentes habeantur. An tamen apud Indos, ubi hoc malum est communissimum, ex solo contactu, an verò etiam ab aliquo sydertum influxu, vel certè ab aliqua causa corporis interna, nimirùm à peculiari humorum dispositione producatur, dubium est; Et videtur probabilius esse, serpere hunc affectum ipsis Epidemicum & regionalem utroq; modo, quemadmodum apud nos facere solent morbi maligni, ad quos producendos præter contactum & corporum dispositiones concurrunt ipsi quoque cæli & eorum astra. Interea verùm est & indubitatum, nunquam hactenus aliquem Europæum hanc luem nisi ex alio infecto hausisse, quod de nullis aliis affectibus malignis dici potest, ut qui seipsis etiam ex peculiari humorum corruptione interna frequentissimè producuntur.

DIFFICULTAS XIV.

Quid sit malum scorbutticum.

Hoc in locis septentrionalibus, maximè verò in locis maritimis inter mortales dominari solet, quos etiam variis symptomatis affligit, ut præcordiorum angustia, crurum debilitate, gingivarum cruento tumore, laxitate, pruriginosa rubedine & dolore, colore pallido & fusco, oris graveolentia, dentium vacillatione, plumbeis crurum maculis, lassitudine, inappetentia, fluore alui, febre lenta, atrophia, hydrope &c. Et de hoc malo quæritur primo quid sit; 2. an contagiosum; 3. an veteribus cognitum fuerit. 4. quæ causæ tot accidentiū.

DICO primo, Scorbuttus est affectus p. n. & malignus, septentrionalibus & maritimis incolis communis, varias corporis partes exulcerans, totamque naturam corrumpens, in succo melancholico fundatus. *Scorbuttus.* Dicitur imprimis quod sit affectus p. n. quia spectat ad intemperiem partim calidam, dum eum comitatur febris lenta, partim frigidam, dum calor nativus in primariis visceribus vehementer corrumpitur; spectat etiam ad solutam unitatem, ut ostenditur ex partibus variis exulceratis; & denique ad deformationem ut manifestant tumores, ulcera, hydrops, color &c. Dicitur 2. affectus malignus, quia est mali moris, ut patet ex ejus symptomatis; Contagiosus tamen non est, sed tantum malignantis naturæ, quæ in corpus & subjectum proprium ferox est non in alienum, cuiusmodi efficaciam habent morbi propriè maligni. Dicitur 3. maritimis & septentrionalibus communis ad differentiam aliorum affectuum malignorū, qui indifferenter ubique corpora corripiunt, ut lepra, cancer, lues venerea &c. his populis autem ideò communis est, quia utuntur omnes eodem victu & aëre vitioso, habentque causam communem, unde etiam affectus & morbus communis sive Endemius dicitur, *Morbus Endemius vel etiam Sporadicus.*

quia

quia nimirum omnes eundem ex eâdem causa contrahunt, quamvis nec malè à quibusdam Sporadicus etiam dicatur, quia vagatur per familias, domos & districtus liberrimè. Dicitur 4. varias corporis partes delicatiores exulcerans totamque naturam corrumpens ut paret in enarratione symptomatum, à quibus tota suppositi complexio, vigor, & quicquid inest virium, opprimitur; Nascitur enim angustia præcordiorum ex obstructione lienis & totius mesenterii; Color faciei ex pallido fuscus est propter abundantiam humoris & succi melancholici per universum corpus effusi. Crurum tumores vel maculæ & pustulæ sunt propter humorem ad ea loca debilia & extrema depositum. Motus impotentia vel debilitas est propter eundem humorē ad musculos, membranos, nervos & totos articulos delatum. Exulceratio gingivarum fit à summa humorum acredine; hydrops est ab obstructis malèque affectis visceribus hypochondriorum, tum præcipuè à suppresso calore nativo; de cæteris symptomatis idem intellige. Dicitur ultimò, in succo melancholico fundatus, ut designetur materia, ubi velut in subjecto hæc vitiosa & maligna qualitas existat, non quidem in succo mel. simplici sed multifariam corrupto. Hinc

Symptomatum causa.

DICO 2. causa primitiva & extrinseca est victus melancholicus, crudus, salsus, viscosus, sicut & aqua similis, aër crassus, corruptus &c. proxima autem & continens humor & succus feculentus, melancholicus, tetrestris. Nam ex cibis crudis, salsis, quique generant copiosam melancholiam, ex aqua item & aëre crasso, corrupto &c. quæ omnia reperiuntur apud septentrionales & maritimos quique multo tempore mare navigant, facilè gignitur sanguis feculentus, aduritur succus melancholicus tetrestris, fiuntque obstructiones pertinaces verarum mesaraicarum & lienis, quibus in locis omnis humor dum longius subsistit corrumpitur, & malignantis naturæ qualitatem tot symptomatum procreatricem contrahit, ut fusè apud Forestum & alios videri potest. Facile autem est ex his colligere, quare tam rarò vel nunquam apud nostros Austriacos hisque vicinos populos huiusmodi affectus reperiatur, quia videl. non utuntur eo victus genere, v. g. alimentis salsis, fumigatis, crudis, melancholicis, nec habent aërem tam crassum, corruptum &c.

DICO 3. probabile videtur, hunc affectum quoad rem & naturam fuisse majoribus nostris cognitum. probat. id ex communi medicorum consensu: Quæ enim Plin. l. 25. c. 3. de stomacace & scelctyrbe, Strab. item l. 16. suæ geographiæ, Avic. can. 3. fen. 13. tr. 2. c. 5. de signis apostematum lienis, & alii de magnis lienibus eorumque symptomatis scripserunt, ea non incongruè Medici ad hunc affectū scorbutticum referre solent. De his autem omnibus vide Baldu. Ronsseum in comment. suo de scorbutto, ubi inter reliqua docet, scorbutum proximè accedere ad ea quæ Hipp. de magnis lienibus scripsit.

Colligitur, & scorbuttum & aërem plagæ septentrionalis in ordine ad hunc affectum dici posse contagiosum, non quod formaliter qualitatem scorbutticam sicut pestis malignitatem pestilentialem contineat, sed quod plurimum, si accedat depravatus victus, ad eum producendum conducat.

DIFFICULTAS XV.

De Arthridite.

ARthritis hæc de qua plena sunt Medicorum volumina, duplex est, una spuria, altera vera & legitima, habetque se ut dispositio & habitus, quia prior ex mitiori sæpè humore vel etiam ex flatibus solet per modum transeuntis occupare articulos eosque dum satis vagata fuit, rursum deserere nec unquam redire, quia lambendo quasi extrinsecus partes dolorem infert & debilitatem, tum in auras vel citius vel tardius evanescit, neque facilè redit nisi dum in alteram degenerat; Et hæc quia stabilis est, quia intimè articulum penetrat & in minimis particulis radices figendo temperamentum totamque structuram vehementer infringit & labefactat, longè difficilior est, dolorosior & diuturnior, quia gravissimè in utrumque sexum sævit, & mirum in modum sæpè delicta juventutis vindicat. Vocatur abusivè podagra, melius autem arthritis, quia illa tantum species pedibus, gonagra genibus, chyragra manibus &c. convenit. Difficultates circà hunc affectum sunt prima, an morbus sit vel symptoma. 2. quæ ejus origo & causa. 3. an contagiosa. 4. an conveniat solis articulationibus. 5. an curabilis. Cætera vide apud Medicos.

DICO primo, Arthritis est affectus p. n. articulos affligens, adeoque non symptoma sed verus & realis morbus; Nam est ens per se existens, sequiturque immediate causam morbosam, de qua infrà, & quod nulli symptomatum convenit. Deinde arthritis consideratur velut est intemperies, vel ut tumor, vel ut divulsio, ergo morbus est & non symptoma. Dicitur autem affectus p. n. quia hæc est formalis ratio morbi, qui partem occupat sicut arthritis quæ ut constat consistit in intemperie, in tumore & divulsione vel vitiosa compositione articuli, quem proinde affligere dicitur. Quod si tamen quis affectum hunc symptoma dicat doloréq; appellet, prout mul ti faciunt Medici, per me licet; sed per hoc nō explicant eius naturam, quia dolor est tempore & natura posterior ipsâ p. n. constitutione articuli &c.

DICO 2. prima origo vel conditio arthritidis est ut plurimùm peculiaris dispositio & debilitas articuli. Ratio est, quia semper proniores sunt partes debiles ad recipiendos humores

res excrementitios eosque minus discutiendos; sed & natura ex se magis protrudit excrementa ad partes debiles, quod & ratio suadet & experientia testatur, ergo hæc debilitas requiritur velut quædam peculiaris dispositio & conditio ad futuram arthritidem. Dixi tamen utplurimùm, quia etiam sine morbosa dispositione articuli possunt copiosæ humorum congestiones vetam alicubi arthritidem gignere. Quod si quæras primo, in quo consistat debilitas hæc articuli, 2. à quibus causis fieri soleat. Respondetur ad primum, consistere in quadam constitutione vel morbosa vel neutra, quia nec in una nec in altera possunt actiones connaturales debito modo elici & administrari; ad secundum respondetur, causam huius debilitatis vel esse à principio intrinseco vel extrinseco. Si primum, erit primaconformatio à vitioso parentum semine, quia plerunque transfundunt parentes ex suo semine quasdam dispositiones morbosas quas hæreditarias vocamus, in filios, inter quas etiã arthritica numerari potest; Et huc spectant vita otiosa, luxus, errores in victu, potu, cæterisque rebus non naturalibus. Si secundum, erunt omnes injuriæ externæ ut frigus, contusio, divulsio &c. Hic tamen adverte, multa accidere in affectu podagrico, quæ explicatu difficilia sunt, videl. quod multi quorum parentes fuerant podagrici, nullo ejusmodi malo unquam in vita afficiantur & contrà, licet utrinque non committantur ii errores, quorum incursus & injuria possit illud invehere; similiter quod nonnulli aliquot annis podagricos dolores senserint, qui tamen sponte cessent nec unquam redeant. Rursum quod multi sint debili artuum constitutione, & perpetua humorum è capite defluxione infestentur, nunquam tamen articulari hac passione tententur, & alii contra &c. Ex quo solo patet, quam difficile sit in horum omniũ cognitionem venire, nisi totum id in occultum quid, vel in peculiares corporis individui dispositiones, circa quas occupatur Medicus, referamus. Neque sufficit dicere, veram materiam podagræ esse salsam & serosam tartarei humoris mucilaginem, quæ non ubique reperiatur; quia resp. incertum esse, an hæc eadem materia tartarea etiam hic reperiatur, & qualis illa sit natura, quæ arthriticos dolores faciat.

DICO 3. post morbosam articuli constitutionem, quæ primis annis levior est, successivis autem gravior, causa proxima & immediata non est solus humor defluens à cerebro, sed qui sensim etiam in articulo ex alimenti residuo colligitur. Est hæc conclusio contra Fernel. aliosque complures Medicos, qui omnem causam materialem è capite derivant vel certè è visceribus abdominis. Sed prob. conclusio primo, sæpè affliguntur hoc affectu & senes & juvenes, qui sicco sunt cerebro, nec quicquam defluxionis inde advertunt, ergo non omnis arthritis est ex cerebro. 2. multi ex ita aliisq; passionib9 & causis incidunt subinde in dolores podagricos absq; ulla humorum defluxione è cerebro. ergo. 3. sæpè materia in arthritide eiusque speciebus est calida & cum inflammatione, ergo non ea quæ ex capite defluit, cum hæc utplurimùm sit serosa & frigida. 4. quando sunt causæ proximiores & manifestiores, non recurrendum est ad remotiores; sed illas habemus in arthritide, ergo. min. prob. quia causam sufficientem quæ proxima & continens est, habemus residuũ ex alimento quod copiosius ad membrum debile attrahitur, negligentius concoquitur & imperfectius distribuitur. Et quorsum illud quod non cadit in nutritionem vel in substantiam aliti? non evaporat, quia in loco debili meatus sunt reclusi; nec in habitum resolvitur, quia deficit calor; sed nec ad partes firmiores impellitur, quia harum munus est omne recrementum ad debiles evomere: sensim itaq; materia in articulis colligitur, quæ tandem corrupta vel se sola vel aliis affluxibus addita articulos tantoperè excruciat. Quod si dicas, semper podagricos præsentire eas defluxiones. Resp. id simpliciter falsum esse; quod si tamen id eveniat, dicendum est, sæpè ad giguendos hoc dolores concurrere simul defluxiones è capite; Cumprimũ n. materia in articulo collecta ebullitione seu fermentatione commovetur & torqueri articulus incipit, turbãtur humores proximi, partesq; singulæ quibus aliquis inest sensus, cum suis potentiis & facultatibus consentiunt, adeoq; ad hos articuli dolores, ubi tot nervi, venæ, arteriæ, tendines aliæq; partes sensiles patiuntur, ipsum simul cerebrum quod basis est & fundamentum omnis substantiæ nervosæ, necessariò commovetur. *Vera causa podagræ.*

DICO 4. Arthritis per experientiam contagiosa est; videtur hoc multis non satis probabile, quia non facilè constat, quidnam sit illud, quod ab arthritico membro homini etiã sanissimo per contactum communicetur, aut in eo tam efficacem imprimat actionem; Neque enim consentaneum est, in parte affecta tam potentem latere qualitatem, quæ sensim per contactum omnem hominis sani complexionem adeò infringat, humores è capite commoveat, & hunc dolorosum affectum ultrà vires suas producat, cum constet omnem qualitatem contagiosam vel esse malignam vel acrem & mordacem, vel denique existere in subiecto corrupto & putrilaginoso, quorum nihil in membro arthritico reperiatur. Sed his non obstantibus attestatur quotidiana experientia, à podagricorum calceis, tibialiis, vestibus & liberiori consuetudine vivendi multos hoc eodem malo corripi & contaminari, cuius fortè ratio erit, etiam ab articulo affecto exhalare corpus quoddam humidum, lentum, viscosum & corruptum, quod calceis, vestibus lectisque pertinacius adhærescat, & proximum eâdem malignitate contaminare vim habeat; si tamen & hic corpus habeat ad hunc affectum sufficienter dispositum.

DICO 5. morbus hic in sola articulatione existit,

existit. Probatur ex vi nominis, quia ideò dicitur arthriticus, quod in artubus, ubi ossa connectuntur & partes omnes maximè sensiles coëunt, existat, quamvis ad partes proximas se quoque extendat, ut apparet in iis, quibus in collo aut maxillo laborantibus totum etiam affligitur caput & cerebrum; Et confirmatur, quia affectus dolorosus est, diuturnus, motumque omnem vel tollit vel impedit, quod non fieret si extra articulationem existeret. Non tamen quævis humorum defluxio ad articulum gignit arthritidem, ut videmus in multis pedum manuumq; tumoribus, quia imprimis non adeò hi penetrant totum articulum ejusq; singulas partes, sed tantum extima tendinum, ligamentorum, membranarũ & nervorum afficiunt; Deinde quia vel sunt ex materia frigida, insipida, aquea, quę non corrumpit, vel ex calida quæ citò in abscessum desinit; Illi a. qui intimè articulo impacti sunt, verumque dolorem arthriticum efficiunt, sunt corrupti, salsi, acres, mordaces, vellicantes &c. quæ etiam sola ratio videtur esse sufficiens, cur non solæ defluxiones è cerebro gignant arthritidem, quia videl. sunt naturæ benignioris nec intimè penetrant articulum, & quia hic dum integer est, facilè se ab huiusmodi injuriis tuetur & conservat.

Colligitur, ad arthritidem opus esse, ut materia quę hunc affectum facit & gignit, minutissimas & insensiles articuli partes occupet, adeoq; sensim in eo ex alimenti residuo colligatur, quod de alia quacunq; humorum defluxione dici non potest. Cæterùm an podagra curabilis sit, vide infrà disp. 19. de præsagiis signisq; medicis diffic. 12. Nam cum affectus arthriticus sive podagricus non consistat in congestione materiæ morbosæ, nec in affluxu alicuius humoris, nec in huius ebullitione aut fermentatione, nec in dolore, nec etiam propriè & primariò in intemperie aut tumore aut divulsione, sed realiter & formaliter in eversa destructa vel labefactata sive majori sive minori integritate totius articuli, quæ consistit in laudabili primarum qualitatũ temperie, debita partium unitate, & justa earum compositione, huiusmodi a. constitutio restitui non possit ab ullo agente creato, manifestum est, nec hunc affectum ullis remediis naturalibus esse curabilem, quia restituere non possunt integritatem substantialem articuli, quæ plus minusve sublata est.

DIFFICULTAS XVI.

Qui meatus conferant ad morbos.

MEatuum depravata constitutio facit morbos compositionis, quia in his actiones quæcunq; vitiosè administrantur, sicut è contra benè, si naturaliter se habeant. Nam opus habet imprimis homo meatu ad stomachum, ut cibum dentibus in ore contritũ deprimat; Et ventriculus ipse non tantum capacitatem intra se se requirit, ut cibum & potum adeoq; omne indigestum alimentum concoquat, sed insuper aliquod orificium, à quo chylum in venas meseraicas effundat indeq; ad officinam sanguinis quæ omnium consensu epar est, transportet. Et quot non viæ, meatus ductusque ab epate ad singula membra & viscera nutrienda, à cerebro ad cunctas partes sensu motuq; irrorandas, à corde ad universum corpus calore fovendum & forma animandum? Hoc solum in quæstionis formam proponitur, quomodo affecti sint meatus corporis qui vel sanitatem efficiant vel morbum.

DICO 1. meatus corporis nimis ampli non conferunt ad actiones singulas benè & perfectè administrandas: patet hoc imprimis ex constitutione corporis, cuius conformatio laudabilis est ad sanitatem imprimis necessaria. Et prob. 1. quia in ejusmodi constitutione corporis, ubi meatus ampli nimis sunt, plurimùm deficit vis retentrix, cum nec spiritus & calor nec humores alimentales facilè retineri possint, sed in alienas partes diffluant, ergo meatus hi vitiosi sunt, & nequicquam conferunt ad sanitatem, Id quod prob. 2. ab experientia, quia videmus dum copioso & flatulento sanguine dilatantur venæ, generari varices, laxo ventriculi orificio chylum crudum incoctumq; effluere, in pupilla oculi nimium ampla deficere visum &c. Adverte autem, per meatus intelligi vias & ductus venarum, arteriarum & nervorum; similiter cavitates viscerum v. g. œsophagi, pectoris, ventriculi, intestinorum, ureri, vesicæ &c. Rursum poros interni corporis, quos vapores, spiritus, sanguis & humores tam alimentales quam excrementitii penetrant.

DICO 2. nec meatus angustiores conferũt ad sanitatem hominis conservandam. Ratio prima est, quia facilè obstruuntur, præsertim à materia crassiori & frigidiori. 2. quia calor nativus facilè corrumpitur & suffocatur. 3. quia prohibentur evaporationes & ventilationes calidorum & adustorum habituum, qui deinde in cordis substantia facilè febrem accendunt. 4. quia spiritus non liberè penetrant nec faciunt corpus vividum & vigorosum, ergo verum est, meatus angustos non conferre ad sanitatem: sunt autem huic vitio subiecti ij, qui frigidioris existunt temperamenti, quiq; sunt crassi & obæsi ut spadones & mulieres, qui etiam ob angustiam asperæ arteriæ cuius dilatatio à calore vigoroso pendet, canoram habent vocem; Et qui hac meatuum dispositione laborant, facilè affliguntur flatibus, arenulis, calculo, urina crassa, sabulosa, obstructionibus &c. *Unde vox canoram fem. & spadon.*

DICO 3. optimi sunt meatus, qui mediocritatem servant, eoq; loci ubi necessitas postulat, ampliores sunt vel angustiores. Ratio est, quia imprimis omnibus in rebus mediocritas est optima & tutissima, extremorum verò semper vel defectus vel excessus; Deinde quia non ubiq; requiritur eadem viarum ductuumq; dispositio ut apparet in venis quæ propè epar & cor ubi hauriunt sanguinem, sunt amplissimæ, alibi verò, ubi eundem ad proximorum corporis nutrimentũ disponunt, angustiores. Universim tamen est ad sanitatem

tem vel reducendam vel conservandam congruentius, esse meatus & vias corporis ampliores quam angustiores; Ratio est, quia nō tantum arguit id caloris naturalis exuperantiam, sed etiam quod hic idem calor cum spiritibus & nutrimento facilius in membra corporis dispergatur, & excrementa quæ variorum morborum causæ sunt, promptius & securius à natura rejiciantur, quod manifestè testatur experientia in facilè sudantibus, urinantibus &c. esto multum hoc etiam à materiæ dispositione pendeat. Quæ autem tam amplitudinis quam angustiæ meatuum sint causæ efficientes, fusè habetur apud eos qui de singulis morborum causis scripserunt; possunt tamen omnia vel ad nativam complexionem, vel ad nimium partium incrementum & defectū referri, tum ad ea quæ extrinsecus violenter rumpunt, distendunt, comprimunt &c.

DIFFICULTAS XVII.

De meatibus raris & præternaturalibus eorumque causis.

PRofectò miraculum naturæ est, ita conditum & formatum esse hominem, ut semper in uno quid distinctum & diversum ab alio reperias; Hoc verum esse tota humani generis posteritas testatur, quia sive formam extrinsecam sive delineationem & dispositionem intrinsecam partium intueatis, nunquā æquales duos inter tot milliones, quos post primos parentes tota tulit posteritas, inveneris; proinde nec mirum, si inter nonnullos mortales aliquando raritas in organis, in partibus, in visceribus, in meatibus appareat.

Adverte, meatus qui corpori organico debentur, vel aliquando penitus deficere, ut cum orificium alui occluditur quod sæpius in recenter enatis accidit, aut cum vas breve, qui ductus est à splene ad ventriculum, omittitur; vel errore naturæ in prima conformatione aliò diverti, ut cum idem vas non in ventriculum sed in spinam vel intestina versus tendit; vel deniq; in adultis violenter inverti, ut cum humores excrementales non per vias ordinarias excernuntur, v. g. urina per ductus novos & insolitos.

DICO primò, qui meatus in recenter enatis deficiunt, pro causa habeant vel vim imaginativam matris vel formatricem. Prob. qui errores in formatione Embryonis accidunt, vel sunt ex defectu materiæ, vel vitio uteri, vel imaginatione matris, vel errore virtutis formatricis; sed defectus meatuum non est ex defectu materiæ, quia hic nihil materiale deficit, tantum dilatatio & extensio sive apertura organi, nec vitio uteri, quia hic nihil ad hunc defectum confert, ergo ex errore imaginationis matris & virtutis formatricis. Qui verò sint omnes defectus in meatibus, non est facilè determinare, quia quamplurimi sunt hactenus diversis temporibus & seculis observati; sic quibusdam ductus illi qui urinam deferunt, penitus occluduntur; aliis intestinum rectum aluiq; extremum orificium, aliis denique omnis via quæ excrementa primæ concoctionis ad intestina deducit, ut constat in illo Italo contigisse, qui anno 1643. Viennæ Austriæ spectabatur, etiam triginta & amplius annorum nihil unquam per aluum aut vesicā excernebat, sed post factam primam in ventriculo concoctionem minus utilia per eandem viam, per quam ingesta fuerant, revomebat, naturā interim & epate quod restaurando corpori necessarium videbatur, ad se attrahentibus.

DICO 2. qui meatus ad locum & partem competentem non deducuntur, utplurimum fiunt errore virtutis formatricis, rarò autem in adultis à causis extrinsecis & violentis. Primum prob. ut prius, quia non est ex defectu materiæ, nec uteri, qualiscunq; etiam dispositio in hunc errorem intendit, ergo error in vim formatricem referendus erit. Dixi tamen id utplurimùm ab hac fieri, quia ut probetur secundum, constat experientia, non tantum per compressionem, dissectionem, luxationē, callum, aliosq; motus violentos & injurias externas, sed etiam per omnis generis actiones vitales, quas Medici naturales vocant, ut nutritionem, attractionem, expulsionem &c. sede sua paularim partes tam internas quam externas dimoveri, quod in venis superficialibus videre licet, quæ jam altius prominent, jam profundius sese abscondunt, jam ad sinistrum aut dextrum deflectunt, idq; nullam aliam ob causam, quam quod cato in uno loco magis deficiat, in altero plus accrescat: Et accedit attractio alimenti, affluxus humorum, depulsio excrementorum &c. loco omnium in exemplum sit meatus ille qui è vesicula fellea in stomachum præternaturaliter deflectit bilemq; secum rapit; Nam hic rarus est & extraordinarius, quia cum natura non gignat bilem excrementalem ut hāc ventriculum impleat & vellicet, sed ut in intestinis vim expultricem pro abigendis fecibus durioribus stimulet, oportuit non in stomachum sed in intestina deflectere, quia hoc naturale est, illud præternaturale, acciditque multis magno incommodo; Nam plerunq; iis morbus cholera gravis est, imò lethalis, quia vomitum movet continuum, sed & deliquium ex consensu cordis infert & convulsiones, appetitum tollit, vires exhaurit, ventremque inferiorem turbat. Et huc spectant sexcenti his similes ductus & meatus erronei, quos in corporum dissectionibus quotidiè deprehendunt Anatomici.

DICO 3. quascunq; vias & meatus novos natura in depellendis excrementis quærit, ea causantur ab obstructionibus, à callo, à luxatione, à vasorum angustia, à compressione, dissectione, tumore vicino &c. Hæc omnia probantur experientiis & exemplis quæ tum Medicis tum Chyrurgis quotidiè occurrunt; Et ratio est, quia natura tam solers est & provida, ut ad quodvis inutile depellendum, si via ordinaria sit per compressionem, tumorem, callum, materiam crassam & visco-

sam, calculum, luxationem, dissectionem, casum & quodvis aliud extrinsecum obstructa & interclusa, novos mirosq; ductus & vias quærat, & per eas cum vitam tum sanitatem homini tueri & salvare conetur, quemadmodum quotidiè videmus in suppressis mensibus, in hæmorrhoidibus, in urinis, fecibus intestinorum &c. Nam menses suppressi non rarò fœminis per aures, oculos, pectus, ventriculum, vulnera aliasque vias effluunt. Et quid de urinis, si ureteres occludantur? remeât in venas & capacitates quascunq; corporis, devolvuntur in intestina, descendunt in fœmora, in quibus ut prodeant, mira arte vias sollicitant. Mirum profectò; quod de virgine quadam è Gyneceo ducissæ Clivensis memorant; hæc enim dum ex inopinato à principe juvene, qui ultimus huius familiæ fuit, à tergo comprehensa terreretur, 5. majores aciculas quas labiis comprimebat, deglutivit, paucisq; interjectis diebus unà cum urinis per vesicam excrevit. Sed qua via? viderint Anatomici, quia ut credo non dicent viam qua per chylum à ventriculo venisq; mesaraicis fugit & attrahit: Exempla alia atq; alia quisq; intelliget, dum ea vel ex Medicorum longa experientia vel historicorum observatione leget.

DIFFICULTAS XVIII.

De obstructionis natura & causis.

Obstructioni confinis & penè consimilis est constipario, compressio, coalescentia, subsidentia & constrictio, Nam obstructio est, cum meatus propter copiam, crassitiem vel viscidicatem humorum, propter grumum sanguinis, calculum & quodlibet aliud corpus occluditur. Constipatio, quando meatus ob aliquem tumorem, callum vel carnem adnatam coangustatur. Compressio, cum idem meatus vel fit angustior vel penitus constringitur ab aliqua re externa ipsum comprimente. Coalescentia, quando post exulcerationem latera meatus coalescunt. Subsidentia quâ partes vasorum connivent & quasi subsident. Constrictio deniq;, quando meatus à frigore v. g. externo contrahuntur. De obstructione autem ut aliquid,

Obstructio quid? DICO primo, obstructio meatuum est affectus p. n. propter cohibitum rerum sive naturalium sive non naturalium transitum actiones lædens. Dicitur imprimis affectus p. n. quia est morbus vitiosæ compositionis, quia partibus & organis benè formatis extrinsecus per aliquam violentam injuriam accessit ea dispositio, qua meatus occluduntur, ne liberè spiritus, sanguis humores & excrementa quaquaversum penetrent. Nam & videre est apud Senn. suarum instit. cap. 6. de morbis conformationis, tria requiruntur ad conformationem partis organicæ. 1. figura conveniens. 2. cavitatum & meatuum bona dispositio. 3. superficiei justa lævitas vel asperitas, ut proinde juxtà hanc triplicem perfectionem triplices quoq; affectus à contrario gignantur. Dicitur 2. quod actiones lædantur, quia ideò obstructio est morbus, quod actiones lædat, & ideò hæ læduntur, quia illa morbus est. Dicitur 3. quod lædantur actiones propter occlusum & denegatum transitum in meatibus, & quia virtutes corporis ubique sine impedimento cupiunt elicere actiones deferendo omnem in partem liberè spirit*, sanguinē, humores &c. Dicitur 4. ob prohibitū transitū rerum naturaliū; per has res naturales & non naturales intellige nō tantum spiritus, sanguinem & humores alimentales, à quibus omnibus regitur, fovetur, & nutritur corpus, sed etiam quævis excrementa, lapides, calculos, & quicquid materiæ crassæ, solidæ, viscosæ meatus & vias obstruere potest. Adverte tamen, hanc materiam obstruentem non esse morbum ipsum, quia solùm causa est, sed id quod ex materia hac congesta sequitur, vitiosa scil. & depravata constitutio seu dispositio præternaturalis, à qua sanitas formaliter expellitur.

DICO 2. obstructio fit ab humoribus crassis, lentis, frigidis. Prob. primo, quia hi humores terrei sunt; 2. quia tenaciter adhærescunt. 3. quia paucum vel nullum habent calorem à quo dissolvantur, ergo. Et sub his viscosis lentisque humoribus etiam intellige res alias magis solidas & siccas ut fæces induratas intestinorum, calculum, arenam, grumos sanguinis, pus, vermes &c.

DICES, etiam bilis facit obstructionem ut patet in vesicula fellea, ergo etiam à calidis & tenuibus fit obstructio. Resp. vesiculam felleam non obstrui à bile, sed ab humoribus crassis & lentis; Deinde si quando tenuia & calida obstruunt, id fit exhalantibus partibus aëreis & remaneotibus terreis.

DICO 3. obstructio non fit ubique in corpore. Ratio, quia non habent omnes partes meatus & cavitates, esto habeant poros, quia insensiles hi sunt de quibus non est sermo. Quod autem obstructio multis in partibus fiat, id prob. primo in epate, liene aliisque visceribus, quæ nonnunquam scirrhosa penitus evadunt; sub his tamen visceribus intellige venas & vasa circumjacentia, in quibus semper & ubique sunt meatus & cavitates manifestæ. 2. in pulmonibus, unde difficilis sequitur respiratio. 3. in vesicula fellea, unde icterus; in auribus, unde surditas vel audiendi difficultas; in nervis opticis, unde cæcitas vel visus depravatus; In venis, unde tabes vel atrophia; In nervis, unde stupor, paralysis, apoplexia; In intestinis, unde volvulus, convulsiones & mors; in matrice, unde mensium suppressio; in renibus, ureteribus, vesica, unde urinæ stillicidium. Quamvis autem quivis meatus à quibuslibet rebus obstrui possit, plerisque tamen visce-

visceribus & membris sua sunt peculiaria obstruentia, præsertim cum non quælibet ad quamlibet partem deferantur aut in qualibet parte generentur; sic intestina implentur à fecibus induratis; renes, ureteres & vesica ab arenis & calculis; uterus à sanguine crasso & viscoso frigido; venæ mesaraicæ quæq; lienem & epar investiunt, partim à sanguine pituitoso partim ab adusto, fæculento. Via respiratoria ab iis quæ incautè ingeruntur, & aperta larynge in asperam arteriam illabuntur, quo modo contingit aliquando homines miserè suffocari &c.

DIFFICULTAS XIX.

De motu uteri.

SUnt nonnulli Medicorum, inter quos etiam Galenum referunt, qui crediderunt, ita uterum suo loco firmiter affixum esse, ut non secus atq; ventriculus, epar, lien &c. aut nihil aut per exiguum inde dimoveri possit: Alii verò, inter quos est Fernel. cap. 16. de uteri sympt. docent eum manifestè omnem in partem esse mobilem; scribit enim loco citato, se etiam aliquando fuisse primæ sententiæ, quousque mulierum ægrotantium quærelis & precibus commotus aliud crediderit, cum præsertim huuc sæpè tactu instar globi cuiusdam in ventriculum efferri, denuoque manu deprimi & in propriam sedem propelli deprehenderit.

Nota, hos sequentes motus uteri manifestos eum apud Fernel. tum apud reliquos Medicos communiter deprehendi, ascensum scil. cum uterus sursum fertur; descensum, quando devolvitur ad partes inferiores; prolapsum cum extrà mulieris verenda conspicitur; convulsionem denique quando convellitur & in utrumq; inguen contorquetur. His positis

Motus uteri. DICO primo, motus localis uteri est affectus p. n. propter depravatam situationem actiones lædens. Motus localis uteri sumitur genericè, & comprehendit ascensum, descensum, prolapsum & convulsionem. Dicitur autem affectus p. n. quia id commune habet cū omnibus aliis morbis, à quibus in vitiosa conformatione, nexu & situatione differt. Quod si tamen inter symptomata numeretur, id habet, quia sequitur morbosas dispositiones. Dicitur quod actiones lædat, quia præterquam quod difficultatem spirandi, præcordiorum dolorem, defectionemq; animi & partibus & membris superioribus inferat, premit quoq; in inferioribus intestina, impedit excretionem urinæ, dolore cruciat inguina & coxendicem, stupore & frigore fatigat crura, femora &c. Dicitur ultimò propter depravatam situationem, ut designetur causa proxima & immediata ob quam actiones læduntur; sicut enim utero ex sede propria dimoto sequuntur dolores & angustiæ; Ita etiam hoc eodem in locum naturalem restituto desinunt rursum ea symptomata, quæ prius difficultatem & vitæ periculum inferebant; sed ut ad motus in specie,

DICO 2. ascensus uteri est, cum seorsum is fertur premitque mulierem, non quidem ut in strangulatu, sed tantum aliquo præcordiorum dolore, difficultate spirandi aut etiam levi defectione animi, licet sine metu, delirio, aut alio symptomate graviori, nisi tamen uterus à causis vehementioribus sursum & in septum transversum irruat, & secum halitus copiosos, pravos & malignos rapiat; Non enim apud multos probabile videtur, ex sola uteri tetractione oriri tam gravia accidentia, nisi simul pravi & maligni vapores in cerebrum repant, & spiritibus animalibus liberum ingressum ad sensationum instrumenta impediant, quod in suffocatione uteri fieri constat. *Ascensus uteri.* Descensus est, cum in inferas partes provolvitur, quod non tam ab obstetrice quam ab ipsa laborante non difficulter cognoscitur, ab obstetrice quidem, si uterum pudendo obvium percipiat; à laborante verò, si cum stat erecta, sentiat pondus aliquod grave in pudendum incumbere; cum sedet vel supina jacet, vel alvum exonerat, rectum intestinum velut onere premi; cum deniq; prona jacet, nasci difficultatem urinæ. *Descensus.* Prolapsus gravior est descensu, quia uterus hic eversus foras prodit, prominetq; fundus ejus & attrectatur manu ad magnitudinē ovi anserini ut ait Fernelius. *Prolapsus.* Recenset autem Hipp. huius mali signa l. 2. de morb. mul. dum ait, si uterus extrà naturam progressus fuerit, febrilis calor habet pudendum & imum ventrem, & urina frequenter & paulatim instat, & pudendum vehementer mordetur. Convulsione denique uterus in omnem partem quaquaversum contorquetur, sentiuntque partes vicinæ, maximè inguen utrumq; & coxendix vehementissimos & acerbissimos dolores. *Convulsio uteri.* Itaq; movetur uterus in omnem partem, quod Hipp. & Medici omnes antiquiores uteri eversionem appellarunt: Et meminit huius Hipp. quamplurimis in locis, & specialiter l. 2. de morb. mul. his verbis; Dico autem inquit, cum utero ex loco moti fuerint, dolores ingentes; Et si quis vesicam contingat, dolorem exhibet, & urinam non suscipiunt, neque genituram in seipsos trahunt, & ambo dolent, & si non celeres solutiones fiant, uteri postea suppurantur juxtà eosdem locos, si ad ipsos recurrerint. Contingit autem hoc & in laterum mollitudine & in inguinibus & suprà pectinem &c. Refert etiam eod. loco & l. de nat. mul. varias partes, ad quas uterus irruere potest, videl. non solum versus instrumenta respirationis servietia, sed etiā in epar, splenem, ventriculum, vesicam, intestina, præsertim in colon rectū ac ileon, in coxendices, in crura, lūbos omnesq; partes his vicinas. Mercat. l. 2. de morbis uteri putat has omnes tetractiones

ad eum modum esse intelligendas quem Gal. c. de hysterico affectu intelligat, proindeque credendum inquit non est, uterum illuc derelicta sede propria recurrere, sed in seipsum convelli, & partem quam simulat accedere, in consensum trahere aut flatu & humore implere eamque summoperè lædere; Hæc Mercatus contra Fernel. & receptam jam plurimorum Medicorum opinionem.

DICO 3. causa prima huiusmodi motuum est laxitas vinculorum uteri; Nam cum hic undiq; visceribus adhæreat per appendices ut videre est apud Anatomicos, si tales à connaturali sua complexione recedant, nimiumq; laxentur, uterus quoq; in omnem partem flecti potest & solet. Causa secunda est gravis uteri gestatio, contusio, casus, perfusio humorum &c. quibus omnibus vincula, tendines nervosq; partes tenduntur & laxantur. Causa 3. & immediata est res quævis uterum laxatis jam habenis irritans, & hæc vel externa ut odor gravis, frigus &c. vel interna ut humor acris, mordax & molestus. Cæterùm causas omnes huius vitiosi motus primus omnium recenset Hipp. l. 2. de morb. mulier. his verbis; porrò inquit, omnis occasio uteros propellere potest, si quid male habeant; Nam & à frigore pedum & lumborum, & à saltatione & terrore & lignorum sectione, & cursu ad acclivem & declivem locum & ab aliis multis propelluntur &c. Et paulò infrà, cum igitur inquit, hæc advenerint, penitus ex toto homine deprehendere oportet; Nam quæcunq; perfrigerationes crurum aut stupefactiones ex frigore fiunt, hæc omnes etiam in uterorum morbis uteros elevant &c. Sed cum hæ causæ sint è genere externarum, idcircò Gal. l. 6. de loc. affect. c 5. & Ætius à Gal. transcriptis & mutatis verbis speciaIiores causas referunt; suppressis inquiunt mensibus necesse est venas & arterias ad uterum tendentes repleri; Nam sanguis usq; ad vasorum oscula accurrit quidem, verùm intra uterum prodire nõ potest, aut eò quod nimia crassitudine osculis impingitur & grumosus fit, aut quod ipsa oscula clausa sint & transitũ impediant, ita ut venæ, humore refertæ extenduntur & vicinas uteri appendices humectent, quorum extensione uterus retrahitur: si itaq; ex utraq; parte æqualis fiat retractio, reclinatio aut revulsio, recursus uteri æqualis contingit & ad superna vergit; si verò in alteram partem retractio fiat major, alterum è visceribus his in causa est, splen videl. aut epar, quorum venæ superfluo sanguine extentæ à suis partibus uterum retrahunt, Hepaticæ è dextris, splenetices è sinistris, prout alteræ magis fuerint repletæ; quippe dum non fit æqualis utraq; repletio, sed magis in una quam in altera parte apparet, quæ magis repleta est, illa magis intenditur contrahiturq; & mox partem aliam quæ melior est, ad se rapit adeò ut uterus versus illam distorqueatur. Hæc Gal. & ex ipso Aetius.

DIFFICULTAS XX.

An color præternaturalis in oculo sit morbus.

HÆc difficultas proponitur etiam à Senn. suarum instit. de morbis conformationis cap. 6. ubi recensitis variorum Authorum & Foroliv. Iac. de partibus, Feroelii, Fuchsii, Argent. Mont. Capivac. & aliorum sententiis ipse suam in fine adponit, & inter cætera omnem humoribus oculi negat colorem, nec à primis qualitatibus oriri, quod falsum esse patet ex alibi dictis. Constat autem non tarò accidere, quod humores oculi quibus suus & ad visionem necessarius inest color, per affluxum alicuius noxiæ materiæ etiam novo & peregrino colore imbuantur, ideòq; vel omninò visionem perdant, vel saltem vitiosè & turbulentè eam eliciant. Hinc difficultas est, an color hic peregrinus sit dicendus morbus & ad quod genus morbi referendus.

Nota, ad constitutionem cuiusq; partis nõ tantum requiri legitimam formationem & continuitatem, sed etiam debitam qualitatum temperiem, & quod plus est, convenientem dispositionem in qualitatibus tactilibus & nonnullis secundis quæ à primis oriuntur, cujusmodi est potissimum color, de quo hic controvertitur. Nam nisi humor aqueus pelluciditatem & crystallinus diaphaneitatem habeat, tunica verò retina opacitatem, profectò nulla fiet visio, quia species visiles nec humores penetrabunt, nec in tunica retina subsistent, ut alibi de constitutione oculi dicitur; Ixm

DICO 1. falsum est, humores oculi esse colorum expertes: Est hæc doctrina communis & omnium philosophorum, nec quicquam aliud unquam somniavit; Et prob. quia etiam elementis in puro statu constitutis competit color, ergo multò magis corporibus mixtis; Nam omnia hæc sunt colorata ex permistione 4. primarum qualitatum, à quibus colores oriuntur, ergo etiam humores oculi erunt colorati, quia verè mixta sunt: Et hoc confirmat experientia, quia nemo hominum est, in quo non oculi suis distincti coloribus non tantum in tunicis sed etiam in ipsis humoribus manifestè deprehendantur.

DICO 2. Probabiliter verum est, quod Sennertus ait, videl. colores vitiosos in oculo existentes & visionem impedientes esse affectũ p. n. & pertinere ad vitiatam conformationẽ. Prob. 1. Tales colores impediunt actiones visionẽ, iisq; competit vera definitio morbi, ergo spectant ad vitiatã conformationẽ, quia nec ad intemperiem nec ad solutam unitatem referri possunt. 2. constitutiones qualitatum quarundam tactiliũ, ut asperitatis & lævitatis, de quibus Gal. c. 95. artis suæ parvæ, pertinent ad morbos vitiatæ conformationis, ergo etiã colores, imò magis hi quã illæ, cũ magis lædant actiones. 3. colores non sunt minus necessarii ad constitutionẽ partis & organi quã temperatio primarum qualitatũ; sed hæ in

Colores vitiosi in oculis ad quod genus morbi spectent.

excessu

excessu vel defectu faciunt morbum, ergo & illæ. Quod autem potius ad conformationem & non ad intemperiem spectent, esto oriantur à qualitatibus primis, ratio est, quia in agendo confines sunt vitiis conformationis; deinde quia defœdant organum non per modum alicuius intemperiei sed depravatæ conformationis; Deniq; quia ob speciem quand. extrinsecam, quam repræsentant, sunt facilè conspicui, quæ omnia satis indicant, eas non pertinere ad genus morborum intemperiei, præsertim cum etiam ex natura sua non sint habiles ut hanc constituant.

DISPUTATIO DECIMA-SEXTA.

De morbis solutæ unitatis.

Unitas competit corpori sano, & solutio ruinoso jamque ad interitum deflectenti: quid enim magis in homine, cuius actiones ad amussim benè eliciuntur, spectamus quàm omnium membrorum, quæ tam admirabili sapientia inventa, formata, inter sese juncta ordinataq; sunt, justam decentemq; cohærentiam? Et quid turpius in eo videmus, quam si ab osse pellis detracta sit, pes ab articulo mutatus, & brachium ab humero laxatum? Ita nimirùm fit, ut nisi cum insigni primarum qualitatum harmonia partes omnes ita inter sese unitæ sint, & æquissimâ commensuratione se mutuò respiciant, oculusque oculo, auris auri, naris nari, labio labium respondeat, corpus suis planè destituatur actionibus; Ita enim os fractum nec onus sustentat, nec hominem in se reclinantem portat; Ita nervus ligatus sensum retrahit & resectus pedibus motum progressivum denegat; Ita oculus suffusione turbulentus nullas in se rerum visibilium species recipit cessatq; ab ea nobilissima actione, qua concessum est non tantum mille rerum sublunarium colorata, sed etiam syderum fulguratissima lumina contueri; Ita stomachus ulcerosus cibum non concoquit, epar putredine laborans sanguinem malè generat & pectus ab erosis pulmonibus difficulter spirat; Ita denique pars nulla aut membrum suis actionibus perfectum est, nisi per unionem ita cohæreat toti, ut illud integrum omnibusque numeris absolutissimum constituat. Varii certè sunt affectus, quos solutio generat, & quos hæc præsens disputatio dabit; si non omnes periculum, tamen deformitatem inferunt & dolorem, adeoque coëunt partes omnes in unum, ut si una separata sit à toto, jam hoc censeatur ruinosum. Vt itaque omnes & singuli solutæ unitatis affectus manifestè prodeant, sequitur,

DIFFICULTAS I.

Quibus partibus conveniant morbi solutæ unitatis.

Quæstio est de partibus simpliciter, id est de homogeneis & heterogeneis, vel de similaribus & dissimilaribus. Nam

Opinio prima est quorundam Medicorũ, quib9 etiam Sennertus c.10. de morbis soluti continui annumerat Averrhoëm, non reperiri hos morbos in partibus dissimilaribus sed tantum in similaribus. Argumentum eorum hoc est, pars organica vel dissimilaris non est continua, quia constat partibus diversæ rationis, ergo in ea etiam non potest fieri solutio continui. Ad hoc argumentũ quid respondeat Fernel. videri potest l.1. de morb. differ. c.11.

Opinio 2. est Argentarii de gen. morb. c.12. ubi in contrarium ait solutionem continui nõ esse propriam partibus similaribus sed dissimilaribus. Ejus argum. hoc est, in partibus similaribus non læditur actio, ergo in iis non reperitur morbus soluti continui. Ad utrumque argum. respondebitur inferius.

DICO primo, morbi solutæ unitatis habent pro subjecto adæquato totum corpus, pro inadæquato partes similares quam dissimilares. Ita Medici cum Fernel. & Senn. citatis, & prob. primum, quia pars similaris nõ tantum læditur intemperie, sed etiam scinditur & pungitur illæsâ quâvis parte alia; ergo pars similaris erit subiectum solutæ unitatis. Antec. prob. Nam dum pungitur nervus, aut scinditur & finditur os, nervus arteria, verè gignitur morbus in parte similari, esto habeat rationem organi, quia etiá in esse organi nervus est similaris. Probat. secundum, quando digitus manus vel brachium amputatur, frangitur, comburitur &c. non tantum patiuntur partes omnes in ratione organi, vel ut constituunt integrum organum, sed etiam ut sunt similares & continuæ, ergo partes utroq; modo sumptæ patiuntur solutionem continui; Deinde quando læduntur partes quæ constituunt totum, etiam totum læditur, ut quando moritur Petrus, non manus, non pes, non caput, sed totus homo dicitur mori, ergo etiam quando alicui brachium abscinditur, non tantum partes similares sed etiam dissimilares læduntur, illud quidem inadæquatè, hoc autem adæquatè & integraliter; Et hinc

DICO 2. solutio continui aliquando reperitur tantum in partibus similaribus, aliquando in his & organicis simul. Primum probat. in vena secta, in osse fracto, in nervo punctim cæso &c. Vltimum patet in

 vul-

vulneribus brachiorum, capitis, pectoris, in ulcere pulmonum &c. in quibus casibus & pars & totum secatur, eroditur, rumpitur.

Ad argumentum primæ opinionis, quæ pro partibus similaribus tantum militat, respondetur neg. antecedens; Nam quicquid sit de formis partialibus, omnes partes informantur ab una forma sive anima completa & adæquata ratione cuius sunt continuæ, ut patet in anima rationali, quæ caput, pectus, ventrem inferiorem omniaque viscera facit esse continua. Quod etiam continuentur ratione materiæ, vide l. 1. disp. 4. diffic. 18.

Ad argum. 2. opinionis respondetur, neg. antec. quia reverà in vena secta, in osse fracto & si quæ sunt similes partium simplicium offensæ, læditur actio; Nec contra distinguuntur organicum & similare, quia etiam os est similare in ratione organi, quod idem de venis altisque partibus intellige. Imò sunt qui volunt totam actionum seriem deberi partibus similaribus, quod tamen falsum esse inde liquet, quia actiones partium similarium per se sumptæ non constituunt actionem totius alicuius organi heterogenei; Et si unitim sumantur, sunt subjecti totius.

DIFFICULTAS II.

Quot & quibus modis fiat solutio continui.

TUnc dicitur fieri solutio in aliquo continuo v.g. in digito vel brachio, quando partes, quæ prius cohærebant, jam non amplius cohærent, sed à se mutuò divulsæ unionem amittunt & separatim existunt, ut quando musculus in medio scinditur, pulmones eroduntur &c. Iam quæritur, quot & quibus modis id fiat; Nam licet una continui solutio in se præcisè considerata non discrepet ab altera, quia in utráq; partes separatæ sunt; Nihilominus tamen si modum spectemus quo fiant & causas à quibus separantur, certum est variè discrepare; Et hinc

DICO 1. si solutiones continui secundum se suamque naturam, id est, figuram spectentur, plurimæ sunt; Hanc conclusionem sensus manifestat, quia solutiones aliæ sunt rectæ, aliæ obliquæ, aliæ longæ, latæ, profundæ, rotundæ, quadratæ, simplices, compositæ &c.

DICO 2. si solutiones continui considerentur quoad modum causasque dissolventes, similiter multæ sunt; Nam quædam secando solvunt unitatem, ut gladius, culter omniaque acuta; quædam erodunt ut sunt res mordaces & acres, sive hoc faciant extrinsecus ut succi radicum, foliorum, florum, excrementa verminum & si quæ sunt alia; sive intrinsecus ut cantharides, medicinæ erodentes, humores salsi, adusti, calidi &c. quædam tendunt & divellunt quia nimium replent ut vapores & flatus, & sæpè etiam sanguis cum humoribus alimentalibus propter plenitudinem rumpunt; quædam contundunt quia dura sunt & gravia, ut cum lapis ex alto cadens caput tangit, vel cū ad lapidem alliditur manus, brachium &c.

DICO 3. juxta has omnes causas solventes occurrit primò vulnus, quod fit à re secante, v.g. gladio, culto. 2. venit punctura quæ fit à re acuta punctim, an autem globum vel pilā ferream sclopeto excussam ad hanc vel illam causam referas, parum interest, licet magis videatur priori competere. 3. accedit ulcus, quod fit in partibus humidis & carnosis, & gignitur à causis mordentibus & erodentibus. 4. est caries, quæ fit in osse & quidem ab iisdem causis à quibus ulcus; Nam quæcunque vim habent carnem erodendi, eadem etiam si in os incidant, illud paulatim licet difficilius exedunt. 5. sequitur contusio, quæ fit in parte molli à re dura & obtusa, ita tamen ut ictui cedat & in se redeat, superficie quidem & cute integra, interioribus autem contusis. Sic rustici tractare norunt, si quus domi suæ raptores deprehendant; sic molliter cubant, qui ex pacto cum Dæmone, ne vulnerentur, contusis ossibus lethales ictus sive gladio sive fustibus sive globis ferreis & plumbeis excipiunt. 6. est ruptio, quæ ita dicitur, quando pars mollis ex re tendente penitus rumpitur; Et hanc solutę unitatis speciem dicunt Medici ●cari peculiariter in ipsis nervis spasmam, & differre à spasmo, qui est symptoma seu motus depravatus & convulsio à contractione nervorum procedens, cum illa sit nervorum ruptio per tensionem; Exemplum illius est, quando vasa ex plenitudine sanguinis rumpuntur, prout sæpè fieri experientia docet, cum sanguis v.g. è venis epatis aut lienis ruptis & apertis osculis confertim per stomachum & fauces vomitu rejicitur; Et eadem res est cum vesica & peritonęo, quod utrumq; ex nimia repletione ruptum aquosam substantiam effundit; Exemplum huius est, cum flatus & vapor coptosus nervosam substantiā subingreditur, eamq; ingentibus extendit doloribus, ut noverunt illi, qui frequenti spasmo cruciantur. Septimū locum habet fractura, quę fit in osse à re secante, tendente & contundente; sic gladius secando frangit calvariam, & malleus contundendo rumpit tibiam. Cæterùm ut constet qui sint affectus in specie spectantes ad solutam unitatem, sequitur *Spasma & spasmus quid.*

DIFFICULTAS III.

Quinam affectus spectent ad solutam unitatem,

RAtio dubitandi est, quia omnis generis tumores & inflammationes, ut hydrops, œdema, phlegmone, bubones, anthraces, pustulæ, & de quibus inter morbos vitiosæ compositionis actum est, distendunt & dilatant membra corporis, adeoq; sua unitate solvunt, quæ illis à natura competit.

Advette 1. in tumoribus & inflammationibus imprimis considerandam esse intemperiem, tum vitium turpitudinis & magnitudinis; & ultimò distensionem &c. 2. in hujusmodi vitiis semper spectandum esse illud

quod

quod sensui magis objicitur, & quod magis offendit sanitatem. 3. morborum sæpè habere rationem symptomatis, & contrà symptoma rationem morbi licet sub diversa ratione formali, ut patet ex dictis ex in hydrope, tumoribus & inflammationibus, in quibus potest haberi consideratio symptomatum, quatenus morbum consequuntur, & morborum quatenus sunt partium intemperaturæ & vitiosæ conformationis seu compositionis, quibus læduntur omnis generis actiones vitales. 4. Ulcus esse vitium quasi genericum & convenire tumoribus ut Erysipelati; tuberculis ut anthraci; & pustulis ut lepræ, lui gallicæ &c. Jam

Morbi solutæ unitatis.

DICO primo, Inter morbos solutæ unitatis numerantur primo vulnera, ulcera, fissuræ, fracturæ, fistulæ, rupturæ, erosiones &c. Ratio est, quia in his omnibus solvitur unitas partium, & quod prius per naturalem cohærentiam subsistiterat, id divulsum jam & separatum existit ut patet in vulnere, cujus labra invicem distant quæ prius adhæsu connexa & unita erant: Dico quod primo numerantur vulnera &c. quia hi sunt affectus, in quibus manifesta unitatis solutio conspicitur. & qui ad nullum aliud morbi genus referri possunt, nisi quatenus adjunctam habent inflammationem & intemperiem, quæ tamen est extrà naturam & rationem solutæ unitatis.

DICO 2. etiam omnes tumores & inflammationes, cujuscunque sint naturæ, pertinent ad morbos solutæ unitatis. Ratio est, quia distendunt & dilatant partes viventes; sed distentio & dilatatio spectant ad genus soluti continui, ergo & tumores & inflammationes; major patet, quia sunt cum affluxu humoris p. n. qui occupat locum sibi non competentem, adeòque penetrando quasvis organi heterogenei partes, dilatat, elevat & in tumorem attollit, ergo quæcunque viria distendunt, ea quoque solvunt. Deinde distensio ut sic non est affectus intemperiei, quia nec includit calorem nec frigus; Non est etiam conformationis aut compositionis vitium, nisi quod per externam violentiam & injuriam pars à debita figura deflexerit; multò minus ad morbum totius substantiæ referri potest, quia caret omni malignitate per se, ergo pertinet ad solutam unitatem, in qua membrum integritatem suam connaturalem perdit: Et hujusmodi tumores sunt bubones carbunculi, œdema, inflammationes, omnis generis tubercula &c.

DICES, etiam spiritus dicuntur inflammari, & tamen in hac inflammatione nulla est solutio continui, ergo inflammationes non spectant semper ad solutam unitatem. Resp. spiritus non inflammari, sed incendi; inflammatio autem est propria partibus viventibus, proinde negatur antecedens.

DICO 3. etiam morbis solutæ unitatis annumerari possunt Cancer, lues venerea, lepra seu elephantiasis, omnes species herniæ, Erysipelas, impetigo, omnis scabies, arthritis, & pustulæ de quibus Fern. l. 7. de externis corporis affectibus. Ratio est, quia in omnibus hujusmodi affectibus solvitur continuum, ut ex omnium enumeratione est videre: Nam cancer dum adhuc incognitus est, in tumorem attollitur, lancinatque & distendit partes cum dolore; Cum verò magis incipit furere, exedit, exulcerat, & quaquaversum viscera corrumpit dum mortem infert: similiter lues venerea si sit cum pustulis fædâque scabie, cutem & carnem excoriat; si sit cum tumoribus & tophis, dolorosè divellit, & ad ossa penetrat dum intimam ejus membranulam mirè vellicat. De lepra, Erysipelate, omnisque generis scabie & pustulis res manifesta est, quia sicut in ratione magnitudinis ad morbos compositionis spectant, ita etiam dum cutem partesque interiores exedunt solvuntque continuum, inter affectus solutæ unitatis numerari solent. Sed nec arthritis nec scorbutus ab hac serie eximenda sunt, quia utroque hoc malo, sive corpus in tumorem attollatur, sive partes ejus sensiles acerrimo dolore graventur, magna semper in membranosis nerveisque partibus fit distentio, in carneis autem & sanguineis sordida fœdaque exulceratio & corruptio.

Colligitur, quamvis plerique affectus compositionis ad solutam quoque unitatem sub alia ratione & formalitate revocari possint, sub illo tamen genere potius comprehendi, quia facilius, primo & per se movent sensum: Et sicut tumores, inflammationes, tubercula, pustulæ sub sensum vitiatæ compositionis, ita vulnera, ulcera fracturæ solutæ unitatis primò veniunt, esto cum iis distensio sit & solutio nexus, cum his autem tumor & inflammatio, quia hæc adsunt per accidens, illa per se.

DIFFICULTAS IV.

An omnis solutio continui sit cum dolore.

QUæ sint causæ solutæ unitatis in corpore continuo, ex jam dictis constat, quia numerantur res secantes, pungentes, contundentes, rumpentes, frangentes, divellentes, erodentes &c. Hic quæritur, an toties sentiatur dolor, quoties membrum aliquod corporis hanc solutionem patiatur.

Suppono autem, solutionem hanc fieri in solis partibus viventibus, sive sint homogeneæ & similares ut os, vena, nervus &c. sive heterogeneæ & dissimilares ut caput, brachium, pes, manus, digitus &c. Jam

DICO primo, omnes partes temperatæ animatæ dolorem sentiunt si solvantur; Inter partes temperatas numerantur, quæ nec nimis siccæ sunt & terrestres, nec nimis humidæ ut nervi, membranæ &c. Quod sentiant patet ex Arist. l. 5. de part. anim. c. 2. ubi docet, quod idcò homo inter omnia animalia præstet sensu

Quibus in partibus sit dolor.

tactus, quia scilicet non habeat organa sensus tam terrestria tamque corpulenta Quod autem sentiat dolorem ex solutione, est rationis, quia si habet sensum suavem & blandum ex amico tactu, habebit molestum & dolorosum ex eo qui durus est & organo inconveniens, quod confirmat experientia, quia experimur sensum & dolorem exquisitissimum in nervo si pungatur, in membranis si inflammentur, & in utrisque si extendantur aut rumpantur.

DICO 2. etiam reliquæ partes corporis quæ non sunt temperatæ, ut ossa, Cerebrum &c. sensum habent si solvantur, si non in actu primo ut multi sentiunt, saltem in secundo. prob. primo, quia omnes habent animam sensitivam, ergo etiam sensum. 2 quia Arist. l. de somno & vigilia statim ad initium ait, nihil quod caret anima & vita, sentiri posse, ergo quod ex Arist. ejusque mente sequitur, quod animam habet, sentit. An ossa aliæque partes aut nimium siccæ aut nimium liquidæ & humidæ in actu secundo sentiant si solvantur, incertum est, quia ad sensum requiritur mediocritas complexionis & temperamenti, id est, nec constitutio terrea nec aquea, sed ex utraque media & mixta; Deinde fatentur ii, quibus aut os frangitur, aut cerebrum eximitur, nullum sentire se dolorem; Adhæc negat Aristoteles ossibus ullum inesse sensum ex c. 13. l. 3. de anima, quod terrea sint. probabiliter tamen dicendum est, inesse omnibus partibus etiam maximè terreis & humidis aliquem sensum, licet valdè obtusum, de quo intelligendus est Arist. loco citato. Nec Dicas, si quælibet pars sentiret quamlibet injuriam, corpus fore perpetuò doloribus expositum, adeòque semper sensurum molesta, quod tamen videtur esse contrà legem & ordinem naturæ, quasi verò nunquam corpus humanum esset sub aliqua felicitate constitutum, quia Respondetur, multa quidem sentire partes externas, non tamen internas, neque hoc continuò: Et quamvis sæpè omnes partes externæ sentiant frigus, internæ autem calorem v. g. in febribus, nihil tamen huc importat, quia omnes sentiunt sub ratione caloris & frigoris, nec invertitur ordo naturæ, quæ hominibus sensum dedit & corruptibilitatem, quod utrumque semper in sinu gestamus.

DIFFICULTAS V.

Quid sentiatur cum dolore in solutione continui.

QUibus gladio v. g. infligitur vulnus, ii dolorem quidem sentiunt, sed nesciunt quid sit illud quod eum dolore sentiunt Hinc quæritur quid, an acumen gladii, an profunditatem vulneris, an ipsam solutionem, an qualitates internas, an speciem qualitatis, an quid aliud.

DICO primo, qui vulnerantur, non sentiunt id quo vulnerantur, v. g. gladium, fustem. prob. 1. sentitur dolor in vulneratis potissimum cum abest gladius aut quævis res vulnerans, ergo hæc sentiri non potest: Nam si rem vulnerantem sentiremus, sequeretur quod statim amoto gladio, pugione aut fuste cessaret omnis dolor contrà experientiam. 2. sensus tactus fit tantom à qualitatibus tactilibus; sed gladios, fustis &c. non est ex ejusmodi qualitatibus, ergo non sentitur. 3. gladius immediatè non facit dolorem, ut infrà patebit, ergo non est id quod sentitur cū dolore. Dico immediatè; Nā constat quod gladius, pugio & quævis res vulnerans dividat carnem, cutem, musculum, nervum, membranam duritie & acuitate, ad quam divisionem postea sequatur dolor.

DICO 2. nec figura vulneris dolorem facit, quod scilicet sit profunda, lata, rotunda &c. Ratio est, quia figura non est qualitas tactilis, nec habet ullam activitatem.

DICO 3. Nec magnitudo vulneris absolutè auget dolorem, tametsi plerumque majus inferat periculum. Ratio est, quia illud vulnus auget dolorem, in quo partes exquisitissimi sensus divisæ sunt; sed hoc absolutè non fit in vulnere magno, ergo nec illud. Major vera est, minorem probat experientia, quia sæpe majorem habet dolorem qui digito læsus est quam qui toto pectore transfixus, ergo intensio doloris non dependet absolutè à magnitudine vulneris, sed à natura partium quæ læsæ sunt; sic in exiguo vulnere sæpè nervus transfigitur, in magno, autem sæpè sola caro aut substantia, quæ non habet tam exquisitum sensum. Dixi tamen quod magnitudo vulneris plerumque majus inferat periculum, quia plures in eo partes vulnerantur. Sed quid sentitur cum dolore?

DICO 4. qualitas peregrina vulnus intrans est illud quod sentitur cum dolore. Ratio est, quia hæc est qualitas positiva, realis, sensibilis & una ex tactilibus; & quia peregrina est subjecto & non connaturalis, ideò dolorem facit. Adverte, hanc qualitatem vulnus subintrantem non semper esse ejusdem speciei, v. g. calorem, frigus aut aliquam exprimis; Nam qui percutitur baculo, mox ad ictum & percussionem sentit dolorem, licet & calor & frigus absit, ergo qualitas hæc à qua dolor oritur, erit alterius ordinis & speciei; Quando itaque vulnus infligitur, solviturque continuum, in his partibus & organis variæ tum producuntur qualitates peregrinæ, & tales vel statim vel paulò post solutionem; Nam in ictu producitur nova partis constitutio, v. g. luxatio, contorsio, recessus aut accessus sanguinis, forma & figura præternaturalis; post ictum verò accedit calor, frigus, humiditas, siccitas, &c. media divulsione continui tanquam conditione necessaria ad sensum.

Quid sentiatur cū dolore.

Quæ accidentia producantur in solutione continua.

DICES primo, fieri potest, ut homo cui infligitur vulnus, doleat quidem, sed non ab accessu alicujus peregrinæ qualitatis, ergo à sola

ſola continui ſolutione, & quod una pars non cohæreat amplius alteri. Reſp. fieri non poſſe, ut caro, nervus, muſculus, patiantur ſolutionem continui abſque acceſſu novæ qualitatis, quia accedit nova forma & nova diſcontinuitas: Neque enim opus eſt, ut accedat ſemper novus calor aut novum frigus, ſed ſufficit, quod dum fit ſectio, ruptio, aut contuſio, non remaneat ea qualitatum harmonia aut conſtitutio partis quæ prius inhæſerat naturaliter, ſuccedatque affectio quædam p. n. ut patet in nervo, qui eo inſtanti dum divellitur & contunditur, non eſt amplius in eo ſtatu & in ea conſtitutione in qua prius fuerat: Et ad hanc conſtitutionem, cum non requiratur tantum conplexio debita & conveniens temperamentum, ſed etiam forma ſeu figura connaturalis, ſitus, connexio, & juſta laudabiliſque compoſitio, certè ad quamcunque contuſionem, ſectionem, ruptionem, fractoram &c. nova aliqua & peregrina qualitas quæ ſit doloris cauſa effectrix, accedat neceſſe eſt; ſentitur autem hæc qualitas, quia externa eſt & non connaturalis parti juxta illud, quod anima non ſentiat ullam qualitatem in digito v.g. naturaliter ſe habentem, ſed ſolam extrinſecam & præternaturalem, & ſi nihil aliud ſaltem a'ëreum inſuetum & non connaturalem.

DICES 2. partibus ſolutis nullæ extrinſecus accedunt qualitates peregrinæ, & tamen dolorem ſentiunt, ergo dolor non eſt ab illa qualitate quæ extrinſecus advenit; Antecedens patet, quia ad contuſionē & diſtenſionem nullus ſubingreditur aër, & cum eo vel frigus vel quævis alia qualitas dolorifica. Reſp. etiam membris contuſis aut quovis modo citrà cutis carniſque ſolutionem læſis accedere varias qualitates peregrinas: Nam ſi ad quamcunque continui ſolutionem naturalis conſtitutio membri recedat, neceſſum eſt, ut novæ & contrariæ diſpoſitiones introducantur, ſive ibi primum producantur ſive paulatim cum aëre, ſanguine & humoribus accēdant, Itaque ſolutio partis continuæ non eſt id quod dolorem infert, ſed eſt illud, quod ſe habet per modum cognitionis, quâ poſitâ neceſſariò ſuccedant novæ & doloroſæ qualitates.

DIFFICULTAS VI.

An & quomodo vulnerati dolorem non ſentiant.

NAturale eſt eum, qui alicubi in corpore vulneratur, dolorem vel magis vel minus ſentire: Quæritur autem, an & quomodo fieri poſſit ut graviter ſauciatus nullum ſentiat dolorem; Et eſt quæſtio tam de mediis & agentibus quam de iis quæ vim & efficaciam humanam ſuperant; Nam conſtat multa fieri opera Dæmonum, quæ virtute rerum naturalium fieri non poſſunt.

DICO primo, mediis naturalibus fieri poteſt, ut membrum in ægro divulſum & diſtenſum ſit abſque dolore. Eſt communis ſententia Medicorum & probatur experientia, quæ ex uſu & praxi deſumitur: Quando enim ægri maximis & acutiſſimis doloribus cruciantur, ſolent Medici omnis generis Medicinas anodynas, opiatas & narcoticas non ſolum extrinſecus, ſed & potiſſimum intrà corpus applicare, atque ita dolorem vel lenire vel penitus tollere, cujus modum vide infrà diſp. de qualitatibus virtualibus diffic. 16. Cæterùm ut pauca de mediis vim & effectum humanum ſuperantibus dicantur,

DICO 2. poſſunt homines opera Dæmonum ſi vulnerentur, inſenſiles reddi. prob. imprimis ab ipſa potentia & virtute, quam Author naturæ Deus ſpiritibus dedit. 2. ab Authoritate magnorum virorum, qui hanc virtutem ſpiritibus ineſſe docent. 3. à communi experientia quam videre licet apud Wierum, Grilandum, Delrionem & alios qui ex profeſſo de inquiſitionibus magicis ſcripſerunt. Nam ſi ſermo ſit de virtute & poteſtate Dæmonum, quam ex ſe in hunc mundum ſublunarem habent; conſtat eos longè majora & difficiliora perpetrare, dum v.g. magnas tempeſtates excitant, ignem de cælo præcipitant, montes locis & ſedibus ſuis removent, nova phænomena producunt, mortuos ambulare & loqui faciunt &c. ergo negandum non eſt, eos à corporibus ſauciatis ſi velint, ſenſum tactus adimere. Quod ſi etiam de magnorum doctorum teſtimonio & communi experientia loquamur, experimus omnes unanimiter cum ratione tum experientia edoctos ſentire & concludere, operâ Dæmonis non tantum poſſe impediri omnem ſolutionem continui à re vulnerante, ſed etiam à quovis vulnerato ſenſum omnem & dolorem abigi; Hoc autem dum facit, vel partem ſenſu præditam mortificat, adeòque & ſenſum & dolorem ab ea demit, vel ſpeciem & vim ejus qualitatis, quæ poſt ſolutionem facere ſolet dolorem, ſupprimit; vel ſenſum internum quo dolor æſtimatur, corrumpit, unde etiam iis, qui dæmoniacis ſignis & veſtigiis ſive magicis characteribus, v.g. veſtigiis leporinis, manibus buffoniis, catellis nigris &c. ſunt notati, licet altiſſimè infigantur aculei, nullum tamen inde dolorem perſentiſcunt, ut docet Remig. l. 1. dæmonol. c. 5. Et hujus rei memorabile exemplum narrat Delrio l. 2. diſquiſit. magic. q. 21. In Joanne de Vaulx Stabulenſi mago famoſo, in cujus tergo cum catellus niger pro charactere à Cacodæmone impreſſo deprehenderetur, acu autem vel graphio profundius adacto, ut Petrus Oranus negotii quæſitor obſervabat, perforaretur, nullum doloris ſenſum Reus percipiebat, nec quicquam querebatur; ſi verò à tergo ipſo Reo non vidente nec ſciente, ipſi catello quiſpiam erecto digito minaretur, tum ſubito Reus tanquam ſi acriter torqueretur, id ſenſit, cujus rei dubiò cauſa fuit, quod ſuper-

Quomodo dæmō reddat membrum inſenſile.

biſſimus

bissimus Dæmon contemptum minatum molestius tulerit, ideoque actius in sui mancipii corpus cruciatu sævierit. Possunt etiam mali & perversi spiritus virtute opii & similium narcaticorum pharmacorum humores turbare, nervorum origines obstruere, sensus omnes stupefacere, atque ita somnum diuturnum & profundum invehendo omnem sensationem impedire, id quod & Medici, cum rerum naturalium sint hæ virtutes & effecta, possunt præstare.

DIFFICULTAS VII.

An partes resectæ, ruptæ &c. denuo possint coalescere.

SUnt ex Medicis tam antiqui quam recentiores, qui putant, omnes partes corporis tam spermaticas quam carnosas indifferenter posse reuniri; Alii negant partibus spermaticis coalitum, quod videtur etiam affirmare Hipp. sect. 6. aphor. 60. & Gal. primo de semine c. 8. & 10. & rursum c. 9 t. artis parvæ.

Nota primo, partes alias esse molliores ut venæ, alias duriores ut ossa. 2. partes corporis vel pati solutionem cum teneræ adhuc sunt & molles ut in infantia, vel cum siccæ solidæ & duræ ut in senectute. 3. coalitum harum partium vel fieri medio quod sit ejusdem rationis & substantiæ cum partibus solidis vel quod sit diversæ.

Partes sperm. non facilè coalescunt si solvantur. DICO primo, partes spermaticæ non coalescunt tam facilè si solvantur quam carnosæ. Ratio est quia sunt sicciores & duriores, ideoque nec habent tantam humoris copiam quo facilè coalescant; Nam humor est medium quo velut glutine partes separatæ reuniuntur; Medici docent, in partibus carneis reperiri copiosum sanguinem, qui tantum sit incrassandus; adesse materiæ dispositionem & capacitatem substantiæ carneæ, causam etiam efficientem esse validissimam & longè validiorem quam in coalitione partium spermaticarum. Est autem causa efficiens potentia nutriens, quæ quod substantiam humidam non æquè parti uni atque alteri degeneret, non est ex se suoque defectu, sed ex partium separatarum incapacitate.

DICO 2. Partes omnes spermaticæ coalescunt non tantum in pueris, sed etiam in senibus quocunque tempore si disuniantur. prob. primo experientia, quia videmus quævis ossa etiam, si in extrema senectute frangantur, rursum coalescere, ergo potius id de mollioribus dicendum est. Prob. 2. ratione, quia in singulis partibus spermaticis manet unus ad extremum senium virtus nutriens, quæ materiam alimentalem ad decentem formam in partibus sanis & integris adgeneret & adglutinat, ergo etiam præstabit id in partibus resectis, cum præsertim non desit etiam in extremè senibus humor medius quo rursum coalescant.

DICO 3. In pueris & infantibus facilior fit coalitus quam in viris & senibus. Ratio est, quia in pueris partes sunt molles & humidæ, in senibus autem siccæ & duræ. Et hoc est principium & fundamentum, quare in senum corporibus fit defectus humidi radicalis, copiosum etiam gigni non possit, quia partes duræ non sunt ejus receptivæ, sicut nec lapides ullius humoris; quare item calor vitalis deficiat & mors naturaliter sequatur &c.

DICO 4. Coalitus in pueris fit per medium ejusdem ferè substantiæ cum partibus solutis, in senibus verò per diversum. prob. partes omnes spermaticæ in pueris sunt molles, ideòque facilè tantum medii suppeditant, quantum pro coalitu necessarium sit; contra verò in senibus sunt siccæ & solidæ, proinde coalitus fit per substantiam aliunde affluentem, quæque sit diversæ naturæ à membro quod coalescit. Adverte tamen, magnam esse partium differentiam inter se, tum latitudinem temporis & ætatum in corporibus observandam; Nam imprimis in quibusdam partibus facilior est hic coalitus tam per medium substantiæ ejusdem quam diversæ, in quibusdam difficilior ob connaturalem quandam singulis vel teneritudinem & mollitiem vel soliditatem; Deinde semper quò partes ortui sunt proximiores, eò facilius per medium ejusdem rationis coeunt, minus autem quò longius ab hoc distant ob siccitatem quæ magis senium inducitur. Adhæc nunquam pars aliqua in quacunque etiam ætate sic coalescit, ut ad pristinam perfectionem & statum redeat, sed extremitates ita uniuntur, ut per medium humorem semper invicem fiant contiguæ, aliquando manifestè ut in corpore provectiori, aliquando vix perceptibiliter ut in infantia & pueritia.

DICO 5. Partes spermaticæ non possunt per nutritionem crescere & in antiquam formam seu perfectiorem regenerari, si corrumpantur, vel præcisa è corpore eximantur. Ita Gal. l. de sem. c. 17. & ratio est, quia est defectus materiæ seminalis ex qua gignuntur partes spermaticæ, cum non fiant sed nutriantur solum ex sanguine: Deinde virtus illa non est tam vehemens in prole genita ad ejus membra solida, quæ plus operæ exigunt, reficienda, quam extitit in semine ad illa de integro coagmentanda, ideoque non potest ea corrupta regenerare, quæ prius formare potuit: Et ideò non valet argumentum illud, virtus nutriens potest ex sanguine nutrire ossa & nervos, ergo potest etiam easdem partes corruptas regenerare, quia majoris difficultatis est partem de novo producere, quod potuit prima virtus formatrix in semine existens, quam eandem nutrire & per nutritionem augmentare, quod potest vis nu- *Quare non possit membrum corruptum nuò generari.*

triens

triens & formans, quæ jam in partibus animatis est fundata.

DICES primo, Hipp. & Gal. negare, ullas partes sperm. posse coalescere, ergo. Et confirmatur ratione, quia deficit causa tam materialis quæ est semen, quam efficiens quæ est vis formatrix. Resp. Authores negare partes solidiores & ficciores coalescere ex materia seminali vel illi propria. Ad confirmationem dico, etiam in partibus sperm. esse vim formatricem distinctam ab illa quæ semini est propria; Neque deest materia, humidum scilicet cujus beneficio undique in corpore possunt reuniri partes.

DICES 2. Gal. l. 5. meth. c. 7. docet se multas arterias glutinatas vidisse; Et hæc etiam aliis in locis de ossibus parvulorum docet. Resp. id nihil esse contra conclusiones, in quibus docetur, etiam arterias & ossa, si patiantur solutionem, posse denuò ex materia vel ejusdem ferè substantiæ ut in parvulis, vel diversis ut in senibus reuniri. Dixi ferè, quia licet parvulorum partes sint valdè molles & humidæ, ideòque facilè reunibiles, medium tamen illud quo reuniuntur, non est omnioò ejusdem substantiæ, quia non est semen, sed humor aliquis semini non multum absimilis.

DIFFICVLTAS VIII.

De natura vulnerum in diversis partibus.

INter morbos solutæ unitatis primò occurrunt vulnera, de quibus dum quæritur, quænam in parte sint periculosissima & quæ curatu facillima, Advertæ pericula vulnerum desumi à præstantia & dignitate partis, à consensu cum aliis, & à symptomatis, quæ vel vulneri vel parti magis & facilius supervenuint.

DICO primo, ex vulneribus tutissimum facillimumque curatu est vulnus simplex carnis; per carnem intellige cuticulam, cutem, pinguedinem, membranam carnosam substratamque carnem musculorum. Prob. caro non est pars princeps, nec si vulneretur, fit vulnus contumax & malignum sicut in articulis & partibus heterogeneis: Nam hujusmodi vulnera solent propter copiosum humidum quod proximè ad carnis naturam accedit, seipsis consolidari, si munda serventur nec aliunde fomententur. Advertte tamen primo, ne sint nimis magna & profunda, 2. ne fiant in fine aut principio musculi; Nam si vulnus imprimis sit magnum & profundum, non tantum requiritur unio partium inter se distantium, sed etiam carnis regeneratio, quæ in profundo deperditur, & quâ cavitas denuò implenda est. si musculus in fine vel in principio vulneretur, nervus offenditur, ut videre est apud Celsum l. 5. c. 26.

DICO 2. vulnera venarum & arteriarum periculosa sunt non tam ratione solutæ unitatis quam symptomatum quæ sequuntur, 1. desumitur ex unitione quæ in utrisque difficilis, sed difficilior in arteriis ob motum & impetum sanguinis, tum crassitudinem & duritiem, quæ venas superant. secundum prob. ex profusione sanguinis quæ facilè supervenit & vires exhaurit; Nam si largior fit, sequitur desipientia, convulsio, singultus, & syncope ob multam spirituum ioanitionem ex aphor. 9. sect. 7. Cæterum an vena vel arteria soluta sit, facilè cognoscitur ex motu & natura sanguinis, quia in vena secta motus est æqualis & continuus, sanguis etiam crassior, nigrior; Ex arteria autem fluit cum saltu & impetu ad modum pulsus, est etiam subtilior, calidior, magisque rubeus, floridus clarus & spirituosus.

DICO 3. etiam vulnera nervorum, sive facta sint cum punctura, sive cum incisione, periculosa sunt, & utplurimum sive ratione solutionis sive symptomatum supervenientium, magis quam venarum & arteriarum. Ratio desumitur ex maxima cum cerebro sympathia, ex qua nervis vulneratis accidunt dolores vehementissimi, convulsiones, quæ maximè in vulneribus sunt perniciosæ, deliria, apostemata, sitis intensa, vigiliæ, siccitas linguæ, febris ardentissima &c. Quod autem nervus sit vulneratus & non in totum præscisus, id monstrat dolor insignis, quem sequitur pulsatio inflammatio, convulsio, delirium &c. Quod si autem per transversum in totum præscindatur, nec dolor adest nec convulsio & inflammatio, sed oritur torpor & amissio sensus & motus ejus membri in quod nervus inseritur. *In nervo functio est dolor, non in abscisso.*

DICO 4. omnia vulnera capitis periculo plena sunt; Ante probationem Adverte, in capite considerandam esse cutem capillis subjectam, tum ejus vasa & musculos: hæc sequitur pericranium, cranium, & duæ meninges sive dura & pia mater: Et in his omnibus exceptâ cute vulnera esse valdè periculosa prob. primo de pericranio, quia oritur è dura meninge, cui facilè etiam in exiguo vulnere lethalis & periculosa inflammatio accidere potest. 2. de cranio, quia prætetquam quod eadem adsint incommoda quæ cum pericranio vulnerato, accedit & hoc, quod incognitum sit Medico & Chyrurgo, qua in parte fractura sit, an in vicina an in opposita, & quoquid ex contusione integrâ ossis externâ parte fortè in interna spiculum ossis duram matrem penetret & sit causa mortis. 3. prob. de meningibus, quia si hæ cum cerebro sint vulneratæ, sequitur vomitus, vertigo, torpor, mentis alienatio, nervorum vel resolutio vel distensio, febris acuta, fluxus sanguinis per nares & aures ex Celso l. 5. c. 26. sunt autem vulnera in medio capitis periculosissima, quia copiosissimum ibi consistit cerebrum, est etiam eâ parte cranium tenuissimū, nullaque patet via, per quam materia noxia repurgari possit; In occipitio contra se res habet, medio autem modo in fronte, quia

os hic crassum est, & adsunt viæ ut os, nates & aures quibus materia excernitur: ad futuram etiam vulnera sunt periculosissima, quia os infirmum est transitque dura mater ut constat Anatomicis.

DICO 5. Vulnera thoracis si profunda sint & pleuram perforent, periculosa sunt & potissimum si aliquod ex membris nobilioribus attingant, periculosiora tamen vulnera partis posterioris quam anterioris. Ante probationem Adverte, per thoracem vel ventrem medium intelligi totum illud spatium costis circumseptum, quod constat cute, pinguedine, membrana carnosa, costis, musculis intercostalibus, pleura membrana, osse pectoris, spina dorsi, corde quod pericardio concluditur, pulmonibus, diaphragmate, vena cava, arteria aorta & gula. Jam prob. conclusio quod vulnera thoracis periculosa sint, quia factâ inflammatione & febre copiosus humor in capacitatem defluit & putrescit: Quod autem vulnera partis posterioris sint magis periculosa quam anterioris, ratio est, quia plures ibi majoresque adsunt nervi & tendines, crescitq; periculum, si medulla spinæ ob sympathiam vel consensum cum cerebro tangatur. Desperata res est, si diaphragma in parte nervosa saucietur, sicut etiam si pulmones magno vulnere confodiantur & pericardii tunica perrumpatur, maximè autem si cordi quod vitæ principium est nullamque solutionem patitur, hæc vis inferatur. Quod si tamen objicias Cervum Oenipontanum, in cujus medio corde pila plumbea Anno 1649. postquam in venatione alio ex vulnere periisset, inventa sit. *Cervus nō procul ab Oeniponto pilâ verberatus.* Resp. probabile hanc pilam, qua Cervus biennio ante tactus fuerat, supra cor pectus penetrasse, & sensim gravitate illapsam substantiam cordis & pericardii subiisse, si tamen vera sit historia, quam paucis mensibus post factum ex ipsis aulicis, qui præsentes rem inspexerant, audivi.

DICO 6. Vulnera abdominis si non penetrent, periculo vacant; si autem profunda sint, periculum involvunt, quamvis non lædantur partes internæ. Abdomine vel ventre inferiore comprehenditur totum illud spatium, quod à costis spuriis & lumbis ad ossa ilii sese extendit & complectitur cutem, pinguedinem, membranam carnosam musculos partesque & viscera nutritioni & generationi dicata, ut epar, lienem, ventriculum, intestina, renes, vesicam, uterum, ureteres, & vasa seminaria: Cum autem læduntur partes internæ, plerumque vulnera sunt lethalia, quia ut Celsus cit. ait, servari non posse, cui basis cerebri, cui cor, stomachus, spinæ medulla, medius pulmo, jejunum aut tenuius intestinum, aut ventriculus, renes aut vesica vulnerata sint. Gal. vulnera ventriculi in fundo si magna non sint, curari posse ait, quia facilè descendunt illuc medicamenta, contrà verò in ejus orificio superiori; ait etiam vulnus intestini jejuni esse incurabile primò ob multitudinem vasorum. 2. quia tunica ejus est valdè tenuis & nervosa. 3. quia bilem sinceram recipit. 4. quia Epati maximè vicinum est. Et hoc ait Aquapendens cum exili & frequentissimo pulsu vel 1. vel altero die decedere, ideòque monet, si pulsus talis deprehendatur, suspicionem esse de tenuibus intestinis vulneratis.

DIFFICULTAS IX.

Unde desumantur differentiæ vulnerū.

QUamvis per vulnus aliquando intelligatur in ampla significatione omnis affectus, qui est à soluta unitate, sive is fiat cæsim sive punctim & contusim, idque in carne, nervo, vena, capite, thorace &c. propriè tamen significat eam solutionem continui, quæ fit in carne ex 3. m.m. c. 1. & l. de caus. morb. c. ult. & quidem non quocunque modo sed saltem cæsim factam ex c. 6. de constitutione artis.

Nota verò, omne vulnus fieri à causis externis, idque vel cæsim vel punctim vel contusim: si primo modo, vocatur plaga vel vulnus propriè; si 2. à re acuta, punctio; si 3. à re gravi, dicitur quidem in carne contusio, in osse autem fractura, & in membrana, nervo, vena, tendine ruptio. Jam

DICO 1. Vulnus primo modo sumptum est solutio continui facta ab instrumento vel re externa in parte carnosa corporis; Ita communiter Medici & Aquapendens in sua chyrurgia l. 2. de vuln. c. 1. Dicitur primò solutio continui loco generis; Nam convenit in hoc cum ulceribus, contusionibus, rupturis, fractoris aliisq; affectibus ad hanc disp. spectantibus Dicitur 2. facta ab instrumento externo, ad differentiam ulceris quod oritur ex vitio interno, ut paulò post dicetur: Nam quæ secant & incidunt ut ensis, quæ pungunt ut culter, pugio omniaque mucronata, quæque demum contundunt ut solida, gravia, obtusa &c. extrinseca sunt. Dicitur 3. facta in parte carnosa, ut excludantur ossa, quæ aut franguntur aut rumpuntur &c.

DICO 2. differentiæ vulnerū sumuntur 1. à loco & parte affecta; 2. à natura ipsius vulneris, quomodo videl. hoc in se præcise cōsideratur. 3. à rebus præternaturaliter adjunctis. 4. à circūstantiis externis. Explicantur singula: 1. enim sunt à loco & parte affecta quædā vulnera capitis, alia ventris, carnis, viscerum, nervorum, ossium &c. 2. natura vulneris vel deducitur à figura, qua aliud dicitur rectum, aliud trāsversum, rotundum, quadratum &c. vel à magnitudine, quâ aliud est magnum, aliud parvū, profundum, superficiale; vel ab æqualitate & inæqualitate, qua aliud est totum apertum partim sub cute latens, quo modo videmus fieri in cōtusionibus. 3. aliquando conjunguntur cū vulneribus alii affectus, ut tumor, inflammatio, gangræna, malignitas; aliquādo etiam diversæ causæ, ut globus plumbeus, spicula, apex teli &c. aliquando symptomata ut dolor. 4. denique occurrunt aliæ circumstantiæ & adjuncta externa, v. g. tempus, quod facit aliud vulnus, esse recens, aliud antiquum &c.

DICO

Vulnus simplex aut compositum. DICO 3. Vulnus aut simplex est, aut compositum & cavum; simplex est quod partes similares, ut carnem, venas, arterias, nervos, &c. tantum occupat, sive id fiat ab incisione, sive contusione & ruptione, sive sit longum, latum, profundum, &c. quo in vulnere tantum requiritur unio partium separatarum. Compositum est, quod organa & partes dissimilares, ut caput, thoracem, digitum, manum, &c. occupat, & in quo præter unionem carnis quoque generatio requiritur; Nam in hoc imprimis deperditur substantia quæ proinde resarcienda est; Deinde fit ex simplici quidem aliquando incisione sine carnis amissione, ita tamen ut vulneris labia ob magnitudinem & distantiam non possint in profundo ad mutuum contactum deduci, ideòque cavitas in profundo necessariò carnibus replenda remaneat; de quibus vide Fernel. & alios.

DIFFICULTAS X.

An & quomodo homo fieri possit invulnerabilis.

CErtum est, ita corpus nostrum quod extrinsecus pelle & cute circumdatum, intus verò carne, nervis, arteriis, venis, ossibus, &c. constat, ita constitutum esse, ut cum illud paulò durius ferro, lapide, aut quavis re solidiori tractamus, non tantum dolorem inferamus, sed & solutâ cute, carne, musculis, sanguinem eliciamus; Cæterùm non pauci reperiuntur inter mortales, qui præter alias artes malas & suspectas igne & flammis dignas præsumunt certam aliquam profiteri, aut media quædam adhibere, ut àre nulla quantumvis acuta & solida vulnerentur; Extant etiam cùm ex aliis tum ex impiis militibus, qui putant se fore invulnerabiles, si arma certo ritu incantent, vel ut notat Spreng. in mall. p. 2. q. 1. c. 16. si sacrilego ausu crucifixi imaginem compungant, vel si ferant interulam lineam horrendis inscriptam imaginibus, quam vocant inferni camisiam, ut notat Delr. disquis. magic. l. 2. q. 21. vel si periapta quædam ferant variis characteribus magicis insignita, aut orationes, quas blasphemè admodum & mendaciter attribuunt D. Leoni, vel Carolo Magno, insignitas magnis, ut magi loquuntur, Dei nominib', &c. His positis quæritur an & qua virtute hæc omnia fieri possint.

DICO 1. Naturaliter fieri non potest, ut dum aliquis vel ferro vel re quavis solida durius & acrius feritur, nihilominus non sauciatur: Est hæc conclusio partim rationis, partim experientiæ; Rationis quidem, quia in nullo membro corporis humani est tanta vis naturalis, ut possit cuivis ictui resistere, & nullus est gladius, culter, pugio, telum, &c. quod non possit cutem, nervum, musculum, membranam, in quam intenditur, penetrare, ergo naturaliter quisque gladius, culter, pugio, ferit & dividit carnem, cutem, musculum, nervum, si validius tangat; Experientiæ autem, quia videmus nos quotidiè, dum incautius res duriores tractamus, jam in manu, in pede, in brachio, in capite & quavis parte corporis vel levius vel gravius & periculosius sauciari. Intellige tamen ut ictus & res vulnerans sit membro vel corpori vulnerando proportionata; Nam si leviter cultro manum ferias, vel si gladio obtuso humerum non fortiter percutias, nec ille cutem, nec vestem aut carnem hic penetrabit.

Quomodo opera Dæmonis homo non sit vulnerabilis. DICO 2. Opera Dæmonis fieri potest, ut aliquis nullo ferro, ense, pugione, telo, sed nec sclopeto & tormento sit vulnerabilis. Hanc conclusionem docent omnes Theologi, Juristæ, Medici & Philosophi, eamque desumunt à potentia & virtute spirituum, tum à communi experientia; Eam enim habet perversus spiritus virtutem & dexteritatem, ut ab eo, quem illæsum servare cupit, omnem ictum repellat, atque ita corpus ejus à quavis solutione continui tueatur, id quod ab aliis potentioribus magisque stupendis actibus confirmatur, quos ab eo per applicationem activorum ad passiva fieri experimur; Nam si potest hominem demortuum movere, vel ex aere corpus formare, ex eo loqui, homines olim mortuos & incineratos repræsentare, præsens objectum ità occultare, ut visum effugiat; certè facilius poterit ictus gladiorum & globorum retundere, ut quamvis corpus contingant, nullam tamen illi vim inferant: Et hoc docet in millibus malevolorum hominum experientia, cum in quibusvis digladiationibus & rixis beneficio ut credunt imaginum, characterum, annulorum, nummismatum omnisque generis periaptorum se suaque corpora, quantumvis graves & validos excipiant ictus, illæsa tueantur. Sed quis modus hujus tutelæ?

DICO 3. Non potest Dæmon aliter hominem reddere invulnerabilem, quam ictus probibendo, avertendo, debilitando, & quod insuper probabile est, cutem densando fortiterque stringendo. Probatur, quia non potest Dæmon eam soliditatem & resistentiam cuti vel carni imprimere, quam cernimus esse in ferro, in ligno, in lapide, metallo aliisque corporibus, quæ tamen nihilominus à gladio, aut pila plumbea perrumpuntur, ergo alio modo opus est, quem Dæmon in avertendis vulneribus adhibeat, videlicet repressione & debilitatione ictuum, quia densatio vel constrictio cutis, etiam ad modum lapidis non sufficit contrà tantam rerum solventium & vulnerantium efficaciam. Qui itaque arte magica invulnerabiles sunt, quemadmodum fint oportet, opus habent, ut perpetuò à Diabolo insideantur

& circumfideantur ad impetus ferri vel globorum excipiendos & retundendos; sicut autem hic impostor liberè tales infidet, ita si illi placuerit, liberè iterum eos deserit & recedit, prout fecit Scafio illi de quo Niderius in suo formicario, ut integram historiam refert Delrio citatus, & Quirino J.U. Baccalaureo, quem novitidem Delrio, & quem in multis conflictibus & digladiationibus diu ab omni vulnere tutatus Dæmon tandem Romæ in convivio quodam deseruit, ubi minimo vulnere intercemptus miseram & iniquam naturam exhalavit; Ita plurimis aliis stultè huic infidæ tutelæ & clientelæ se committentibus fecit.

DIFFICULTAS XI.

Quid sit Vlcus & quotuplex.

ULcus communiter sumi solet pro unitatis separatione quod habet commune cum vulnere, sive hæc fiat in carne, sive in nervo, osse, capite, pulmonibus, &c.

NOTA, quamvis vulnus & ulcus nonnunquam pro eodem usurpentur, ut patet ex Hipp. l. 1. de ulceribus; Nihilominus tamen magnam esse utriusque differentiam, ut proxima difficultate constabit. Et Gal. cap. ult. de causis morborum juxtà causam efficientem facit distinctionem, quia duas affert causas quæ unitatem solvant, alias videlicet quæ extrinsecus adveniunt, & rursum alias quæ ex ipso corpore intrinsecus oriuntur; Et ex hac distinctione c. 6. l. de constitutione artis colligit, vulnus fieri à causa externa, ulcus ab interna, ab humore scilicet intrà corpus, Jam

Vlcus quid. DICO 1. Ulcus est solutio continui ab interna causa proveniens ex erosione. Ita Aquap. de ulceribus c. 11. l. 3. vel ut habet Fernel. lib. 7. de extern. corp. affect. cap. 9. Ulcus est fœda & impura continui solutio; docet enim fieri impuram non ex sanguine ut vulnus, sed vitio humoris vel sanie ex humoribus genita, vel pure vel quavis alia corruptione, & quidem ipso statim momento quo fit ulcus, quia etiam vulnus sanie vel pure plenum sæpè est, sed non statim quando infligitur: Hinc ulcus, quod est etiam solutio continui sicut vulnus, est à causa interna in quo à vulnere discrepat. Addit Aquapendens ex erosione, ut cum Gal. lib. 3. meth. cap. 4. & lib. 4. ejusdem operis cap. 1. indicaret, omne ulcus fieri ex erosione, ideòque affectum esse compositum, videl. ex solutione continui & diminuta quantitate sive deperditione substantiæ.

DICO 2. Ulcus eodem modo sua desumit differentias quo vulnus, à loco scilicet affecto sive à partibus ulceratis, à natura ipsius ulceris, ab iis quæ præter naturam adjunguntur ulceri & à quibusdam extrinsecis. Primò enim alia ulcera sunt in carne, alia in vena, alia in capite, osse, thorace, ventriculo, intestinis, &c. Deinde ut habet Galenus lib. 3. meth. cap. ultimo, alia sunt longa, alia lata, recta, obliqua, rotunda, parva, magna, profunda, superficialia, &c. Adhæc quædam habent morbum adjunctum, ut tumorem, inflammationem, putredinem, gangrænam, dolorem, sorditiem, duritiem. Alia denique sunt ulcera recentia, alia vetusta. Fernel. citat. dividit ulcera ex causa continente in sanguinea, biliosa, pituitosa & melancholica vel cancrosa, excedentia, putrida & maligna sive ægrè sanabilia, & horum omnium ait causam esse humorem acrem & mordacem aliàs crassum, aliàs tenuem in partem effusum. Hinc ad meliorem cognitionem

DICO 3. Aliæ differentiæ ulcerum sunt quæ desumuntur à causa, non antecedente qualis est corporis impuritas, mala victus ratio, aut viscerum depravata constitutio, sed à continente, scilicet à vitioso humore in partibus existente. Hinc enim alia ulcera sunt sanguinea, quia sequuntur naturam sanguinis, alia biliosa, pituitosa, melancholica sive cancrosa propter eandem rationem, alia excedentia, erodentia, sordida & impura, alia virulenta & maligna. Priora quatuor fiunt ex tumore adaperto, reliqua sine tumore, ex bilioso tamen, salso, acri, mordaci & adusto humore. Maligna sunt ægrè sanabilia, non tam quod putrida sint aut tetrum spirent odorem, doloreque excrucient, quam quia habent labra tumentia, prædura & callosa & insuper qualitatem aliquam malignam, qualis sæpè post pestem relinquitur: In his non tantum humor effluens putrilaginosus est tetrique odoris, sed & caro, quæ sæpè cum partibus vicinis in sphacelum degenerat, quod vel ex solo humoris vitio vel ab extincto calore nativo fieri solet; nonenim hic calor amplius sufficiens est resistere vitio humoris, partiumque substantiam & integritatem conservare.

DIFFICULTAS XII.

Quotuplicia sint ulcera in specie, & an omnia curabilia.

DICO 1. Primum & levissimum ulcus est illud quod simplex dicitur, & cui præter unitatis solutionem ab erosione factam

fectum non annectitur morbus aut causa aut symptoma. Hujusmodi ulcus vel est plenum & æquale, ut ait Gal.3. meth.c.3. si videlicet cutis aut cuticula tantum deperditur, vel cavum, si præter cutem & cuticulam substantia quoque carnea corrumpatur: Et in hujus ulceris curatione tantum indicatur unitio, carnis generatio, & cicatricis inductio, quæ operationes tantum à natura fiunt, requirunt autem Medici auxilium ideò, ut ab excrementis, quæ faciunt ulcus cacochymicum & dolorosum, eluat, & repurget.

DICO 2. Ulcera quæ conjunctum habent morbum vel causam vel symptoma, difficulter sunt curabilia. Ratio est, quia sunt ita inter se affecta, ut præter carnis & cutis deperditionem habeant insuper vel depravatam & vitiosam temperiem partis ulceratæ, vel sanguinem & humores affluentes malignos vel utrumque simul, quæ omnia sive rationem habeant morbi, sive causæ & symptomatis, faciunt ulcera ægrè curari quod confirmatur authoritate Medicorum & experientia Chyrurgorum. Hi enim 4. species ulcerum ægrè curabilium faciunt; primam, si ulcus oriatur ex influxu humorum multorum erodentium, licet absque partis temperie; secundam, si pars ulcerata vitiosam habeat temperiem; tertiam, si utrumque sit in membro ulcerato; quartam denique, si humor influens & intemperies sit excessivè vitiosa, quia oriuntur hinc ulcera, quæ non tantum omnia putrefaciendo corrodunt & depascunt, sed & febrem accendunt. Quod autem hæc ulcera sint ægrè curabilia, ratio est, quia plures concurrunt judicationes curativæ, quibus omnibus satis facere perquam est difficile; prima namque intentio ulceris curandi est, unitio partium solutarum, tum carnis generatio & cicatricis inductio; altera verò partis vitiatæ intemperies & malignitas humorum affluentium, quæ utraque non tantum primam in curando impedit, sed & partem affectam magis afficit omnique medelæ resistit.

DICO 3. Causæ ulcerum sunt internæ, videlicet humores, qui toto abundant corpore vimque habent corrodendi; Ita Gal. cap.ult. de caus. morb. Humores hi variant substantia, quia alii sunt biliosi, alii melancholici, &c. & qualitatibus tam primis quam secundis, quia alii sunt calidi, alii assati, alii tenues, crassi. Si fuerint tenues, efficiunt ulcus purulentum; si crassi, sordidum; si valdè calidi, serpens & corrosivum; si adhuc calidiores, tenues & flavæ bilis æmuli, fiunt ulcera quæ solam cutem exedunt ob humoris tenuitatem, & dicuntur herpetes exedentes; si calidi, crassi, & bili assatæ sive salsæ vicinæ, non solùm cutem, sed substantiam etiam carnosam ob humoris crassitiem corrodunt, quæ ulcera cancrosa sive phagadænica dicuntur; si humores hi tantum fuerint calidi, ulcera tantum fiunt crustuosa, sicut carbunculi simplices; si autem adeò vitiosi, ut penitus adversentur calido nativo & vitali, fiunt ulcera putrescentia gangrænosa; Et hinc est colligere, quod causæ ulcerum sint humores acres & erodentes, qui ubi consistunt in parte affecta, sunt proxima & continens causa ulceris: quando autem in toto redundant, antecedentes dicuntur: Cæterùm causæ quæ humores ad ejusmodi effectus & affectus gignendos disponunt, sunt vel in ipso corpore, vel extrinsecus adveniunt: Causæ internæ sunt plerunque vitia epatis aut lienis, ut intemperies, obstructio, tumor. Externæ sunt vitiosi cibi, ut allia, cæpæ, aromata, vinum potens, aer vitiosus, motus vehemens, vigiliæ immodicæ, &c. Et hinc quod sequitur

DICO 4. Ulcera fiunt periculosa propter tres causas ex Galen. 4. meth. cap. 6. Prima causa est natura loci affecti, unde ulcus periculosum est, si existat in parte nobili & præstanti, minus autem si cadat in locum ignobilem v. g. in cutem. Secunda est ulceris magnitudo, quia in ulcere magno tendines, venæ, arteriæ, nervi aliaque ulceri subjecta ob profunditatem corroduntur, & ob latitudinem multæ partes internæ deteguntur; & ab aere externo debilitantur. Tertia causa est malignitas ulceri adjuncta, quia propter hanc vel difficulter vel nunquam curantur ulcera, ut habetur 4. meth. cap.5. hujusmodi sunt ulcera, quibus semper aliquid præternaturale annectitur, ut intemperies, putrilago; sordities, dolor, fluxus, inflammatio, gangræna. Hinc ex aphor.4. sect.6. ulcera circum glabra maligna dicuntur; quia quando pili è parte ulcerata decidunt, aut carunculæ aut squamulæ deterguntur, signum est humores valdè vitiosos & erodentes in parte abundare. Sic aphor.45. sect.6. ulcera annua aut diuturniora, in quibus os abscedere aut cicatrices cavas, fieri necesse est, omnia sunt maligna ob humoris vitiosi præsentiam: sic ulcera quæ ab atra bile gignuntur, sunt incurabilia ex Galeno lib. de atra bile cap.5. ex quo etiam illa ulcera sunt maligna, quæ occupant extremitates dorsi, brachiorum, tibiarum, &c. sic ut paucis omnia dicantur, omnia illa ulcera & vulnera sunt deterioris conditionis & difficilioris curationis, quæ incidunt in vitiosum corporis habitum, & cujus viscera naturalia excessu caloris sunt depravata. Cæterùm in specie omnia ulcera nominatim explicare supervacuum est, quia omnes partes corporis exceptis paucissimis exulcerantur absque peculiari nomine, ut patet in pulmonibus, epate, renibus, sed & in omnibus partibus nervosis, membranosis, cartilaginosis, &c.

Dd 2 sicut

ficut docet Ozæna, quod eſt ulcus narium vel recens & ſimplex, vel antiquum & ſordidum ut fusè docent Medici practici.

DIFFICVLTAS XIII.

De Fiſtula.

ETiam ulceribus annumeratur fiſtula, quæ cum frequentiſſima ſit in humanis corporibus, æquum eſt, ut ejus poſt ulcera cùm natura tum cauſæ breviter deſcribantur.

Fiſtula quid. DICO 1. Fiſtula, quam Græci ſyringam appellãt, eſt ſinus anguſtus & longus ex Aquap. l.3. de ulcer. c.11. cui conſentit Fernel. cit. c.7. vel eſt ulcus anguſtum & calloſum ex Celſ. l.5. cap.28. Dicitur primò ſinus, & quidem melius qnam ulrus, quia boc eſt genus remotum & in ampla ſignificatione ſumptum; Et quamvis etiam ſinus rationem generis habeat eò quod & hic à Fernel. Venter & tecta latensq; capacitas, quæ maneat poſt abſceſſum repurgatum, dicatur; hunc tamen affectum magis propriè explicat fiſtula, quæ ſecundò dicitur ſinus arctus & oblongus ad differentiam aliorum hujuſmodi affectuum, qui non ita in longum exporriguntur, ſed majorem ſæpè capacitatem faciunt; Nam in genere id ſinum appellare ſolemus, quando ſanguis v.g. aut alius quivis bumor putreſcit, & non tantum carnem vicinam, ſed etiam interdum nervos & venarum fibras exedit & corrumpit; pure enim effuſo neceſſum eſt, intus relinqui aliquã capacitatem, quæ per longam multamque putrefactionem facta ſit, ut videre eſt apud Gal. l. de tumor. prætern. cap. 4. & 5. & l. 2. c. 8. ad Glauc.

DICO 2. Varia ſunt genera fiſtularum, quæ deſumuntur à forma propria, vel à partibus in quas terminantur; A forma propria aliæ ſunt breves, aliæ longæ, aliæque altius penetrant; aliæ directè intus feruntur, aliæ tranſverſè; aliæ ſunt ſimpliees, duplices, triplices, &c. aliæ uno orificio oriuntur, aliæ pluribus; ſimiliter aliæ deſinunt in carnem, aliæ ad oſſa, cartilagines, venas, nervos, &c. quæ omnia ſuis ſignis apud Medicos & Chyrurgos manifeſta ſunt: ſi enim fiſtula aliqua in carnem deſinat, cognoſcitur ex immiſſione ſpecilli in partem mollem, & quia pus album, læve, copioſum effertur; ſi ad nervum terminetur, immiſſo ſpecillo dolor excitatur; ſi ad os, durum eſt, quod ſpecillo tangitur; ſi venæ aut arteriæ fuerint eroſæ, id ſanguis vel craſſior vel tenuior manifeſtat.

DICO 3. Omnes fiſtulæ ſunt curatu difficiles, quædam etiam omninò incurabiles, imò quædam penitus curari non debent. Probatur primùm, omnis fiſtula neceſſariò callum undique ad latera obduxit, ergo nullam vel certè difficulter admittunt medicinam, niſi tamen callus detrahatur; Deinde magno labore imponitur medicina, pervenitque ad fundum. Secundum conſtat experientia, quia omnes fiſtulæ, quæ tendunt ad magnas venas, arterias & nervos, ad peritonæum, inteſtina, veſicam, vertebras dorſi, & coſtas, quæque conſiſtunt, in aliqua junctura manus, brachii, pedis, &c. natura ſua ſunt incurabiles, cujus ratio eadem eſt cum priori, quia videl. non admittunt medicamenta. Probatur tertium ex conſilio & judicio optimorum Medicorum, qui experientia edocti ſuadent multas fiſtulas non eſſe curandas, præſertim cum & Galenus comm. 39. ſect. 3. lib. 6. Epid. & l. 3. de humoribus ſuadeat, iis fiſtulis non eſſe manum adhibendam, per quas ſupervacui humores commodè expurgentur, quæque propterea hominem ab aliis multis incommodis & affectibus præſervent. Hujuſmodi fiſtulæ numerantur antiquæ, quæ ſunt in loco declivi & procul à parte principali, quæ omnes vel apertæ maneant, vel clauſæ rurſum aperiantur, quia experientia ſæpius docuit, multos qui tales habuêre fiſtulas, plurimis annis integrè & ſalubriter vixiſſe, iiſque vel caſu vel arte per ignorantiam clauſis in diſcrimen vitæ incidiſſe. Cæterùm quia fiſtulæ ad naturam ulcerum ſpectant, ab iiſdem etiam cauſis oriuntur, à varia ſcil. humorum corruptione, qui in diverſas partes decumbentes abſceſſum faciunt, juxtàque partis conſtitutionem eo ſioue ſinum formant.

DIFFICULTAS XIV.

De Caruncula meatus urinarii colliqué veſica.

SOlet non rarò accidere, ut dum homo lotium excernit, vel magnum in ipſo penis meatu ſentiat dolorem, vel tantam in excretione difficultatem, ut non niſi guttatim inſigniqúe conatu illud egerat; Et de hoc utroq; malo, quia inter reliquos ulceroſos affectus nominatiſſima ſunt, Hic quæritur:

DICO 1. Ideò homo dolorem ſentit in excretione urinæ, quia vel collum veſicæ vel penis meatus exulceratus eſt, difficultatem verò, quia iiſdem in locis caro quem carunculam vocant, accrevit. Ratio prioris eſt, quia nunquam ſolet urina cum dolore excerni, dum veſica totusque meatus urinarius integer eſt & ſalvus, ergo ſignum evidens & manifeſtum eſt, ſi cum dolore fiat, eroſionem & exulcerationem ſive majorem ſive minorem adeſſe, cum alia

doloris

doloris causa non reperiatur; Et idem de caruncula vel carne adnata intellige; Nam si lotium non fluat, vel id oritur ab ejus crassitie & viscid itate, prout sæpius fieri norunt Medici practici, vel ab aliquo calculo & materia meatum obstruente, vel denique ab aliqua carne, quæ pnst ulcerationem vel in collo vesicæ vel in meatu accrescere solet, quam etiam specillo in vesicam immisso deprehendimus, vel post mortem in sectione cernimus.

Ulcus in meatu urinario.

DICO 2. Ulcus meatus urinarii vel colli vesicæ est affectus præternaturalis, quo propter interioris tunicæ exulcerationem urina summo cum dolore profluit; Caruncula verò, in quo urinæ exitus intercluditur. Dicitur utrumque malum esse affectum p.n. quia illud spectat ad genus solutæ unitatis, hoc verò ad vitiatam compositionem, & refertur partim inter obstructiones, quà meatum occludit, partim inter tumores, quà vitiosa est magnitudo & eminentia; Nam in illo meatus urinarius vel collum vesicæ à calculo, ab urina acri & vehementer salsa, à semine corrupto, &c. exulceratur, ideòque urina summo cum dolore profluit. Caruncula verò, quæ carne vitiosa & spongiosa constat, gignitur post excisionem tunicæ ex humoribus depravatis & corruptis, viamque sensim intercludit, quò minus urina velut inutile corporis excrementum excernitur, quæ proinde per alias partes v.g. per scrotum, per perinæum, per sedem, per inguina, &c. non rarò erumpere solet.

Signa carunculæ meatus urinarii.

DICO 3. Sicut ulcus meatus urinarii & colli vesicæ, ita etiam caruncula utriusque partis suis appropriatis signis internoscitur. Nam imprimis si ulcus sit in meatu urinario, pus compactum & collectum præcedit urinam, oriturque dolor inter meiendum acerbissimus, tensus etiam est colis, semper curvatur ad inferna, & absq; dolore nunquam nisi inter femora tenetur; Cum verò ulcus est in vesica, dolor non ita acerbus est, nec pus ab urina secretum mingitur, sæpius squamulæ quædam excernuntur, adverriturq; gravis in urina vel odor vel etiam fœtor: Deinde caruncula, cujus est facilis ab exulceratione distinctio, si sit in meatu, extrinsecus tangitur, præcessitque non in vesica sed in cole excesio; si autem sit in collo vesicæ, nihil ejusmodi advertitur in meatu, nec est tantus conatus & dolor sive gravativus sive compressivus in urinæ excretione; Et solet hoc tantum specillo dirimi; Nam si ad vesicam usque illud inferas, signum est carunculam ibi existere; si verò prius in tumorem ipsum impingas, jam carnem in meatu excrevisse scias. Et similiter à caruncula vesicæ calculum distingues primo per contactum, qui fit specillo. Secundò per pruriginem, quæ est juxta colis radicem. Tertiò per modum suppressionis urinæ. Nam si hæc fit à calculo, liberè aliquando & copiosè mingitur, quando scil. aut lapis revolvitur, aut æger supinus cubat; In caruncula verò sive in dextro sive in sinistro, pronè sive supinè decumbes, stes aut sedeas, semper eadem est suppressio.

DICO 4. Ulcera in meatu urinario & collo vesicæ citò curanda sunt; Ratio, quia aliàs transeunt in carunculas præternaturales, quæ facilè ex humoribus vitiosis gignuntur; Cum verò caruncula in locis abditis & inaccessis existat, non facilè in iis exterminatur; ideòque citissimè siccantibus, cicatrisantibus & auferentibus ea quæ ulcus produxêre, curanda est, ut norunt practici. Caruncula verò methodo duplici tollitur unâ videl. violentâ & periculosâ; cujus Galenus in opere de loc. affect meminit, ut nimirùm caro illa præternaturalis æneâ fistulâ deteratur; alterâ benignâ, mitiori & faciliori, quæ cum fiat medicamentis evacuantibus, diæteticis, emollientibus, absumentibus excrescentiam, abstergentibus & consolidantibus; ideò etiam periculosa non existit.

DIFFICULTAS XV.

Quid sit fractura & quotuplex.

SI à causa interna, id est, ab humoribus erodentibus fiat in osse solutio unitatis, vocari solet caries, quæ non est fractura sed erosio tantum: si autem fiat à causa externa, id est, ab aliquo violento; tunc propriè dicitur fractura, v.g. os brachii à contusione, à globo ferreo spina vel costa, ab ense calvaria, &c. ubi pars ossis ab osse separatur. Itaque

SUPPONO, fracturam non fieri in quolibet membro, sed in solo osse, sicut in carne contusio, & in membrana vel nervo ruptio. Jam *In osse est fractura, in carne contusio, in nervo ruptio.*

DICO 1. Fractura est solutio continui in osse à violento extrinseco. Dicitur primò solutio continui loco generis, quia hæc communis est fractura cum omnibus aliis solutionibus. Dicitur secundò in osse, ut designetur subjectum in quo fiat fractura; Nam fit hæc in solo osse, sicut in sola carne contusio, & in membrum ruptio. Dicitur tertiò ab extrinseco violento, ut significetur causa solvens, quæ aliquandó est erodens, licet rarissimè, ut humor malignus in cancro, in fistula, in pravo & vitioso ulcere; aliquando res secant; frequentissimè autem quod contundit & rumpit ut lapis, fustis, globus ferreus, &c. Nam licet contusio in sola carne fieri dicatur, hoc tamen ita intelligendum, ut in carne contusio non tantum accipiatur pro actione, sed etiam pro ipso effectu, in osse verò pro sola actione & non pro affectu, quæ *Fractura quid.*

hic est fractum. Et hinc *Observa*, solutionem unam non esse similem alteri in modo fiendi, esse tamen similes in modo essendi; Nam musculus v.g. per medium dissectus similem habet solutionem quam habet os fractum, licet fractura ossis non fiat eodem modo quo dissectio venæ, nervi, membranæ, musculi, quia hoc impedit varietas dispositionum in partibus, quarum altera ob soliditatem & duritiem frangi potest, altera rumpi, extendi, secari & contundi ob mollitiem, extensibilitatem, &c. Quod si igitur Dicas, contusionem musculi habere eandem definitionem, quam habet fractura ossis, quia videl. est solutio continui, & fit ab extrinseco violento. Resp. esse solutionem, quæ fiat ab eodem agente, nimirùm à lapide qui musculum contundat & tibiam frangat, conceditur; eodem modo in parte subjecta, negatur, quia aliter fit contusio in musculo, cujus partes extenduntur, aliter fractura in osse, quod absque extensione rumpitur & dividitur.

DICO 2. Differentiæ fracturarum sumuntur à figura, à magnitudine ossium quæ franguntur. Ita Gal. l. 6. meth. c. ult. prob. Nam imprimis fractura ossis vel est recta, quæ fit per longitudinem, vel transversa, quæ fit per latitudinem, vel obliqua, quæ fit modo quodam ex prioribus mixto, & hæc competit formæ. Deinde alia fractura est magna, alia parva, & hæc est magnitudinis. Ultimò vel frangitur humerus, vel femur, vel costa, tibia, &c. Et hæc competit ipsis partibus; aliud autem nihil superest, à quo differentia muneri possit.

DICO 3. Aliquot signis cognoscitur fractura sine ulcere aut vulnere in ossibus. Nam primò constat os sine vulnere fractum esse, si adsit cavitas, quæ ad fracturam ossis tangatur; nam si fit cum vulnere, sensus id cognoscit; Secundò, si contractetur membrum fractum cum crepitu & fragore, qui in loco fracto edatur, Tertiò, si adsit dolor vehemens propter nervorum divulsionem, aut propter distortionem corporum nervosorum aut ob puncturam eminentiæ alicujus ossis in nervoso corpore. Quartò, si membrum fractum sit debile & impotens, in quo sustineatur aliquod vel levissimum pondus. Quintò denique, si adsint causæ manifestæ, ex quibus probabiliter fractura sequi potuerit: Quæ cæterùm fracturæ sint magis & minus periculosæ, à Medicis practicis & Chyrurgis petenda sunt.

DIFFICULTAS XVI.

De Gangræna & Sphacelo.

HÆc utraque affectio partim inter morbos, partim inter symptomata numeratur; hæc quidem, quia magnis inflamationibus superveniunt, illud verò, quia reduci solent à Medicis & Chyrurgis ad tumores, ad inflammationes, ad vulnera & ulcera; Et quia semper sunt cum solutione continui, ideò etiam hunc in locum transferre placuit. Itaque

DICO 1. Gangræna est mortificatio partis viventis in specie, Sphacelus autem in facto esse. Ita Gal. 2. ad Glauc. c. 9. Dicitur imprimis mortificatio partis viventis, quia perit calor nativus, qui est vitæ principium; sicut enim vita conservatur in calido, ita etiam è contra consistit mors in ejus extinctione, id est, in frigido. Dicitur 2. partis viventis, quia ut nihil potest fieri frigidum, nisi quod prius fuit calidum, ita etiam nihil moritur nisi quod prius vixit; vivunt autem propriè habentque calorem partes omnes, quæ in homine ab anima informantur. Dicitur 3. in fieri, quia mortificatio gangrænæ est illa affectio, qua itur in frigus, in mortem, in interitum & corruptionem, & quæ est in membro, dum mori hoc incipit. Dicitur 4. Sphacelus in facto esse, quia hic etiam est mortificatio partis viventis, sed jam actu emortuæ omnique animâ destitutæ, unde etiam utrique hi affectus non aliter inter se nisi secundum magis & minus differunt, quia in priori incipit membrum emori, in posteriori autem penitus eum extinctione caloris nativi abiit anima & vita; Est itaque gangræna & sphacelus unus idemque affectus præternaturalis quodam latitudinis termino constans, dum primus gradus est, quando mortificatio incipit, secundus autem & ultimus, quando jam calor vitalis & anima abiit. Et hinc lethalis, mortiferus & incurabilis est affectus sphaceles, saltem ejus partis quam occupat, quia à privatione ad habitum non datur regressus, & animam quæ jam à membro abiit, reducere solius est agentis Dei, abiit autem cum extinctione totius caloris vitalis; Gangræna curabilis quidem est, sed dum incipit, & nisi in tempore succurratur, paucis horis perit quicquid occupat, quia continuo quodam tractu motuque transit in sphacelum. Aquapendens l. 1. de tumor. præterni. c. 59. ait gangrænam quæ fit ex humorum affluxu, multò esse difficilioris curationis quam quæ sine affluxu suboriatur, & ex praxi se observasse, gangrænas ex humorum influxu obortas rarò feliciter fuisse terminatas, sed aliquos, præsertim senes intrà unum diem periisse, alios ut juvenes intrà plures.

Gangræna & Sphacelus.

Gangræna curabilis, non sphacelus.

DICO 2. Sive gangræna ex influxu humorum malignorum gignatur sive aliunde, quinque solent communiter causæ assignari, quarum interventu fiat. Prima est frigus externum, ut accidit iter hyberno tempore facientibus, quia calor nativus facilè in partibus externis & natura frigidioribus extinguitur. Secunda est calor extraneus, quando videl. hic internum vitalem & nativum una cum substantia corporis corrumpit, ut fit in magnis inflammationibus, & non rarò in Erysipelate, quando nimis calida ei applicantur. Tertia est defectus alimenti, quia nisi hoc cum calore recenti in membra influat, calor nativus perit

Causæ gangrænæ.

perit & marcescit ut contingit sæpè in locis & partibus tabidis, quæq; arctius vinculo cõstringuntur, adeòque omnem alimenti influxum impediunt. Quarta est prohibita transpiratio, quia ex hac magnæ inflammationes & corruptiones caloris nativi suboriuntur. Quinta denique est influxus alicujus vitiosi & maligni humoris, sive is à prava victus ratione, sive ab aere vitioso, sive ab ictu & punctura venenosa, sive ab aliis causis gignatur. Calor itaque nativus & vitalis quocunque in membro vitam conservat, ut corrumpitur in gangræna à frigore vel aeris vel rerum intrà corpus assumptarum, à calore extrinseco & ambiente, à defectu nutrimenti quo pascitur & enutritur calor vitalis, à prohibita transpiratione, & ab aliqua substantia venenosa, quæ occultè in calorem nativum agit.

DICO 3. Multa sunt signa, quibus tam gangræna quam sphacelus cognoscitur. Nam si gangræna fiat absque humorum influxu, extinguitur, imprimis calor floridus; deinde cessat dolor & pulsus, tandemque adest sensus hebetatio; si autem fiat cum fluxu, conjungitur primò febris continua & maligna. 2. Accedit dolor ingens & igneus ob maximam luctam & tensionem quæ fit in parte moriente, quia non accidit in rebus naturalibus major transmutatio, quam quæ est à vita ad mortem, & ab habitu ad privationem. 3. Apparet pustula quædam seu vesica & sub hac macula nigra. 4. Perit calor floridus membri, quia extinguitur calor & tota temperies, à qua dependet sanitas & tota corporis constitutio. In sphacelo sunt eadem hæc signa, sed intensiora, ut habet Gal. cit. l. ad Glauc. Nam primò, color est niger ob partem demortuam. Secundò, sensus omnis abest, sive pars uratur sive secetur. Tertiò, membrum expirat fætorem cadaverosum. Quartò, membrum est molle & putridum. Quinto, facilè cutis à subjecta parte detrahitur & separatur, quia extincto calore & vita membrum in corruptionem transiit.

DIFFICULTAS XVII.

De punctura nervi, sectione sive incisione arteriæ, morsu canis rabidi, ictu scorpionis, tarandulæ, vespæ, &c.

HI casus frequenter accidunt, quorum aliqui leves quidem sunt ut mordicatio urticæ, ictus vespæ, incisio aliquando arteriæ, &c. alii autem periculosi & lethales in quamcunque etiam partem corporis incidant, ut morsus canis rabidi, ictus viperæ vel scorpionis, punctura nervi, &c.

Punctura nervi. DICO 1. Punctura nervi est affectus p.n. ortus ex nervo perforato cum acerbissimis symptomatis; punctura est modus separatus à sectione, incisione, contusione, distensione & divulsione. Dicitur 1. affectus p.n. quia verè morbus est pertinens ad genus solutæ unitatis, ut patebit ex accidentiis quæ eum sequuntur. Dicitur 2. ortus ex nervo perforato ad differentiam aliorum modorum, quibus nervi solvuntur; fit autem hæc punctura sive perforatio aliquando profundius cum stylo ferreo, acu, cultro aut quovis instrumento solidiori & acutiori, aliquando minus profundè, cum v.g. inter venæ sectionem nonnihil tangitur. Dicitur 3. cum acerbissimis symptomatis; mirum enim, quam ingentes cruciatus & dolores minutissima hæc partis homogeneæ solutio gignat, ut etiam à manu, brachio vel pede resectia vix periculosius agi putea. Hinc quando Fernel. l. 7. de extern. corp. affect. c. 8. nervi vulnerati omniumq; symptomatũ quæ hinc consequuntur, meminit, nervo inquit seu punctim sou cælim vulnerato, motus interdumque sensua perit aut certè offenditur, torporque accidit partibus vulneri subjectis, dolor ingena excruciat, inflammatio partem exercet nonnunquam in gangrænam desinens, febria accenditur, celebrique consensu sæpè delirium succedit; Convulsio quoque insequitur, idque frequentius puncto & quadantenus secto quam præciso nervo, &c. hæc Fernelius: Quorum omnium symptomatum causa est partis præstantia & maximus consensus cum cerebro; ob exquisitum enim temperamentum est sensua delicatissimi, ut summi dolores, affluxus sanguinis & humorum periculosæ inflammationes ostendunt; deinde defert instrumenta motus & sensus, nimirùm spiritus animales; est etiam una ex præcipuis partibus motus voluntarii, unde in ejus perforatione motus & sensua perit; adhæc maximum habet consensum cum cerebro, quia ex hujus substantia primam ducit originem ex alibi dictis. Quare autem majus sit periculum si pungatur vel perforetur, quam si totus præscindatur, ratio est Fernelii, quia non convelluntur, adeòq; nec cerebrum tam graviter movent. An tamen universaliter hæc suppositio vera sit, non est hujus loci inquirere. Respondeo tamen paucis negativè, quia nec semper perforatio cerebrum convellit, nec amputatio febrem aliaque graviora symptomata juxta corporis dispositiones gignit.

An molius nervum pungere vel omninò præscindere.

DICES, etiam in aliis partibus puncturaa esse periculosas, imò magis quam in nervis, ut patet in punctura ventriculi, intestinorum, vesicæ, menyngum cerebri, & ultimò ipsius cordis substantiæ. Resp. 1. quando sermo fit de punctura nervi, non excluduntur aliorum viscerum perforationes. 2. Non sensus est, nervi puncturam esse periculissimam, quia constat vesicam, menynges & ventriculum si læsa sint, majus inferre periculum. 3. Puncturam nervi, ideò loco omnium proponi, quod frequenter accidat, & quod ex solius nervi læsione manifestum fiat, quam grave sit & periculosum hujusmodi substantiam etiam minimo instrumento punctim offendere; Nam etiam vesica, intestina, ventriculus, menynges cerebri sunt ejusdem

substantiæ cujus sunt nervi, habent etiam eundem consensum licet non ita immediatum cum cerebro, eandem naturam & propietates; esto non idem officium & eundem usum. 4. In cordis puncturam non esse præcisè propter naturam ipsius substantiæ tam periculosam, quia nec infertur dolor, nec convulsio; nec delirium, &c. sed propter dignitatem officii quam habet. Cum enim cor sit præstantissimum membrum in humano corpore, nec possit pars ulla supervivere absque ejus ministerio & beneficio per spiritus vitales quos singulis momentis toti suppeditat, necessum est, minimam in hoc unitatis solutionem esse graviorem quam in ullo cæterorum viscerum, a quibus non ita dependet vita.

Aneurisma

DICO 2. Aneurisma est dilatatio arteriæ ob plenitudinem sanguinis spirituosi; Differt à varice quod hæc fiat in venis à sanguine crasso, illud autem in arteria à sanguine subtili & spirituoso; Accidere potest in diversis locis tam exterioribus quam interioribus, v.g. in pedibus, in pectore, circà lienem & mesenterium, circà tamen arteriæ ruptionem aut apertionem, ut quidam comminiscuntur: quibus enim infelici venæ sectione arteria perforata non recluditur, hi in miserum vitæ suæ statum præcipitantur, ut testatur experientia. Tale aneurisma accidit nuper cuidam magno viro Viennæ Austriæ paulò supra regionem cordis, ubi pars extima cum continua pulsatione, difficiliq; respiratione in magnitudinē imprimis ovi anserini tum pugni capitisq; ferè excrevit, eoq; in statu multo tempore patientem semper inter vitæ mortisque angustias constitutum afflixit, quousque tandem & animam & vitam abstulit.

Morsus canis rabidi.

DICO 3. Morsus canis rabidi est affectus præternaturalis sive solutio continui facto per mordicationem ejusdem canis, vel est affectus p.n. morsum canis consequens.

Adverte, in hoc affectu tria in considerationem venire, primò morsum canis, qui habet se ex genere causæ primæ efficientis; Secundò solutionem continui, quæ spectat ad genus morbi solutæ unitatis; Tertiò deniquè febrem ardentem & continuam cum symptomatis supervenientibus, ut delirio, siti ingenti, hydrophobia, falsis imaginationibus, convulsionibus, &c. Quamvis juvenem præsens nuper spectaverim Viennæ, qui die 14. post morsum in hæc eadem ferè signa absque febre inciderit, & ad initium diei quarti extinctus fuerit. Si itaque hunc affectum pro soluta unitate tantùm sumamus, levissimus sæpè est, quia vix aliud præter extimam cutem occupat & penetrat, & si carnem substratam quoque solvat, facilè cicatrice superinductâ rursum coalescit, diciturque solutio continui facta per mordicationem canis. Si verò accipiamus affectum qui hanc solutionem sequitur, estque cum ingenti calore, delirio, convulsionibus, &c. describi solet affectus p.n. facta ex solutione continui, quam intulit canis rabidus. Dicitur itaque primò morsus canis rabidi, id est, ipsa soluta unitas facta in corpore & non mordicatio canis quæ est ustio transiens. Dicitur 2. affectus præternaturalis, quia sive pro solutione continui, sive pro febre eam consequente sumamus, affectus est corporis, illa quidem levior, hæc autem gravior, in qua nemo non perit. Dicitur 3. ex solutione continui, ut intelligatur, neminem incidere in hanc febrem cum hydrophobia, nisi qui prius morsum canis rabidi passus fuerit, sive illa solutio per se sola sive cum veneno per morsum impresso sumatur; nam primo modo habet se ut conditio, secundo ut causa effectiva. Dicitur 4. quam intulit canis rabidus, ut constet ex nulla alia solutione sequi tantum affectum & tam atrocia symptomata: Neque tamen hæc semper eveniunt, sed aliquando dum virus per solutam unitatem ita certis visceribus sese ingerit, ut paulatim vulnere jam clauso & consolidato tardius vel citius sanguinem & spiritus occupet, licet enim rarius ii qui aliquando à rabido cane commorsi fuêre, in hoc malum incidant, nemo tamen ex iis qui hanc infelicitatem experti, aut ubi virus incepit operari, unquam evasit, quantum historiæ & Medicorum observationes commemorant; Et solet hujus affectus proprium & peculiare symptoma esse hydrophobia, quæ statim hominem occupat, dum à veneni operatione quod nuper inflixit canis, apprehenditur: hujus autem hydrophobię causam varii variam vel nullam statuunt; videtur tamen in veneni naturam non incommodè referri posse, quod dum caput & cerebrum occupat, sensum internum & imprimis phantasiam ita turbet & moveat, quod & ego in eodem juvene deprehendi; Cum enim sæpius à me quæsitus non sitiret; ego autem experientiam probare cuperem, non tantum omnem potum respuit, sed crassiores etiam liquores ita horruit, ut cum præsens sibi esset, & astantes eum cogere vellent, toto corpore sudaret & tremeret; Cætera accidentia quæ horrenda usque ad finem fuerunt, taceo, interim magna commiseratione commotus, & ob efficaciam hujus virulentiæ suprà omne aliud venenum stupore attonitus; Quæcunque autem de morsu canis rabidi, eadem etiam proportionaliter de vipera cæterisque venenosis animantibus, de ictu scorpionis, tarandulæ, vespæ, &c. dici possunt, quia in omnibus est par ratio, in hoc solo dissimilis, quod pro varietate veneni alia atque alia inferant symptomata, magisque vel minus corrumpunt; sic enim ex morsu canis putrescit sanguis & succenditur febris ardentissima cum perpetuis vigiliis & deliriis licet non semper, sic scorpius dolorem infert & inflammationem, cui malo tamen si vel caro vel oleum scorpionis vulneri applicetur, facilè succurritur; sic tarandulæ ictus saltum p.n. & involuntarium, qui habet rationem convulsionis, affert, cui mederi solet suavis blandusque fidium sonus. Sic vipera ob validissimam veneni sui malignitatem ex levissimo etiam ictu paucis horis cum ingenti corporis inflammatione & caloris vitalis corruptione

ruptione

ruptione mortem accelerat; sic vespæ, apes aliaque insecta, tumorem, rubedinem & dolorem ex venenoso ictu inferunt, quæ tamen omnia ob minorem veneni efficaciam facilè externis remediis tolluntur, vel seipsis evanescunt. De formicis, erucis, vermibus, urtica aliisque vegetabilibus par est ratio, quia sive leviter cutem perforent, sive superficiem ejus solùm tangant, ei consimilem imprimunt qualitatem, quâ ceu vespæ, apes & mineralia caustica cutem adurunt, dolorem excitant, humores alliciunt & calorem sive inflammationem gignunt.

DIFFICULTAS XVIII.

De Luxatione.

LUxatio dicitur etiam exarticulatio & dislócatio, & contingit tantum iis in partibus, quæ per media vincula, ligamenta & tendines connectuntur, propriamque articulationem, ut ex ipso nomine constat, efficiunt. Hinc

Luxatio quid. DICO 1. Luxatio est prolapsus capitis articuli è sinu proprio in alienum. Dicitur 1. prolapsus, quia fit mutatio seu motus localis alicujus partis è sede propria. Dicitur 2. capitis articuli, quia articulus vel articulatio ad motum destinata constat capite ossis & sinu, ut proinde in omni luxatione caput è sinu & sede propria debeat excidere; Unde etiam dicitur 3. ex sinu proprio in alienum, scil. in non competentem sibi; Nam semper fit cum læsa actione ut docet experientia, videl. cum motu depravato: *Observa* tamen, capita ossium rotunda in articulatione habere omnes motus, ut patet in femore, humero. Ossa autem quæ habent sinum profundiorem, ut os coxendicis, non facilè luxari, sicut quæ contra habent sinum minus cavum ut scapula. Ne tamen capita ossium facilè è sinubus excidant, præsto sunt vincula, quorum alia sunt orbicularia, quæ in omnibus articulis & caput & sinum in orbem complectuntur; alia rotunda, quæ tantum in iis sunt articulis, quæ serviunt motibus robustis, ut in femore & genu; & hæc è profundo sinu in caput ipsum inseruntur: Qui igitur articuli utrumque habent ligamenti genus, vel si orbiculare quidem tantum, sed tamen arctius, ii difficilius prolabuntur: *Observa* deinde, esse in articulis unctuosum quendam & viscidum humorem, qui facit ne ossa perpetuo motu incalescant & exiccentur.

DICO 2. Tria sunt genera luxationum:
3. Genera luxationum. Ita docent Medici cum Aquap. l. 3. de luxat. c. 1. Primum genus est, cum ossa dehiscunt, sicut fit quando os latum scapularum ab humero recedit, aut radius à cubito, aut sura à tibia. Secundum est, cum ossa elongantur ideò, quia ligamenta ob nimiam mollitiem laxantur & distenduntur: Hinc enim fit ut caput ossis nonnihil è sinu recedat, non tamen omninò excidat. Tertium propriè dicitur luxatio; cum caput è proprio sinu excidit: Quod si igitur hoc fiat, dicitur dislocatio si imperfectè & non penitus, dicitur distortura; Et hanc utramq; patiuntur articuli cubiti, manus, tibiæ, pedis & digitorum; perfectum verò articuli femoris & humeri, idque ob rotunditatem capitum & leviorem sinuum profunditatem. Et hinc collige, membra quidem in omnem partem luxari posse, non tamen semper æqualiter ob resistentiam certarum partium quæ faciunt ut aliquando in partem anteriorem moveantur, non autem in posteriorem, aliquando in partem omnem, aliquando in unam non alteram, ut docet experientia.

DICO 3. Primum genus luxationis fit tan- *Luxatione, unde.*
tum à causis internis, id est, ab humoribus, à quibus ligamenta laxantur & emolliuntur. Reliqua duo genera, ut hiatus & vera luxatio fiunt non tantum à causa interna, videl. ab humoribus ad articulos decumbentibus, cavitatem sensim implentibus & caput ossis à sede sua dimoventibus, sed etiam ab externa, quæ violentia quædam est, & os suo loco violenter deturbat; hujusmodi est saltus, casus ab alto, lapsus, cursus vehemens, percussio, &c. Cæterùm sicut luxatio quæ fit tam parvulis quam adultis in femore, & ubi caput vel rotunditas ossis è sinu excidit, nunquam contrà datam Chyrurgorum Medicorumque fidem & promissionem restituitur; quia os pedis est, quo fulcitur corpus, cavitas autem & sinus humore viscido & glutinoso paulatim impletur; ita etiam cum os semel concrevit & induruit, nunquam amplius liquefieri aut emolliri potest, quod tamen insignes quidem tenebriones & mendacissimi circumforanei temerariè & impudenter promittunt: Nam eadem res est cum ossibus quæ cum lapidibus, in quibus ob defectum humidi aerei & unctuosi nunquam fit liquatio, sed incineratio & in terram resolutio.

DIFFICULTAS XIX.

De Convulsione.

HAc mirè fatigatur homo, totusq; à se immutatur adcò etiam aliquando, ut nec amicissimum à monstro, nec fratrem à larva, nec parentem à spectro quis distinxerit; Nam videre licet, quibus ita convelluntur membra, ut caput pedum suris jungatur, oculi contorti spinam intueantur, facies belluam mentiatur; omniaq; viscera extrà se quasi posita monstrosissimam exhibeant fabricam. Symptoma est, si à morbosa constitutione proficiscentem consideres; morbus verò si affectum in vitiosa partium connexione. Ut itaque constet quid sit contorsio & convulsio, quotuplex & quibus ex causis oriatur,

DICO 1. Convulsio in genere est nervo- *Convulsio quid.*
rum & musculorum prætervoluntaria contractio. Dicitur primò Contractio, quæ convenit omnibus convulsionis speciebus, quia nervi & musculi quibus tendines inseruntur, & qui ad

hunc

hunc motum maximè concurrunt, à naturali suo statu deflectunt, id est, contrahuntur, doloremq; acutissimum inferunt, sed & vires vehementer infringunt mortemq; non rarò accelerant: rarum enim insolens & summum malum est, ut ait Fernel. de motus sensusq; symptomatis. Dicitur contractio præter voluntaria, ut excludatur motus animalis liber & voluntarius, qui est in nostra potestate, ut patet cum manum sursum vel deorsum pro libero arbitrio movemus. Dicitur tertiò nervorum & musculorum, ut constet quæ partes per se patiantur: Quamvis enim totum corpus convellatur, nervis tamen & musculis convenit hic motus primariò & per se, reliquis autem partibus secundariò & per accidens; Ubi autem sit principium motus, videl. 1. de fac. motiva. disput. 23. diffic. 2. & patet ex Merc. l. 1. de cur. morb. intern. c. 15. de Convulsione.

DICO 2. Convulsio sub varia consideratione varius est affectus. Patet ex Galeno, qui eam 2. de caus. sympt. inter symptomata numerat; Deinde 6. aph. 39. reponit eam inter morbos intemperiei vel figuræ; plerunque tamen scribit esse affectum non permanentem ut 3. popul. Est itaque convulsio symptoma dum sequitur morbosam constitutionem; morbus verò intemperiei dum nervi multo vapore & humore imbuuntur; tum figuræ, dum nervi & musculi mi è contorquentur mutantq; sub peregrina forma situationem & locum; & denique solutæ unitatis quod negat Merc. loc. cit. quia distenduntur & contrahuntur.

3. Species convulsionis. DICO 3. Tres species convulsionis existunt. Ita communiter docent Medici, haberurq; apud Fernelium, quamvis Mercatus quartam insuper addat ex paralysi & convulsione mixtam, qua videl. pars quæ convellitur, simul etiam resolvatur. Est autem prima species Epilepsia, in qua corpus mirè concutitur & distenditur, homoque subitò concidit & ut plurimùm sensus omnes emittit; Concutitur autem ideò corpus, quia nervi omnes & musculi convelluntur, & contrà situm naturalem cum sævissimis symptomatis, ut concussione spumæ, difficili respiratione, stertore, &c. distenduntur: Cadit homo subitò, quia nervis magna ex parte obstruuntur, unde etiam affinis est affectus apoplexiæ; pereunt sensus omnes & motus naturalis, quia impeditur influxus spirituum animalium quò minus functiones rectè administrentur, & quia natura tota se occupat in vaporibus malignis à nervoso genere expellendis: Dicitur tamen utplurimùm, quia aliquando convulsio levior est, vertigini finitima, in qua homo rerum interea gestarum meminit, vel etiam videt auditq; licet indistinctè. Secunda species est ea convulsio, quæ apud Fernel. c. 3. de symptom. sensus & motus dicitur perpetua contractio præter voluntaria nervorum & musculorum versus suam originem: Dicitur 1. perpetua contractio, in quo distinguitur ab Epilepsia, quæ est motus

Epilepsia 1. Species.

2. Species contractio nervorum.

quidem continuus & crebra corporis distensio. Dicitur 2. involuntaria, quia fit violentus acciditq; ab extra passo nihil conferente. Dicitur 3. versus suam originem, quia licet convulsio fiat in toto nervo, ideò tamen dicitur hic versus suam originē contrahi, quia fit brevior, adeòq; membrum illud in quod inseritur nervus, secum attrahit, potissimùm verò quia principium nervi non ita mobile est, quemadmodum musculus & quævis pars alia in quam nervi disseminantur: Hac convulsione interdum corpus totum contorquetur, interdum pars: In priori vel inflectitur in anteriora vel in posteriora, vel æqualiter distenditur manetque corpus rigidum & quasi inanime; In posteriori verò pars aliqua solum, ut maxilla inferior vel os afficitur, ut patet in spasmo Cynico. Tertia species dicitur flatulenta, quæ sæpè pedum manuumq; digitos, nonnunquam crura, femora, aliasq; partes occupat, ut maximè norunt fœminæ prægnantes, quibus hoc malum est familiarissimum. *3. Species spasmus.*

Causa Epilepsia. DICO 4. Primæ speciei quæ Epilepsia dicitur, causa prima est humoris pituitosi aut melancholici multitudo ventriculos & meatus cerebri ita obstruens, ut natura denuò conetur hanc gravem & molestam materiam excutere, quod effectus in sternutatione, vomitu & purgatione docet. Secunda causa est quam Fernelius non malè videtur assignasse, malignitas quædam & peculiaris qualitas nervis inimica, quæ sit intrà humores recondita & faciat, ut quoties vapor malignus in cerebrum irrepit, tantus tamque violentus motus materiâ illâ feriente & cerebro contrapugnante cicatur: Vapor hic malignus aliquando in ipso cerebro coacervatur & delitescit, aliquando è ventriculo, utero, aliisque partibus admodum subtilioris halitus assurgit, ut advertunt ii quibus hoc malum accidit. Convulsio sive sit totius sive partis, ut oculi, cutis in fronte, radicis linguæ, maxillæ, labiorum, brachii, manus, cruris, &c. affectum habet nervum & musculum illum qui motui destinatur; Convulsio quidem totius spinam dorsi, partis verò suum & nervum & musculum; Causæ quæ multæ variæque sunt, vel rediguntur ad inanitionem vel ad repletionem; Ad priorem spectant febris ardens, medicina vehementer evacuans, vigiliæ, inediæ, labores, studia, exercitia, profusio sanguinis &, quæcunque substantias partim dissipando partim exiccando contractionem gignunt ad eum modum, quo humefactum corium in loco calido sese contrahit dum arescit; ad posteriorem pertinent inflammationes, ebrietas, crapula, suppressæ evacuationes, quæ aliàs consuetæ fuerant. Spasmi denique causa est crassus lentusque vapor, qui in propagines nervorum sese insinuat easque replet & convellit, unde etiam ebriosi & vinosi hoc malo crebrius affliguntur. Plura de causis convulsionum, sive fiant per essentiam sive per consensum, vide apud Mercatum, Capivaccium multosque alios. *Causa convulsionum.* *& Spasmi.*

Cæterùm si qui alii sint affectus eum solutione

tione continui, ut morbus articularis, scorbutus, tumores, omnisque generis pustulæ, ii propterea ad genus vitiosæ compositionis rejecti sunt, quod ut ex antecentibus videre est, commodissimè sub ejusdem formalitate considerentur. Quod si

QUÆRAS, in quo differat convulsio infantum vel etiam juvenum & adolescentum ab ea quam patiuntur adulti, quique multis annis vel etiam toto vitæ tempore affliguntur, dum vel domi vel foris subitò cadentes miserè contorquentur. Resp. quicquid dixerint alii, non differre nec in re nec in modo, nisi causæ radicatione vel habituatione mali ob cerebri debilitationem, à qua morbus per essentiam vocatur & majorem malignitatem duratione temporis in origine nervorum vel aliis in partibus, unde vaporosum quid exurgere & caput petere solet, contractam.

DISPVTATIO XVII.

De Symptomatis.

PRæter morbum ejusque causam hic sequitur tertium, quod corpus humanum fatigat & ad interitum deducit, symptoma videlicet, quod ideò illis annectitur, quia utrique ceu comes individualis adhæret; Tantum enim abest morbum, qui causæ debetur, separatim existere, ut etiam per illud solùm videatur quasi manifestari: Et leve quidem hoc accidens est, si morbus ejusq; causa sit benignior; gravius autem, si & ille non tam violentas quam ferreas in hominem injiciat manus, quia solum est quod illi supervenit, & quod velut umbra corpus subsequitur, ut habet Gal. de diff. sympt. c. 1. & 2. m. m. c. 1. Nec mirum, hoc adeò hostiliter in corpus vividum sævire, ejusque lacertosissimæ licet compagi insultare, quia naturæ corruptibilis suggestus est, ideòq; frustra agitur ab eo cavere, quod evitari non potest. Quod si tamen ex millibus uni tibi tanquam de felicissima corporis dote triumphanti contingat totam vitam, quam ocyus & in puncto velut curris & absolvis, citra hujus tyrannidem salubriter agere, & ab omni morborum vel causarum præternaturalium incursu securius vivere, non ideò tamen morti dominaberis, quia hæc ob commissum primi parentis peccatum tibi in pœnam data est; Hostem intrinsecus geris, inque sinu proprio foves qui tuum depascit humidum, quique tandem te omnibus & naturæ & vitæ subsidiis inermem & spoliatum obtruncabit. De hoc symptomate & in genere & in specie multi agunt Medici, ex quorum etiam dictis, sententiis & doctrinis hac præsenti disputatione nihil ferè omittetur, quod ad sufficientem si non plenam & absolutam cognitionem pertinere videbitur, ut, cum paulatim ad corruptionem descenditur, cuivis manifestum sit, quibus miseriis quantisque calamitatibus ad cineres & bustum curratur, quemque in visceribus fati sui hostem serius aut citius, rarius aut sæpius homo expectandum habeat. De symptomatis itaq; sit ordine

DIFFICULTAS I.

An detur, & quid sit Symptoma.

SYmptoma, quod Medicis accidens morbò superveniens intelligitur, si latius sumatur, comprehendit rem omnem, quæ corpori præternaturaliter accidit, quo modo & morbus & ejus causa accipiuntur, ut videre est apud Gal. de diff. sympt. c. 1. si strictius, significat solum illud accidens quod corpus non ad exigentiam naturalem, sed ad interitum & corruptionem afficit, & morbo, à quo sicut & à causa distinguitur, supervenire solet. De hoc autem symptomate, an detur & quid sit, an realis qualitas, an actio, an privatio, an aliquid aliud, dum in præsenti quæritur,

SUPPONO, symptoma, quocunq; modo accidat corpori, afficere illud præternaturaliter, adeòq; post morbum ejusq; causam esse tertium genus eorum quæ homini præter naturam insunt. Jam

DICO 1. Datur reverà symptoma, quod habet rationem rei præternaturalis in homine, quodq; nec est morbus, nec morbi causa. Prob. omnis effectus morbi symptoma est, afficitque hominem præternaturaliter; sed datur reverà multiplex hic effectus, ergo & symptoma. Major vera est ex suppositione, quia sequitur morbum ex genere causæ efficientis; Minor prob. experientia, quia ex morbo effectivè sunt acutissimi dolores, vehementissimę convulsiones, maxima deliria, somnus profundus, vigiliæ, deliquia, virium debilitas, &c. quæ nec morbi sunt nec causæ, ergo symptomata. Neq; dicas, etiam mortem esse effectũ morbi & tamen non symptoma: quia respondetur, mortem non afficere hominem ejusque corpus præternaturaliter, sed esse ultimam animæ & corporis solutionem, ac proinde hic è genere symptomatum, quæ sunt accidentia corporis viventis, excludi.

DICO

Symptoma eſt accidens prædicab.

DICO 2. Symptoma eſt accidens corporis viventis, intellige accidens prædicabile. Prob. 1. Symptoma non pertinet ad eſſentiam hominis ejuſq; complementum ſive in ratione viventis ſive mixti, ergo eſt illi accidens. 2. Convulſio in homine ægro eſt ſymptoma ut receptum eſt apud Medicos; ſed convulſio eſt homini ejuſq; corpori accidens, ergo & ſymptoma. 3. Accidens prædicabile eſt, quod ſive abſit ſive adſit homini ejuſq; corpori, nec demit nec addit aliquid eſſentiale; ſed hoc facit ſymptoma, ergo; ſive enim corpus ſit debile, forte, morboſum, ſanum, homo delirus, convulſivus, &c. ſemper idem eſt homo & idem corpus in ratione viventis.

DICES, accidens prædicabile non accidit neceſſariò, ut patet in morte, in fractura pedis, in vulnere capitis, &c. ſed ſymptoma eſt effect⁹ neceſſarius, ut videmus in inflãmatione menyngum cerebri, quam neceſſariò ſequitur acutiſſimus dolor & delirium, ergo ſymptoma non eſt accidens prædicabile. Reſp. ad antecedens, accidens prædicabile non accidere neceſſariò per ſe, verum eſt, quoad cauſam jam poſitam & determinatam, falſum; Nam ſymptoma v.g. deliquium animi, quamvis ex ſe non debeatur homini ad quem ut ſic ſpectat ſanum eſſe & naturaliter conſtitutum; ſequitur tamen neceſſariò morbum tanquam cauſam efficientem: Et ſic poſitis cauſis ſequuntur neceſſariò omnia accidentia quæ ab iis determinantur.

Eſt etiam qualitas 2. ſpeciei.

DICO 2. Etiam ſymptoma eſt accidens prædicamentale, videl. qualitas. Prob. debilis viſus eſt ſymptoma; ſed debilis viſus eſt qualitas, ergo & ſymptoma; Major eſt manifeſta Medicis, quia impotentia videndi ſemper ſupervenit morbo & cauſæ morboſæ, v.g. obſtructioni, inflãmationi, rupturæ, ſolutioni continui, &c. Minor prob. debilis viſus eſt quædam impotentia videndi, quia non eſt pura negatio aut privatio ut patet, ſed qualitas ſecundæ ſpeciei, ergo debilis viſus eſt qualitas.

Eſt privatio.

DICO 3. Etiam aliquando ſymptoma eſt privatio. Prob. cæcitas eſt privatio; ſed cæcitas eſt ſymptoma, ergo ſymptoma eſt privatio. Major certa eſt, quia licet cæcus dicatur habere potentiam videndi, hæc tamen in actu primo & non in ſecundo intelligenda eſt: minor etiam prob. quia in multis affectibus omninò deperditur viſio, adeòque cæcitas ut ſymptoma ſupervenit morbo.

DICES, ſymptoma ſemper debet aliquem affectum ſubſequi; ſed cæcitas non ſemper ſequitur affectũ, ergo. Nam cui v.g. gladio, igne, percuſſione, &c. eruitur oculus, hæc oculi effoſſio aut deperditio non eſt poſterior affectu, quia nullus præceſſit, ergo non eſt ſymptoma. R. neg. min. ad probationem dico, hujuſmodi cauſas violentas v.g. gladium, ignem, producere morbum ſolutæ unitatis, & hâc cæcitatem vel viſus debilitatem eſſe in ratione ſymptomatis poſteriorem, ſi non tempore ſaltem natura.

Eſt actio p.n. & paſſio corporis.

DICO 4. Eſt etiam ſymptoma nõ tam actio præternaturalis organi quam paſſio corporis. Prob. vomitus ventriculi eſt actio, quia per eam egeruntur cibi & humores qui ventriculum aggravant; ſed vomitus eſt ſymptoma, ut conſentiunt Medici, ergo ſymptoma eſt actio. Idem de pluribus aliis intellige. Quod autem ſymptoma ſit actio non congruẽs, inde liquet, quia eſt contra inclinationem organi, quod à cauſis vitioſis ad eam eliciendam laceſſitur; ſic contrà naturam ſtomachi eſt inverti & quaſi convelli, contrà inclinationem uteri, ſurſum, deorſum & in omnem partem violenter moveri.

Eſt habitus.

DICO 6. Etiam ſymptoma eſt habitus & diſpoſitio. Primum patet in debilitate ſtomachi vel viſus, quam aliqui non tam annorum quam vitæ totius duratione patiuntur; alterum in magnis dejectionibus, continuis vigiliis, extremis deliquiis, graviſſimis convulſionibus, quæ diſpoſitiones ſunt ad mortem.

Eſt denique etiam ſignum.

DICO 7. Etiam ſymptoma ſignũ eſt. Prob. quia per ſymptoma venimus in cognitionem morbi, ejus naturæ, partis affectæ, & quid ſperandum vel timendum ſit, ergo ſignum eſt, id nimirùm quod indicat; Antec. confirmatur inductione; Quando enim ex ſum̃a debilitate viriũ, quam per initium in febriente deprehendimus, non tam calorem ſimplicem quam malignitati conjunctum intelligimus, id à debilitate quæ morbũ ſequitur, velut duce & indice habemus, ergo ipſa rationem veri & propriè dicti ſigni obtinet, quod in omnibus aliis ſymptomatis & accidentiis morborum eſt videre, quia per hæc Medicus cognoſcit morbum, ejus naturam, morem, partem affectam, ſpem & metum, & qua methodo curativa tractandus ſit æger.

Symptoma quid.

DICO 8. Optimè dicitur ſymptoma affectus præter naturam morbum conſequens. Ita Gal. de differ. ſympt. c. 1. & 2. m. m. c. 1. & conſentiunt communiter Medici. Dicitur 1. quod ſit affectus, videl. amplè ſumptus, quia afficit corpus, quamvis alio modo quam morbus & ejus cauſa. Dicitur 2. affectus præternaturalis, quia afficit corpus non ad conſervationem ſed ad corruptionem. Dicitur 3. morbum conſequens, ad differentiam morbi & cauſæ, quæ licet corpus etiam p.n. afficiant, non tamen ſequuntur morbum quemadmodum ſymptoma: Et hinc Sennertus de diff. ſympt. c. 1. fuſius deſcribit ſymptoma, cum ait eſſe affectum p.n. in iis, qui ſunt extrà conſtitutionem partium neceſſariarum ad actionem, aliquid aliud præter naturam conſequens. Cæterùm quod ſymptoma aliquando ſit qualitas, aliquando privatio, aliquando actio, &c. hoc habet à modo quo corpus afficit & quo anima per ſuas potentias corporiſque diſpoſitiones ſive ſalubres ſive inſalubres aliter atque aliter operatur; ſic aliter afficit cæcitas vel convulſio hominem, aliter debilis viſus; Et ſic aliter operatur anima in ſtomacho cum malè appetit, malè concoquit, omnia revomit, &c. Et hoc juxtà varias organorum diſpoſitiones & cauſas morboſas, quæ corpori inhærentes & morbum & quæ eum ſequuntur accidentia producit.

DICES, ſymptoma non tantum ſequitur morbum, ſed etiam cauſam & aliud ſymptoma, ut infrà dicetur, ergo definitio non eſt univerſalis.

falis. Resp. 1. negando quod symptoma sequatur immediatè causam vel aliud symptoma per se. 2. Per morbum posse intelligi non præcisè morbum formaliter sumptum, sed morbidum in concreto, quo modo comprehendit morbum, causam &, symptoma: hoc confirmat vulgaris opinio, qua Epilepsiam & pleraque alia symptomata morbos, id est, statum corporis morbosum vocamus: unde non malè fecerit, qui dixerit, symptoma esse affectum consequentem ea, quæ contra vel præter naturam sunt, intellige causam, morbum & symptoma. Et hinc

Symptoma sequitur immediatè morbum.

Colligitur, rationem symptomatis in his 4. consistere. 1. Quod sit res p.n. 2. Quod aliud sequatur. 3. Quod differat à causa & morbo. 4. Quod actionem per se non lædat, nec curam appetat de quo in fine.

DIFFICULTAS II.

Quomodo differat Symptoma à morbo & causa.

HÆc tria sunt, quæ semper in humano corpore præternaturaliter reperiuntur, & quibus Author naturæ Deus hominem corruptibilem subjecit; Et de his dum quæritur quomodo inter se differant,

SUPPONO, non tantum morbos sed etiam causas & symptomata se mutuò consequi, adeòque morbos producere alios morbos, non tamen symptomata alia symptomata, ut sequenti difficultate patebit.

DICO 1. Symptoma differt specie à morbo ut sic. Patet ex dictis & prob. 1. quia morbus semper immediatè sequitur causam, quam non sequitur symptoma, quia hoc immediatè succedit morbo: Neq; dicas, etiam aliquando succedere imediatè causæ, quando videl. morbus absens est; hoc enim falsum esse infrà dicetur. 2. Quia morbus formaliter immutat naturalem constitutionem viscerum, vel est ipsa partium præternaturalis constitutio; hinc enim dicitur symptoma affectus p.n. in iis, quæ sunt extrà constitutionem partium necessariarū ad actionem, &c. Et licet morbus subinde alium etiam sequatur morbum, non tamen propterea dicendus est symptoma, quia non est extrà constitutionem partium sicut hoc. 3. Quia symptoma est effectus morbi quem etiam semper & necessariò sequitur. 4. Quia non propriè & præcisè dicitur homo malè valere ab symptomate, sed à morbo qui ut causa præcedit; Nam si quis à dolore colico, vel deliquio æger dicitur, id ideò fieri solet, quia imprimis hic est vulgaris modus loquendi, quo omnia symptomata solemus appellare morbos vel affectus; Deinde quia ab eo quod notius est & proximius, solemus effectum metiri & non ab eo quod latet & obscurum est; sic à dolore colico hominem ægrum vocamus, quia dolor manifestus est, latet autem morbus intrinsecus, videl. extensio membranosæ substantiæ intestinorum, erosio & divulsio seu vellicatio: sic à deliquio quod est symptoma, appellamus hominem morbosum, quamvis verus affectus lateat in corde, & sit vel pericardii distensio, vel maligni alicujus vaporis præsentia, &c. 5. Quia morbus primò & per se lædit actionem, quod symptomati non convenit, ergo differt plus quam ratione à morbo. Dixi à morbo ut sic, quia etiam morbus aliquando induit rationem causæ & concurrit in genere causæ efficientis ad producendum novum morbum. 6. Denique quia soli morbo intenditur cura & medela & non symptomati nisi per accidens, ut infrà dicetur.

DICO 2. Etiam symptoma differt specie à causa ut sic. Ratio prima est, quia symptoma semper sequitur causam vel morbū vel utrumq; ut ex Medicis nonnulli sentiunt; causa verò nunquam sequitur symptoma. Secunda ratio est, quia causa semper seipsa incipit, ideòq; non sequitur aliud nisi fortè causam aliam valdè remotam & extrinsecam; symptoma verò semper supponit causam. Tertia, quia symptoma est effectus cum causæ tum morbi; effectus autem semper differt à causa. Quarta, quia causa semper activa est; & per se corpus afficiendo producit effectum; symptoma verò habet rationem puri effectus. Quinta denique, symptoma non est res aliqua per se existens, sicut morbus & causa, sed quod tantum dicit relationem transcendentalem ad morbum & causam, ergo ab utroq; & realiter & formaliter differt. Et hinc

Colligitur, symptoma sic dici quia sequitur morbum, signum verò quia morbum indicat.

DIFFICULTAS III.

Quomodo symptoma sequatur morbum, causam & aliud symptoma.

QUod symptoma sequatur morbum, ex ejus descriptione & hactenus dictis habetur, difficultas autem est, an sicut morbum, ita & causam & aliud symptoma sequatur; per causam non intellige, quicquid efficaciter concurrit ad gignendum symptoma, quia hoc modo etiam concurrit morbus; sed intellige causam, à qua immediatè morbus gignitur.

DICO 1. Morbus est causa symptomatum, & quidem in genere causæ efficientis. Prob. morbus definitur affectus p.n. lædens operationes efficienter, ergo; Antec. constat ex definitione morbi in genere; conseq. clara est, quia quicquid in genere causæ efficientis lædit operationes, etiam in eodem genere producit symptomata, quia læsæ actiones sunt ipsa symptomata, ut patet in visu debili, in vitiosa ciborum concoctione, in somno turbato, &c.

DICO 2. Nunquam datur symptoma nisi præcedat morbus. Est contrà Sennert. c. 1. de differ. sympt. & alios; sed probatur, quia implicat causam aliquam morbosam producere aliquod symptoma, nisi prius producat morbum;

Semper symptoma supponit morbum.

bum. E. Prob. anteced. naturalis & immediatus effectus causæ morbosæ semper est morbus, ergo non producit symptoma nisi prius existente morbo, ergo nunquam datur symptoma nisi morbus præexistat, quod confirmatur partim ratione partim experientia; illâ quidem, quia ut patet, actiones læsæ sunt effectus immediati solius morbi, à quo etiam in esse, fieri & conservari dependent; hac verò, quia nunquam observabit Medicus actionem aliquam p.n. vel symptoma, v.g. vomitum, depravatam concoctionem, diarrhæam, &c. absque vitiosa & morbosa constitutione, &c. Quod sic cum Sennerto citato

DICAS, vomitum, qui frequenter existat absque morbo, esse symptoma. Resp. hoc absolutè falsum esse, quia quamvis nulla in ingesto cibo vel potu adsit præternaturalis qualitas, adest tamen repletio quæ stomachum distendit habetque rationem obstructionis, quæ si non morbus formalis, saltem affectus vel constitutio morbosa est, aliquando per modum transeuntis, aliquando graviter & durabiliter afficiens: Neque enim hic sola causa est, quæ producat symptomata, sed ventriculi ejusque cavitatis constitutio præternaturalis, non secus ac constitutio calculosa in renibus & vesica & constipatio intestinorum à fecibus duris aliisque causis: Quod autem hæc constitutio in stomacho sit facilè, & in vesica aut intestinis difficulter mobilis, est per accidens, ideòque

DICES 2. Si omnia symptomata præsupponant morbum, sequitur in statu neutro non esse symptomata, quod tamen falsum est. Prob. seq. maj. quia status neuter differt à morbo ut ex alibi dictis constat: Quod autem in statu neutro sint symptomata, patet ex læsione omnium actionum vitalium, &c. Resp. breviter, sufficere quod omnia symptomata præsupponant vel morbum in facto esse vel in fieri, id est, constitutionem morbosam, qualis est status neuter, de quo multa Galenus & Medici; negatur itaque consequentia. Quod si urgeas, post morbum evictum vel in declinatione morborum existere symptomata non existente morbo. Resp sufficere quod morbus per effectum adhuc existat, quia opus non est, ut semper adsit morbus realiter ubi adest symptoma, præsertim quando effectus non ita dependet à sua causa, ut non possit solus existere, quemadmodum hic fieri solet; sed addo & hoc, quod hæc symptomata non sint propriè talia, de quibus hic agitur.

DICES 3. In syncope sæpè nullus est morbus ob solam retractionem spirituum, quod etiam fieri solet in timore aliisque passionibus; similiter amorosi non dormiunt, non comedunt, &c. absque morbo existente. Resp. in syncope semper affici vitalia, idque gravissimè à vitiosis vaporibus; Et in retractione spirituum à timore vel alia passione oritur intemperies vel oppletio circà vitalia. Amorosi patiuntur intemperiem epatis, cordis, cerebri, &c. Et sic nunquam est effectus absq; causa.

DICO 3. Causæ morbosæ sunt veræ & propriè dictæ causæ symptomatum. Ratio est, quia producunt morbum, ergo etiam symptomata quæ morbum immediatè sequuntur; quicquid enim est causa causæ, est etiam causa causati, si non proximè, saltem remotè: Nam quod producit aliquam causam, remotè etiam est causa illius quod ab hac causa à se prius posita producitur; Et hinc generans quod præter animam etiam dat supposito potentias & vires operandi, censetur etiam tribuere effectus & operationes inde provenientes; intellige tamen hoc in effectibus physicis, utplurimum necessariis & per se consequentibus, quia Deus est causa potentiarum hominis, quamvis non sit causa malarum operationum moraliter sumptarum, vel in quantum sunt merè privatio. Adhæc causæ morbosæ verè & propriè evertunt sanitatem, ut patet de morbus in genere, ergo etiam sunt veræ causæ symptomatum, quæ & tempore & natura posteriora sunt.

DICO 4. Semper immediatè sequitur morbum symptoma. Ratio, quia est ejus effectus, ac proinde nũquam nec prius existit, quam existat morbus, quam etiã semper præcedit sua causa: Neq; dicas in ictericis flavum colorem, qui symptoma est, sequi immediatè bilem effusam; quia ℞. colorem seu flavedinem non sumi hic abstractivè absq; bile fusa, ac proinde non esse distinctum symptoma, sed cum ipsa bilis effusione identificari, quæ immediatè obstructionem sequitur vel intemperiem; Deinde quando dicitur symptoma sequi immediatè morbum, intelligitur ut causam efficientem, quia etiam symptoma unum sequitur aliquando aliud immediatè, sed non ut causam; Et hinc

DICO 5. Nullum symptoma est propriè & efficienter causa alterius symptomatis. Est contra plerosq; Medicos. Et prob. 1. Symptoma ex se nullam habet vim agendi in corpus, ut ex resolutione argumentorum patebit, ergo non producit aliud symptoma. 2. Symptoma in corpore morboso semper & præcisè habet se ut signum, & est effectus qui respectum & relationem transcendentalem dicit ad morbum, ergo non est productivum alterius symptomatis, nam ita in esse, fieri & conservari dependet à morbo, ut extra hunc existere non possit.

DICES 1. Symptoma afficit corpus sicut causa & morbus, ergo habet vim agendi in illud. ℞. Symptomata sæpè haberi pro morbis, quia primò occurrunt nobis, unde etiam in corpus p.n. agere æstimantur, quamvis ex se nihil agant & sint solum termini actionis morbosæ sicut v.g. calefactio caloris.

DICES 2. Symptomata reverà curantur, ut patet in hydrope & aliis, ergo tanquam ea quæ corrumpunt sanitatem. ℞. neg. absolutè antec. quia curatur solum constitutio morbosa, qua evanescente perit symptoma.

DICES 3. Debilis concoctio producit lienteriam, ergo. Resp. neg. antec. quia non concoctio debilis sed intemperies ventriculi producit eam propriè.

DICES 4. Dolores corporis semper periculosi

culosi sunt, quia vehementer affligunt hominem, ut etiam relicto morbo iis occurrere sæpè cogatur Medicus. Resp. ad hoc argumentum in fine, hic autem breviter, dolorem nunquam curari per se, sed mitigari & cessare quia cessat & tollitur morbus, videl. vel intemperies vel solutio continui.

DICES 5. Dolor attrahendo humores & sanguinem facit inflammationes, producitque alia symptomata, ergo. Resp. neg. antec. quia non facit id dolor, sed effectus præsens à quo est dolor: Et simile quid responderi potest ad singula alia argumenta, quæ non plus roboris quam præsentia habebunt.

Colligitur, omnia symptomata oriri à causis remotè, à morbo verò & symptomatis proximè & immediatè.

DIFFICULTAS IV.

Quotuplicia sint Symptomata.

SEpositâ divisione rerum præternaturalium à quibus humanum corpus afficitur, in morbum, causam & symptoma, quæritur hic, quotuplicia sint symptomata, aut quot eorum genera.

SUPPONO, juxtà constitutionem corporis vel symptomata esse morbi futuri, vel præsentis, vel præteriti, id est, corporis in statu neutro, in morbo & in declinatione positi: Nam si morbus sit in fieri, jam incipiunt omnes actiones vitales deficere, qualitates corporis alterari, & excrementa vel in quantitate, vel in qualitate aut in modo exeundi deflectere; si in facto esse; manifestant eum symptomata hac præsenti disputatione explicanda; si evicto morbo corpus sit in declinatione, jam & actiones & qualitates revirescunt; cessatque ratio symptomatum, quia cessat morbus. His positis

DICO, symptomata distinguuntur in tria genera, videlicet in actiones læsas, in qualitates mutatas, & quæ sequuntur ex iis, in vitia excretorum & retentorum; proindeque omnia symptomata vel consistunt in actionibus, vel in qualitatibus corporis, vel in excretis & retentis præternaturalibus. Ita docet Gal. de sympt. diff. c. 10. & est communis doctrina omnium Medicorum, ut videre est apud Mercat. de gen. & diff. sympt. q. 178. Prob. tot sunt genera symptomatum, quot sunt eorum; quibus cognoscuntur affectus & morbi; sed hi tantum cognoscuntur ex actionibus læsis, ex qualitatibus immutatis & ex vitiis excretorum & retentorum, ergo. Minor probatur inductione, quia nihil præter hæc tria habent Medici, à quo in cognitionem alicujus affectus deduci possint: Nam quicquid in ægro præter morbum ejusque causam præternaturale reperiunt, est imprimis actio læsa, v. g. pulsus non naturalis & immutatus, vires dejectæ, concoctio depravata, nutritio vitiosa, appetitus imminutus, &c. Deinde qualitas corporis immutata, ut pallor faciei & intumescentia, livor manuum, calor viscerum, &c. Denique vitium excretorum & retentorum, ut nimius sudor, dejectiones cruentæ, vomitus biliosus, retentio urinæ, aliarumque consuetarum evacuationum; Et ex his omnibus devenimus in cognitionem morbi partisque affectæ, si nimirùm actiones vitales malè eliciantur, si qualitates sive primæ sive secundæ, quæ corporis sunt sani, ut calor, color, humor, mollities, &c. immutentur, si excernenda & retinenda vitiosa sint: Actiones quidem debentur principaliter animæ ejusque potentiis, instrumentaliter verò organis & calori, unde etiam earum diversitas ab his omnibus pendet; Neque tamen læduntur semper æqualiter, quia morbus est & causa, à quibus juxta propriam naturam; id est, juxta vehementiam & lenitatem aut parum, aut summè, aut mediocriter offenduntur, id est, ut Medici loquuntur, aut depravantur, aut diminuuntur, aut penitus abolentur: Et sic virtus concoctrix in stomacho aliquando debilis est, & tarda, aliquando omninò prostrata; sic visus aliquando exiguus est, sæpè nullus; sic nutritio vel multum vel parum deficit, & sic de cæteris dum calor v. g. aut igneus est aut solito intensior, quemadmodum in febre ardente & hectica, aut dum calor vividus in nigredinem, pallorem vel flavedinem degenerat, ut fieri solet in cachexia & ictero cum flavo tum nigro, aut cum excreta vel peccant substantia, ut calculus, lumbrici, vel qualitate, ut sudor salsus, fæces nigræ, urina alba, vel quantitate, ut dum omnis vel parcius vel abundantius excernuntur, idque vel magis vel minus in omnibus. Cæterùm quæ de symptomatis morbi, causæ & symptomatum à Medicis dici solent, ea non ita accipienda sunt, quasi immediatè & efficienter à causa vel symptomatis procedant, quia hoc falsum esse patet ex dictis. Quod si aliquando sola causa subesse videatur & non morbus, vel symptoma dicendum non est nisi per modum transeuntis, vel certè in aliquam repletionem & obstructionem referendum est, ut patet in nimia repletione stomachi, quam sequitur vomitus, & in effusione bilis, in qua licet color ille flavus in habitu corporis rationem symptomatis habeat; omninò tamen identificatur cum ipsa effusione; vel certè sequitur novum pororū infarctum & obstructionem, adeòque morbum immediatè: Qualis autem affectus, tale etiam symptoma.

DIFFICULTAS V.

An & quomodo lædantur actiones.

ADverte, aliquid duobus modis lædi posse; primò quia recipit in se passionem ut manus calorem, nervus puncturam, oculus dilatationem; Secundò, quia ex natura sua

quidem se passivè non habet, nihilominus tamen ad alterius jacturam deficit, quo modo anima læso organo non operatur vitaliter, & actiones deficiunt, quia anima operari desinit. Jam

DICO 1. Actiones vitales sive benè sive malè, perfectè & integrè, sive imperfectè & debiliter fiant, sunt actus agentium: ante probationem *Adverte*, hic esse sermonem de solis actionibus vitalibus, cujusmodi sunt intellectio, volitio, concoctio, nutritio, visio, &c. Jam probatur conclusio primò, actiones vitales sunt immanentes, sed hæ sunt agentium, ergo & illæ. Secundò, omnes actiones vitales sunt à principio intrinseco, ut constat Philosophis, ergo. Tertiò, actiones dicuntur actus suppositorum, id est, exercentur ab agentibus singularibus respectu effectuum singularium ex metaph. c. 1. ergo sunt actus agentium.

Actio non potest per se lædi.

DICO 2. Actiones primo modo sumptæ non possunt lædi. Prob. quia illud solùm propriè dicitur lædi, quod respectu agentis passivè se habet, vel in quo fit aliqua passio non quidem ad conservationem sed ad corruptionem; sed in actionibus vitalibus non potest fieri talis passio, ergo. Major patet in organis corporeis, quæ ideò læduntur, quia patiuntur ab agente extrinseco, & recipiunt in se tam actiones quam qualitates sibi non competentes, v.g. oculus calorem, puncturam, dilatationem, lectionem. Minor probatur, quia actio antequam eliciatur ab agente, nihil est, proinde non potest tum lædi aut aliunde pati; sed nec patitur cum elicita jam est; quia totum esse ejus jam transiit: Et eadem res est cum potentiis etiam in sententia eorum, qui ab anima distinguunt, quia hæ nullam propriè in se admittunt passionem sicut è contra dispositiones corporeæ & temperamenta, quæ suscipiunt magis & minus, intensionem, remissionem, adeòque omnis generis alterationes.

Actiones quomodo laduntur.

DICO 3. Actiones secundo modo sumptæ dicuntur lædi. Ratio est, quia non integrè & perfectè sed vitiosè eliciuntur, & quia corruptis organis aut dispositionibus corporeis à quibus ipsæ proficiscuntur, aut depravatè, aut imminutè administrantur aut penitus abolentur; Et sic anima quoque aut ejus potentiæ & facultates dicuntur lædi, quando ideò non operantur vitaliter, quia organa quorum beneficio operantur, vitiosa sunt & corrupta; sic anima & facultas concoctrix non digerit cibum aut conficit sanguinem, quando stomachus & Epar læsa sunt; sic in oculo nullam exercet visionem, aut motum voluntarium in manibus & pedibus, si pupilla perforata est & confossa, aut nervi rectores motuum resecti, obstructi, &c. Dicuntur itaque à Medicis actiones lædi, quia non aliter percipinnt morbum & cognoscunt, nisi quando vident actiones vitales vitiosè elici, quia tunc eas læsas esse dicunt, esto organa & dispositiones à quibus fiunt, sint læsæ; non enim objicitur nobis læsio organorum semper sicut actionum, ut patet in visu, cujus debilitas percipitur non cognito aut percepto malo oculi.

DIFFICULTAS VI.

An omnis actio læsa sit Symptoma.

Communis est Galeni & omnium Medicorum doctrina, symptoma nihil aliud esse quam actionem læsam, &c. Jam quæritur, an è contra omnis actio læsa sit symptoma.

NOTA, actiones vitales tripliciter offendi; 1. Ratione objecti, cui potentiæ earumque actiones non sunt proportionatæ; Nam sic murus non est proportionatum objectum, quod visus noster penetrare possit, nec lapis quem stomachus noster concoquat & digerat, nec mille libracum pondus, quod potentia nostra motiva loco pellat. 2. Ratione organi vitiati languidæque potentiæ. 3. Ratione morbi. His positis

DICO 1. Quæcunque actiones vitales vi morbi offenduntur, vera sunt symptomata. Probatur, primò authoritate Gal. l. de differ. sympt. & 2. de loc. affect. c. 3. quo toto opere statuit, ex actione læsa partem effectam esse. Prob. secundò ex definitione cum morbi tum symptomatis, qua utrâque constat semper symptoma sequi morbum, & hunc immediatè & per se lædere actiones, ergò. Tertiò quicquid morbum præternaturaliter sequitur, symptoma est; sed actiones læsæ sequuntur morbum efficienter, ergò sunt symptomata; ex quo etiam collige, idem de qualitatibus immutatis & cum excernendis tum retinendis dicendum esse, quia sunt veri effectus morborum, quorum præsentia ducimur in cognitionem omnium quæ corporis sunt adversa.

DICO 2. Etiam actiones quæ ex vitiata corporis compositione languent, sive id fiat à prima corporis organici formatione, sive à causa noviter emergente, vera sunt symptomata; Ratio, quia etiam sunt effectus morbosæ constitutionis, ergò symptomata; Non enim fiunt renitente solùm causa externa, ut cibus durus & solidus, qui comminui & digeri non potest; Et hinc.

DICO 3. Actiones illæ, quæ propter improportionem vel indispositionem solius objecti externi, circà quod versantur, vel sunt diminutæ, tardæ, defectuosæ, vel vitiosæ apparent, non sunt symptomata. Ratio est, quia non fiunt à morbo, sed sunt ab objecto, quod potentiæ operanti proportione non respondet, ut videre est in lapide aut metallo, quæ nunquam à vi concoctrice digeruntur aut in chylum aut sanguinem immutantur, tum in corpore opaco, quod visus etiam acutissimus non penetrat; Et ideò quia defectus non est in oculo aut stomacho sed in objecto externo, vel

Quæ actiones læsæ non sint symptomata.

vel quia virtus oculi & stomachi naturaliter non est proportionata lapidi & metallo, rationem symptomatum non habent. Hoc probat Gal. 1. de loc. affect. c. 4. exemplo; Esto inquit, ut quispiam manè surgens dicat, nidorosum ructum se emittere aut aliquid ab ovis frixis aut alia quamvis re magis fætente & putri; Ille itaque qui nidorosum ructum percipis, fateatur se à cœna placentam nidorosam comedisse, quales sunt quæ ex oleo & similibus aliis parantur; alter verò confiteatur, frixa ova se ingessisse, atque nunc illorum nidorem eructare; deinde alias quamplurimas radiculas comedisse, ut fœtens putrisque ructus ab ore prodeat; Igitur cibos in his non fuisse benè concoctos nemo negabit, quamvis ventriculus nequaquam fuerit ex hac re affectus, neque etiam quod ad ipsius rationem pertinet, circà actionem erraverit; hæc Galenus: ex quo evidenter constat, in his aliisque ejusmodi casibus actiones tantum apparere vitiatas, potentiâ nequaquam offensâ, ideòque potius naturales quasdam impotentias, vel ut aliis placet, naturalia symptomata dicenda esse, ad quorum seriem pertineant sternutamentum, oscitatio, pandiculatio, tremor in senibus & meticulosis, qualitates mutatæ in amore & passionibus animi, crises, vomitus spontaneus aliæque similes actiones, quæ non tam impotentiam & læsionem quam robur & vires corporis arguunt: Proinde non quæcunque defectus actionum vitalium, qualitas immutata, aut vitiosa excrementorum profusio symptomatis nomen & rationem merentur, ut ait Merc. de sympt. causis q. 179. nisi ab affectu præternaturali proficiscantur.

DICES, actiones læsæ sunt tantum puræ negationes, ergo non symptomata, quia hæc sunt quid reale. *Resp.* primò, actiones læsas entitativè sumptas non esse quid reale, negatur; formaliter & juxtà petitam hic rationem quæ est debilitas, conceditur, ergo non sunt symptomata, negatur consequentia, quia si in iis spectetur propria entitas, sunt quid reale, quia sunt viæ, fluxus & tendentiæ in effectum realem, tum exercitia agentium naturalium: si verò spectetur debilitas vel abolitio, verum est non esse quid reale superadditum, quia sunt meræ impotentiæ vel negationes operandi. Secundò, respondetur commodius, per impotentiam non intelligi puram negationem vel privationem potentiæ, sed qualitatem positivam, quâ ægrè operamur aut resistimus contrariis; ita ut tam potentia quam impotentia comparetur ad unum actum, vel quis sit ejusdem rationis, ut visus fortis in juvene; debilis in sene.

Causa symptomatum. DICO 4. Actionum læsarum, qualitatum immutatarum, &c. causa proxima & immediata est morbus, remota verò quicquid efficienter morbum producit. Patet ex dictis & ratio est, quia morbum immediatè sequuntur symptomata, ergo & actiones læsæ; Nam morbus est qui tam formaliter quam efficienter sanitatem expellit evertitque connaturalem temperiem & constitutionem partium, ideòque etiam facit, quò minus anima per potentias & organa sive internas corporis dispositiones benè operetur; Nec aliud de qualitatibus immutatis & tam excretorum quam retentorum vitiis intelliges, quia quicquid adversi in visceribus, in sanguine, in humoribus & excrementis totius suppositi reperitur, id totum causis & dispositionibus morbosis ascribendum est: Vide diffic. tertiam.

DIFFICULTAS VII.

Quæ sint in specie symptomata potentiæ vegetativæ seu naturalis, & imprimis nutritivæ.

UT facilè cognoscantur symptomata primi generis, quæ consistunt in actionibus læsis, examinandæ sunt omnes potentiæ & facultates humani corporis; Nam dum benè & laudabiliter operantur, hoc sanum est & integrum; dum vitiosè, emergunt varia symptomata & quidem à singulis singula diversa, ut ordine constabit.

SUPPONO 1. Ex uno morbo sæpè oriri & symptomata & alios morbos, qui nihilominus sub diverso respectu rationem symptomatum habent, ut patet in cachexia, quæ quia intemperiem frigidam epatis & debilitatem concoctricem sive nutricem sequitur, rationem symptomatis habet, quamvis sub alio respectu; v. g. sub habitu corporis frigido & prætumido verus quoque sit morbus, quod idem de multis aliis intellige.

SUPPONO 2. Potentiam dividendam esse in vegetativam sive naturalem ejusq; ministras, in vitalem, in sensitivam, in motivam, appetitivam; & intellectivam, adeòque dum anima per has malè & vitiosè operatur; oriri symptomata quæ ad unam alteramve spectent; Ut itaque de potentia vegetativa sive naturali sumatur Initium,

Adverte, hanc dividi in nutrientem, augmentantem & generantem, tum in quasdam ministras sive secundarias; videl. in concoctricem, retentricem, expultricem & attractricem; Et ex harum omnium constitutione non naturali defluunt omnia symptomata, quæ in ipsis organis à morbo ejusque causis producuntur, proinde defectus & vitia erunt in generatione, accretione, nutritione, concoctione, attractione, retentione & expulsione, idque vel magis vel minus per diminutionem, depravationem vel omnimodam ablationem ut loquuntur Medici: His positis

DICO 1. Facultatis nutritivæ symptomata sunt *gracilitas* vel *macies, tabes, cachexia,* *lepra,* *Macies, tabes, lepra.*

scorbuttus, scabies, &c. *lepra, scorbuttus, scabies fœda, vitiligo, impetigo, &c.* quæ à vitioso nutrimento pendent, & non tantum in cute, sed subinde profundius etiam serpunt. Explicantur singula; *gracilitas* si connaturalis sit, est à calore epatis & peculiari totius corporis cōplexione, à qua plus humidæ & aereæ substantiæ consumitur; Et hoc symptoma morbosum non est: si contra, vel gradus est ad tabem, vel quædam substantiæ humidæ consumptio quæ facile per naturam reducitur, ut in febribus, in quibus calor præternaturalis humidum depascit. *Tabes quid.* *Tabes* vitium est, quo propter defunctum nutrimenti corpus paulatim vel secundum totum, ut in febre hectica, vel secundum partem, ut in consumptione vel arescentia cruris, pedis, brachii, tabescit. Est autem tabes alia naturalis, ut in senibus, quorum corpora ex defectu humidi radicalis marcescunt, alia præternaturalis, ut cum substantia corporis humida non tam ex defectu nutrimenti quam ex causis violentis extrinsecus advenientibus consumitur, quod videmus fieri in calore lento & hectico.

Hic *Adverte*, ex Fernelio quando corpus lentè causâ peculiari præcedente ex assumpto alimento non nutritur, vocari atrophiam, non verò quando ex causa manifesta ut in senectute, febre depascente, evacuationibus vehementioribus, inedia, &c. depascitur; sed dicuntur hæc sine fundamento, quia atrophia symptoma genericum est, & significat terminum exarescentiæ sive privationem connaturalis magnitudinis totius sive partis, à quacunque causa fiat. De lepra, scorbutto, omnisque generis pustulis patent causæ ex antecedentibus, quia etiam morbi sunt, imò potius quam symptomata. Et hinc si

Lepra, scorbuttus & pustulæ quomodo sint morbi & quomodo sympt. DICAS 1. Lepra, scorbuttus, scabies fœda, pustulæ, &c. sunt morbi, ut habetur ex dictis, ergo malè numerantur inter symptomata. Resp. si hæc vitia spectentur, quatenus sunt cum exulceratione, tumore & eminentia cutis, esse morbos, quo nomine etiam de iis antecedenter actum fuit; si autem considerentur, quia sequuntur intemperiem viscerum, & sunt actiones læsæ potentiarum quæ iis visceribus debentur, esse symptomata, & hoc nomine de iis hic agitur: Cum enim fiant ex vitiosa nutritione, sive hæc à solo nutrimento sive etiam ab intemperie epatis aliorumque viscerum, quod utrumque esse potest, oriatur, ideò ejus potentiæ actiones læsas sive symptomata nuncupare solent Medici; Unde licet aliquando solum alimentum hujusmodi affectuum illæsis etiam visceribus causa sit, quod à potentia digeri non possit, sufficit tamen ad hanc potentiam revocare, quia ejus defectu fiunt, & ad aliam nisi quædam ex iis ad augmentativam licet impropriè referri non possunt.

DICES 2. Scabies, pustulæ, scorbuttus, elephantiasis, &c, non supponunt morbum, sed solùm causas morbosas, ideòque sunt ipse morbus, ergo non symptomata. Antec. prob. ex dictis, quia aliquando visceribus omninò illæsis solum alimentum vitiosum causa est hujusmodi affectuum, unde etiam symptomata non sunt sed morbi, si tamen morbi sint dicendi. Resp. neg. antecedens, quia vel sequuntur obstructiones vel intemperiem viscerum naturalium; Quod si tamen aliquando scabies v.g. levior sit, non meretur rationem symptomatis, quia non fit è peculiari epatis, aut alterius membri intemperie, sed ut plurimùm vitio nutrimenti, quo casu nec morbus nisi impropriè ut lato modo dicendus est nec symptoma.

DICES 3. Hujusmodi affectus non sunt actiones læsæ, ergo non sunt symptomata; Antecedens patet in elephantiasi, quæ consistit in impura fœdâque corporis totius substantia & corruptela, vel in peculiari malignitate visceribus impressâ, quæ est aliquid distinctum ab ipsa actione læsa, scil. nutritione, sed & aliquid posterius. Resp. verum esse, quod hæc vitia aliquando non sint propriè ipsa actio læsa; nihilominus tamen, quia sunt effectus immediati ipsius v.g. nutritionis, quæ oritur à morbosa constitutione, ideò sub uno læsæ actionis nomine solent Medici comprehendere; sic omnem scabiem fœdam omnesque affectus qui sunt cum pustulis serpentibus & exulcerantibus vocant actiones læsas potentiæ nutritivæ, quia sunt vitia nutritionis, vel Resp. actionem læsam sumi posse dupliciter; primò pro ipso fluxu & tendentia in terminum. Secundò, pro ipso termino: hujusmodi ergo affectus sunt actiones læsæ secundo modo non primo. Et hoc intellige non tam de præsentibus quam de aliis quibuscunque affectibus sive symptomatis, v.g. de gracilitate, de mala concoctione, &c. Dixi tamen aliquando, quia multi affectus sunt ipsa actio læsa, ut diarrhæa, lienteria, &c. quæ cum non sint potentiæ nutritivæ sed retentivæ, in alium locum spectant. Una restat cachexia, quæ cum sit principale hujus potentiæ symptoma; ideò

DICO 2. Cachexia est depravatus & vitiosus corporis habitus ex vitioso nutrimento & imbecillo viscerum temperamento contractus. *Cachexia.* Ita Fern. l. 6. de part. morb. & sympt. c. 8. Dicitur primò habitus vitiosus, quia totum corpus in cachecticis vitiosum est, non vividum aut benè coloratum, sed grave, lividum, somnolentum, pallidoque & citrino calore squalidum. Dicitur 2. Contractus ex vitioso nutrimento & imbecillitate viscerum, ut designetur causa qua ejusmodi habitus contrahitur: Nam & impura corruptaque alimenta invehere solent hunc affectum, ut docet experientia, & ventriculi viscerumque naturalium imbecillitas, quæ ob diminutam concoctionem parit cruditatem, ex qua imperfecta & vitiosa nutritio; Et hinc cachexia aliquando cruda ac pituitosa, aliquando autem melancholica vel alio quovis modo vitiosa gignitur, prout viscerum impuritas aut caloris & facultatis concoctricis imbecillitas humorum varietatem & corruptelam

lam profert. Hæc vicem primi gradus ad verum hydropem obtinet, adeòque una & cadem utriusque causa, hoc solùm discrepans, quod in cachexia sit incipiens, in hydrope autem confirmata: Quæ verò tam venas quam hypochondriorum viscera in tantam intemperiem frigidam inflectant & præcipitent, videri possunt apud Fernel. cit. & alios. Cæterùm differt cachexia ab atrophia in hoc, quod in una corpus sensim ex defectu sanguinis contabescat, in altera verò ex sanguine aquoso in ampliorem molem attollatur; Nam licet in utraq; virtus nutritiva languescat, in atrophia tamen nulla fit nutritio, quia hic nullus in venis collapsis sanguis est, & ibi vitiosus, frigidus, serosus.

Colligitur, hujusmodi affectus, qui sunt potentiæ nutritivæ, si sint notabiles, oriri à vitioso alimento tanquam à causa & ab intemperie viscerum tanquam à morbo, quo existente læditur simul potentia producitur que novus morbus qui sub hoc respectu rationem symptomatis habet, tametsi in se veri propriè dicti sint morbi.

DIFFICULTAS VIII.

Quæ sint Symptomata potentiæ augmentativæ.

HUjus est animal ad justam magnitudinem per nutritionem præcedentem deducere; Quod si itaque corpus grillum & Zacchæum permanet, aut in deformem & gygantæam molem excrescit, judicandum est id errore hujus facultatis augmentativæ accidere.

Adverte, non esse hic sermonem de quovis defectu aut excessu magnitudinis, sed de eo tantum qui præter naturæ ordinem vitiatisque organis & impeditâ facultatis operatione gignitur; Nam aliquando sunt corpora non tantum in sua specie vel exiguæ vel vastæ magnitudinis, utpatet in brutis animalibus, quorum exiguus est lepus aut cuniculus, magnus autem equus, major camelus & vastissimus elephas, sed reperiuntur etiam & magna & parva in una animalium specie, ut patet in equis, in canibus, in hominibus, quorum aliqui propter uteri materni constitutionem, feminisque & virtutis generativæ dispositiones vel grilli manent vel supra consuetam magnitudinem excrescunt, ubi tamen nihil præter naturæ ordinem accidit. Jam

Zacchæi & gigantes non sunt propriè vitiata quantitatis.

DICO 1. Non omnia sunt symptomata potentiæ augmentativæ quæ in justa debitaque magnitudine vel deficiunt vel excedunt. Ratio est, quia non semper oritur hic excessus aut defectus ex læsione potentiæ augmentativæ ut patet in pumilionibus, in quibus omnia membra & organa servant suam proportionem in situ, connexione, extensione, &c. Deinde non oritur semper hic excessus vel defectus ex errore aliquo notabili; sicut fit cum vis formatrix in prima corporis formatione deflectit, & in construendis organis aberrat; Nec fit semper à causis & injuriis morbosis, si ut fieri solet quando crus per destillationem humorum in magnam molem præternaturaliter attollitur, ergo non semper inter symptomata potentiæ augmentativæ numerandum est, cum aliquid individuum in sua specie à debita magnitudine vel deficit vel excedit, ut patet in Zacchæis & gigantibus.

DICO 2. Ad facultatem augmentativam spectant omnia illa vitia, quæ deflectunt à justa & connaturali magnitudine fiuntque à causis morbosis; sunt autem in defectu gracilitas sive macies quæ fit à morbo, tum consumptio & exetatio, quæ in re non differt à gracilitate, sive totius ut in hectica, sive partis alicujus tantum ut manus, digiti, brachii, pedis, &c. Ad excessum pertinent omnes excrescentiæ magnæque molis eminentiæ in ventre, crure, capite, lingua, brachiis, pedibus & sim. de quibus disput. 16. sub nomine & forma morborum actum fuit; Nam spectabantur tum sub magnitudine vel parvitate, erantque veri affectus qui per se lædunt operationes; Hic autem considerantur, quia sequuntur affectum, suntq; ipsæ actiones læsæ facultatis, augmentativæ; Et has omnes si ad nutritivam revocare velis, nemo fortè litem movebit quam cui nihil nisi suum placet.

Omnes excrescentiæ & eminentiæ præternaturales.

DIFFICULTAS IX.

Quæ sint symptomata potentiæ generativæ; & quæ causæ.

PEr hanc potentiam animal generat sibi simile & conservat se in sua specie: De ejus symptomatis & horum causis dum quæritur,

DICO 1. Symptomata quæ propriè ad facultatem generativam pertinent, sunt *languor*, *impotentia & sterilitas*. Dico quæ propriè huc spectant; Nam facilis abortus, partus difficilis, &c. impropriè ad hanc & potius ad vim retentricem & expultricem referuntur, nisi fortè in quantum uterus ex vitiosa quadam dispositione fœtum non perficit ideòque difficulter retinet. Est autem imprimis *languor* qui viris & fœminis communis, actus ab utroque tardius & difficilius elicitus, licet nonnunquam cum obtentione finis quæ est generatio hominis: Hic languor non est ipsa vasorum genitalium debilitas, id est, morbosa harum partium dispositio, ut aliqui definiunt, sed est id quod debilitatem hanc sequitur, id est, impotentia vel gradus ad eam & virtus debilitata, quomodo imbecillis visus non est ipsa oculi vitiosa dispositio vel debilitas ad visum elicien-

Languor.

eliciendum, sed est id quod eam organi constitutionem sequitur, id est, debilis potentia visiva. *Impotentia* quæ ad virum spectat, est qua vir aut ægrè aut penitus non operatur; Nam sumitur aliquando impotentia hæc pro aliquo tantum languore, id est pro actu imperfecto & languescente, aliquando verò pro totali abolitione virtutis generativæ, ita ut per eam homo dicatur propriè impotens & ad generandum inhabilis.

Impotentia

Sterilitas.

Sterilitas quæ in fœminis sicut languor & impotentia in viris reperitur, utplurimùm sumitur pro eo defectu & impotentia, quâ fœmina judicatur estque incapax ad concipiendum & generandum, quamvia fieri possit, ut hæc sterilitas vel mediis naturalibus, vel mutato viro, vel denique sponte sæplus cesset, sicut experientia multoties in fœminis docet.

causæ impotentia.

DICO 2. Impotentia quæ defectus in viris est ad actum generativum eliciendum, ideòque non tam in generandam prolem quam in ipsum actum exercendum refertur, pro causis habet primò defectum, vitiosam conformationem, læsionem & stuporem membri. 2. Incantationem magicam, qua de vide Delr. l. 3. disq. mag. 3. Dissectionem vasorum spermaticorum vel castrationem, quâ tollitur quidèm seminis generatio propter vasa dissecta & negatũ cum sanguinis tum spirituum influxum, non tamen semper prurigo libidinis, quæ subinde in spadonib⁹ ob meatus quosdam & organa sanguine & spiritibus ad inflandos & erigendos nervos plena remanet. Vide quæ l. t. diff. 2. de spadonib. & castratis dicta sunt. 4. Imbecillitatem & refrigerationem vasorum genitalium ex senio, morbo & intemperie frigida; cujus origo si aliunde non constat, intrinsecus querenda est. Quam difficile autem sit in cognitionem hujus venire, testantur Anatomici, qui licet diligentissimi scrutatores fuerint, nunquam tamen nisi primum sectione aliquandò in demortuis, veràque tum genuinæ conformationis inspectione causam deprehenderunt, absentiam videl. vasorum semen deferentium aut generantium, ductus perversos, &c. 5. Et ultimò obstructionem vasorum seminalium ab humore crasso & lento, à callo, tumore, caruncula, sanguinis penuria, &c. *Sterilitatis* quæ fœminis est propria, habeturque defectus non ad libidinis actum exercendum, sed ad prolem gignendam, causæ eædem sunt quæ impotentiæ in viris, non tamen similes nisi in suo genere; Nam præterquam quod in fœmina sterilitas fiat ex incantatione magica, ex senio, morbo, obstructione, intemperie & vitio tam partium principum quam vasorum spermaticorum; accedunt etiam peculiares partium affectus & vitiosæ conformationes, ut nimia amplitudo vel angustia oris & cervicis uteri; obstructio, obliquitas, perversio & hinc nata mensium suppressio; ut notat Fernel. c. de causis sterilitatis.

Adverte tamen, intelligi hic sterilitatem absolutam non respectivam, quo modo etiam fœmina sterilis appellatur, quando prolem cum præsente marito non habet, licet ipsa in se fœcunda existat, ut testantur secundæ nuptiæ vel cum alio viro cohabitatio & consuetudo.

DIFFICULTAS X.

Quæ sint symptomata potentiæ concoctricis & quæ causæ.

SUPPONO, facultatem concoctricem non tantum residere in ventriculo, sed etiam in epate, venis, totoque habitu corporis, ubi alimentum adhuc coquitur & perficitur, donec in substantiam corporis immutatur.

NOTA, duplicia esse symptomata potentiæ concoctricis; Una quæ immediatè ejus imminutionem vel morbum sequuntur, ideòq; primaria dicuntur; altera quę primis succedunt & secundaria appellãtur; Nam potentia coctrix vel ejus organa si læsa sint, habent symptomata immediatè succedentia; Quia verò pluribus actionibus & usibus ob eximium consensum, quem habent cum reliquis visceribus, inserviunt, idcircò ad peiora symptomata; quæ morbum immediatè sequuntur, semper nova & nova emergunt; & hæc secundaria dici solent, His positis

DICO 1. Symptomata quæ immediatè læsam facultatem coctricem sequuntur, sunt *cruditas, tarda concoctio & ciborum corruptio* in ventriculo; In epate *generatio sanguinis serosi, sanguinis crudi, frigidi, flatuosi,* vel nimiùm *calidi adusti* & erodentis, unde cancer, erysipelas, herpes, &c. In reliquo demum corpore sanguinis & humorum tam ad nutriendum quam ad egerendum imperfectio vel corruptio. Nam alimentum quod intrà corpus digeritur, semper sequi solet constitutionem viscerum in quibus digerendum est, atque ita transit in sanguinem bonum & laudabilem, vel in crudum, serosum, melancholum, biliosum, adustum, corruptum, &c. Quod autem non in solo ventriculo & epate, sed in venis etiam totoque corporis habitu fiat concoctio & digestio, desumitur ab ipsa natura sanguinis, qui cum à corde & epate in venas profunditur, non habet adhuc ultimam perfectionem, qua in substantiam corporis immutatur, ut constat ex iis quæ l. 1. disput. de humoribus & alimento habentur.

Cruditas chyli & sanguinis.

DICO 2. Symptomata quæ secundariò læsam facultatem coctricem sequuntur, sunt *flatus, lienteria, diarrhæa, cachexia, hydrops, pallor & intumescentia faciei, stillicidium urinæ, &c.* Probatur hæc conclusio ex iis quæ de hujusmodi vitiis eorumque causis, tum de quibusvis vitiosæ concoctionis effectibus communiter dici & haberi solent; Nam ex imperfecta crudaque ciborum concoctione vel corruptione gignitur crudus, frigidus & corruptus sanguis;

Flatus, lienteria, diarrhæa, pallor, hydrops, intumescentia, &c.

ſanguis, qui vitiosè corpus nutrit, naturalem viſcerum temperiem corrumpit, vias & meatus obſtruit, vel læſa facultate vegetante laxat: Et huc ſpectat vitioſa coctio ſeminis, lactis ultimique alimenti antequam in ſubſtantiam aliti convertatur.

DICO 3. Cauſæ horum ſymptomatum ſunt præter alimenti naturam vitia & affectus ventriculi, epatis & vicinarum partium, ut obſtructio, ſcirrhus, intemperies vel nimis calida & ſicca, vel frigida & humida, &c. bilis aliorumque humorum & flatuum in ſtomachum effuſio, exuperantia ciborum & potus, balnea, exercitia vehementiora, vigiliæ, ſomnus brevior aut longior, &c. His enim omnibus calor nativus & vitalis opprimitur, ſpiritus conſumuntur, aliò evocantur vel in agendo impediuntur.

DIFFICULTAS XI.

Quæ ſint Symptomata virtutis retentricis.

NUnquam certè deeſt natura in neceſſariis, ut vel maximè patet in potentiis & operationibus animalium, quæ variæ & diverſæ ſunt, & ad quas eliciendas diſtinctis illa providit organis; Nam poſt concoctos in ventriculo cibos & elaboratum in epate ſanguinem, ſuisque hinc inde diſperſis & ſeparatis excrementis, ne omnia vel citius vel tardius ſuis vaſis & loculis elaberentur, inter cætera commodiſſimè proſpectum eſt animali, ut organa quibus humores & ſanguis continentur, habeant fibras ſeu villos obliquos, quorum operâ & miniſterio ad concoctionem perficiendam uſumque animali neceſſarium uſque retineantur; Quod ſi autem in bis affectus aliquis ſuboriatur, ſymptomata mox dicenda emergere ſolent; Unde

DICO 1. Non ſunt eadem ubique virtutis retentricis ſymptomata; Ratio eſt, quia vis retentrix eſt in diverſis partibus & organis, quæ non iiſdem affliguntur morbis, ac proinde non iiſdem ſymptomatis: Deinde nec eadem ſunt in omnibus vaſis ſeu receptaculis excrementa & humores, ergo nec eædem ſymptomatum denominationes; ſi enim excrementa in inteſtinis citius delabantur, oritur lienteria; diarrhæa, dyſenteria; ſi in renibus, urinæ incontinentia; ſi in utero, fluor muliebris; ſi in ſtomacho, vomitus; ſi in venis, hæmorrhogia: Quod ſi tamen modum in excretionibus ſpectes, eadem non omnium ratio, quia vis retentrix ubique læditur & profluunt humores ſive excrementa ante perfectam concoctionem & ſeparationem: Hinc quod ſequitur,

Lienteria.

DICO 2. Symptomata læſæ facultatis retentricis in inteſtinis ſunt *lienteria*, quæ dicitur inteſtinorum lævitas, qua alimenta nondum concocta rejiciuntur; *Diarrhæa* quæ eſt profluvium alvi quo ſinceriores humores ſine vehementi ſenſu doloris excernuntur; Et *dyſenteria*, quæ eſt cruenta alvi dejectio cum dolore & ventris torſione. In renibus eſt involuntarium urinæ *profluvium* quod dicitur ejuſdem *urinæ incontinentia*. In utero *menſium fluor*, quo ſanguis ſuperfluus ſæpè putus, ſæpè aquoſus & ſeroſus præternaturaliter excernitur. In venis *hæmorrhagia*, quando videl. ſanguis præter modum per urinam, per alvum, per nares & fauces & ab alvo excreatur: In ſtomacho *vomitus*, quando is nullum cibum aut potum læſâ potentiâ retentrice reſervat. In vaſis ſpermaticis *gonorrhæa*, & in reliquo corpore *ſudor*, ſive is ſymptomaticè, ſive quod potius requiritur, deminutâ facultate retentrice diffluat; Et hi ſinguli affectus ut cum ſuis cauſis breviter explicentur;

Diarrhæa. Dyſenteria. Urina incontinentia. Fluor muliebris, hæmorrhagia, Vomitus, Gonorrhæa, Sudor.

DICO 3. Menſes immoderatè profluunt propter ſanguinis abundantiam, ſeroſitatem, calorem & rarefactionem, propter exeſam venam uteri viriumq; imbecillitatē qua ſanguis cohiberi non poteſt, tum propter quandam acrimoniam à qua potentia expultrix ad egerendum ſtimulatur; Et hoc habent menſes commune cum aliis fluxionibus ſanguinis, quas per nares, hæmorrhoides, fauces, inteſtina aliaſque vias obſervamus & in quibus ſemper naturam per noxios humores ſtimulari deprehendimus; Eandem etiam rationem res habet cum *gonorrhæa* ſive naturali ſive virulenta, quæ utraque in viris & in fœminis evenire ſolet, prior quidem citrà ullum ſenſum è vaſis ſpermaticis ob eorum debilitatem aut ſeminis copiam, calorem, ſeroſitatem & acredinem, poſterior verò, quæ non per intervalla, ut prior affligit ſed continenter & à cauſis gravioribus (profluit enim in utraque ſemen involuntariè & citrà libidinis ſtimulum) ob impreſſam luis venereæ malignitatem, qua venæ ſeminales debilitantur, ſemenque flavum, vireſcens, graveolens, acre & mordaciſſimum profluit ut patet in pudendorum ulceribus & doloribus. *Sudor* ultimus & prænuncius mortis ſive ad potentiam retentricem ſive ad expultricem ſpectet, fit à violentia morbi quo ſimul omnes vires à natura ultimum ad certamen convocantur & de ſumma rei ad mortalem uſque ſudorem decertantes occumbunt. *Urina* præter voluntatem elabitur vel à laxitate vel à nimia mollitie ſphincteris muſculi, qui in cervice veſicæ meatum claudit & aperit, vel à nimia urinæ acredine & copia, vel à nervis ipſius muſculi, caſu, ictu, paralyſi, vel nimia mollitie affectis & reſolutis, ut in infantibus fieri ſolet. *Vomitus*, qui ex læſa potentia retentrice ſolum oritur, cauſam habet ſtomachi nimium lævitatem, laxitatem & refrigerationem, tum nauſeam ex variis rebus præconceptam, prægreſſas vomitiones & convulſiones ſive motus ex cauſis gravioribus ut calculo renum, medicinis vehementioribus,

Menſes immoderatè fluentes. Gonorrhæa. Sudor mortalis, Urinæ fluor.

veneno,

veneno, &c. *Citæ alvi dejectiones* oriuntur à cibis liquidis & pinguibus, ab humorum vel medicamentorum acrimonia vellicante, ab alimentis corruptis & biliosis, crudis, aquosis, &c. Inter has autem dejectiones prima est *affectio cœliaca*, cujus causa non est cruditas aut imperfecta chyli concoctio, sed mala ipsius distributio, unde etiam probabiliter ad potentiam secernentem & distribuentem, quæ secundum multos non differt à concoquente, redigi potest; chylus autem cum ob viscerum & mesenterii obstructiones non distribuatur, paulatim in intestinis tenuioribus, in ventriculo, in mesenterio & circum viscera colligitur & putrescit, datoque tempore cum naturam stimulat, sponte per superiora & inferiora propellitur, hominemque multis & gravibus sublevat affectibus. *Lienteria*, quæ intestinorum dicitur lævitas, & qua fæces alimentis tum substantia tum colore similes rejiciuntur, non habet pro causa distributionis impedimentum, sed primæ concoctionis & ventriculi imbecillitatem, unde cibus nihil aut parum immutatus elabitur: Dissolvitur autem ventriculus potu aquæ frigidæ præsertim post cibum, cibis lubricis & laxantibus ut oleo, butyro, fructibus facilè putrescentibus, prolapsu pituitæ è cerebro, & quicquid sive extrinsecus sive intrinsecus temperiem & complexionem naturalem corrumpit. *Diarrhæa* fluxus est, quo sinceriores humores absque singulari dolore profluunt, unde etiam alia dicitur pituitosa, alia biliosa, &c. Nam pituita ut plurimùm copiosius in intestinis crassioribus colligitur, vel ex mesenterio illuc defluit, aut ex capite & universo corpore: Bilis sæpè ab epate calidiore aut cysti fellea in intestina profunditur, sæpè etiam ex mesenterio, è venis majoribus totoque corporis habitu, atque ita sorditatem aliosque morbos solvit; sicut & illa quæ est ex pituita, speciem hydropis anasarcam, si præsertim ex universo corporis habitu in intestina derivetur; Melancholia aut è liene aut è mesenterio prodit, quando videl. humor feculentus & terrestris tam naturalis quam excrementitius circum has partes collectus in intestina excutitur; In hac autem usque adeò sæpè nigra apparet dejectio, ut teste experientia cum nigra pice vel cassiæ medulla conferri possit; quamvis Fernelius dicat hanc non rarò esse à sanguine vel etiam à bile, & illud quidem, quod sanguis ex aperta thoracis vena in intestina descendat & in iis dum longo sinuosoque prolapsu moram trahit, præassatus piceam referat; hoc verò, quod bilis epate obstructo, scirrhoso aut aliter malè affecto proprio suo folliculo diutius detenta virorem, tandemque nigrorem ustione contrahat; Et huc etiam refert idem Fernelius fluxum colliquativum intestinorum, in quo excrementa apparent pinguia vel oleosa propter colliquationem musculorum partiumque solidarum in febribus pestilentialibus & malignis, in hectica, phthisi, caufone colliquante, atrophia, inflammationibus viscerum, &c. *Dysenteria*, in qua post mucum intestinorum & adipem etiam paulatim tunicæ, fibræ, pelliculæ & ipsa substantia intestinorum exesa & corrosa rejicitur; causam habet acerrimum quendam humorem ex vitiatis & depravatis esculentis in mesenterio, liene, epate, venis majoribus totoque corporis habitu collectum, id est, bilem utramque, vel pituitam salsam, medicamenta exedentia, constitutionem aeris epidemicam, &c. Quod si tamen sanguis per intestina sine dysenteria & *Tenesmo*, qui est ex intestini recti ulcere perpetua desidendi cupiditas, & dysenteriæ ferè semper conjunctus, profluat, sæpius ex apertis hæmorrhoidibus internis venit, rarius ex epatis imbecillitate, in quo casu dilutus est & recentis carnis loturæ similis, sicut ex hæmorrhoidibus ruber, benè concoctus nulloque sero permixtus; sed de excrementis infrà pluribus.

Marginalia: *Passio cæliaca.* — *Lienteria.* — *Diarrhæa.* — *Dysenteria.* — *Tenesmus.*

DIFFICULTAS XII.

Quæ sint Symptomata potentiæ expultricis.

DICO 1. Hujus potentiæ, quæ pro instrumentis & organis habet fibras transversales, symptomata sunt *stillicidium urinæ* vel *tota suppressio*, *menses subsistentes & imminuti*, *tarda alvi dejectio*, & ubi natura nunquam nisi medicinis aut purgantibus stimulata operatur.

DICO 2. Causa suppressionis urinæ est vel adstrictio vel obstructio, & quidem vel cervicis vesicæ vel osculorum utriusque ureteria, quod per certa signa facilè colligitur; si enim unus ex ureteribus obstructus sit, nulla fit suppressio, contrà si uterque; exercet etiam dolor & gravitas lumborum, non pubis, nec ulla meiendi cupiditas urget; vesica etiam cathetere vacua deprehenditur; Quod si tamen urinâ plena sit; summoperè distenditur, assiduum meiendi desiderium facit, & per catheterem immissum copiosum emittit serum; fit obstructio hæc ab inhærente calculo, à tuberculo carnoso vel calloso, rarius ab humore crasso, pure vel sanguinis grumo; obstructio autem ureterum à calculis, inflammatione, sanguine cruento, humoribus crassis, sabulosis, &c. *Stillicidium* habet easdem causas sed leviores, & est aliquando cum dolore propter urinæ acrimoniam, & cervicis vesicæ vel inflammationem vel exulcerationem. *Alvi astrictio* alia naturalis est & peculiaris quibusdam individuis; alia præternaturalis & morbi comes, cujus causa est vel intestinorum sensus obtusus, ut proinde potentia expultrix non facilè stimulo moveatur, vel defectus materiæ stimulantis, quando videl. nulla bilis ad intestina descendit, ut fit in utero, vel denique intestinorum astrictio,

Marginalia: *Suppressio urinæ.* — *Stillicidium urinæ.*

astrictio & obstructio quæ est freqüentissima, hæc quidem à multis cruditatibus durisque fæcibus, illa verò à Mesenterii vel viscerum tumore, à quo intestina coangustantur; aliàs communiter & absque morbo fæces vi caloris fortique mesenterii suctione siccescunt, solentq; nonnunquam non tantum morbos, sed & gravissima symptomata producere, si præsertim diutius detineantur. *Mensium suppressio*, nisi ætas, imprægnatio, morbus & lactatio id faciãt, semper suspecta est & oritur à parcitate nutrimenti, à multis laboribus, sudore copioso, profusione sanguinis è naribus, hæmorrhoidibus, secta vena, sanguine crasso, frigido, viscoso, à vomitu, alvi profluvio, immodicis evacuationibus, extenuationibus, curis, mœroribus, vigiliis, timore subitaneo, frigida intemperie tam uteri quam principaliũ viscerum, obstructione vel scirrho sicut in hydrope & cachexia, à peculiari demũ vitio cõformationis ipsius uteri, &c. An autem mulier absque profluvio sanguinis hujus menstrui possit in multos annos sanitatem conservare & uterum gestare, incertum est, & videtur omninò utrumque contingere, sanguine videl. toto in substantiam deperditam converso, v.g. in iis fœminis, quæ calidioris sunt naturæ & viragines appellari solent, tum naturâ sufficientissimum alimentum ad prolem suggerente, idq; corpori quantum satis detrahente.

Suppressio mensium.

DIFFICULTAS XIII.

Quæ sint Symptomata potentiæ attrahentis.

ETiam hac virtute opus habet animal; ut tantum alimenti attrahat quantum ad conservandam vitam sufficit, & quidem illud quod bonum est & conveniens; Hoc videmus in plantis, quæ è terris succum attrahunt & in suam substantiam convertunt. Nec minor, sed perfectior est hæc virtus in homine, cujus omnibus & singulis partibus naturalis appetitus inest sese per nutritionem conservare.

DICO, potentiæ attrahentis nulla ferè sunt symptomata, quorum digna fieri possit mentio. Ratio est, quia quæcunque huic virtuti asscribuntur, salvari & explicari sufficienter possunt per vim illam, quæ alimentum, humores & quælibet excrementa de loco in locum propellit. Hoc patet in locis & membris dolentibus, tum in medicinis quas attrahentes vocamus, quia nullibi fit vera & propriè dicta attractio quæ est actio violẽta, extrinseca & transiẽs, v.g. protrusio vel commotio corporis de loco in locũ. Nam quod imprimis locũ dolentem aut [illegible] debilem concernit, ideò dicuntur ali[illegible] illuc humores attrahi, quia dolor im[illegible] cum alteratione quam sequitur spiri[illegible] accursus tum humorum decubitus; Deinde pars debilis, quia excrementa sua sufficienter deponere & excutere non potest, aliena facilè recipit, quod in podagricis doloribus videre est. Dixi aliquando, quia non semper ad locum dolentem aut debilem fit attractio ut testatur experientia; sed nec opus est ita fieri; quia non est ea connexio doloris aut partis dolentis & debilis cum vicinarum partium excrementis aut humoribus, ut absq; eorum affluxu esse non possint. Medicinæ quæ corpori extrinsecus applicantur, per accidens attrahunt spicula cæteraque cuti carnique subjacenti impacta, putrefaciendo scil. cogendo calorem, rarefaciendo & irritando naturam ut noxia propellat, sicut infrà de qualitatibus virtualibus dicetur. Dixi ad initium ferè nulla esse symptomata hujus potentiæ attrahentis, quia non minus videtur esse animalibus indita quam ea quæ noxium rejicit, & quidem omnibus in partibus in quibus est naturale quoddam desiderium sive appetitus, ut se per alimentum & vim nutrientem conservet, unde eam asscribunt Medici venis, partibus famelicis & tam stomacho quam ventriculo cibum ab ore & faucibus attrahenti: Minuta tamen sunt symptomata hujus potentiæ, & si deprehendatur aliquis languor aut defectus in appetitu cæterisque potentiis naturalibus, non eum huic facultati attrahenti, sed principaliori alicui, ut coquenti aut toti vegetativæ solemus asscribere. Et hinc *Colligitur*, mirè inter se connecti, cohærere & complicari symptomata, ita ut videantur eadem ad plures potentias spectare, quamvis per diversas rationes formales non ineptè à seipsis distinguantur; sic enim vomitus v.g. ad virtutem expellentem spectat, quia elicit motum corpori præternaturalem, ad concoquentem verò, quia connotat alimentum crudum, vitiosum; &c.

Spicula quomodo attrahantur.

Unum symptoma sæpè spectat ad diversas potentias.

DIFFICULTAS XIV.

Quæ sint Symptomata potentiæ vitalis.

POtentiæ vitalis officium est, ut ea quæ ad vitam simpliciter sunt necessaria, à corde per arterias in universum corpus diffundat, vitamque per reparationem caloris nativi & humidi radicalis conservet, unde & facultas seu potentia vitalis dicitur; In specie verò id habet ut spiritus vitales generet, tum cor & arterias motu dilatationis & compressionis regat, &c.

DICO 1. Symptomata potentiæ vitalis quæ ad naturalem seu vegetativam quoque spectant, sunt virium debilitas, syncope sive deliquium, pulsus vitiosus arteriarum & palpitatio cordis: Nam hi sunt affectus potentiæ vitalis & depravati motus cordis, quos hactenus longa experientia comprobavit. Est autem virium debilitas à consumptione vel defectu & corruptione spirituum vitalium,

Virium debilitas. Syncope sive deliquium. Pulsus vitiosus. Palpitatio cordis.

vitalium, in quibus robur & virtus corporis existit: *Syncope* vel *deliquium* quod priori gravius, est præceps virium lapsus, in quo pulsus aut nullus est aut exiguus, extrema corporis frigent, tempora & thorax frigidum sudant, facies pallet, totumque corpus viribus exhaustum jacet, & mens omnisque sensus deficit. *Palpitatio cordis* est concussio vehementi dilatatione & constrictione molesta, ut videre est apud Fernel. de affect. cord. c. 12.

DICO 2. Debilitatis virium & deliquii causæ eædem sunt, in illa tantum leviores, in hoc autem graviores & vehementiores; Nam utrumque malum inferunt imprimis omnes affectus cordis & passiones fortes ut timor, gaudium & aliquando gravis mœstitia; Tum dolores, labores, inediæ, evacuationes immodicæ, febres omnes magnæ & malignæ, & quæcunque calorem nativum & spiritus vitales corrumpunt: accedit tandem eximius consensus oris ventriculi, uteri aliorumque viscerum ab inflammatione, erysipelate, ulcere, vulnere, bile pungente, tetro venenatoq; humore, à quo malignus vapor tum in ipsum os ventriculi, tum in substantiam cordis exhalat. *Palpitatio* cordis affectus gravis est, & subinde tam vehemens, ut teste Fernelio vicinas costas effringat. Causæ sunt variæ & utplurimum obscuræ, quæ tamen omnes in sanguinem, humores & vapores proximè referri possunt; In sanguinis quidem exuperantiam rarius, in humores tamen pericardio infixos sæpius, tum in vapores sæpissimè; Nam hi, sive ab utero per arterias, sive à liene & pancreate in cor irrepant, promptissimè illud sua malignitate adeò fatigant, ut mirè concitatum & commotum conetur vehementiori pulsatione noxium excutere; Hinc in malum hoc propensi sunt lienosi, quique hypochondriaca melancholia laborant, quia multa iis & copiosa inest atra bilis, quæ ad generandum hoc malum plurimum valet, ut testatur experientia & Medicorum consensus.

DIFFICULTAS XV.

Quæ sint Symptomata sensuum externorum.

Debilis visus.

DICO 1. Visus qui inter sensus externos primus est, vel tollitur omninò ut patet in cœcis, vel hebescit in luscis quique semiclausis oculis & objectis propius admotis cernunt, vel depravatur, ut cum res aliter visui repræsentatur quam in se sit; Et ab hujusmodi symptomatis quæ sunt actiones læsæ,

Surditas.

dicitur homo cœcus, luscus, &c. *Auditus* habet surditatem, difficultatem & sibilum, tinnitum, strepitum, murmura quæ faciunt ut objecta non distinctè sed depravatè percipiantur; Ex huc referri potest raucedo, quia est defectus vocis sive imperfectio soni auditu perceptibilis. De *gustu* & *olfactu* idem quod de auditu intellige, quia sunt inter homines, qui nec gustum habent nec olfactum, quique omnis generis res spurcissimas & fœtidissimas devorant, aut naribus admotas non abominantur. *Tactui* stupor est, omnimoda sensionis ablatio & dolor. Hic non in omnibus est sensibus ut conformiter Aristoteli docet Gal. de sympt. diff. c. 8. sed tantum in tactu; Quod si tamen in visu, auditu, olfactu & gustu dolor vel tristis sensio v. g. in auribus ex forti strepitu, in oculis ex re nimis lucida, in gustu ex sapido acuto, &c. percipiatur, ea non ad visum vel auditum, sed ad tactum spectat, quem postea sequitur debilitas visus, gustus, auditus, &c. læsis organorum dispositionibus.

Dolor.

Stupor.

DICO 2. Quicquid symptomatum est in visu, id debilitas, luscitas, cœcitas, caligo, hallucinatio dicitur, & vel suboritur à defectu spirituum visoriorum vel ab obstructione nervorum opticorum, vel à mala oculi conformatione, inflammatione, humorum transfusione, pupillæ dilatatione, omniumque & singularum partium ruptione, exesione. *Auditus* offenditur ab injuriis extrinsecis & vehementissimo strepitu, ab obstructione, inflammatione organorum, carnoso tuberculo, callo, scirrho, abscessu, vitio innato Tympani, aeris innati, meatuum internorum nervique auditorii; quare autem surdi nati simul sint muti; fieri solet ob nervum utrique sensui communem & utrobique in generatione prima vel organorum formatione vitiatum, qua de re videantur Anatomici. *Odoratus* deficit vel ab aliqua causa extrinseca & violenta, ut contusione, ictu, compressione, tumore; vel ab aliqua obstructione humoris lenti, crassi, ut fit in catarrho & gravedine; vel ab innato vitio organorũ, ab intemperie & defectu spirituum, &c. *Gustus* læditur primò ob externum saporem linguæ vehementius impressum, vel ob humorem & vaporem intrinsecus ab epate, ventriculo, liene, elevatum & imbibitum. 2. Ab intemperie, pustulis, ulcusculis. 3. Ab innato vitio nervi tanquam proprio gustus instrumento, si nimirùm hic non in linguam sed aliò derivetur. 4. A defectu spirituum; qui ex obstructione angustiaque meatuum non sufficienter influunt. *Tactus* primum symptoma stupor est, qui fit ex callo partis tangentis, defectu spirituum, nervorum angustia, constipatione, obstructione, contusione, luxatione, intemperie frigida. Secundum est *dolor*, cujus causa vel est intemperies, vel solutio continui, scil. exesio, sectio, contusio, ruptio, dilatatio, divulsio, fractura, &c. Nam cum naturalissimus sensuum tactus consistat tantum in mutua partium cohærentia sive coalitu, & intemperata primarũ qualitatum combinatione, quo major ab hoc utroq; fit recessus, eò magis hoc tristius sentiũt partes quæ sensu tactus rigent. Unde & varia suboriuntur symptomata, ut dolores capitis à menyn-

Surdi nati simul sunt muti.

menyngibus cerebri malè affectis, laterales à pleura dolente ventriculi ab ejusdem tunicarum distensione, erosione, frigore, &c. Colici ab intestinis vitiatis. Vide pluribus Merc. de gen. & diff. sympt. q. 178. ubi contrà quosdam Medicos, qui dolorem ab actionibus læsis atque ita è genere symptomatum excludunt, acriter disputat, docetque dolorem esse actionem corruptivam, quia corrumpit sensum naturalem & animali competentem, quod tamen non efficienter sed concomitanter intellige: sed cujus potentiæ dolor sit propriè symptoma, mox patebit.

DIFFICULTAS XVI.

Quæ sint Symptomata sensus interni & quæ causa.

DICO 1. Sensus interni, sive unus is sit, sive multiplex, Symptomata sunt *somnus & vigilia* præternaturalis, *oblivio & delirium*; sub somno etiam comprehenduntur eorum actiones, qui noctu inter dormiendum ambulant; quique variis somniis & phantasiis tentati mira præstant; De hujus & vigiliarum natura satis l. 1. disp. 23. actum est, sicut & de *memoria*, quæ aliquando ita apud nonnullos concidit, ut nec se nec notissimum amplius noverint, ut docet experientia. Sub *delirio* non intelliguntur actiones quæ sunt potentiæ intellectivæ, sed quæ etiam reperiuntur in brutis, quæque sunt vitiosæ Imaginationis & phantasiæ, ut dum canis rabidus herum suum mordet, aut equus & bos furens in fontem se præcipitat, quod & idem homo facit; his autem in homine turbatis & depravatis turbatur etiam intellectus ideò, quia præsens status phantasiæ in homine format intellectionem sicut bonam, ita malam & vitiosam. Deliria non sunt uniusmodi, sed quædam existunt cum febre quædam sine febre, alia sunt sermonibus ridiculosa, alia factis horrenda ob causarum & dispositionum internarum varietates; Deliria cum febre sequuntur magnum æstum vel etiam inflammationem cerebri, diaphragmatis, aliorumque viscerum; & huc pertinet rabies post morsum canis rabidi, quia sæpè est cum febre: Quæ deliria sunt sine febre, dicuntur *melancholia* cum timore & tristitia, vel *mania* quæ est cum furore & audacia, vel *insania lupina*, qua induuntur mores lupini, vel *furor uterinus & amor insanus*; vel denique *saltus S. Viti*, &c.

Sopor profundus. DICO 2. *Somnus p. n.* fit ex oppletione cerebri partim à vapore & halitu balnei, cibi, vini, &c. partim ab humore copioso in frigore & calore moderato: Quod si tamen hic humor frigidus sit verèque pituitosus, & magna copia in ventriculos vel substantiam cerebri irruat, non somnus tantum p. n. sed etiam *sopor altus*, Græcis *Cataphora* infertur, aut etiam *Veternus* sopore gravior, si præsertim magna humorum copia cerebrum repleat: si contingat humorem hunc putrescere, *Lethargus* excitatur, qui à sopore per solam febrem ejusque calorem differt; ab apoplexia autem dignoscitur sopor per facilem in eo liberamque respirationem; tum modum invasionis; Accedit *stupor vigilans*, in quo licet homo vigilare videatur, sine motu tamen & sensu deprehenditur ita ut in admiratione spectatores rapiantur; nascitur ex permistione bilis & pituitæ flavæ in cerebro simul immoderatius exuperantium, ut ait Fernelius. Sicut autem somnus p. n. oritur à repletione, ab humore & frigore, ita in contrarium *Vigilia* ab inanitione, calore & siccitate tanquam à causis proximis & continentibus, tum à mœrore; tristitia aliisque mentis passionibus, quæ mirè principales animæ sedes occupant & in iis hominem cruciant: Qui in somno rapiuntur vel exstatici fiunt, suspecti sunt, ideòque ad Theologos judicandi spectant; *Noctambulatio*, in qua fortis imaginatio animam ad motum etiam inter dormiendum impellit, quamvis rara sit, contingit tamen subinde, estque actio læsa partim somni naturalis, partim potentiæ motivæ. *Oblivionis* causa est frigida cerebri intemperies & aliquando simul humida vel sicca ut in senibus, tum spirituum consumptio, calidi innati depascentia, ictus, lapsus, profusio sanguinis, studia, Venus, morbus, dolor capitis & quæcunque naturalem cerebri intemperiem infringunt. *Deliria* quia varia sunt, ut furor vel mania, melancholia, &c. sic variæ quoque sunt omnium causæ;

Lethargus. *Stupor vigilans.* *Vigilia.* *Exstasis.* *Noctambulatio.* *Oblivio.*

DICO itaque 3. *Deliria* quæ sensus interni sunt & homini cum brutis communia, sub unica melancholia possunt comprehendi; Ante probationem *Adverte*, melancholiam communiter dici mentis alienationem, qua laborantes vel cogitant vel loquuntur vel efficiunt absurda longèque à ratione & consilio abhorrentia, & hæc omnia cum metu & tristitia, quia sunt omnes melancholici abjecti animi; etiam dum incipiunt tales esse, postea verò malo inveterascente multa fingunt, tristia concipiunt, & partim talia loquuntur, partim omninò tacent fugiuntque omnem hominum consuetudinem & conspectum, sed in solitudine suum quærunt solatium. Jam prob. conclusio authoritate & consensu Medicorum, qui præterquam quod hæc deliria non superent ea quæ sunt melancholiæ, lycanthropiam, furorem, maniam, aversionem ab omni hominum consortio sub una complectuntur melancholia; sed & species ejus esse docet Fernel. de sympt. facult. princip. c. 2. Nam hominem vocamus melancholicum, cum semper tristem, taciturnum, cogitabundum, aliena & perturbata loquentem, conspectum aliorum fugientem & solitudines quærentem cernimus; Lycanthropia laborare, quando intra speluncas

Deliria. *Melancholia.* *Lycanthropia.* *Furor.* *Mania.*

ut lupus sese abdit, aut ejus ritu ut ait Fernel. ululet, aut mortuum se vel quippiam aliud esse putat; Maniacum vel furiosum qui gradus intensior est, & melancholiæ succedit, dicimus, quando tristitiæ, solitudini aliisque melancholicorum operibus & deliramentis accedunt iracundia, rixæ, clamores, aspectus horrendus, magnæ mentis perturbationes & ferini impetus. *Melancholiæ* causa est humor vel vapor melancholicus & fæculentus in eum locum ubi sensus internus est, irrepens; Et humor hic cum aliquando primam sedem habeat in liene viciniisque partibus, aliquando in venis totoque habitu corporis, aliquando denique in solo capite, fit ut melancholia etiam dicatur *hypochondriaca* sive *flatulenta* quæ est omnium creberrima & mitissima, quia videl. è sinistro hypochondrio, à quo vapor ater & absurdus obrepit in mentem, ut ait Fernelius, suscitatur. *Maniæ* autem causa est humor melancholicus ubique in corpore congestus, qui cum accenditur & incalascit, magna infert deliramenta, horrenda verò & immania si putrescat & febrem accendat.

DICES; deliria hæc tantum sunt in homine à cujus etiam potentia intellectiva procedunt, ergo malè adnumerantur symptomatis sensus interni, qui brutis cum hominibus communis est: Antec. patet, quia solus homo dicitur delirare & non brutum, tunc etiam dicitur delirare, cum ratio & intellectus vitiosus est & depravatus aut penitus deficit; Deinde deliria in homine longè superant ea quæ sunt in brutis, quia ex iis aliqua saltem apparet ratio, ergo omnia deliria non sunt sensus interni: Hæc omnia ut melius intelligantur, sit

DIFFICULTAS XVII.

Ad quam facultatem spectet symptoma dolorificum.

DE omni dolore, quamcunque partem is occupet, difficultas est, an ad sensum externum sive internum sive utrumque pertineat. Quamvis autem de natura doloris in communi dicturus sim, non tamen attingam cujusque causas, aut partem affectam, sed qui viscerum & membrorum principaliorum nominatior est, ut capitis, dentium, oculorum, stomachi, faucium, renum, intestinorum, &c. Cæteri aut minutiores sunt, vel transeuntes, vel cum suis causis minus manifesti, vel ita conjuncti suis morbis, ut in eorum explicatione ipsi quoque cognoscantur.

Adverte autem hic eadem, quæ l. 1. disp. 13. diffic. 17. de dolore dicta fuerunt: Et ex eorum sensu, quæ etiam disp. 22. diffic. 32. ejusdem libri videri possunt.

Dolor ad quam fa-
DICO 1. & repeto, si dolor accipiatur pro sensatione tactus vel pro læsione partis, vel etiam pro intemperie & solutione continui, quæ sunt quasi materiale doloris, pertinet ad sensum tactus, quia ibi est dolor, ubi est læsio, & hæc in omni parte ubi est sensus tactus; Nam reverà si manus vel oculus uritur vel pungitur, sentit dolorem, etiam inter dormiendum & ante omnem appetitum. Quod si verò sumatur dolor pro cognitione sensitiva sive sensione doloris, quæ est appetitus sive actus appetitus sensitivi, spectat ad sensum internum, quia est ipse appetitus sensitivus. An verò appetitus sit in corde vel cerebro, vide Disp. 24. hujus libri diffic. 9. Cæterùm ut de causis quorundam viscerum, quæ doloribus infestantur, breviter constet,
-cultatem spectet.

DICO 2. Quamvis varii dolores caput ejusque singulas partes infestare soleant; nemo tamen eorum est, qui nominatior sit & nomen peculiare sortiatur præter Cephalæam & Hemicraniam, quorum illa plerunque totum, & hæc partem vel sinistram vel dextram occupat, illa etiam semper proprio & essentiali capitis affectu, hæc tamen ex consensu partium inferiorum. Dolor hic in solis membranis existit, & sive externus sit sive internus, oritur ab æstu, à frigore, ab odore gravi, & à causis solventibus continuum, in quam rem facit dispositio patibilis cum nimia sensibilitate à parentibus hæreditariè contracta, quam deinde facilè quævis causa p. n. sive extrinseca sive intrinseca actuat, ut videre est apud Medicos hæc fusè tractantes: Nam dum caput à diuturnis morbis, à vulneribus, contusionibus, ictibus, lue venerea aliisque causis violentis debilitatur, facilè dolet, quicquid ipsi ab inferiori corpore, vel extrinsecus & à sea rebus non naturalibus accedit. *Aurium* dolor fit in solis membranis cavitates sive interiores post tympanum, sive exteriores ante tympanum succingentibus, & in his est dolor acutissimus, in illis plerunq; cum aliquo sono vel tinnitu; uterque oritur ab intemperie calida vel frigida, à vapore maligno, ab humore irritante & distendente, tum læsione manifesta. Dolor omnis, qui *Oculi* globum ejusque angulos utrinque sitos occupat, est in aliqua ejus parte sensibili, videlicet in tunicis, oriturque semper ab affluxu humoris serosi vel sanguinei, qui intemperiem producit & continuum solvit. *Faucium* dolor vel est in musculis, qui fauces & vicina loca occupant, vel in glandulis humilioribus asperæ arteriæ adnatis, vel in ductibus qui per inferiora colli feruntur, ut œsophago; vel in manifestis faucium locis, ut tonsillis, gargareone, aut tunica totam illic cameram & hasce sedes ambiente. Causa semper est vel influxus humoris sanguinei vel excrementitii, qui temperiem solvit & continuum.

Cephalæa & Hemicrania.

Dolor aurium.

Oculorum

Faucium

Oris dolor existit in nervo partibusque carnosis

carnosis ut lingua, gingivis, buccis & palato, est semper cum sensu asperitatis, vel caloris sive ardoris, &c. id est, cum intemperie, inflammatione, & solutione continui per pustulas, excoriationem, fissuras, ulcera, humorum calidorum & acrium affluxum.

Narium. *Narium* dolor est ab humoribus acribus, malignis & excoriantibus, vel etiam ab extrinsecis violenter lædentibus.

Dentium. *Dentium* dolor non est in ipso osse, sed in membrana alveolos succingente, quibus radices dentium infixi sunt, quos etiam simul ambit: Et ad hanc nervorum ad utramque maxillam extensionem conferunt sensum illum exquisitum fibræ disperse & dilatatæ; doloris autem causa proxima est intemperies & solutio.

Cordis sive stomachi. *Cordis* sive *stomachi* dolor est vel comprimens & distendens, vel rodens, vel ardens: Non est autem hic dolor cordis, sed vel ventriculi vel coli & septi transversi juxtà partes ejus eòusque pertingentes; Causas habent hi dolores intemperiem calidam vel frigidam cum inflatione, humorem velhcanrem, irritantem & rodentem.

Dolor punctorius pectoris. *Pectoris* dolores varii multique sunt, oriunturque ab inflammatione sive intemperie & solutione partium sensibilium in pectore existentium: præcipuus est punctorius proveniens ab inflammatione ejus membranæ quæ costis subtenditur, idque ab influxu vel destillatione sanguinis, licet aliquando etiam hujusmodi dolor à flatibus etiam aut humoribus frigidioribus excitetur, idque vel in musculis mesopleuriis, vel in musculis extrinsecus costis incumbentibus, vel in membrana succingente, &c. Vide Fernel. de part. sympt. l. 5. c. 11. *Peripneumonia.* Est & alius dolor in peripneumonia, quæ pulmonum inflammatio dicitur, multum à priori differens, ut habetur apud eundem Fernel. c. priori.

Dolor Ventris. *Ventris* dolores etiam varii sunt juxtà varietatem partium hujus totius regionis affectarum, id est, in abdomine, per quod intelligitur pars tota anterior mollis mollisque ossibus obsita; Et in hoc est imprimis dolor *Iliacus. Colicus.* colicus, tum iliacus, qui circà umbilicum frequenter oboriuntur, & qui pro diversitate intestini affecti solùm differunt, ut videre est apud Medicos practicos & causarum morbificarum diligentes investigatores, habentque præter ardorem & calorem nunc murmura & rugitus, nunc constipationem alvi, nunc conatum eructandi, nunc diarrhæam, urinæ suppressionem, nauseam, cardialgiam, vomitum excrementitium, &c. conjuncta. Quod si verò in ima ventris sede media circà pectoris regionem dolor occurrat, ille aliquando est distendẽs cum urinę suppressione, aliquando ardens, pulsans & lan- *Dolor uterinus.* cinans cum vesicæ inflammatione, aliquando ad coxas & lumbos pertingens, & uterinus vel matricis dicitur, qui varius est multisque ex causis fœminis ante menstruorum eruptionem, ante & post partum vel etiam in ipsa uteri inflammatione accidit.

Hypochondriacus. *Hypochondriacus* dolor in abdominis lateribus à sede cinguli retrorsum ad spinam, dorsum & lumbos existit, & est aliquando gravis & obtusus cum duritie & tumore, ut in cachecticis, quique difficili respiratione in asthmate vel dyspnæa laborant: Aliquando ardens, ut in inflammatione epatis, lienis & renum; Aliquando punctorius, ut accidit in motu & exercitio validiori, præsertim post cibum sumptum, dum vel flatus urgent, vel agitatione partes divelluntur, quemadmodum in spasmo flatulento fieri solet: Aliquando lancinans tensivus in lumbis, quem uterinum vocamus, quia fit ab utero vel instantibus vel suppressis mensibus: Aliquando divellens, pungens & quasi dilacerans à lumborum sede parteque effecta nephri- *Nephriticus.* ticus dictus; Hujus autem doloris causas pluribus describere supervacuum duxi, quia cum comunissimus sit & magnam partem bumani generis mirè fatiget, infinitis Medicorum voluminibus jam à multorum seculorum decursu sufficientissimè descriptus est, quamvis in hunc usque diem vix aliquis repertus, qui ausus fuerit attingere & explicare, cur, exceptis iis in quos à parentibus hæreditariè hoc malum translatum, hic & non ille ejusmodi acerbos dolores incurrant, quia ad sex illas res non na- *Unde arena sive calculus.* turales Medicisque exactè cognitas confugere non licet, ne repetatur principium, sed nec ad vim lapidificam fictitiam propter eandem rationem, & quia hæc vis non est distinctum quid à facultate concoquente, quæ hic bilem ibi melancholiam, hic sanguinem ibi semen; hic carnem ibi nervum, hic os ibi lapidem, arenam sive calculum producit: præstat igitur silere & movere solùm difficultatem ut ingenia nonnihil sese fatigent & videant, an in hujua rei perfectam cognitionem tandem devenire possint, cujus tamen ultimum fortè fuerit asserere proprietatem quandam corporis individualem, sive qualitatem renum patibilem, quâ positâ vis coquens arenam sive calculum & non aurum sive unionem producat, quæ etiam ratio locum habet in iis, qui certas ad morbos dispositiones à genitoribus suis hæreditare solent. Sunt & alii multiplices partium dolores, quos omnes hic recensere nulla exigit necessitas; cum præsertim minoris sint considerationis, per se cum causis suis manifesti, & à quibusque rei medicæ scriptoribus in morborum explicatione sufficienter declarati.

DIFFICULTAS XVIII.

An & quæ sint Symptomata potentiæ intellectivæ.

RAtio dubitandi est, quia intellectus est potentia inorganica & independens à corpore in operando ut patet in anima separata ejusque intellectione & volitione; Et quamvis reliquæ potentiæ habeant hoc quoq; cum intellectu commune, quod & ipsæ non subsint passioni per se, in hoc tamen differunt, quod sint materiales, pendeantque ita ab organis, ut iis destructis ipsæ quoque destruantur & ab omni operatione cessent.

SUPPONO, in hac vita omnes actus intellectus dependere à certa dispositione organorum; Ratio est, quia intellectus in hac vita nihil intelligit nisi dependenter à phantasmate sensus interni, quo præsente suas facit & elicit species intelligibiles: si itaque in cerebro quod est organum sensus interni, & à cujus bonitate pendet etiam bonitas phantasmatum, sit aliqua vitiosa & præternaturalis constitutio seu dispositio tam circà primas qualitates quam circà ipsam partium & membrorum conformationem, debilis erit & vitiosus intellectus vel omninò abolitus & deperditus, ut videre est in fatuis & stultis. Hinc si quæritur, an dentur symptomata quæ pertineant ad intellectum, an verò omnia sint sensus interni,

DICO 1. Etiam potentiæ intellectivæ in quantum operatur dependenter à phantasmate, sua sunt symptomata. Probatur, quæ enim est ratio symptomatum in aliis potentiis, eadem etiam est in intellectu, ergo sicut in iis, ita & in hoc dabuntur symptomata; Antecedens constat ex communi Medicorum doctrina, juxtà quam consistit primum genus symptomatum in actionibus læsis facultatum; sed ejusmodi læsio etiam reperitur in operationibus intellectivis, ergo in intellectu etiam dabuntur symptomata; minorem hanc testatur experientia, quia videmus non tantum homines diversos plus minusque intelligere, sed etiam eundem aliquando perfectè ratiocinari, discurrere, definire, distinguere, aliquando vitiosè & depravatè non aliam ob causam, quam quia dispositiones ad intellectum aliquando sunt laudabiliter constitutæ aliquando verò alteratæ & depravatæ, aliquando penitus corruptæ & deperditæ. Quod si Dicas, intellectum esse inorganicum, ac proinde nec depravari nec alterari posse. Resp. sufficere quod in ordine ad operationem in hac vita dependeat à sensu interno & phantasmatis, quibus læsis & malè habentibus ipsius operatio quoque læditur, & hinc ad initium conclusionis dixi, in quantum operatur dependendenter à phantasmate in hac vita.

DICO 2. Eadem symptomata quæ sunt sensus interni, ferè etiam sequuntur symptomata intellectus. Prob. quia læso organo sensus interni non tantum læduntur ejus sed etiam intellectus operationes, quia idem habent organum, cerebrum, easdemque dispositiones ad benè operandum, ergo eadem symptomata quæ sunt sensus interni, sequuntur ferè etiam intellectus; Antec. patet in quovis notabili morbo cerebri, in quo corrumpitur uterque cum suis operationibus, v.g. reminiscentia, phantasia, æstimatione, intellectione, volitione; Et sic delirantes nec intelligentes benè sunt nec volentes, nec rem æstimantes, &c. quia cerebrum quod utriusque in hac vita organum, est alteratum & corruptum. Dixi tamen ferè, quia sunt nonnullæ operationes in sensu interno, quæ non habent necessariam connexionem cum intellectu & contra, v.g. memoria, somnus, vigilia, &c. Nam deficit in multis memoria intellectu illæso, & perit intellectus somno & vigilia benè constitutis, ut manifestum est in stultis & fatuis.

DICO 3. Intellectus humani symptomata in hac vita non tantum sunt deliria hactenus descripta, & homini cum bestiis communia, sed etiam stultitia, fatuitas, amentia, stupiditas, &c. *Stultitia. Fatuitas. Amentia.* Ratio est, quia hæc propriè ad intellectum spectant, suntque solius hominis actiones deflectentes à ratione; Et quamvis utrique affectus sint ab eodem organo, cerebro videl. corrupto; Nihilominus tamen diversæ sunt actiones quas elicit anima sub gradu rationali sive intellectivo, ab iis quas sub gradu sensitivo, quia intellectus ex se nullo organo indigus, necessaria habet phantasmata, quæ in ipso cerebro cuduntur, & à quibus suas format species intelligibiles: Itaque sumitur distinctio à modo quo anima operatur, quando animal v.g tristatur, furit, solitudinem quærit, se ex alto præcipitat, &c. & quando desipit aut stultescit, quia sunt hæ actiones animæ intellectivæ, illæ sensitivæ. Est autem ut patet ex Fernelio, *Stultitia* mentis sive rationis imminuta quædam & ignavia functio. *Amentia* quædam mentis privatio, qua homo ab ortu nec loqui discit nec rationis aliquod signum edit. *Stupiditas* est solum defectus quidam mentis, qua homo propter intemperiem cerebri difficulter intelligit

DICO 4. Amentiæ causa est inconcinna cerebri figura & mala conformatio, pauca cerebri substantia, aut ejusdem frigida & humida nimis intemperies, quæ etiam facit, quod omnes amentes & fatui nati infirmis & debilibus sint membris, quia scilicet habent cerebrum nimis humidum, similesque nervos à cerebro prodeuntes; Et contrarium patet in phreneticis, qui ob siccitatem nervorum fortissimi sunt. *Fatuitatis* causa est frigida quoque cerebri complexio undecunque contracta; ictus item & concussio temporum,

vulnera

vulnera capitis, morbi, passiones animi, aliaque vehementiores injuriæ extrinsecus illatæ, quæ subinde naturalem cerebri complexionem & constitutionem violenter corrumpunt: Hoc experiuntur qui in primo stultitiæ gradu positi honores & dignitates, & quævis alia sibi utplurimùm non competentia quærunt & appetunt.

DIFFICULTAS XIX.

Quæ sint Symptomata potentiæ appetitivæ & quæ causæ.

HIC agitur tantum de appetitu sensitivo, qui occupatur circà alimentum, intellectivus ad Philosophum spectat, & quæ reliqua, ad Ethicum & Phil. moralem.

Appetitus sensitivus quid. DICO 1. Omnis appetitus sensitivus, qui vitiosus est & in alimentum fertur, vel est magnus & insatiabilis quædam edendi cupiditas & vocatur *fames sive appetentia canina*, qua homo à cibo ad vomitum & ab hoc ad cibos rursum divertit; *Inappetentia.* vel exiguus & dejectus, ut cum quis vix aliquam habet appetentiam in cibos; vel ablatus, ut cum quis cibum præsentem penitus fastidit; Et hic aliquando adeò concidit, ut intra mensium vel annorum spatium laborantes vix fameant, quemadmodum videre est apud Lang. l. 2. Epist. 27. apud Schenck. observ. Medic. l. 3. observ. 39. Laur. Jobert. decad. 1. paradox. 2. Vel denique vitiosus & depravatus, ut cum homo carbones, cineres, carnes crudas, &c. pro esu & nutrimento appetit: Et hujus appetitus symptomata vocantur *pica & malacia*; pica quidem, quod avis pica dicatur hoc eodem malo laborare; malacia verò quod sit delicata cogitatio prægnantium, qua jam in hoc, jam in aliud feruntur: Utplurimum autem accidit hoc malum gravidis mulieribus quæque pravis humoribus plenæ sunt, rarò autem viris, quorum tamen meminit Fernel. l. 6. de ventr. sympt. c. 3. & Schenck. lib. 3. observ. 38. sectione priori. De appetitu in potum vix sunt quæ dici possint, nisi quod hic aliquando intolerabilis sit in iis, quibus humidum ventriculi ab ingenti febrium æstu, à balneis, vehementioribusque exercitiis exhauritur, vel tunicæ ventriculi humore salso calidoque & acri imbuuntur, vel etiam exiguus adeòque nullus, ut multo tempore ab omni potu abstineant, quemadmodum duos insignes partim familiâ partim doctrina viros & naturâ vini abstemios novi; quorum alter integris decem mensibus ita potum aversabatur, ut solo pomorum esu sitim restinxerit; alter verò domi bellique clarus, cum etiam sanus viveret, complexione satis calida esset, omnisque generis cibis more militum uteretur, integris septimanis & mensibus imò anno medio & ultrà sitim non experiebatur: sed hæc quia naturæ secreta sunt, ideò naturæ cedere oportet.

Nausea. DICO 2. Fastidit homo cibum, cum vel os superius ventriculi lento quodam & pingui humore oblinitur, vel quando corpus totum abundat alimento ipsæque venæ mesaraicæ nihil sugunt aut attrahunt à ventriculo. *Fames canina.* *Famis caninæ* causæ sunt inanitio ventriculi, & stimulus quidam à succo acido melancholico, qui à venis lienis portæque ramis in ventriculum ejusque superius orificium effunditur; insinuant autem omnis generis evacuationes, vigiliæ, vermes chylum absumentes, abstinentia ciborum, studia, labores, morbi & febres quæ humidum absumunt. *Pica.* *Pica & Malacia* accidunt utplurimum prægnantibus, aliquando virginibus propter obstructam matricem; rarò viris & iis quidem, quorum ventriculi tunicis impactus est humor pravus & vitiosus; sive is in ipso ventriculo generetur, sive aliunde confluat: Et solet hic appetitus suo fine defraudatus in fœminis gravidis esse periculosus, cum vel abortus suboriatur, vel aliqua fœtui nota imprimatur: sitis vel parum vel nihil affligit eos, qui habent orificium ventriculi multo humore frigido vel insipido & dulci perfusum; Contrà verò immodica est, cum *Sitis immodica aut nulla.* idem orificium omni quasi humido destitutum exarescit, sive id defectu materiæ potulentæ, balneis, æstu, sive magna corporis & solutione virium fiat, vel cum ipsius tunicas imbuit humor salsus, acris, mordax; calidus, quod fieri solet ex usu alimentorum salsorum, &c. Si quæras, an fames vel sitis magis urgeat, idque citius & periculosius. Resp. *Sitis difficilius toleratur quam fames.* sitim esse causam magis urgentem, quia citius dissolvitur humidum tenue quod sitim præcavet; Calor verò citissimè in ventriculo & reliquis visceribus absumit humidum subtile, & inultæ sunt humiditates viscidæ, lentæ, tenaces, concretæ, quæ nutrimentum homini in multos etiam dies subministrare possunt.

DIFFICULTAS XX.

Quæ sint Symptomata potentiæ motivæ & quæ item causæ.

ADverte, Symptoma potentiæ motivæ non tantum esse motum vitiosum & præternaturalem ejus membri quod voluntariè movetur, ut brachii, pedis, digiti, &c. sed ejus etiam, quod dum sanum est, nullo ejusmodi motu moveatur, ut ventriculi, cordis, &c. Itaque per motum non intelligitur hic solum actio voluntaria, quæ fit in musculis & membris motui voluntario subjectis, v. g. debilis brachiorum commotio ex febribus aliisque affectibus magnis, sed intelligitur omnis motus, qui fit in aliquo membro v. g. in stomacho, in pectore, in pulmonibus, in cerebro, &c. à causa præternaturali.

DICO 1. Symptomata potentiæ motivæ dispersa sunt per totum corpus. Ratio est, quia nullum est membrum quod non possit motu præternaturali moveri; Nam præterquam quod in horrore, rigore & convulsionibus omnes & singulæ partes concutiantur, constat in vertigine moveri interiora capitis, in vomitu stomachum, in tussi pulmones, pectus, fauces, asperam arteriam, &c. sed ut præcipuorum & magis notabilium duntaxat motuum fiat mentio,

Apoplexia.

DICO 2. Potentiæ motivæ primum symptoma est *Apoplexia*, tum *sopor, veternus, lethargus, catalepsis* vel *stupor vigilans, paralysis, epilepsia, vertigo, incubus, suffocatio uteri, difficilis respiratio, vomitus, tussis, spasmus & convulsio, oscitatio, sternutatio, pandiculatio, rigor, horror, motus p.n. capitis, brachiorum, pedum, manuum, &c.* Explicantur singula. *Apoplexia* est repentina motus & sensus omnisque animalis functionis privatio; Nam qui hac prehenditur, totus quasi attonitus repentè concidit sine sensu, motu & mente, solâque respiratione & vivido adhuc calore à mortuo distinctus, si præsertim fortis sit & difficilis de qua Hippocrates: differt ab uteri strangulatu gravique somno per solam respirationem, nisi aliquando apud hystericas fauces penitus præcludantur; à syncope autem per pulsum, qui ad extremum usque validus permanet.

Paralysis.

Paralysis in quam apoplexia non lethalis resolvitur, aliquando sensum tollit, aliquando motum, aliquando utrumque si fortior sit, non tollit autem sensum motumque omnium partium, sed unius tantum aut alterius, quia non ubique prohibentur spiritus nec obstruuntur meatus.

Catalepsis.

Catalepsis, quæ prehensio aut stupor vigilans dicitur, subitò invadit hominem cum abolitione sensus tactus, mentis & motus, quia correpti ceu statuæ mortuæ in eodem situ & statu corporis permanent rigidi apertis & immotis oculis, unde etiam aliqui congelationem vocant; si malum non est vehemens, audit æger, videt & recordatur sine tamen loquela; si verò magnum est, congelatus moritur; Et huc referri potest *lethargus*, coma & omnis *somnus vitiosus*.

Epilepsia.

Epilepsia est convulsio nervorũ sive distensio corporis, qua homo ut plurimum cadit subitò cum amissione sensuum omnium, motus & mentis, quia nihil intelligit, nihil videt, nihil audit, &c.

Vertigo.

Vertigo malũ est, quo omnia videntur circumagi & in gyrum rotari, unde etiam ægri non raro corruunt, sensusque & motus diminuuntur, quia malum est apoplexiæ consimile & proximum.

Incubus.

Incubus ita dicitur, quasi aliquid pectori incumbat, unde etiam non malè à Fernelio describitur, quod sit inter dormiendum gravis oppressio corporis & nocturna suffocatio, quæ offendat respirationem & vocem intercipiat, nec sensum mentemque & imaginationem penitus adimat, sed solùm stupefaciat & nonnihil opprimat.

Suffocatio uteri.

Suffocatio uteri non raro mortem infert & maturat, quia est gravissimus affectus in fœminis, quas, dum præcordia occupat & fauces intercludit, miserè suffocat.

Difficilis respiratio.

Difficilis respiratio, multiplex est & varia ut habet Gal. lib. de respir. difficili; si enim difficilis sit, dicitur *dyspnœa*; si valdè frequens, *asthma*; si denique summè frequens, ita ut æger non nisi erectus possit respirare, *orthopnœa*: Cæterùm si sit ex quavis humorum pituitosorum destillatione, quæ in asperam arteriam & substantiam pulmonum defluunt, ex inflammatione pleuræ, pulmonum, diaphragmatis, hydrope, compressione & obstructione hypochondriorum, vocatur absolutè difficilis respiratio.

Vomitus.

Vomitus est rejectio eorum per superiora, quæ intrà ventrem continentur; quæ enim tunicis impacta adhærescunt, ea singultus, quia est convulsio & contractio tunicarum stomachi, expurgat; quod idem de ructu intellige.

Tussis.

Tussis est vehemens expiratio, qua natura excutit, quicquid intrà pulmonem, asperam arteriam, cæterasque partes respirationi datas molestum est.

Sternutatio.

Sternutatio est motus cerebri & thoracis, quo ea rejiciuntur, quæ nervis partibusque sensibilibus gravia sunt.

Oscitatio.

Oscitatione conatur natura spiritum vaporosum omnemque flatulentam materiam expellere ideòq; semper maxillas diducit ita, ut aliquando luxentur; Quod est autem oscitatio in ore, id est *pandiculatio* in reliquo corpore, quæ fit ad discussionem vaporum in singulis membris.

Pandiculatio.

Horror.

Rigor, horror, frigus cognata sunt symptomata; horror est cutis tantum concussio, rigor autem totius corporis, ad quem utrumque requiritur actualis frigoris sensio.

Tremor.

Tremor est motus depravatus, quo membrum aliquod corporis elevatum semper præter voluntatem recidit. Quæ de læsione vocis, loquelæ, deglutitionis, virtutis excrementa per varios meatus corporis repellentis dici possent, ea vel minutia sunt, vel videri possunt apud Authores, qui nec calamo parcunt nec tempori;

Raucedo.

Ut autem paucula de iis dicantur, *Adverte*, raucedinem fieri, quando gutturis succingens membrana interior multo humore vel ingenti clamore exasperatur; sit hanc quoque causant affectiones gulæ, œsophagi, cervicis & luxatæ spinæ, quæque liberam respirationem impediunt, balbuties fit ex defectu conformationis linguæ vel copia humidi nervos linguæ nimiùm irrigantis. Priapismus est penis arrectio citrà libidinis stimulum aliquando cum, aliquando sine inflammatione ex flatulento spiritu nervos & nervum fistulosum implens; Et hic flatus oritur ex humore viscoso & crasso defectu caloris, vel ex seminis copia & redundantia, &c.

Causa horum affectuum.

DICO 3. *Apoplexia*, quæ à cerebro tanquam à fonte & origine motus sensusque deducitur, est imprimis ab intemperie multoque

humore

humore frigido, crasso, pituitoso, tum ab angustia meatuum & ab obstructione ventriculorum cerebri & nervorum: In hac itaque dum omnis humor velut in aere nubis resolvitur, ipsosque ventriculos cerebri & nervorum origines replet obstruitque, cessat omnis influxus spirituum animalium, peritque omnis sensus & motus. *Paralysis* sive fortis sit sive mitis, torporemque tantum & stuporem inducat, pro causa universali habet defectum vel impedimentum spiritus animalis ejusque denegatum influxum, pro particulari autem intemperiem frigidam, obstructionem, compressionem, contusionem, erosionem, nimiam humectationem è materia quæ aliunde transfertur, callum, tumorem, tuberculum, luxationem & plura alia quibus spirituum influxus intercluditur: Quare autem quando imperfecta est, interdum sensum illæso motu, & contrà motum illæso sensu tollat, vide Fernel. in sua Phisiologia, quicquid tamen sive ille sive alii dicant, Ratio est, quod aliquando nervi; qui sunt organa sensuum, aliquando qui sunt motus, potius afficiantur. Cæterùm sive paralysis ex apoplexia debilis fiat, sive ex stupore sensim aucto, affectus gravis est & diuturnus, & occupat unamquamque partem, aliquandò plures simul, aliquando unam solam ut linguam, oculum, manum, &c. De catalepsi, epilepsia, omnique genere convulsionum jam alibi sufficienter actum est. *Vertigo* vel fit ex affectu ipsius cerebri, vel ex consensu partium inferiorum, ut ventriculi, uteri, hypochondriorum, &c. quod propriis suis signis manifestatur: Est autem causa proxima vel motus inordinatus spirituum animalium, vel tenuis calidusque vapor, qui sive in substantia cerebri generetur, sive ab inferiori corpore ascendat, in ventriculos cerebri irruit, omnesque spiritus & humores variè impellit & exagitat; Causa externa est calor Solis, validum exercitium, ingurgitatio vini, gyratio, &c. *Incubus* causam habet vaporem crassum, qui ex crapula aliisque humoribus præsertim in hypochondriacis circà septum transversum & pulmones colligitur, ideoque vias respiratorias obsidet & intercludit; Ascendit enim hic vapor etiam in fauces ubi vocem intercipit, & in cerebrum ubi sensum turbat, & eos qui hoc malo tentantur, miris sæpè illusionibus vexat. *Suffocatio* uteri sic dicitur, non quod uterus suffocationem patiatur, sed quod materiæ & causæ, quæ alibi naturæ vim infert, focus sit uterus: Hic enim generatur vapor malignus, qui per venas & arterias tum per quosvis alios meatus sublevatus omnium ferè partium quas attingit; actiones seu functiones intercipiat: Hic vapor frigidus est & melancholicus & producitur non tam ex sanguine menstruo & semine concluso, quam etiam ex quovis alio humore corrupto, qui tetrum Inde & venenosum halitum expirat; suffocationem verò intentat quia densissimus est & terreus, obstruitque vias respiratorias non secus ac ille, qui ex incenso sulphure, calceque recenti jugulat, omnemque aeris aditum intercludit. *Difficilis respiratio* imprimis oritur à destillatione humorum è capite in bronchia pulmonum, omnesque vias per quas spiritus ducitur; hæc materia si repentè fluat, & confertim, suffocat; si incrassescat & vi caloris in gypseam & vitream etiam pituitam mutetur, quæ in pulmonum fistulis atque cavernis tenaciter adhærescat, exquisitum gignit *asthma*, à quo homo difficulter adeò tandem spirat, ut nisi cervice rectâ vix ullum ducat spiritum; Deinde offenditur respiratio in Empyematicis, in hydropicis, in offenso motu thoracis, in compressione vel luxatione vertebrarum cervicis, in ventriculo nimium repleto, in tumoribus epatis & lienis, in obstructionibus hypochondriorum, in læso diaphragmate, in magnis incendiis & inflammationibus pleuræ, pulmonum, &c. De palpitatione cordis & vomitu patet alibi. *Tussis* instrumenta sunt fauces, aspera arteria, pulmones & interiora thoracis; Inter causas numerantur humores undique in hæc organa illapsi, tum intemperies calida & sicca, refrigeratio, exulceratio, pus, grumus sanguinis, omnisque obstructio ab humore crasso, lento, frigido, &c. Adde aerem frigidum, haustum aquæ frigidæ, fumum, vaporem acrem, pulveres, & quicquid acrimoniam habet, ideòque in arteriam illapsum stimulat. *Sternutationis* causæ sunt quæcunque nares & anteriorem partem cerebri ad excretionem impellunt, sive hæc à cerebro defluant sive exterius attrahantur; Et fit hic motus non aliter quam in quavis expulsione, ubi vis expellens & quæ præsertim inest nervoso generi, irritata in se redit ac reciproco velut ariete molesta excutit. *Oscitatio & pandiculatio* aliquando oriuntur à causis morbosis v.g. à vaporibus frigidis intra spatia musculorum collectis, ad quos expellendos musculi constringuntur, & tum vel maximè quando paroxysmi febrium instant & universi corporis humores commoventur, aliquando etiam in statu sanitatis; Nam prior fieri solet ex apprehensione, dum videl. quis videt alterum oscitare, ubi sola apprehensio commovet naturam, suggeritque materiam per hunc motum discutiendam, scil. vaporosos halitus; posterior fit à spontanea lassitudine post somnum, prandium, exercitia, labores, quia natura constrictione musculorum collectos vapores excutit. *Rigoris & horroris* causas vide disp. de febribus. *Tremoris* unica causa est imbecillitas organi, quod movetur motu voluntario; vis enim motrix variis de causis læsa conatur quidem attollere membrum quantum potest, relabitur autem quia grave est, & quia virtus motiva debilis non resistit.

DIF.

DIFFICULTAS XXI.

Quæ sint Symptomata qualitatum corporis immutatarum.

Etiam res minimas Medici non negligunt, ut apparet in nigrore v.g. dentium, in canitie capillorum, in insuavi faucium odore; De his enim fusius aliquando agunt, & inter symptomata si non morborum, saltem causarum ut ajunt numerant, quantumvis sint citrà sanitatis offensionem; sic ajunt nigrorum dentium si fit ab aliqua causa præternaturali, absque notabili mutatione sanitatis, esse symptoma causæ tantum, si verò fit à febre v.g. ardente cum jactura sanitatis, esse symptoma morbi. Sed ut cõformia prioribus loquaris, vel nega symptomata solius causæ, vel si sint, dic esse alicujus vitii & intemperiei, sive hæc sit in sanguine & humoribus, sive in carne vicinisque partibus; qualis autem causa, talis effectus.

DICO 1. Symptomata qualitatum corporis immutatarum constituuntur in quintuplici differentia juxtà numerum quinque sensuum. Probatur, quia tot sunt symptomata qualitatum alteratarum, quot modis ipsæ alterantur interque se differunt; sed hoc quinque fit modis, ergo. Minor. prob. inductione, quia nõ tantũ differt color à sono, odore, sapore & qualitatib' tactilibus, sed aliter etiam mutatur & alteratur color in ictericis, spleneticis, hydrope, cancro, gangræna, febribus, inflammationibus, nigrore dentium, canitie capillorum, &c. & aliter percipiuntur soni, tinnitus, murmura, strepitus, &c. aliter haurimus tetrum & insuavem è faucibus, naribus, alis totoque habitu quorundam odorem; sic lingua aliter mutatur sapore dulci, acido, amaro, salso, &c. sic denique tactus aliter sentit ea, quæ tam in primis quam in secundis qualitatibus molesta sunt; Et præter has qualitates nullæ dantur aliæ in corporis statu sive sano sive ægro, ergo nec alia symptomata.

DICO 2. Colorum imprimis causæ sunt primæ qualitates, tum humorum dominatus. Probatur hæc conclusio ab experientia, quia præterquam quod constet qualitates secundas oriri à primis, videmus in febribus ardentibus & malignis nigrescere linguam ob æstum ingentem interiorum viscerum; Et sic in ictericis apparet color flavus ob bilis abundantiam, pallor in cachexia ob pituitæ dominium, nigredo in gangræna ob sanguinem & partem adustam. Unde autem canities in capillis, non omnium una est doctrina, quia aliqui id soli siccitati adscribunt, alii autem cum Aristot. 5. de gen. animal. c. 5. imbecillitati caloris & putredinis humorum, ex quibus pili generantur; Et huic opinioni consentit Gal. 2. de temp. cap. 5. tum alii plerique dum de canitie senum loquuntur. Quod autem juvenes aliquando canescant, id aliqui in vaporem pituitosum, aliqui in siccitatem, aliqui in defectum alimenti referunt, aliqui in retractos spiritus & sanguinem, ubi præsertim timor & summa tristitia accedit. Tinnitus aurium, sibilus, &c. sequuntur suos morbos, vel oriuntur à copiosis vaporibus, flatu tenui, motuque & agitatione eorum quæ interiorem aurem occupant. Odor insuavis vel fœtor expirat ex variis partibus corporis ob copiam humorum, qui in corpore calido facilè corrumpuntur & putrescunt. De saporum & qualitatum tactilium generatione constat ex alibi dictis.

Pilorum canities.

DIFFICULTAS XXII.

Quæ sint Symptomata in excretis & retentis.

Excreta & retenta considerantur hic non tantum materialiter, id est, pro ipsa eorum substantia & materia, sed etiam secundum modum quo per alvum, urinam, sudorem, vomitum, &c. excernuntur, an videl. naturaliter, criticè & cum sublevamine naturæ, an verò præternaturaliter cum dolore, conatu, difficultate, debilitate virium. Et hinc

Adverte, excreta & retenta peccare vel tota substantia ut vermes, calculi, frusta carnium, clavi, ferramenta, grumi sanguinis, &c. vel modo & loco per quem excernuntur; ut cum menses per os, oculos, aures, vulnera erumpunt; vel qualitate, ut cum urina, sputum, sudor, fæces alvi, sanguis, serum, &c. sunt nimis calida, frigida, liquida, dura, nigra, alba, sanguinea, fœtida, spumosa, salsa, amara; Vel quantitate denique, ut cum dejectiones, urinæ, menses, sudores, sunt pauci, copiosi. Jam

DICO 1. Ea dicuntur excrementorum & retentorum symptomata, quando fit è corpore præternaturalis excretio, vel in eo cum detrimento retentio; Ratio est, quia talis excretio & retentio præsupponit causam & affectum præternaturalem, ergo utraque est è genere symptomatum. Cùm verò diversa existant genera tam excretorum quam retentorum, etiam non uniusmodi sunt symptomata tam in modo & causa quam in materia, qualitate, quantitate & loco; Nam quædam excreta (idem de retentis intellige) sunt intestinorum, quædam renum & vesicæ, quædam stomachi, uteri, pectoris, capitis, oris, pororum cutis, &c. sic quædam sunt vermes, lumbrici, fæces, urina, humores corrupti, calculi, ossa, carnes, lapides, serum, sanguis.

ſanguis. Sic quædam copioſa ſunt, ut cum ſanguis copioſè per vomitum, per fauces excernitur; alia ſunt pauca, ut cum urina ſtillatim profluit vel penitus ſupprimitur; alia ſunt cruda, ut cum chylus vix coctus per inteſtina delabitur, vel calida & mordacia ut cum bilis aliique humores mordaces & corrupti per alvum excernuntur; ſic quædam per fauces, alia per renes & veſicam, alia per alvum, alia per poros cutis; ſic alia excernuntur per vomitum, per alvum, per abſceſſum, per criſas, &c. Et hinc collige, per ſymptomata excretorum & retentorum non intelligi ipſa excreta & retenta præcisè, ſed eorum ſubſtantiam toto genere p.n. vel quantitate, vel modò exitus, vel exitus tempore, ut habet Plemb. de fund. medic. l. 4. c. 5 peccantem. Et huc etiam referri poſſunt deſtillationes materiæ pituitoſæ è capite vel cerebro in partes ſubjectas, ſive per partes ſubjectas, ſive per partes & vias convenientes elabantur, ſive intus p. n. retineantur. Cum enim cerebrum quod ob ſui amplitudinem multo eget alimento, non tantum copioſum congerat excrementum, ſed etiam à toto inferiori parte id recipiat, neceſſum eſt, dum non ſenſim vel inſenſibiliter exſpirat, vel per organa ſenſuum exſtillat, vel quovis modo conſumitur, per calorem reſolventem vel frigus exprimens vel copiam gravantem deturbari & cum periculo ſæpè præcipitari, ut videre eſt in auſtrinis conſtitutionibus vel febribus epidemicis cum catharrhis, &c.

DICO 2. Peccant imprimis excreta in qualitate, cum videl ea quæ rejiciuntur, peregrinas & non connaturales aut corpori competentes qualitates habent, quod variis ex cauſis fieri poteſt, ut ex mala coctione, putrefactione humorum, mala victus ratione, alimentis vitioſis, defectu caloris, intemperie viſcerum, &c. Deinde ſi error ſit in quantitate, vel plura vel pauciora recrementa dejiciantur; Primum fieri poteſt per cibum excrementitium, per chyli vitioſam diſtributionem, per cruditates, per malam ventriculi diſpoſitionem, per humores acres & corruptos, vires proſtratas, debilitatem potentiæ retentricis & vaſorum, meatus apertos, ſeroſitatem humorum, exeſiones, eroſiones, caliditatem & acredinem ſanguinis, &c. ſic multi & copioſi ſudoris cauſa eſt raritas & mollities corporis, robur potentiæ expultricis, extinctio virium, humorum abundantia, vehementia morbi, criſis, &c. ſic hemorrhoides nimium fluunt, ſi ſanguis ſit ſeroſus, bilioſus, calidus, virtusque retentrix proſtrata, quæ eædem ſunt cauſæ, quod aliquando per nares in majori quantitate fluat quam naturæ conveniat, vel etiam ex venis majoribus circà lienem & epar per ſtomachum & fauces; Nam ſolet aliquando ſanguis ex hypochondriis cum vel ſeroſior eſt & calidior, vel vaſa exeſa, rupta, aut quovis modo aperta, in tanta copia per vomitum profluere, ut non tantum ſuffocationis periculum immineat, ſed etiam corpore refrigeratò cachexia & hydrops ſuccedat; ſic in lienteria, diarrhæa, dyſenteria, copioſius excernuntur fæces; ſic urina quibuſdam præter voluntatem ſine ſenſu doloris & acrimoniæ nota ex reſoluto ſphinctere qui eſt muſculus cervicis veſicæ, affectisque iis nervis qui è lumbis in eum muſculum inſeruntur, tum ex ictu, caſu, refrigeratione vel deſtillatione profluit: ſic ſanguinis menſtrui aut crebrior aut copioſior evacuatio fit à ſanguinis multitudine, fervore, ſeroſitate, debilitate potentiæ expellentis, à partu difficili & laborioſo, à ruptione vel eroſione venarum uteri, &c. Secundum, ſi nimirùm excrementa in minori quantitate excernantur, fit ex cauſis contrariis; quamvis autem naturale ſit homini nec ſudare nec hæmorrhoidum fluxu tentari; Nihilominus tamen ſi corpus vitioſo ſanguine & ſero repletum ſit, & per hanc utramque evacuationem ſervari poſſit, præternaturale cenſentur, ſi ſiſtat, præſertim ubi natura in hunc morum inclinat; proinde fit utrumq; à ſanguine & ſero lento, viſcido, à poris veniſque obſtructis, à cute duriori, à debili facultate, &c. *Alvi ſuppreſſio* quæ præternaturalis eſt, oritur à ſenſu obtuſo quem inferunt ſopor aut veternus, apoplexia & paralyſis, vel à defectu ſtimuli, qui bilis eſt & crebrò in ictero vel tranſfuſione ejus in ventriculum, thoracem & caput rapitur, vel ab obſtructione inteſtinorum, quæ fit à duris ſiccisq; fecibus, vel à craſſa lentaque pituita, vel à tumore in ipſis inteſtinis genito, qui occluſâ penitus viâ omnem ſæpè prolapſum excrementorum impedit, & non aliter, quam convolvulus miſerabilem ileum gignit. *Suppreſſio urinæ* vel cauſam habet obſtructionem quâ utrâque vel ureterum capita vel cervix veſicæ oppletur, quod ſuis ſignis & notis manifeſtatur; ſi enim alter ex ureteribus ſolum obſtruatur vel coarctatur, quod fit à calculo, ab humore craſſo, à grumo ſanguinis, à pure vel inflammatione, non ſupprimitur tota urina; Contra ſi uterque hoc eodem malo afficiatur; Et hoc idem accidit in cervice veſicæ ex calculo, à tuberculo carnoſo vel calloſo, qui gonorrhææ virulentæ ſuccreſcit, ab humore craſſo, pure, grumoque ſanguinis; Et quod affectus ſit in cervice, hinc patet, quia continuum mejendi deſiderium premit irritusque eſt omnis conatus, pubes dolet & diſtenditur, & ſi catheter in veſicam immittatur, urina profluit impetu quodam; In obſtructis autem ureteribus adeſt renum dolor lumborumque ſumma gravitas; nullus eſt conatus mejendi, quia veſica vacua eſt & inanis, nec ullus dolor aut tumor pubem premit. *Suppreſſio menſium* affectus creberrimus eſt habetque ſymptomata concomitantia quamplurima, ut nauſeam, cibi faſtidium, gravitatem, laſſitudinem, & dolorem totius ferè corporis: Cauſæ evidentes & effectrices ſunt cibus parcus, labor

Alvi ſuppreſſio.

Convolvulus.

Suppreſſio urinæ.

Suppreſſio menſium.

labor multus, evacuationes sive per sudorem & vomitum, sive per alvū, narium fluor & hæmorrhoides copiosæ, extenuatio corporis ex morbo prægresso & passiones vehementes animi similiter vel vitia principaliorum viscerum vel ipsius uteri; Illorum quidem intemperies frigida, obstructiones aut scirrhi, cachexia, hydrops, asthma; hujus verò refrigeratio, obstructio à tumore, scirrho vel inflammatione, perversio, obturatio oris interioris à sanguine concreto, à carne excrescente, à copia pinguedinis, &c. *Tertiò* peccant symptomata excretorum in modo quo excernuntur & in loco per quem egeruntur, ut si menses tussi vel vomitu rejiciantur, vel quod sæpius fieri consuevit, si per oculos & nares aliaque loca insueta profluant; si urina non per vesicam exeat, sed per scrotum, intestina vel fæmora viam quærat; si fæces per stomachum & superiora rejiciuntur & sim. quorum omnium causæ cum multiplices & variæ sint, ex ipsis affectibus è quibus hujusmodi symptomata prodeunt, petendæ sunt; sic enim menses ex obstructione aliisque affectibus uteri ad superiora regurgitant, & quacunque via alia quæ commodior, erumpunt, quod idem de fæcibus intestinorum in convolvulo, deq; urina in quibusdam vesicæ affectib' & meatuum urinariorum obstructionibus intellige. *Quartò* denique peccant sympromata excretorum in materia, quæ præternaturalis est, ut pus, sanguis, calculus, clavus, ferramentum, frustum carnis & alia id genus; pus excernitur vel per alvum, vel per vesicam, vel per vomitum, vel per tussim, & prodit ab aliquo viscerum ulcere, v.g. pulmonum, epatis, renum, mesenterii, intestinorum, &c. sanguis profluit per easdem vias per quas pus, sed à venis ruptis, exesis, aut quocunque modo apertis: Vermes qui sæpius per alvum, rarius per os, rarissimè per vias urinarias excernuntur, maximè intestina occupant, gignuntur ex crassa lentaque pituitaque per calorem visceribus insitum ad eum omninò modum, quo animalia vi solis ex putri nascuntur. Variæ sunt eorum species pro

Vermes. varia putrescentis materiæ figura; sic alii longi sunt, qui in superioribus & gracilibus intestinis gignuntur; alii breviores & lati ad formam seminis cucurbitæ, & procreantur vel in intestino cœco vel in coli cellulis; alii exigui & tenues simulque teretes ut primi, ascarides dicti, quorum ferè sedes est intestinum rectum, à quo etiam numerosissimi sæpè prodeunt.

Calculi. *Calculi* vel sunt vesicæ vel renum, quamvis in aliis quoque locis nonnunquam generentur teste experientia; Qui in vesica reperiuntur, sunt ex humore crasso & crudo, qui cum urina in vesicam stillat, & in ea subsidens calore sensim exarefactus & coagmentatus lapidescit; Et hic idem modus observatur in generatione calculorum & arenularum in renibus, nisi quod non semper ex materia lenta crassa frigidaque hic fiant, sed ex quoque humore excrementitio, qui si diutius in renibus subsistit, facilè vi caloris in arenam & lapidem concrescit, præsertim si nativa quædam & hæreditaria renum dispositio, quæ multum ad gignendum hunc valet, adfuerit; Si de virtute lapidifica, de qua multi multa, quæras; *Resp.* hanc eandem esse cum concoctiva vel potius eum vegetativa, quæ pro diversa subjectorum dispositione hic coquit, ibi nutrit, hic sanguinem, ibi chylum, hic carnem ibi calculum, arenam, vermes, &c. generat & producit. Frusta carnium seu pulmonum rejiciunt phthisici, & quibus interiorum viscerum corruptio substantiam sive carneam sive membrosam solvit; Clavi, ferramenta, & id genus alia sæpè per intestina, per fauces vel etiam per externos abscessus prodeunt, postquam prius arte magica intra corporis artus ingenti cum dolore & crucitatu abdita fuerunt, quod fieri posse docet experientia quotidiana & Joan. Lang. l.1. Epist. medic. 28. Wier. l. 3. c. 18. de præstig. Dæmon. Delrio & alii.

DIFFICULTAS XXIII.

An & quomodo Symptomata curentur.

Difficultas non est, an symptomata, quæ sunt aliquid in corpore præternaturale, per curam medicam expellantur, quia hoc docet ratio & experientia, quod dum morbum pellimus, pellamus etiam symproma tanquam aliquid morbo annexum; sensus itaque difficultatis est, an & quomodo neglecto morbo curam in symptoma profligandum intendamus; Et ratio dubitandi est, quia symptomà non videtur habere contrarium à quo expelli possit, sicut scimus morbum habere. Quæritur ergo quid Medicis sit respondendum, qui docent aliquando morbo posthabito symptomati succurrendum esse.

Nota primò, morbum aliquando esse independentem à causa proxima, immediata & continente, ut patet in febre hectica; aliquando dependere in esse, fieri & conservari, ut manifestum est in febre putrida. Secundò, morbum aliquando curari per se & immediatè, aliquando per accidens & mediatè, illud quidem dum medicina in ipsam morbi naturam dirigitur, hoc verò dum in causam. Et idem de symptomatis intellige. His positis

Dico I. Quando morbus est independens à causa proxima & continente, tollitur immediatè & per se; Ratio est, quia Medicina non dirigitur in ablationem causæ, quæ supponitur abesse, sed solum in ipsam morbi naturam & essentiam, ergo in hoc casu tollitur morbus immmediatè & per se. Confirmatur inductione, febris hectica, quia nullam habet causam proximam, à qua foveatur,

sed seipsa in corde partibusque solidis habituata existit, immediatè curatur iis quæ naturæ suæ contrariantur, videl. humidis & frigidis, ergo formaliter sive immediatè & per se; Neque Dicas etiam reparari vires & substantiam deperditam, quia respondetur hoc fieri per accidens in iis quæ febrem hanc sequuntur. Hoc idem intellige de vulneribus, de fracturis, de luxationibus aliisque morbis vitiatæ compositionis & conformationis, quia in his omnibus dirigitur cura & medicina immediatè in morbum, & non in causam quæ per modum transeuntis disparuit.

DICO 2. Morbus curatur utplurimùm per accidens & mediatè; Ratio est, quia utplurimùm pendet morbus non tantum in fieri, sed etiam in esse & conservari à causa proxima & conjuncta, quâ existente nunquam non existit morbus, & quâ pereunte semper perit morbus, ergo ut pereat, dirigenda est medicina in causam, quod dum fit, curatur morbus per accidens & mediatè, videl. per causæ ablationem, quod patet in omnibus febribus putridis, quæ durante humorum & sanguinis putrefactione tanquam causa proxima & immediata permanent, cessante verò rursum evanescunt; Ex hoc idem de aliis morbis intellige, ubi non tam ipsi quam eorum causæ profligantur.

DICES, omnis febris directè curatur frigidis & humidis, quia ipsa est calida & sicca, secundum illud, contraria contrariis curantur. Resp. febrem ut est calida & sicca, curari quidem frigidis & humidis, sed non solis, quia potissimum est ratio habenda causæ materialis à qua pendet febris; Unde etiam quò magis positâ humorum corruptorum colluvie refrigerabis, eò magis lædit, ut optimè norunt Medici practici; expurgatis verò visceribus & expulsâ causa immediata & proximâ morbum solves.

DICO 3. Symptoma nunquam curatur per se, sed semper per accidens, adeòque falsum est, sæpè relicto morbo illud curandum esse. Ratio, quia symptoma non est res per se existens, sed semper cum relatione transcendentali à morbo dependens, ergo non potest absq; eo à corpore humano tolli, cum sit effectus ejus in esse, fieri & conservari. Et confirmatur per considerationem & enumerationem omnium, quæ à medicinis in expellendis symptomatis, tum à modis quibus hæc expelluntur, fiunt; Nam hinc patet, nihil symptomati ut sic & per se applicari, sed quicquid mediorum est, id totum in morbum ejusq; causam vel tollendam vel emendandam dirigi, quod probatur imprimis exemplo doloris, ad quem cum 1. divisio continui vel intemperies, 2. Cognitio sensitiva; 3. Apprehensio vel æstimatio concurrat, certum est eum nec secundo nec tertio modo leniri, ergo primo; Nam divisionem continui vel intemperiem in partibus sensibilibus semper respiciunt media quæ applicari solent, ut patet

Symptoma non curatur per se.

in omnibus dolorem mitigantibus, quæ blando suo calore partem fovent, omnemque acrimoniam vel peregrinam qualitatem temperant, & quicquid sensionis tristioris per distensionem vel divulsionem infertur, mitigant; similiter nihil beneficii accedit debilitati per se, sed tum quando vim morbo inferimus, aut naturalem complexionem reducimus, aut spiritus & calorem vitalem multiplicamus; Convulsivi restituuntur, quando malum à nervis avertitur; Vertigini occurritur quando spiritus animales placantur & ea quæ cerebrum concutiunt; deliquio autem cum cordi & vitalibus pristina integritas reducitur; Ex his cætera intellige; Quod si tamen

DICAS 1. Dolor, deliquium, convulsio, suffocatio, &c. sunt symptoma; sed iis dum nimium urgent, applicantur media neglecto morbo, ergo & symptomatis. Resp. neg. minorem, ut patet ex conclusione; Nam dolorem imprimis quocumq; modo is accipiatur, nulla medicina per se mitigat vel tollit, nisi modificando intemperiem blando calore & humore, leniendoque peregrinas qualitates per divulsionem inductas, & auferendo humores salsos, acres, mordaces, erodentes & distendentes: Deliquium nulla medicina abigit, nisi revocando spiritus vitales violenter dissipatos, reducendo qualitates connaturales & removendo causas quascunque morbosas. Convulsionem denique suffocationem & alia id genus symptomatum tollunt immediatè & per se solùm ea quæ causam morbumque abigunt, ut examinanti & per omnes genus symptomatum discurrenti patet.

Nec dolori, nec debilitati nec deliquio potest occurri.

DICES 2. Multa sunt symptomata, quæ quia lethalia sunt, nullas pro expellendo morbo patiuntur inducias, ergo iis primò occurrendum est. Resp. 1. Quod quædam symptomata sint lethalia, hoc non habere ex se sed à morbo, à quo pendet & salus & interitus. 2. Si morbo succurri non possit & symptomata sint lethalia, jam omnem panacæam aurumque potabile, sed & Æsculapium frustra implorari. 3. Quicquid pro mitigandis accidentiis applicatur, id frustra applicari, sed & magis nocere, nisi morbum ejusque causam respiciat; Veritatem clandat deliquium, in quo dum exteriora fricamus, aquâ odoriferâ faciem conspergimus, naribus grata adhibemus, &c. non deliquio ut sic occurrimus, sed vitalia restituimus & quæ cordi fatalem indixerunt iram, repellimus.

DICES 3. Dolor maximè activus est, quia attrahit sanguinem & humores, consumit spiritus, dejicit vires, infert convulsiones, &c. Ergo non minus aliquando debetur cura ipsi quam morbo. Resp. neg. simpliciter antecedens; Nam attractio sanguinis & humorum ad locum dolentem fit solùm à distensione & divulsione partis sensibilis, tum à calore

in hanc

in hanc partem inducto, qui attenuando & rarefaciendo sanguinem & humores proximos advocat offensamque partem attollit; similiter cum vi morbi membrum aliquod vehementer divellitur aut incendio suprà modum dolet, accurrunt undiq; spiritus vitales in subsidium, quemadmodum hoc requirit insignis partium consensus, & dum ita suo robore defraudantur vitalia cæteraque viscera, dejiciuntur vires, concutiuntur nervi, sequuntur deliquia, & c. Cum itaq; dolor non sit ipsa intemperies vel solutio continui sed aliquid utramq; consequens, ut patet ex disp. 22. prioris libri de sensu tactus, ex ipsa autem intemperie fiat attractio sanguinis & humorum, non in dolorem sed in morbum omnis cura intendi necessum est.

DISPUTATIO XVIII.

De Officio Medici circà corpus ægrum.

DE morbis in genere & specie, tum de eorum causis & symptomatis actum est hactenus; hæc ultima imposterum accuratè inter se ponderabit Medicus, ut quod sui officii ergà corpus ægrum est, de hujus statu judicet, & tam præsentia quam futura cognoscat: Hoc nimirùm sunt symptomata vel signa quæ nunquam à dispositionibus viventium separantur, sed undique ut umbra eas comitantur; Nescit enim sanitas aut morbus aliunde cognosci nisi per sua signa, quæ inseparabilia sunt & ubique sub sensum cadunt ut odor, color, excessus, defectus, robur, debilitas, actiones, &c. de quibus hactenus. Ex his quædam certa sunt & indubitata ut dejectio virium, vitiosus habitus corporis, quia iis certò cognoscitur insalubris hominis status; quædam sunt fallacia & incerta, ut pulsus mutatus, urina bona, quia nec mortem nec sanitatem nec vitam futuram spondent; quæ tamen hinc præmoneri & prædici possint, patebit ex sequentibus; Certè morbum in specie utplurimum cognoscere licet, eventum non licet, & periculosius nihil facilè est in decursu morbi quam certitudinem vel mortis vel salutis pronunciare, cum actio sit circà individuum & singulare, de quo juxta Philosophum non datur scientificum; Neque tamen suus his signis deest fructus, si diligenter examinentur & sub pondere rationum benè æstimentur, quia si non scientiam saltem probabilitatem afferunt, & hominem sive Medicum inter reliquos mortales meritò eminere & excellere faciunt. Quid itaque ex signis judicandum sit; quæ fides præsagiis habenda, quod officium Medicis maximum est circà corpus ægrum, tum in quo statu ipse, cum circà morbum occupatur, positus, hac præsenti disputatione dicetur. Sit ergò

DIFFICULTAS I.

An dentur signa morborum ab his distincta & quid sint.

ADverte, eandem rem esse & signum & symptoma; Nam symptoma dicitur quia morbum sequitur, signum verò quia indicat; sic mictio cruenta signum est renis vel vesicæ læsæ, symptoma quia sequitur solutionem continui. Jam

DICO 1. Dantur in morbis signa, quæ tanquam distincta ab iis indicant. Est in tota medicina commune, & patet, quia sunt effectus morborum, quos per eos cognoscimus, sive sint qualitates, sive actiones, sive quippiam aliud. Et confirmatur ex praxi medica, quia dum Medicus ad ægrum invisit; ex variis circumstantiis, quas pro signis habet, in cognitionem morbi partisque affectæ, quæ frequenter obscura sunt latentque intus recondita, devenire solet. Tanta enim est signorum necessitas, ut iis in humano corpore, de quo circà statum morbi & sanitatis formandum est judicium, vel neglectim habitis vel omninò sublatis tota ferè Medicorum & Medicinæ practicæ fundamenta aut corruant, aut, ut ait Fernel. de sympt. l. 2. c. 7. plurimùm labefactentur; Nam per hæc in status præsentis cognitionem devenimus, & per hæc de futuris judicamus, ut in sequentibus patebit.

DICES, morbos intemperiei patere ex se, v.g. ex calore, quod idem intellige de tumoribus, vulneribus, quæ ex se objiciuntur visui, ergo non est opus symptomatis. Resp. quamvis aliquando per solum sensum externum, v.g. per visum aut tactum cognoscatur tam genus quam species morbi; non tamen sufficere ad plenam ejus & perfectam notitiam statumq; corporis in ordine ad curam medicam, quæ omnia ex circumstantiis & concursu symptomatum habentur.

DICO

Quid sit signum.

DICO 2. Signum est, quod potentiæ cognoscenti aliquid à se distinctum repræsentat. Ita habetur apud Logicos, & comprehendit explicatque hæc definitio omnia signa medica, quæcunque tam in cognitione morbi, causarum & symptomatum quam in curatione occurrunt; Nam imprimis sub nomine signi non tantum intelliguntur effectus & indicationes, sed etiam causæ morbi & circumstantiæ, quæ in restituenda sanitate plurimùm valent; Deinde semper aliquid repræsentat & manifestat signum, sæpè quod occultatum est & à sensibus remotum, sæpè etiam quod facilè apprehenditur & in cognitionem venit, ut cum ex fumo ignem colligimus, ex actionibus morbum; sæpè etiam quod difficulter & non nisi omnibus exactissimè consideratis percipimus, ut cum ex subitò prostratis viribus, defectu mentis, palpitatione cordis, aliisque pluribus non facilè in cognitionem veræ causæ morbique, licet utramque repræsentent, devenire possumus: Adhæc omnia quæ per signa repræsentantur, objiciuntur potentiæ cognoscitivæ, primò quidem sensibus externis, tum verò interno, productisque speciebus intelligibilibus intellectui, si præsertim circa rem quam repræsentat signum, fiat discursus propriè dictus. Tandem dicitur quod res repræsentata sit quid distinctum à signo; Nam semper indicans debet esse distinctum & diversum ab indicato, ut patet in fumo qui indicat ignem, in urina cruenta, quæ significat morbum renum & vesicæ, in fluxu lienterico ventriculi, ex quo prava concoctio & intemperies ventriculi desumitur. Et hinc *Colligitur*, signa medica desumi parùm ab effectis, quæ sanitatem & morbum sequuntur, partim à causis, sub quibus intellige, quicquid ad constituendum morbum quocunque modo concurrit.

Signum quid.

DIFFICULTAS II.

Quomodo dividantur signa medica.

PEr signa medica res multæ & variæ indicantur, ut morbus & sanitas, status neuter, pars affecta, constitutio corporis præsens, futura & præterita; salus, mors, vires, &c. quæ fusè habentur apud Medicos tum Gal. 1. de febr. diff. c. 3.

NOTA, omne signum medicum vel esse salubre, vel insalubre, vel neutrum; signum salubre est, quod sanitatem præsentem indicat, vel futuram prænunciat, vel præteritam in memoriam revocat, v.g de præsenti signum salubre est pulsus bonus & urina bona, de futuro concoctio excrementorum in morbis, de præterito bona actionum constitutio. Insalubre est quod morbum præsentem indicat ut actionum læsio, calor febrilis, &c. vel præteritum in memoriam revocat, ut imbecillitas in statu convalescentiæ, vel futurum prænunciat ut lassitudo spontanea. Neutrum denique quod constitutionem neutram sive mediam inter morbum & sanitatem indicat, vel prænunciat vel in memoriam revocat, ut habitus plethoricus qui morbum minari solet, vel etiam morbus ipse in fieri.

DICO 1. Præter signa remorativa, quæ statum in memoriam revocant, & demonstrativa quæ præsentem, causam & effectum indicant, solent communiter Medici omnia signa ita dividere, ut vel sint à morbo inseparabilia, vel accidentalia & assidentia, vel communia, vel denique ita constituta, ut prænuncient mutationem & solutionem ad melius vel deterius. Signa inseparabilia statim cum morbo invadunt, quia sunt ei propria atque ita eum comitantur, ut ubi morbus est, ipsa etiam sint & contra, unde necessario naturam & ideam ejus indicant, judicantque vel de morte vel de salute, nisi tamen commisceantur signa diversi ordinis & speciei; Nam si inter omnia signa v.g. bona inseparabilia unum conjungatur malum, & contrà inter omnia mala unum bonum; jam in dubium spes & timor vertitur. Communia sunt, quæ in diversis tum affectibus tum partibus affectis reperiuntur, ut suppressio urinæ in calculo renum & vesicæ, tum in calculo & obstructione à materia viscida, crassa, compressione, tumore, grumo sanguinis, &c. Accidentalia vel assidentia ejus sunt naturæ, ut non semper & ubique sint morbo necessariò conjuncta, sed aliquando superveniant, unde etiam nec morbi naturam & speciem, sed ejus tantum accidentalem quandam conditionem indicant, ut quod æger in pleuritide facilè in hoc vel illud latus decumbat, quod dolor ad jugulum ascendat, vel ad hypochondria descendat: Nam hæc omnia nihil essentiale addunt morbo; sed tantum indicant accidentalem quandam differentiam. Prognostica denique signa sunt, quæ non manifestant morbi naturam & speciem, nec etiam accidentalem aliquam ejus conditionem & differentiam, sed mutationem & solutionem ad melius vel deterius, quidque de morbi eventu sperandum sit. Et certè hæc signa sunt, quæ ad Medicum doctum & prudentem spectant; quia nihil eum evidentius ab impostoribus & empiricis discernit quam futurorum providentia; Nihil enim est excellentius in universa arte Medica, quam beneficio prægcognitionis eorum, quæ eventura sunt, providere, & inhibere mala, quæ nec æger nec assistentes præsentiscere possunt. Itaque non tantum boni Medici munus & officium est, ut fecirca præsentem hominis statum occupet, omnibusq; signis & circumstantiis benè diligenterque consideratis cum genuinam morbi naturam tum partem affectam cognoscat, sed etiam ut providentia utatur & sit sollicitus circa ea quæ toto morbi decursu futura sunt: Nam qui futura dicit, eorum certitudine inter cæteros homines excellit, sibique insignem gloriam aucupatur.

DIFFICULTAS III.

Vnde desumantur signa morbi & partis affectæ.

HAbet non tantum morbus sua signa quibus quoad naturam & idæam cognoscatur, sed etiam sanitas, status neuter, pars affecta, tum conditio corporis præsens, & quid in futurum expectari possit. Hic de signis tantum morbi præsentis & partis affectæ quæritur.

Signa præsentis morbi & partis affectæ. DICO, signa quibus sanitas, morbus & pars corporis affecta cognoscitur, desumuntur à multis & variis, v.g. à complexione sive temperamento, à natura loci vel partis, à colore cutis, ab ætate, dolore, sexu, causis externis, juvantibus & lædentibus, actionibus, situ, excretis, retentis, propriis accidentiis, &c. Explicantur singula: primò desumitur morbus (idem in contrarium intellige de sanitate) à complexione vel temperamento, non quidem quod cuique complexioni suus debeatur, peculiaris & propius affectus, quia hoc falsum esse testantur biliosi, melancholici, sanguinei & pituitosi, qui omnes ab iisdem specie morbis afficiuntur, sed quod idem specie morbus aliam habeat idæam in bilioso, aliam in pituitoso, vel quod idem specie affectus in bilioso potius dependeat à bile, in pituitoso potius à pituita & sic de reliquis. Secundò desumitur à natura loci & partis, quia qui calculum aut arenam excernit, hic renes aut vesicam affectos habet, non ventriculum, splenem aut matricem, ubi non gignitur calculus & arena cum iisdem accidentiis. Tertiò à colore cutis, quia hæc afficitur flavedine in ictericis, nigrore in melancholicis, pallore in cachecticis, rubore in febrientibus, &c. Quartò ab ætate, quia pueri facilè à vermibus molestantur, juvenis à bile. Quintò à dolore, quia alius est dolor à bile, alius à phlegmate, & rursus intensior est in partibus nervosis quam in carnosis. Sextò à sexu, quia tormina ventris, capitis aliarumque partium utplurimùm sunt ab alia causa in fœminis quam in viris. Septimò à causis exterois, quia potissimùm ab his morbus producitur & modificatur, ut ab aere, à cibo, potu & similibus. Octavò, à juvantibus & lædentibus, quia non tantum quælibet individua à quibusdam sive extrinsecis sive intus assumptis juvantur & læduntur, sed etiam ipsæ partes & viscera corporis, v.g. caput à vaporibus calidis, intestina à flatibus offenduntur, stomachus à stringentibus, intestina à calefacientibus foventur: Et hinc si videamus membrum aliquod lædi à calidis & à frigidis juvari, à calore affici necessum est. Nonò ab actionibus læsis; Nam qui v.g. malè concoquit, stomachi vitium habet; qui delirat, huic caput ægrum est & cerebrum, adeòque vitiatis actionibus sua quibus debentur, viscera laborant. Decimò à situ, quia qui sinistro hypochondrio dolet, is à flatibus & obstructionibus lienis affligitur, qui acuto & intenso dolore capitis molestatur, huic menynges afficiuntur. Undecimò ab excretis & retentis; Nam qui tussi sanguinem rejicit, huic pulmo aut aliqua thoracis vena soluta unitatem patitur; similiter qui bilem vomit, huic cystim felleam ejusque ductum obstrui utplurimùm significatur; Et qui cum urina sanguinem excernit, hic noo in epate aut intestinis, sed in renibus, ureteribus aut vesica affectum habet: Cæteri qui compositionis & solutæ unitatis fuot, ieipsis facilè objiciuntur visui aut tactui.

DIFFICULTAS IV.

Vnde Medicus possit præcognoscere futura.

NOn satis est essentiam & naturam morbi, tum partem affectam cognoscere, nisi etiam cognoscatur, quæ in finem is sit habiturus: Hæc omnia signa docent, de quibus dum quæritur unde desumantur, & quomodo ex iis Medicus non tam in cognitionem morbi quam ejus eventus devenire possit,

Adverte, in corpore ægro hæc tria posse & solere à Medico prædici, primò quem finem & eventum sit morbus habiturus, an mortem vel salutem. Secundò, quo tempore hic eventus sit futurus. Tertiò, quo modo hic ad mortem vel ad salutem sit expectandus.

DICO 1. Præsagium vel prædictio futuri eventus nihil est aliud, quam quod Medicus per certa signa eventum morbi præcognoscat, idque vel ægro vel astantibus aperiat: Nam qui de terminatione morbi quippiam sive probabiliter sive evidenter cognoscere, tum inter alios propalare præsumit, is necessum habet, ut diligenter examinet omnes circumstantias ægrotantis easque inter se conferat, tum quidnam ex iis consequi possit, an vires morbo sufficiant, adeòque an salus vel mors expectanda, quo tempore & quomodo.

DICO 2. Prædictiones ad salutem vel ad mortem sumuntur imprimis ab idæa & specie morbi, à natura sive dispositione ægri, tum à pulsu, excretis, tolerantia morbi, respiratione, facie, decubitu, natura symptomatum & aliis de quibus Hipp. l. prognost. Nam si hæc omnia se benè habeant, si v.g. morbus ex natura sua non sit adeò malignus aut periculosus, si æger viribus & dispositionibus viscerum sit validior, si urina benè fluat, si in excrementis appareat coococtio, si actiones vitales non sint dejectæ nec symptomata vehementer urgeant, signum est, affectum ad salutem terminari; si verò

si verò omnia contrario modo se habeant, mortem & interitum exspectari, tantòque certius, quantò pejora sunt signa & symptomata; Dixi vitales, quia communis est Medicorum & Philosophorum ex Galen. 5. de loc. affect. c. 1. doctrina, quæ etiam ratione & experientia est maximè roborata, ad affectum insignem cordis consequi mortem certam, nisi tamen is sit per consensum aliarum partium: Quantum autem intersit conferre morbum cum viribus quas Medici tribus corporis facultatibus tribuunt, constat ex Gal. 2. progn. 6. ubi summam totius præsagitionis ait pendere ex collatione virtutis ad morbum; id quod 3. pop. p. 3. 21. confirmat, cum inquit, hujus certè meminisse debetis, ut quando ægros inspicitis cum exitiosis symptomatis, notam à viribus proficiscentem conjungentes, atque ita demum securè pronunciare poteritis; Et in hoc 3. crisc. 5. omne judicium de vita & morte situm esse statuit. Cæterùm quomodo & inter quas vires, ân facultatis naturalis, vitalis vel animalis oporteat fieri collationem cum morbo, & an quisque morbus omnes vires lædat, vide Merc. de signis salutis & mortis q 186.

Per coctionem & cruditatem quid intelligatur.

DICO 3. Brevitas & longitudo morbi desumuntur ex coctione & cruditate eorum quæ morbum faciunt; per coctionem & cruditatē non intellige excrementa & quosvis humores crudos & concoctos, quia aliàs cum in morbo acuto statim ad initium adsit cruditas, & in affectu longo circà statum aut finem concoctio, hic brevis & ille longus esset judicandus: Itaque per coctionem & cruditatem intellige subjectam morbi materiam, quam ob frigiditatem & spissitudinem calor naturalis non facilè digerit & concoquit. Jam probatur conclusio, quia tunc longius extenditur morbus, quando concoctio tardior est, & contrà brevius finitur, quando materia morbosa citius digeritur, ergo ex utraque hoc cruditatis & coctionis termino brevitas vel longitudo morbi desumenda est, quod confirmatur in tumoribus, qui si frigidi fuerint, crassi & viscidi, difficulter concoqui solent, facilè verò si calidi tenuisque materiæ; sumitur autem non tam cruditas quam concoctio ab urina, excrementis alvi, sudoribus, quæque è pectore, ventriculo, naribus, &c. repurgantur.

DICES, quod morbus sit brevis aut longus, hoc habet ab intrinseco; sic enim morbi acuti citò perimunt, &c. ergo non à cruditate aut coctione. Resp. hic esse sermonem de morbis, qui concoctionem admittunt, non verò de iis qui in principio sive augmento occidunt, ut est febris summè maligna. Deinde etiam hi morbi breves sunt, si citò coquantur, est que merè per accidens, si prius hominem periment.

DICO 4. Modi denique, quibus morbi solvuntur, sunt vomitus, excretiones alvi & urina, fluxus sanguinis è naribus & venis hæmorrhoidalibus, sudores, decubitus humorum ex uno loco in alium; Hos omnes autem modos, qui in morborum resolutionibus observantur, præcedunt sua semper peculiaria signa, ex quibus probabiliter sagax & prudens Medicus eos prævidere potest; sic ex nausea & dolore stomachi prædicit vomitum, quia intelligit in stomachi capacitate fluctuare corruptos humores, qui cum nauseam prius moveant, mox vomitum & tunicarum convulsiones concitabunt; sic ex torminibus intestinorum expectanda est alvi apertio, & ex lumborum tensione profluvium urinæ, quia utrimque partes divelluntur. Sic fluxionem sanguinis è naribus sentimus ex earundem titillatione & rubore faciei, è venis autem hæmorrhoidalibus ob dolorem tensivum spinæ & alvi tumefcentiam; sic deníque sudorem futurum colligimus ex blando & vaporoso cutis tactu, &c.

DIFFICULTAS V.

An prædictiones medicæ sint certæ & infallibiles.

SOlent hic nonnulli artis Medicæ detractores & osores quærere, an certius ex suis signis de futuro morbi eventu Medici, quam Coloni ex quibusdam suis observationibus de annona aliisque temporum mutationibus, & Astrologi ex syderum positionibus de annuis aut diurnis tempestatibus, vel etiam de tota hominis vita soleant præsagire.

NOTA 1. Alias esse prædictiones quæ fiunt de homine in genere, & alias quæ de eo in specie. 2. Præsagium hic accipi in ordine ad eventum morbi.

DICO 1. Malè comparatur præsagium Coloni & Astrologi cum eo quod est Medici. Probatur quia illud quod nullum habet fundamentum in re vel saltem utplurimum, non debet cum eo æstimari, quod suis non evidentibus certè probabilibus constat principiis; sed ita se res habet cum præsagio Coloni, Astrologi & Medici, ergo. Minor probatur: Nam Coloni imprimis quicquid habent, id ex vanissimis quibusdam observationibus & experientiis desumunt, dum credunt, si in festo S. Pauli pluat futuram famem; si aer sit ventosus, imminere bellum; si nebulæ serpant, pestem; si in festo S. Medardi pluat, 30. diebus duraturum, &c. Dico tamen utplurimum, quia habent & observant nihilominus quædam, quibus ob certas & longas experientias innituntur, & quæ non fortuitò sed ob determinatas causas, quas licet ignorent, accidere solent; sic prædicunt ex immutato aquæ sapore, aut quod ventus fumum igneum per caminum

molestius repellat, pluvias, quas easdem cum ventis & tempestate præsagiunt, si pecora impetuosius ex pascuis domum festinent, aut à muscarum grege molestiùs urgeantur, fortè ideò, quod Sol vapores ex terra, & è teneris muscarum corpusculis humidum validius attrahat, quæ proinde ad hoc resarciendum aculeos profundius pecoribus infigant. Quod & quantum Astrologi prædicere norint, vide disp. 14. occult. qual. diffic. 21. & 22. Medici verò dum morbum & partem affectam, naturamque & vires ægri per signa diligenter examinant interque se conferunt, facilè per rationabilem consequentiam eorum ferre judicium, an salus vel interitus sit expectandus.

DICO 2. Prædictiones medicæ, quæ fiunt generatim de morbis abstrahendo à conditionibus individuantibus, certæ sunt & evidentes. Probatur, prædictiones in genere fiunt vel morbo vel natura ægri vincente, & hoc ex signis & constitutione symptomatum; sed in utroque Medicus verum prædicit, ergo prædictiones Medicæ sunt certæ & evidentes; major vera est, quia fit prædictio ex suppositione unius subjacentis & alterius vincentis, quod utrumque signa docent: Minor probatur, quia qui ex certitudine signorum & natura symptomatum dicit morbum fore superiorem, is evidenter dicit hominem interiturum, & contrà qui ex iisdem fontibus seu principiis dicit naturam ægri dominaturam, is scientificè affirmat, hunc sanitati restituendum esse, ergo in utroque Medicus certus est & infallibilis. Dico tamen abstrahendo à conditionibus & differentiis individuantibus, quia tollunt hæ omnem suppositionem adeòque ægrum in genere sumptum transferunt ad speciem infimam de qua nulla datur scientia. Hanc conclusionem confirmat tota Medicorum schola, in qua quicquid de morbo propulsando, de herbarum viribus & medicamentorum effectibus dicitur, id certum est & infallibile, & quod superest, cuivis ægrotanti aut salus & vita, aut mors & interitus promittitur.

DICO 3. Prædictiones quæ fiunt in specie de individuis, non sunt evidentes & scientificæ sed tantum probabiles. Ratio est, qui fiunt de rebus mutabilibus, quæque semper aliter & aliter se habere possunt, ergo non certæ nec infallibiles; Et confirmatur, quia circumstantiæ, conditiones & differentiæ in singulis corporibus semper variæ sunt nec unquam nobis satis cognitæ, quia sunt secreta naturarum singularium, quæ concurrunt & cooperantur cùm vaporibus ægris tum ipsis affectibus; Et hoc punctum est, ubi Medicus qui ad speciem infimam descendit & in singularibus vel manum vel medicinam applicat, sui ingenii fragilitatem & in rebus humanis ignorantiam lubens deponit & fatetur, quæ in singularibus abdita sunt & occultata, suum & vincere ingenium & fallere judicium: si de conditionibus & differentiis individuantibus, quæ hic medicæ sunt non logicæ aut metaphysicæ, inquiras; Respondeo esse unicam constitutionem sive dispositionem corporis organici, & in singulis corporibus aliam, quæ quia non ingreditur essentiam morbi, concurrit cum ejusdem eventu, & aliquando morbo, aliquando ægro vires ad vincendum addit, estque id quo anima aliter in hoc aliter in illo operatur; Nam hujus beneficio omnes actiones vitales diversimodè eliciuntur, ut apertè ostendit & testatur experientia idem specie morbus in pluribus individuis productus, in quorum singulis diversos habet effectus comites; non ex se, ergo ex subjecti dispositionibus, quæ faciunt ut unum interimat, in altero cadat ipse.

Differentia individuantes quæ apud Medicos.

DICES, multos Medicos ita felices esse, ut in prædictionibus suis nunquam decipiantur: Resp. hoc verum esse in Medicis theoricis, falsum in practicis quique manum adhibent. Laudabile est Medicum prudentem & doctum signa colligere & advertere, quid quovis tempore faciendum aut intermittendum sit; sed periculosum est, astantibus vel vitam vel mortem in re tam dubia tamque incerta denunciare, quia si verum dicas, id casu attigisse vel probabiliter saltem dixisse te puta; si falsum, famæ tuæ infamiam & obtrectationes parere te crede, quemadmodum ad quotidianas experientias appello. Habeant ergo Medici scholastici suas generales ex suppositione prædictiones, & maneat sua practicis in curando sedulitas conjuncta cum modestia, prudentia & securitate; Et hoc ut magis intelligas, sequitur

DIFFICULTAS VI.

An præstet mortem vel salutem in ægro prædicere.

HIC maximè habent Medici quod caveant & attendant, ne fortunæ suæ & honoris patiantur detrimentum; Nam sunt qui facilè desperantes quovis in casu difficiliori mortem & interitum prædicunt, alij qui contra in affectibus deploratis benè sperare jubent, alii denique qui media incedentes via tam in spe certa quam dubia nec sperant nec desperant. Cum itaque omnes prædictiones adeò sint dubiæ, incertæ & fallaces, difficultas est quid Medico faciendum, quando vel ab ægro vel ab astantibus de eventu morbi sollicitatur; sunt enim hic vel maximè solliciti & cupidi rescire, quid Medicus sentiat, quantumque timeat aut speret.

DICO 1. Multa possunt Medici prævidere vi signorum. Probatur primò Author. Hipp. Gal. omniumque Medicorum, quos vetusta gentilitas ob certas sæpè prædictiones in morbis Diis similes æstimavit. Prob. secundò ratione, per signa non tantum Medicus habet cognitionem status præsentis in ægro, sed etiam ejus qui futurus est, ut patet ex dictis, ergo

ergo qui bonam habet signorum cognitionem,& fidelem cum eorum tum morbi cum viribus ægri combinationem, multa potest prævidere & prædicere; Nam bonus & æqualis fortisque pulsus robur vitalium indicat, & bona concoctio in urina sive excretis fidem facit de valida potentia nutritiva,&c. Confirmatur communi Medicorum experientia, qui etiam heri in doctores creati ex signis tam morbum partemque affectam quam probabilem in decursu eventum utplurimùm colligunt.

DICO 2. Non temerè mors aut salus ægro prædicenda est. Ratio prima, quia uterq; effectus aut nunquam aut rarò est evidens, ergo præstat tacere, quam in re dubia quid certi statuere, ut habet Hipp.l. 2.prorhet. ubi ait se consulere Medico, ut initio quam prudentissimè agat cum in reliquo tum in prædictionibus, ne si minus successerit, inglorius fit & odio habeatur: Quod autem prædictiones sint incertæ, ait Gal. comment. 3. in progn. Hipp. l. 41. ubi habet, nunquam errare in prædicendo suprà captum hominis esse, quam minimum autem errare, solius artificis. Ratio 2. est quia Medicus facilè potest decipi à signis, quæ singulas aliquando in horas mirè variant, quæque rarissimè & fortassis nunquam in unum aliquem hominem sicut & in alterum cadunt. 3. Quia Medicus non habet semper memoriam firmam & judicium stabile in conferendis singulis singulorum dierum signis. 4. Quia difficillima est collatio mutua signorum contrariorum numero æqualium, quod tamen in vera præsagitione necessarium est. 5. Quia, ut notant Anatomici & observant omnes Medici, sicut natura sæpè in formando corpore varias ob causas aberrat, ita etiam in eodem sanando. 6. Quia Deus aliquando ejusque nutu cœlites impediunt cursum naturæ & immittunt modo quodam extraordinario auxilium, ut Angelus S. Rocho, vel flagellum, ut Deus Antiocho Magoo, Herodi & aliis.

DICES, Gal. comm. 3 in l. 1 Hipp. de morb. vulg. t. 17. ait se nunquam in prædicendo offendisse; & rursum, se medicinam usque ad senectutem professum, nullam unquam calumniam subiisse nec curando nec præsagiendo, ergo si Galenus certus fuit in prædictionibus, etiam alii certi esse possunt. Respond. 1. ex his verbis non colligi, Galenum in prædictionibus semper fuisse certum, quod ipse non dicit; Et potest etiam ille nunquam offendere aut calumniam subire, qui in prædicendo cautus est & providus. 2. Respondent aliqui, Galenum multa certò affirmasse, multa etiam sub periculi nomine texisse vel dubia dixisse atque ita calumniam evitasse; Alii autem & fortè melius respondent, Galenum in multis sibi contradixisse, in multis fuisse nimis gloriosum, in multis etiam minus veracem, & fecisse quod in hodiernum diem non pauci ex Medicis faciunt, qui sive suos casus & curas longa oratione recenseant, sive scriptis & typo evulgent, semper omnia suis dictis factisque conformia evenisse testantur & confirmant, vel certè non alia divulgant quam quæ sibi suisque ægris feliciter acciderunt, cæteris quamplurimis, quæ secus, alto silentio suppressis. Itaque

DICO 3. Benè agit Medicus, qui re necdum desperatâ, nec mortem simpliciter, nec sanitatem absolutè prædicit. Ratio 1. est, quia non semper sed rarò de utroque eventu certus est, & potissimum si signa bona malis sint æqualia, vel etiam si inter omnia bona unum sit malignum & contra; si morbi sint maligni & pendeant à materia surgente; si denique morbi motus habeant incertos & inconstantes. Ratio 2. est, quia exponit se suamque famam periculo. 3. Quia despicitur Medicus ab ægro, cui mortem prædicit, præsertim si sensibus adhuc & mente valeat. 4. Quia fieri posset, ut is cui temerè & imprudenter mors indicitur, ex mœrore potius quam vi morbi pereat & contabescat, prout sæpius contigisse constat. 5. Quia facilè Medicus peccatum incurrit, volendo scil. id fieri, quod absolutè astantibus de futuro ægrotantis interitu prædixerat, ut veridicus & in arte sua peritus habeatur, vel etiam ægrum de vita securum faciendo, dum is inter subitas & extremas mortis horas sacramentalibus privatus abit & obit.

DIFFICULTAS VII.

Quid quantumque in cognoscendo statu corporis præstet pulsus & urina.

DE hoc utroque multa eaque insignia scripserunt Medici, ut etiam dubium sit an de re aliqua particulari fusius; quia videl. cujusque hominis statum corporalem indicant ideòque nequnquam nisi in morientibus deficiunt. Et quia intentio hic non est de iis ex professo agere, totamque eorum naturam cum omnibus differentiis describere, sed tantum attingere ea, quæ præsentis sunt status & ordinis; Idcircò quæritur solùm, quantum præstent in cognoscendis morbis eorumque eventu, & uter melius, facilius & certius.

SUPPONO primò, pulsum qui à Gal. 4. de differ. puls. c. 2. communiterque à Medicis dicitur actio sive motus cordis & arteriarum ad generationem spirituum vitalium, constans dilatatione & constrictione, causam efficientem habere animam ejusque potentiam vitalem sive vegetantem cum insigni calore & ebullitione sanguinis, ut videre est lib. 2. disput. 23. difficult. 6. Secundò, plurimas esse pulsuum differentias, quæ omnes desumuntur ab ipsis causis efficientibus pulsuumque subjectis, corde & arteriis. Tertiò, urinam dici *Pulsus quid* *Ejusq. causa efficiens.*

Urina quid. dici excrementum aquosum ortum trahens ex materia potulenta & sero sanguinis, vi renum secretum ut per meatum urinarium expellatur: *Cujus coctionis excrementum.* Cujus coctionis excrementum sit, nimis anxiè disquirunt Medici, quia parum est sive unius sive alterius esse dixeris: Cumprimùm enim alimentum & substantia potulenta in stomachum trajicitur, incipit hoc serum à potentia coctrice præparari, quousque tandem in renibus perfectè à reliquo sanguine alimentali separatur accipitque nomen urinæ, quæ est materia potus & serum sanguinis à reliquo aqueo quod ubique per corporis viscera dispersum, non discrepans. Quartò, substantiam urinæ semper esse corpus mixtum, & vel crassam vel tenuem, vel perspicuam vel turbulentam. *Sedimentū urinæ quid.* Quintò, sedimentum urinæ semper esse partem aliquam alimenti quæ subterfugiat coctionem, ut est commune apud Medicos ex Galeno comment. 1. in prognost. Hipp. t. 42. Et hinc absolutè necessum non est, in omni urina apparere sedimentum, quia illud non requiritur in homine sanissimo, quique utitur cibis paucis & puris: *An necessariū in omni urina.* Cujus autem coctionis sit hoc urinæ contentum, rursus more suo altercantur Medici, dum hi pro prima, illi pro secunda, alii demum pro tertia & ultima militant. Sextò, ex urina veniri in cognitionem morborum aliquando per se, aliquando per accidens, non tamen omnium; per se quidem eorum, in quibus simul cum materia morbosa continetur serum & quorum statum maximè indicat, ut epatis, cordis eorumque viscerum in quibus vigent venæ & arteriæ, à quibus per venas emulgentes potissimum derivatur serum ad renes: Per accidens autem, cum indirectè statum corporis colligimus, v.g. cum ex urina, quæ in statu morboso nihil de præsenti affectu indicat, in alterius cognitionem venimus, ut in febre quæ caret putredinis nota, diaria aut hecticæ: Quod autem quoscunque affectus non indicet urina, ratio est, quia multi sunt partium morbi à quibus urina nihil immutatur, ut multæ continui solutiones, affectus vitiosæ compositionis, & quorum substantiam ipsa non ingreditur; His paucis positis

DICO 1. In omnibus affectibus primariò indicant pulsus & urina. Ratio, quia ex iis maximè desumuntur vires corporis & constitutio viscerum, ut apud quoscunque constat.

DICO 2. Majus & præstantius signum est urina in cognoscendis morbis eorumque causis; & hoc signum vocant Medici Diagnosticum. Ratio non desumitur aliunde, quam ab utriusque natura, quia pulsus tantum motu suo vitalium & caloris constitutionem indicat, urina verò omnium viscerum quæ morbosa sunt, & in quibus ipsa causam morbosam participat; Et hinc ducit nos primò in cognitionem obstructionum, vulnerum, ulcerum & cujusque intemperiei, imò in tempus ipsius morbi ex cruditate. Secundò, in cognitionem causæ morbi, an videlicet adsit calculus, bilis, pituita, &c. Tertiò, in cognitionem partis affectæ, ut dum ex arena, calculo, sanguine, pure, &c. renes affectos colligimus.

DICO 3. Quamvis ex pulsu maximè vires præsentes cognoscamus, incertum tamen, an futura melius & perfectius ipse an verò urina indicat. Id sumitur ab experientia, quia sæpè cum pulsu bono urina mala est, & contra; & hinc dum urina sanitatem promittit, pulsus mortem proximam, ut in febribus malignis, indicat, & dum pulsus mali nihil indicat, urina interitum præsagit, ut in Ischuria, &c.

DICO 4. Generalius signum ad futura in morbis est urina; Ratio, quia urina indicat crisin, coctionem, cruditatem & ex his eventum morbi salutarem vel lethalem; pulsus verò futuræ tantùm mortis præbet indicium. Plura de his consule quæ fusissimè scripserunt & notarunt Medici.

DIFFICULTAS VIII.

Quibus in morbis prædictiones sint certiores.

PRædictiones in morbis esse tantum probabiles non certas & evidentes ex dictis constat; Jam quæritur, quibus in morbis sint certiores, an in acutis vel diuturnis.

SUPPONO, prædictiones non tantum intelligi in ordine ad terminum, id est, quamdiu morbus sit duraturus, sed etiam in ordine ad modum termini, id est, an salute vel morte sit finiendus. Similiter SUPPONO, in prædictionibus semper hæc duo velut axiomata Medicorum observanda; Primò, summam totius præsagitionis in morituris & convalituris esse ut morbus cum viribus ægri conferatur, habito semper respectu ad distantiam status. Secundò, tantò graviorem & periculosiorem esse morbum, quanto magis à sano recedat. Jam

DICO 1. Morbi acuti maligni incertas habent prædictiones, hoc solo certas quod non malignis sint periculo pleniores; ratio desumitur ab ipsa malignitatis natura, cujus nec modus essendi nec operandi hactenus ab ullo sive Philosopho sive Medico satis explicari aut intelligi potuit, ergo quicquid de ejus effectibus dici potest & solet, incertum est, præsertim

cum

cum ejus vis & efficacia cum viribus ægri non possit conferri: Et confirmatur experientia quotidiana qua constat, paucis sæpè horis ita supprimi & corrumpi calorem spiritusque vitales, ut frustrà ægro renitente & Medico succurrente præter omnem expectationem & vita & anima exhalat. Adhæc sunt frequentissimè in hujusmodi morbis signa bona in urina, in pulsu & viribus, quæ dum & Medico & ægro spem magnam convalescentiæ faciunt, subitò vis malignissima morbi velut toxicum & virulentum animal è latebris prorumpit, corruptisque vitalibus malitiosè necat, ergo prædictiones in iis sunt incertæ. Quod autem non malignis sint magis perniciosi, patet ex disput. de morbis totius substantiæ. Et hine

DICO 2. Longè certiores sunt prædictiones, quæ fiunt in morbis acutis non malignis, sepositis tamen quibusdam accidentiis quæ aliunde emergunt, & ipsam morborum essentiam non ingrediuntur. Ratio est prioris conclusioni contraria, quia videl. novit Medicus vim & naturam eorum, quos etiam tutius & fidelius cum viribus ægrorum conferre potest, ergo sicut morbi maligni ideò incertas & dubias habent prædictiones, quia habent essentiam nemini facilè perspectam, ita morbi non maligni certiores habent propter causas contrarias. Symptomata & accidentia quæ à nobis non prævisa emergunt, ad prædictiones non spectant, quia non ingrediuntur essentiam morborum præsentium, oriunturque vel ex aliquo casu vel ex causis ad præsentem morbum non spectantibus, vel si eum sequantur, errori alicui commisso, peculiarique corporis proprietati & innatis viscerum dispositionibus adscribenda sunt; sic febrem tertianam, quæ nunquam ex se est mortifera, sequuntur aliquando convulsiones, hydrops, cachexia, &c. sed casu & per accidens.

DICES, nulla reperiuntur signa certarum prædictionum in morbis acutis, ergo. Antec. hoc patet ex Hipp. qui acutorum inquit non sunt omninò certæ salutis aut mortis pronunciationes; Et Gal. l. de const. art. Med. ait, morbos qui constituuntur ex humoribus temerè nulloque ordine per corpus divagantibus, instabile habere judicium, ut eodem commento citati aphor. Hipp. jam prius docuerat ob subitam permutationem; idem de morbis malignis & fraudulentis quique non habent causam manifestam, similiter de chronicis & diuturnis qui lentè moventur & plerunq; principium habent occultatum, intellige. Resp. 1. hoc argumentum non esse contra conclusionem, qua dicitur prædictiones in morbis acutis non malignis esse certiores quam in malignis; & rursum nullas prædictiones in quibuscunque etiam morbis esse veras & evidentes, sed tantum probabiles; 2. Quando Hipp. & Galenus dicunt pronunciationes salutis aut mortis non esse omninò certas in acutis, non loquuntur de omnibus omninò morbis acutis, sed de iis tantum, in quibus humores turgent, ideòque facilè quovis tempore de loco in locum impelluntur; similiter loquuntur de malignis affectibus & morbis diuturis, qui partim incognitam habent naturam, partim lentum & latens principium.

DICO 3. In morbis frigidis & diuturnis, sive sint cum intemperie præcipuorum viscerum, sive cum eorundem obstructione & corruptione, valdè incertæ sunt prædictiones tam quoad tempus quam quoad modum termini. Ratio prioris est, quia in omnibus morbis diuturnis est principium valdè obscurum; Deinde non potest facilè fieri collatio morbi qui lentus est & debilis, cum viribus ægri, in quo calor vitalis ad longum etiam tempus vitam protrahere sufficiens est. Ratio posterioris, an videl. ad salutem vel mortem terminentur, est, quia in diuturnis viscerum affectib', sive sint intemperiei, sive vitiosæ compositionis, sive solutæ unitatis, non facilè cognitum habemus, quid quantumque vis morbi corruptivè agere, & natura corporis, quæ ex se nunquam intendit sui corporis interitum, sive proprio sive alieno medicamentorum beneficio & auxilio resistere possit.

DICO 4. Morbi solutæ unitatis suas habent prædictiones ex parte affecta cæterisque adjunctis. Prob. disunitio partium ex se nullam facit prædictionem, ergo solum ex parte affecta & adjunctis accidentiis. Prob. antec. quia soluta unitas nihil aliud dicit aut involvit nisi partes quasdam à seinvicem distare, quæ debebant esse conjunctæ; sed ex hac partium distantia nulla est facienda prædictio ex se, ergo nec ex sola unitate vel disunitione: Quod autem id fiat ratione partis affectæ & qualitatum adjunctarum, hinc liquet, quia à partibus affectis, an videl. sint principales, & à modo solutæ unitatis, an nimirùm vulnus sit magnum, profundum, &c. additis qualitatibus symptomatis, pendet magnitudo vel levitas periculi: Et eodem modo argumentari licet cum morbis compositionis, non autem cum iis quæ sunt intemperiei, quia hi universales sunt; & quia occupant totum corpus, ideò etiam ex propria natura metiendi sunt.

DIFFICULTAS IX.

An prædictiones sumantur à solis symptomatis.

EX hactenus dictis constat, omnem cognitionem medicam quæ fit circà morbi naturam & eventum, haberi ex signis & symptomatis; Jam quæritur an ita hæc indicent, ut nec causæ nec morbus quicquam in eliciendis prædictionibus conferant.

DICO

DICO 1. Sæpè multum fsciunt causæ morbosæ sive sint remotæ sive proximæ, ad prædictiones; Ratio est, quia constituunt morbum, aggravantque periculum vel minuunt, dum vel pertinacius illi assistunt, vel ad ejus generationem primam efficacius concurrunt, ergo plurimum conferunt ad prædictiones: Et ut hæc singuls per inductionem confirmentur, multum imprimis interest scire, an qui morbo affligitur, sit valetudinarins vel sanæ & laudabilis complexionis quæque sit ægritudini proportionata; Nam biliosus facilius suffert febrem ardentem quam phlegmaticus, & valetudinarius communiter minus periclitatur ab affectibus quibus assuetus est quam robustus & lacertosus, quia vix hic à causis vehementissimis, ille autem à quibusvis injuriis offenditur. Deinde qui ab ictu scorpionis, vel à morsu canis rabidi, vel à mucrone gladii venenosi offenditur, plus periclitatur, quam qui gladio vel pugione simplici pungitur, quæ omnia rationem causæ habent à qua fit prædictio. Adhæc si is qui laboret febre maligna ad morbi initium varios errores circà potum & cibum commisit, sed nec alvum solvit nec sanguinem imminuit, tenaciorem habet salutis suæ vatem Medicum, quam qui ab hora invasionis morbi diligentem sui curam habuit.

DICO 2. Etiam morbus indicat vel majus vel minus periculum vitæ. Probatur, aliqusndo & causæ & symptomata absunt, ubi tamen Medicus ex præsentia morbi mortem futuram probabiliter prænunciat, ergo morbus solns aliquando periculum indicat; Antecedens patet imprimis in gravissimè vulneratis; Nam cui pericranium & calvaria ad menynges usque perforautur, is in summo versatur discrimine etiam tunc cum vix ullis affligitur symptomatis, quemadmodum ad initium vulnerationis sæpius fieri constat; Deinde cui aperto ventre intestina profluunt, is cum nulla urgent adhuc symptomata, morti probabiliter adjudicatur; similiter qui sphacelationem vel mortificationem alicujus partis etiam levioris incurrit, is utplurimum desperatus habetur, quando nec morbum nec symptomata sentit, prout accidit in quodam cui omnes sinistri pedis digiti nulla præcedente causa manifestâ moriebsntur, & ipse paulò post, cum citrà morbum, ut putabat, & symptoma, quod non sentiebat, omnesque astantes & immineus periculum prius rideret: ergo in his aliisque hujusmodi csfibus solus morbus indicat, nisi tamen in sphacelstione v. g. qualitas immutata indicet, & in magnis continui solutionibus symptomata quæ mox foras pulsant.

DICO 3. Quamvis morbus ejusque causæ multum aliquando valeant in prædictionibus, nihilominus tamen principaliter desumitur judicium futuri eventus à symptomatis. Probatur primò, à symptomatis tanquam signis desumimus mortem ejusque naturam & speciem, ut constat ex dictis, ergo etiam omnem ejus eventum. Secundò, ab eo principaliter pendet prædictio circà eventum morbi, quod in ægro primò se manifestat sensibusque obiicitur; sed hoc sunt symptomata exceptis paucis quibusdam casibus jam recensitis, ergo. Minor probatur, quia absentibus symptomatis nihil præternaturale relinquitur, à quo in cognitionem morbi ejusq; eventus devenire possimus; Nam in corpore morboso nihil primò est invenire præter actiones vitales læsas, qualitates immutatas, & vitium in excretis & retentis.

DICES 1. Symptomata ex se non subsistunt, sed dependent à morbis, quorum sunt effectus, ergo ex se nihil indicant sed iu virtute morborum. Resp. neg. conseq. quia in essendo dependent à morbis, sed non in movendo vel repræsentando.

DICES 2. Si symptomata facerent ex se prædictionem, possent id facere non existente morbo, vel etiam levius aut gravius urgente; sed hoc falsum est, ergo & illud. Resp. neg. seq. majoris, quis licet symptomata dependeant à morbo in essendo, sunt tamen nihilominùs ex natura sua significativa & demonstrativa morborum. Et hinc

DICO 4. Prædictio & judicium circà eventum morbi fit ab intellectu concurrentibns causis, morbis & symptomatis repræsentativè & efficienter. Probatur primum, quia præsagitio & judicium factum circà morbi terminum est actus intellectus, ergo pertinet ad eam potentiasm. Antec. patet, quia prædictio fit per verum & proprium discursum deducendo unum ex alio & combinando omnia inter se. Prob. secundum, quia necessariò concurrunt causæ, morbi & symptomata ad hunc discursum, non tantum ostendendo & significando in quo periculo verseтur æger, sed etiam efficiendo ut intellectus formet judicium & sciat an æger evalurus sit morbum, vel eo periturus, id quod in objecto colorato pariter fieri cernimus; Hoc enim verè in genere causæ efficientis producit in oculo species visibiles, quæ in sensu interno expressæ tandem inserviunt intellectui ad formandas species intelligibiles, ut de coloribus objectie orumque causa, varietate, pulchritudine, productione & distinctione judicet.

Colligitur, ad eliciendas prædictiones circà eventum morbi causas & morbum conferre remotè & radicaliter, proximè & formaliter signa & symptomata.

DIFFICVLTAS X.

An liceat aliquid ex sanguine cognoscere.

COmmunis est vulgi opinio, posse Medicū ex sanguine sive ægri sive sani hominis cogno-

cognoſcere, quicquid vitiorum in viſceribus lateat: Et hinc tanto ſtudio & diligentia eum, dum quotannis ſemel atq; iterum venæ ſectioni ſtudent, obſervant intellecturi quem affectũ patiatur epar, quem renes, lien, uterus, pulmones; & num diu ſupervicturi, aut morbum ſi quem habent, evaſuri.

Adverte autem, ſtatum difficultatis eſſe, an ex ſanguine conſtitutio præſens corporis vel futura, vel complexio ingenita, vel primariorum viſcerum affectio cognoſci poſſit.

DICO 1. Ex ſanguine non poteſt eventus alicujus morbi prædici. Ratio prima eſt, quia multi ſunt morbi qui non dependent à vitio ſanguinis, ergo ſive bonus hic ſit ſive malus, nequit eventus prædici, ſed nec ſtatus præſens. Antec. patet in obſtructionibus, in aſthmate, in ſolutis unitatibus, &c. Secunda eſt, quia in ſanguine nec deprehenditur eſſentia morbi, nec pars affecta, nec vehementia ſymptomatum, nec vi virium & potentiarum conſtitutio, ergo ex ſanguine non poteſt quicquam circà ſtatum & eventum corporis præſciri. Tertia eſt, quia in ſanguine tantum apparet vel cruditas vel concoctio non ipſius morbi ſed ſui, tum abundantia humorum alimentalium, &c. ergo non eventus morbi. Quod ſi tamen aliquando putrefactio vel corruptio deprehendatur, ſicut conſtat fieri in febribus putridis & malignis, ex ea tamen nihil colligi poteſt, quia imprimis non conſtat an totus ſanguis hanc patiatur corruptionem; deinde potuit ſanguis corruptus effluxiſſe meliori reſervato: Denique nihil aliud indicat hæc corruptio niſi ſui ablationem, cum nullius ſit uſus in humano corpore; Et reperiuntur non rarò inter homines, qui dum ſani ſunt, vitioſum habent ſanguinem, dum ægri, laudabilem. Quod ſi tamen

DICAS, ſanguinem ſeroſum & aquoſum ſæpè arguere conſtitutionem hydropicam, præſertim ſi cætera ſigna correſpondeant. Reſpondetur primò, hic ſermonem eſſe de ſanguine eorum qui ſani ſunt. 2. Etiam ſanos habère aliquando ſanguinem hydropicis ſimilem. 3. Ex hoc aquoſo hydropicorum ſanguine non poſſe colligi aut prædici eventum morbi. 4. Non negari aliquid ex ſanguine poſſe ſciri, ut ex ſequentibus patebit.

DICO 2. Nec in homine ſano poteſt ſtatus præſens vel futurus corporis ex ſanguine cognoſci. Prob. primum de ſtatu præſenti, quia ex ſanguine nec videmus nec colligimus cauſas & media ex quibus ſanitas conſiſtat, quia non videmus temperiem & complexionem naturalem, nec colligimus partis ullius aut membri conſtitutionem, nec vires corporis, nec potentias vitales nec earum actiones, quia nihil horum nec formaliter nec eminenter continet, ergo non poteſt ſtatus præſens in homine ſano ex ſanguine colligi. Prob. ſecundum de ſtatu futuro, quia hic cum ſit contingens, nec habet ullam cauſam determinatam, ex re nulla poteſt in homine ſano prævideri, ergo nec ex ſanguine: Et caveant hic Medici, ne temerariè vel potius, quod pudor eſt, ridiculosè ex inſpectione ſanguinis apud eos qui aliquando in ſtatu ſano venam ſecant, ad gloriolæ captationem vel præcognitionis argumentum dicant, hac effuſione magnum aliquem & periculoſum affectum fuiſſe interceptum, qui mox irruiſſet, ni præventum fuiſſet. Confirmatur concluſio, quia frequenter in homine ſano crudus, vitioſus & corruptus cernitur ſanguis, in ægro autem & valetudinario maximè laudabilis, ut teſtatur experientia, ergo ex ſanguine nihil in homine ſano judicari poteſt.

DICO 3. Ex ſanguine non poteſt ingenita corporis complexio ſive nativum temperamentum cognoſci. Probatur primò, temperamentum non inexiſtit nec inhæret ſanguini ſicut partibus animatis & ſoliditati viſcerum, præſertim verò cordis, ergo ex horum conſtitutione & affectibus, quos anima his mediantibus elicit, & non ex ſanguine cognoſcitur. 2. Complexio eſt affectio ſtabilis & permanens, ſanguis autem natura ſua ſingulis diebus variabilis. ergo ex hoc non poteſt illa cognoſci; prima pars antecedentis vera eſt, quia quam quiſq; ſemel in conceptione & formatione accepit naturam & complexionem, hanc tota vita proportionaliter retinet; etiam ſecunda evidens eſt, qui ſanguis non tantum gignitur ex nativo calore corporis, ſed etiam ex alimentis, hoc ut ſubjecto, illo ut cauſa efficiente, ſed hæc quotidiè mutantur, ergo & ſanguis.

DICES, talem homo gignit ſanguinem, qualem habet temperiem & complexionem, & talem rurſus habet temperiem, qualem gignit ſanguinem; ſed gignit v.g. bilioſum, ergo etiam habebit eandem complexionem, quæ ex illo cognoſcitur. Reſp. neg majorem, quia indies mutatur calor qui eſt præcipuum inſtrumentũ ſanguinis conficiendi, mutanturque alimenta ex quibus gignitur ſanguis; Et accedunt paſſiones aliæque cauſæ multiplices, quæ in bilioſo v.g. vehementer ſanguinem inflectunt ad naturam melancholicam & contra.

DICO 4. Non poteſt ex ſanguine affectus aliquis in ſpecie, nec pars affecta cognoſci. Ratio prioris eſt, quia non poteſt ex ſanguine cognoſci morbus in genere, quia nihil morbi ſive formaliter ſive eminenter continetur in ſanguine, ergo multò minus poterit id fieri in ſpecie. Ratio poſterioris eſt, quia etiam in ſanguine nihil continetur eorum, quæ partem affectam complent: Nam ſanguis qui effluit, non eſt pars aliqua viſceris, nec profluit à parte affecta, nec continet aliquod ejus vitium, ergo nihil partis affectæ connotat.

DICES, nihil magis requiri ab hominibus ſive ægris ſive ſanis, quam ut Medicus ex inſpectione ſanguinis de conſtitutione viſcerum judicet; Et quæ aliàs eſſet ratio, quod tam in morbis quam certis anni temporibus ſanguinem mittamus, niſi ut

Medicus

Medicus de statu morbi & corporis tam præsenti quam futuro informet. Resp. ad primum, hanc esse hominum & indoctæ plebis stultitiam, ut cupiant sanguinem à Medico inspici & præmoneri, quibus casibus imposterum subjecti sint; quanta autem horum in petendo simplicitas, tanta est Medici in obtemperando fatuitas, nisi tamen ex communi usu longaque consuetudine id faciat, aut in consolationem petentis nullum in visceribus latere vitium affirmet; Nisi enim hoc faciat, jam exosus habetur & contemnitur, præstatque facere quod petitur, & omnia quæ in superficie & profunditate sanguinis sunt, in bonum sanitatis interpretari; tum ea suadere, quæ sanguinem mundificent, contemperent & à vitiis repurgent, quàm tacendo se suamque famam & fortunam negligere, præsertim apud eos, qui ad saniora persuaderi non possunt. Ad secundum Resp. non esse hanc rationem, sed quia is quantitate vel etiam qualitate peccat, vel ne aliqua vis morbi eum occupet, vel si jam morbum præexistentem foveat, effusione & sectione minuatur, adeòque dum aliquid causæ morbosæ tollitur, reliquum facilius digeratur & evincatur. Sed quid tandem in sanguine deprehenditur? Respondeo &

DICO 5. In sanguine nihil aliud deprehenditur præter substantias elementares cum qualitatibus primis & secundis, cruditas item & concoctio, tum substantia laudabilis & vitiosa. Probantur omnia cum ratione tum experientia: Nam imprimis sanguis corpus mixtum est, ergo continet materias elementares & qualitates quæ misto debentur, quod sensus etiam demonstrat: Nam in fundo reperimus & videmus materiam quandam terream sive humorem melancholicum; In summo tenuem & flavam quæ bilis est & igni respondet; in medio denique aeream & aqueam, quæ sanguis dicitur & phlegma; De qualitatibus sive primis sive secundis his nulla est aut controversia, quia sequuntur hæ materiam suam sive mistorum sive elementorum quorum sunt perfectiones, & percipimus sensu sanguinem calidiorem, tenuiorem, crassiorem, &c. similiter videmus in sanguine cruditatem vel concoctionem juxta caloris defectum vel excessum cum majori vel minori permistione humidi cum sicco; Nam debilis calor minus coquit perficitque sanguinem, nec humidum cum sicco benè permiscet. Denique reperimus in sanguine corruptelam & constitutionem vitiosam sive substantiam terrestrem & melancholicam, salsam, acrem, mordacem, adustam, atrabilariam, diffluam ob defectum humidi pinguis & aerei, malè coloratam, fœtidam & putrilaginosam. Ex his

Colligitur, in sanguine nihil reperiri præter substantiam & qualitates proprias, quibus ex vario genere ciborum & nativo temperamento imbuitur, sive etiam ad quas ex præsenti corporis statu, id est, ex variis causis extrinsecis & præternaturalibus inflectitur; cæterorum verò effectuum, ut quos nec formaliter nec eminenter contineat, haberi nihil.

DIFFICULTAS XI.

An flatus ad potentiæ coctricis actionem spectent, & quomodo producantur.

RAtio dubitandi est, quia cum frequenter hominem mirè fatigent, ejusque sanitatem vehementer infringant, videntur vel obtinere rationem morbi vel causæ morbosæ.

Adverte primò, per flatus vel intelligi ipsam partium internarum vellicationem & divulsionem, vel diminutam concoctionem, id est, effectum potentiæ coctricis sive actionem ejus læsam, vel denique substantiam vaporosam & halituosam ex materia tam alimentali quam excrementitia vi caloris productam, perque varios corporis ductus & cavitates oberrantem. Secundò, flatus in homine esse etiam effectum connaturalem potentiæ coctricis, quia etiam in homine sanissimo, dum anima coquit separatque humores, producuntur vapores & halitus absque ulla potentiæ coctricis læsione. Tertiò, flatus in homine tanquam microcosmo esse idem quod ventus in aere cavitatibusque terræ. Sicut enim venti, qui sunt exhalatio calida & sicca, è terra in ejus visceribus vi cœlorum producuntur, & propter raritatem in mediam aeris regionem attolluntur, indeque à frigore expulsi magno impetu resiliunt & obliquè propter renitentiam in subjectum aerem quem proinde vehementissimè agitant, feruntur; Ita similiter flatus in homine, qui halituosa sunt substantia, producuntur vi animæ ejusque instrumenti caloris ex ipsis humoribus tam alimentosis quam excrementitiis, variéque in omnes corporis partes & cavitates impelluntur. Jam Flatus quid

DICO 1. Si flatus primo modo considerentur, spectant ad morbum solutæ unitatis, quia vellicatio sive divulsio est morbus ad hoc genus pertinens. Si secundo, ad symptoma facultatis coctricis, quia sunt effectus sive læsio facultatis coctricis. Si denique tertiò, quemadmodum propriè solent accipi & possunt, habere rationem causæ, quia hoc modo considerati, dum per viscera oberrāt, ipsa divellunt & extendunt, & producunt non solùm morbū solutæ unitatis, sed etiam vitiosæ compositionis sive conformationis, &c. *Cæterùm* ut constet, quomodo & à qua causa producantur flatus, an semper à caloris defectu, sive is sit hominis & viscerum, sive alimentorum & humorum

morum corporis, & quibus in subjectis vel magis vel minus,

DICO 2. Flatus semper producuntur à calore debili & imminuto non tam qui est corporis quam qui alimentorum & humorum. Ratio est, quia flatus sunt propriè effectus malæ sive tolæ & imminutæ concoctionis, ergo debilis & imminuti caloris, corporis quidem, quia ipsius est coquere & separare; alimentorũ verò, quia dum cruda duræq; nimiũ digestionis sunt, coctioni resistunt & calori etiam intenso, qui assando potius in habitum & terram quam in sanguinem sive substantiam aliam quamcunq; corpori convenientem convertit. Nam sicut calor temperatus in materia digestibili juxtà corporis sanitatisque exigentiam laudabiliter coquit & separat; Ita excessivus adurit, exiccat & in cineres resolvit, exiguus autem & diminutus ex se incapax & insufficiens est, qui subjectum, videlicet alimentum & humores in convenientem corpori substantiam transmutet. *Quod si Dicas*, calor intensus & excessivus quamcunque materiam dum eam vehementer adurit & rarefacit, in meros vapores & exhalationes convertit, ergo hic potissimum conducit ad flatuum generationem, etiam ex quacunque materia. Resp. hujusmodi conversionem non esse flatus qui molestiam divulsione faciant & de quibus hic propriè disquiritur, sed raras quasdam substantias, quæ vel facilè evaporant vel seipsis subsideant & evanescant, ut sunt fuligines adustæ tertiæ concoctionis, quæ reclusæ graves sæpè generant morbos.

Unde producuntur.

DICO 3. Ut flatus homini molestiam pariant, non sufficit copiosa illorum in corpore generatio & præsentia, sed requiritur etiam peculiaris interna partium dispositio & compositio; Ratio est, quia flatus non faciunt passionem nisi in meatibus angustis locisque sensibilibus conclusi, ergo in corpore cum certis dispositionibus. Nam quibus interni viscerum pori & meatus undique sunt pervii, aperti & nullo phlegmate aut quavis alia substantia oppleti, ut humores, sanguis & spiritus liberè in omnem partem & juxta exigentiam corporis sanitatisque meare & remeare possint, nulla facilè flatuum, arenularum, calculorum aut alterius corporis molestia affliguntur, quia nullibi impediuntur, quò minus à potentia expultrice dimoveantur; Quicunque verò contrario modo se habent, contraria quoq; patiuntur, ergo ad flatuum generationem eorumque vel majorem vel minorem molestiam requiritur præter caloris & materiæ constitutionem peculiaris quoque corporis & singulorum membrorum dispositio sive compositio; ut proinde manifestum sit, nullis facilè flatibus subjectos esse, qui optima corporis constitutione valeant, esto etiam horũ generatione abundent, contrà verò, ubi vel minimus defectus in compositione partium & præsertim in raritate vel oppletione meatuum; Per hos autem quod notandum, intellige non tantum pervios & manifestos hypochondriorum, intestinorum & qui à renibus ad vesicam descendunt, sed etiam reliquos omnes qui toto corpore infiniti penè sunt omnemque nostrum sensum effugiunt, quique maximè in ventre inferiori ad multorum morborum & ad acerbissimorum dolorum sive passionum generationem faciunt, id quod vel maximè docet experientia, dum ex hujusmodi pororum & meatuum obstructione serosæ & flatuosæ substantiæ non tantum partes infernas, circà pubem, umbilicum, lumbos, &c. sed etiam supernas ad quas refundantur, mirè lancinant, divellunt & angustiant. Si

Unde flatus molestant.

QUÆRAS, an materia flatuum semper sit calida & sicca, vel etiam humida & frigida, & in quid tam intrà quam extrà corpus convertatur. Rx ad primum, participare de utroque, quamvis aliquando plus de uno quam de altero: sicut enim exhalationes quæ à vaporibus essentialiter differunt, nunquam solius terrenæ sunt substantiæ, sed utplurimùm sibi aqueam habent admixtam, ut Meteorologicis constat; Ita quoq; flatus juxtà dominium temperamenti sive complexionis & constitutionem materiæ è qua producuntur, vel magis ignei sunt vel aquei, &c. Rx. ad secundũ, qui aquam in aerem & terram in ignem converti dicunt, consequenter idem de flatibus asserere; negare verò qui contrarium docent, adeòque cum his dicendum, flatus secundum partes aqueas resolvi tandem in aquam, secundum terreas in terram, aereas in aerem, &c.

Flatus resolvuntur in terram, aquam, &c.

Colligitur, magnam esse differentiam flatuum, exhalationum & fuliginum in humano corpore & vel plus vel minus juxtà internorum viscerum & meatuum constitutionem, tum etiam juxta eorum cruditatem, raritatem, densitatem, calorem, frigus, &c. affligere.

DIFFICULTAS XII.

An homini certum morbi mortisq; genus à Medico prædici possit.

SEnsus difficultatis non concernit hominem in statu morboso & præternaturali constitutum, quia quid quantumq; Medicus de eventu morbi, de salute vel interitu præscire possit, ex hactenus dictis constat, sed in sano, in quo omnes actiones vitales laudabiliter exerceat; Nam reperiuntur qui cum Zingaris, Genethliacis & Chiromanticis indiscriminatim quibuscunque prædicere audent, quo genere morbi & mortis sint perituri, aut certè dum sanguinem inspiciunt, vel medicinam evacuantem cum successu porrigunt, morbũ periculosum & malignum, in specie etiam febrem petechialem aut similem quemcunque alium foras pulsasse, & nunc maturo consilio præsidioq; evanuisse, imprudenter & impudenter astantibus enarrant.

Adverte autem, in homine esse multa consideranda; videl. ætatem, sexum, conditionem vitæ,

vitæ, statum corporis naturalem, adventitium, debilem vel firmum, progenitore eorumque complexiones & quo morbo perierint, mores vivendi, consuetudines & inclinationes in hos aut illos errores committendos, passiones proprias, temperamentum & complexionem cum totius tum particularium viscerum, colorem, habitum corporis, actiones, &c. Jam

DICO 1. Potest homini non in totum naturaliter constituto probabiliter prædici, quo morbo sit periturus. Ratio est, quia in hujusmodi subjecto sunt dispositiones quæ cognitionem ad hanc potius quam aliam formam secuturam moveant. Dixi tamen imprimis probabiliter, quia Medico nullæ sunt certæ prædictiones de eventu morbi, cum etiam magna vis est symptomatum, multò minus cum vix morbus est in fieri; Dixi deinde non in totum naturaliter constituto, ut intelligatur status neuter, in quo corpus non est amplius integrum, sed tendit in morbum; sub hoc autem statu neutro intellige præter dispositiones quæ sunt ad morbum in fieri, constitutionem corporis debilem ab ortu, vitam valetudinariam, vitiosa viscera à parentibus contracta, consuetudinem & mores inordinatos vivendi & si quæ sunt similia.

DICO 2. Non potest homini naturaliter constituto prædici, quo genere morbi aut mortis sit periturus. Prob. 1. species aut genus morbi & mortis est accidens, habetque non repugnantiam fieri & non fieri antequam sit, ergo non potest homini prædici præsertim qui integri est corporis & temperamenti. 2. Morbus antequam sit, non habet in homine sano determinatam certamque causam, quam etiam sagacissimi ingenii Medicus præscire possit aut prævidere, ergo non potest prædici. 3. Incognita sunt Medico, quibus internis corporis dotibus, virtutibus & dispositionibus instructus sit homo, incognitæ etiam sunt omnes injuriæ & causæ, quæ extrinsecus accidere & corpus in morbum inflectere possint, ergo. 4. Etiam dispositiones ad morbum virtute corporis regitiva evinci possunt & dispelli, ergo multò magis perfectivæ conservari. 5. Corpus humanum in statu sano habet potentiam ad omnes morbos possibiles, ergo nequit illi genus aliquod certum prædici.

DICO 3. Potest tamen nihilominus homini etiam naturaliter constituto ex consuetudine & modo vivendi aliquod certũ genus morbi prædici. Sub modo vivendi intellige omnes errores qui in 6. rebus non naturalibus committuntur, tum inclinationes in hoc aut illud vitium, &c. Nam qui validioribus exercitiis utuntur, omnisque generis errores in cibo & potu, somnoque & vigilia committunt, quique passionib' animi nimium indulgent, hi corporis integritate gaudere diu non possunt, sed labuntur in eos morbos, in quos propriis affectibus nimiisque vivendi licentiis ducuntur. *Colligitur* autem, quicquid probabilitatis habet judicium prudenter & rationalis Medici, adhuc potest evenire contrarium, ut patet 1. ab imbecillitate judicii & intellectus humani, tum secretis cujusque naturæ individualis. 2. A viribus potentiæ regitivæ & conservativæ corporis, quæ omnibus modis conatur extrinsecus injurias à subjecto repellere ut illud conservet. 3. A variis intervenientibus, quæ rem judicatam immutare possunt & impedire. 4. Ab experientia, quæ docet quotidiè reperiri homines, quià primo ortu multisque annis valetudinarii & jam velut ad bustum cineresq; damnati ita reflorescunt, ut nunquam malè vixisse videantur.

DIFFICVLTAS XIII.

An Medicus in curando possit esse felix.

Digna est hæc quæstio, quæ paulò altius repetatur, & non tantum constet quid sit fortuna, quæ mirè sæpè Medicum immeritum promovet & extollit, sed etiam ut quisque intelligat, an & quomodo hic ipse in curando possit esse felix.

Adverte itaque primò, fatum quod casui & fortunæ cognatum est, & de quo veteres, præsertim verò Cicero lib. 1. de divin. versus finem multa fabulati sunt, dum evitabilem rerum seriem dixêre, vel pro causa aliqua inevitabili & inferente necessitatem ad agendum sumpsêre, apud nos Christianos sine periculo recipi posse, si sumamus pro dispositione causarum secundarum, quatenus divinæ providentiæ subordinantur, qua dispositione positâ causæ illæ infallibiliter operantur. Et hinc optimè [illegible]re potest, quod sit ordo causarum secundarum divinæ providentiæ decreta exequentium: *Fatum quid.*
Nam ex hoc intelligis, neque simpliciter esse naturale, neque simpliciter divinam providentiam, sed causas naturales quatenus dicunt habitudinem ad divinam providentiam cui subsunt, &c.

Adverte 2. nomine fortunæ comprehendi etiam casum si latè sumatur, & si pressius, [illegible] contradistingui: Definitur autem fortuna quod sit causa per accidens illorum effectuum qui ex electione propter finem neque utplurimùm, neque ut semper, sed rarò fiunt. Hæc definitio etiam convenit casui, si *ex electione* demas. Explicatur ex mente *Casus.*
Physicorum. Dicitur primò causa per accidens, efficiens scil. quippiam per se quod conjunctum est effectui fortuito, aut licet per se influat in effectum illum, per accidens tamen est conjungi passo causam; sic quamvis medicina per se curet ægrum, casu tamen id accidere dicitur, quia scil. Medicus casu & fortuito incidit in ægrum, cujus morbus erat à medicina vincibilis; Et poterat incidere in alium ægrum, cujus morbus fuisset pertinacissimus, adeòque medicinam & vires opprimens Medicum fecisset ingloriosum & odiosum; sic etiam lapis decidens

accidens per se quidem facit vulnus, casu tamen id accidere dicitur, quia lapis non intendit lapsu suo nisi ubi acquirere, per accidens autem erat corpus occurrens in medio quod lædi posset. Dicitur 2. effectuum eorum, qui neque ut plurimum neque ut semper sed rarò fiunt, intellige qui posita tali causa rarò fiunt: Nam si rarò fiant, quia rara illorum causa per se ponitur ut contingit in ecclypsi lunæ, non erit effectus casualis; Cur autem hi effectus rarò contingere debeant, ratio est, quia sunt præter intentionem Agentis naturalis sive rationalis. Dicitur 3. ab Agentibus propter finem, non quod effectus fortuitus sit ab agente partiali intentus, sed quod conjungatur cum alio affectu per se intento; Ex quo colligitur si datetur res quæ non ageret propter finem, neque casum fore neque fortunam. Dicitur 4. ex electione, ut distinguatur à casu, quia fortuna est agens rationale, casus naturale. Hinc itaque primum est, quod intelligi potest, casum habere locum in omnibus rebus, fortunam autem excepto Deo in omnibus Agentibus rationalibus. Secundum est, fortunam accipi hic pro causa respectu effectus, quia accidit effectui per se; Deinde fortunam esse causam per accidens, quia cum oriantur aliquando effectus improvisi, quorum causæ determinatæ non sunt, necessarium est ad causam per accidens, videlicet ad fortunam recurrere, præsertim si fiant ex electione, ut inventio thesauri à fodiente terram. Tertium est, si tales effectus oriantur ab agente rationis experte, tunc casus dicitur, quia est causa per accidens in ijs quæ libertate carent. Quartum, si effectus determinatas causas habeant, tunc dicuntur necessarii non fortuiti. Quintum, fatum non accipi pro causa inevitabili, & quæ inferat necessitatem ad agendum, quia tolleretur omnis libertas agentium naturalium, & necessitas divini concursus ad producendos effectus causarum secundarum, sed pro dispositione earundem causarum secundarum, quatenus divinæ providentiæ subordinantur, qua dispositione posita causæ illæ inevitabiliter operantur. His positis

Casus differt à fortuna.

Suppono, Medicum considerari posse dupliciter; primo ut in se præcisè spectatus in actu primo adhibet juxta artis præcepta & rationes probabiles medicinam. 2. prout hic & nunc ægro medicinam in actu 2. applicat. Jam

DICO primo, in Medico juxtà primum modum spectato non requiritur fortuna. prob. primo, causa per accidens nec cadit in medicum qui sanitati studet, nec in medicinam, quæ propter expellendum morbum applicatur; sed fortuna talis causa est, ergo nec cadit in medicum t. modo sumptum nec in medicinam, major vera est, minor probatur, quia medicus ex se intendit certum effectum producendum, quem etiam semper producit in actu primo, medicina autem est causa quæ in hunc & non in alium effectum ex se determinatur. prob. 2. quicquid medicus corpori affecto confert, id facit in ordine ad certum finem, quem semper intendit antequam fit, & quem etiam tam in actu primo quam in secundo, nisi aliunde impeditus consequitur; sed ad hoc non requiritur fortuna per se, quia illa est mera causa per accidens, ergo. 3. effectus per medicinam productus determinatur antequam fit, ergo ad eum producendum fortuna non requiritur.

DICES, sæpè fieri, ut is effectus, qui intenditur à medico, non sequatur, sed longè alius ac diversus; v.g. si æger purgandus sit per inferiora, non rarò contingit ut natura aliam viam quærat, omnemque morbi causam contra intentionem medici per vomitum, urinam &c. expellat, ergo ad eam curam requiritur fortuna. Resp. si medicus in actu secundo, id est, curando Socratem, non cōsequatur finem suum quem intendit, id fieri vel errore & ignorantia artis, vel defectu virtutis medicamenti, vel mediis tam internis quam externis omnem Agentis actionem vel causalitatem, in cujus virtute effectus sequi debebat, impedientibus, ubi nihil fortuitum aut casuale de quo hic sermo, assignari potest, sed effectus tantum per accidens & non per se & directè productus. Dixi per se, quia hoc modo nullam medicus requirit fortunam in effectu per medicinam producendo, cum hæc sit agens merè naturale agatque indifferenter & ubique in subjectum positis certis dispositionibus; per accidens autem fieri potest, ut is effectus, quem medicus intendit, felicissimè consequatur, qui aliàs virtutem agentis vel imperfectè, vel omninò præter intentionem medici non fuisset consecutus, v.g. purgandus Socrates non purgasset, nisi totus ira in servum deferbuisset, qua passione commoti humores supra & infrà rejecti fuēre, si præsertim vis purgantis & stimulantis medicinæ accesserit: Et hic effectus qui in gloriam medico cedit, est casualis tantum & per accidens ob diversa interni hominis dispositiones, quæ à tali causa jam prius ad hunc effectum erant determinatæ. Deinde fortuna, quæ hic intercedit, non accidit respectu medicamenti agentis sed patientis ejusque internarum dispositionem, aut certè alicujus accidentis quod casu & merè per accidens obvenit: Et hinc

DICO 2. potest medicus curando hic & nunc atque ita per accidens esse felix. Ratio est, quia multa inter curandum accidunt ægro partim præter intentionem medici, partim reluctante & renitente in plurimis naturâ, quæ proinde si fint ad sanitatem, commendant, si ad interitum, reprobant. Hoc ut per inductionem confirmetur, sunt imprimis ut plurimum incognitæ medico dispositiones materiales in diversis corporibus, quæ consistant in interna partium viscerumque formatione & complexione, juxtà quarum varietatem potentiæ ubique diversimodè operantur, sed & faciant ut

Quomodo medicus in curando possit esse felix.

 medi-

Medicina etiam ex lege artis & rationis præscripta & oblata offendat, alia verò omnium judicio damnata condncat, adeòque hæc indoctum extollat, & illa virum etiam commendatiſſimum repellat. Secundò, qui evictâ morbi pertinacia & cruditate ſupervenit ægro, ſemper plus facere judicatur, quam qui initio dum morbus adhuc incoctus & ferox eſſet, artem adhibuit; cujus ratio eſt, quià morbus poſt principium & augmentum, dum ſtatus ſpem promittit, ſponte ſuâ paulatim manſueſcit, ceditque dum nullæ etiam medicinæ niſi virium conſervativæ adhibentur, quod in principio non fiebat, ſed nec fieri poterat, quo caſu Medicus eximius doctrinâque inſignis ingloriua abit, alius autem qui vix obſtetricis filius, fert honorem. Tertiò, plurimum facit ad famam & fortunam Medici, ſi curandum habeat ægrum, cujus morbua aut non ſit ex ſe lethalis, etiamſi talis eſſe videatur, aut propter internas corporis diſpoſitiones & complexionis bonitatem, aut propter obedientiam ægri & aſtantium ſedulitatem facilè medicinis evincatur; è contra verò ad obulum tantum natus videtur ille, cui curandua obvenit homo amplæ multæq; familiæ, & in cujus interitum natura interna, morbuſque & cætera omnia conſpirant: Neque enim ea ſemper eſt efficacia medicinæ & virtus, ut omnem affectum evincere poſſit, neque is eſt omnis morbus, qui cuivis medicamento cedat, aut è corpore expelli ſe ſinat, niſi tamen aliqui ad perpetuitatem vitæ nati ſint. Quartò, magna nonnunquam eſt inter homines ſympathia, quâ potius in hunc quam in illnm medicum confidunt, cujuſmodi confidentia quid quantumque poſſit, nemo eſt, qui id neſciat, quippe quâ vehementer excitatur imaginario, ut etiam per eam ſolam futuræ ſanitatia cupidi in ſpem ſeſe erigant. Quintò deniqne accedit religio, amicitia, favor, humanitas, familiaritas, fama nominis & plura alia, quibus judicium ſuum formant mortales, & de re medica, naturâ hominis & affectuum quorum omnium nullam penitus habent cognitionem, veluti noctuæ cæcutientes temerè diſquirunt & judicant.

Non ſemper benè curat, qui feliciter curat. Colligitur, fortunam ſæpè accidere Medico non per ſe ſed per accidens: Neque enim ille ſemper benè curat, ſub cujus manibus æger mortem evadit, aut is malè, cui contrarium accidit, ſed qui omnia ſecundum legis & rationis præcepta adhibet.

DIFFICULTAS XIV.

An omnes morbi ſint curabiles.

Non eſt ſenſus quæſtionis de affectibus prout in diverſis individuis reperiuntur, quia conſtat in uno terminari ad ſalutem, in altero ad interitum; ſed ſenſus eſt prout ſecundum ſe ſuamque naturam conſiderantur, v.g. febris ungarica in ſe abſolutè ſpectata; Quamvis enim hæc aliquando terminatur cum interitu ægri, nihilominus tamen ex ſe ſuaque natura curabilis eſt, ut teſtatur experientia. Quæritur itaque an omnes morbi ab intrinſeco ita ſint conſtituti, ut arte medica ſive ea ſit in homine ſive in Angelo, poſſint è ſubjecto expelli, etiamſi de facto non ſemper expellantur, quia loquimur de morbi natura ſecundum ſe.

Suppono, alios morbos eſſe intemperiei, alios compoſitionis, alios ſolutæ unitatis, & alios denique totius ſubſtantiæ; Per curationem autem intelligi, vel ut corpus & quodvis ejus membrum, poſtquam convaluit, nihil amplius de morbo vel morboſa conſtitutione participet, ſed ſit naturaliter conſtitutum, v.g. qui febricitavit, ſit poſt evictam febrem in eadem corporis perfectione, in qua prius fuerat; vel ut corpus poſtquam ex morbo convaluit, maneat nihilominus morboſum, ut patet in podagrico, qui etiam poſt evictos dolores podagricos & abſumptam omnem materiam morboſam remanet nihilominus in conſtitutione præternaturali &c. Jam

DICO 1. omnes morbi intemperiei ſicut & totius ſubſtantiæ ſunt curabiles ſi ſecundum ſe ſpectentur. prob. 1. quia de facto curantur. 2. quia non ſuperant virtutem agentium naturalium, è quibus expellantur, ergo ſunt curabiles. Dixi ſi ſecundum ſe ſpectentur, quia quod fraequenter accidat contrarium, id ſit ex indiſpoſitione ſubjecti.

DICES 1. febris maligna recidiva ſemper terminatur ad interitum, ergo non eſt curabilis. Reſp. incertum eſſe, nunquid aliquando terminetur ad ſalutem; Quod ſi tamen id verum ſit, in debilitatem ſubjecti & non in ſolius morbi naturam referendum eſt.

DICES 2. Inter agens & paſſum ſemper debet eſſe aliqua proportio ut unum vincat & alterum vincatur; ſed talem proportionem ſæpè non habet corpus ægrum in ordine ad morbum vincendum, ergo non curabitur. Reſp. id fieri non ratione morbi ſecundum ſe abſolutè ſpectati; ſed corporis ejusque vitium.

DICES 3. Hectica tertii gradus eſt morbua intemperiei; ſed hæc eſt incurabilis, ergo. Reſp. neg. ſimpliciter minorem, quia multi imprimis tabe conſumpti teſtituuntur; deinde quia non ſunt omnia extrà latitudinem poſſibilitatis, quæ aut rarò aut nunquam ſiunt; per hoc enim non tollitur ipſis potentia ad actum. Quod autem de morbis intemperiei, idem de aliis qui totius vocantur ſubſtantiæ, intellige; Nam & hi reperiunt in corporibus ægris vires, quæ reſiſtedo vincant & medicinas, à qui-

à quibus vincintur; sed & naturale iis est ab agentibus physicis produci & corrumpi, introduci & expelli; crescere & evanescere, agere & pati &c.

DICO 2. etiam omnes morbi solutæ onitatis ex se sunt curabiles. Ratio in his eadem est quæ morborom intemperiei, quia ex se dicont non repugnantiam ad consolidationem & reunitionem partium inter se divisarum, sicut constat omnes partes divisas rursnm consolidari posse, etiam in senibus sive per medium homogeneum sive heterogeneum. Quod autem multa vulnera sint lethalia, id oritor ex incapacitate subjecti; Hioc si

DICAS, nunquam cor paulò gravius vulneratum curari, ut patet ex Fern. l. 5. de part. morbis & sympt. c. 12. & idem intellige de magnis vulneribus capitis, vesicæ &c. Resp. id non fieri ratione vulnerum, sed corporis & virium, quibus deficientibus æger ante coalitionem & reparationem vulneris animam agit.

DICO 3. morbi compositionis aliquando facilè tolluntur viribus naturalibus, aliquando difficulter, aliquando virtute Angelica, aliquando sola divina. Primum patet in levioribus obstructionibus, in tumoribus, tuberculis &c. alterum in luxatiooe, in duritie lienis, in scirrho epatis &c. tertium in iis affectibus, quorum cura iuperat vim, scientiam, & artem humanā qnoad modum, v. g. morbi maleficiis inflicti, pestis, convulsiones &c. ad quos abligendos & expellendos mille novit modos spiritus, cui omnium Herbarum, vegetabilium & mineralium virtotes sunt maximè cognitæ. Quartum denique & ultimum in corruptione & defectu organorum; Hæc enim in integrum restituere si corrupta sint, aut producere si deficiant, solius est potentiæ divinæ non Angelicæ, quia solus Deus novit organa primitus malè formata aut quovis modo defectuosa aut corrupta restituere atque ita disponere, ut anima per ea suas eliciat operationes, v. g. per oculos visum, per aures auditom, per nervos & musculos deambolationem.

DICES 1. potuit geoerans per virtutem formatricem ab initio prodocere omnia organa, ergo multò magis poterit anima vel Angelus jam organū aliquod vitiosum restitnere. Resp. neg. cons. & paritatem: Consistit autem disparitas in hoc, quod Generans in principio habebat subjectum capax, ex qoo per virtnrem naturalem formaret organa, & produceret formas substantiales partiales; hoc autem subjectū jam deficit, deficit & virtus formatrix, quæ post corpus formatum evanescit, ideoque vitiosum aliquod organum transformare, id est, corrumpere formam & figuram defectuosam aliamque introducere non humanæ non Angelicæ sed divioæ est potentiæ.

DICES 2. ex conclusione hac tertia sequitur, morbom articularem nodosum nulla arte naturali esse curabilem, quod tamen falsum esse norunt illi, qui podagricos multos quotannis curant. Ante Responsionem Adverte, in podagra curanda hæc tria occurrere, primò materiam excrementalem sive hæc in articulo ex alimenti ultimi superfluo congeratur, sive aliunde affluat; 2. dolores ipsos cum inflammatione, partiomque divulsione. 3. corroptionem articoli. Jam Respondeo &

DICO 4. præter veram & inveteratam lepram aliosque affectus qui ab organorum corruptione pendent, etiam morbos articularis pro tertia consideratione sumptus nulla arte naturali est curabilis. Quod materialiter curari possit, manifestum est, quia non implicat nec ex parte agentis nec ex parte materiæ sive humorum, qui variis mediis & præsidiis per sudationem, revulsionem, purgationem aliosque modos è corpore ejusque siogolis partibus evacuari possunt, quod medicorum quotidiana praxis & experientia docet. Quod etiam dolores leniantur & eliminentur, idem suadet quod prius, videlicet ipsa Medicorum praxis, experientia & ratio virium tam in medicamentis simplicibus quam compositis, quæ ab iis communi nomine anodyoa sive dolorum lenientia dicuntur. Quod autem corruptio articuli, quæ consistit in intemperie partium, erosione, distensione, dilatatione, dislocatione & corruptione substantiæ sola virtute divinâ restitui possit, prob. primo, quia ad hanc reparationem organi requiritur actio reproductiva, cui impar est omnis creatura, sufficiens autem solus Deus; prob. antec. quia in articulo podagrico non tantum qualitates sed & partes substantiales cum humido radicali corruptæ sunt, quæ omnia in integrum restituere non actionem humanam aut naturalem sed divinam & reproductivam requirunt: Neque Dicas, hoc de ultima corruptione & nodosa solnm podagra dicendom esse: quia reverà concernit & illos, qui levius adhuc à podagra affliguntor, quia eandem difficultatem etsi non omninò parem cernit, quisquis vires humanas & Angelicas per applicationem activorum ad passiva, & quales ad hanc restitotiooem actiones requiruntur, diligenter expendit. ergo ejus viribus morbus articularis sive podagricus restitui solum potest. Porb. 2. si morbus podagricus nodosus & inveteratus arte naturali curabilis esset, inventus fuisset hactenus aliquis Aesculapius, qui id commonstrasset; sed hoc falsum est, ergo & illud; quicquid enim industria & labor medicus unquam effecit, id in unam materiam eliminandam & dolorem mitigandum impendi potuit, in corruptelæ emendationem nihil, quantumvis quotidie multi ex omni quasi hominnm statu & conditione reperiantur, qui è secretorum scrinio velot è Jovis Cerebro medicamenta promittant, hic è Garamantis panacæam, ille ab Inferis spiritum, tertius à sole radium, quartus ab auro quintam essentiam, alius denique è Chymicorum aut potius è Carbonariorom fornaculis magisterium aut fumum doctoralem, quibus omnibus

Podagra an curabilis & quomodo.

Podagricus manet etiã morbosus, id est podagricus, quando absunt dolores cateraque podagricorũ symptomata.

dolores, cruciatus & ipsum morbum procul abigi posse scripto, voce dextráque temerè jurant & impudenter confirmant. Manet itaque in podagricis affectus ipse; dum etiam materia est exterminata & dolores omnes eliminati. De lepra inveterata aliisque symptomatis quæ ab organorum corruptione pendent, ut cæcitas, surditas &c. nemo controvertit, quia hanc corruptelam nemo hominum aut spirituum corrigere novit sed solus Deus, qui eam olim cum in his terris ambularet, tollendam sibi soli reservavit; Et hoc ipso confirmatur conclusio, quia Christus nullos alios affectus nisi naturaliter incurabiles sustulit, ut cæcitatem, surditatem, paralysin, sub qua reverà intelligendus est morbus articularis vel podagricus.

DICES, sæpè curantur podagrici, vel certè ipsum malum apud multos evanuit nec unquam rediit, ergo. Resp. curari tantum materialiter non formaliter, quod & ipsa natura corporis nullo adhibito medicamento facit: manet interim debilitas articuli & depravata ejus integritas nullo remedio naturali, oltra quod etiam Augeli nihil in viribus habent, restituenda. Verum est, quod multorum spontanea restitutio difficultatem faciat, quibus videl. multo tempore hoc malo afflictis evanuit nec unquam rediit. sed Resp. multa accidere in rebus humanis, quorum cognitionem non habemus, quia abscondita sunt nobis arcana individualis cujusque naturæ; vel certè dicendũ est, hujusmodi dolores podagricos fuisse tãtum spurios absque sufficienti jactura integritatis articuli, quam proinde humores excrementitii non penitius affecerint, & ipsa natura etiam paulatim se in totum restituerit, quod autem nec ejus nec ullius creaturæ opera fieri potest, ubi à notabili integritate recessit corpus.

DIFFICVLTAS XV.

Quis sit verus modus curandi.

TRes fuerunt hactenus in curandis morbis Medicorum sectæ, videl. empirica, methodica & dogmatica, & harum omnium Sectatores crediderunt Hippocratem scripsisse & docuisse id quod ipsi docent. De prima primus scripsit Acro teste Gal. l. de subfiguratione empyrica c. 10, quam secuti sunt Rhasis, Serapio & alii; Hi non quærebant causas, quia putabant esse incognoscibiles, sed solum eligebant media ab aliis inventa, atque ita experientia deceptoria & fallaci incedebant. In methodica præter multos vetustiores & antiquiores floruit quidam Thessus nomine temporibus Neronis, qui teste Plinio tantam æstimationem comparavit, ut in via Appiam ejus monumẽto legatur, ipsum fuisse victorem Medicorum: Hi præsumebant spatio 6. mensium posse totam artem medicam addisci, quia omnes morbos referebant ad communissima quædam principia, videl. ad laxum, ad strictum, & ex utroque mixtum, & in his quiescebant, neque putabant ad specificas morborum differentias esse descendendum, ideòque totam artem medicam à contrario desumebant. videl. ab astringentibus, à laxantibus & ex his mediis seu mixtis. In dogmatica demum Author Hipp. quem Galenus, Avic. & innumerabiles in hodiernum usque diem sequuntur, alio ingenii acumine alioque spiritu artem Medicam construxit; Nam hic quod & ejus sectatores faciunt, demonstrationes experientiæ conjunxit, & non solum generalissimas indicationes perpendit, sed etiam à generalissimis ad subalternas & ab his ad specificas differentias cognoscendas processit ex 1. meth. 1. & 2. meth. 7. His positis difficultas est, quis sit verus & legitimus modus seu methodus curandi & quid sit.

DICO 1. ad exercendam veram curandi methodum pertinet imprimis cognoscere morbum & partem affectam. Ratio est, quia aliàs frustrà applicantur remedia nisi prius cõstet, in quem finem & cui parti fiunt applicanda, ideòque etiam malè cum ægris agitur quorum affectus non cognoscuntur, quia videl. nec uni nec alteri occurritur. Adverte tamen hic, affectos quosdam esse occultos & à sensibus nostris remotos, & horum naturam licet ignoramus, sufficit tamen scire quod sint maligni & occulti, & quod certis quibusdam remediis longo usu & experientia vel observatione probatis repellantur. vel quod similitudinem & analogiam quandam cum aliis affectibus nobis cognitis habeant; sic enim superiori seculo, cum medici luem veneream ex Indiis allatam, non cognoscerent, nec aliquam in ea curanda experientiam haberent, desumpserunt similitudinem à scabie sicca vel elephantiasi cum qua videbant habere quandam analogiam, proindeque eam primis temporibus non aliter quam scabiem feram curabant, quousque paulatim & usus & experientia aliud quod melius, edocuit.

DICES, etiam causarum cognitione opus esse, ergo non solius affectus partisq; affectæ. Resp. duplices esse causas, alias remotas & antecedentes, alias proximas & conjunctas; hæ cognoscuntur cum morbi natura & essentia; illæ non semper necessariæ sunt, quia sæpè per modum transeuntis evanescunt, ut patet in febribus putridis quarum causa immediata & conjuncta est materia putrescens, remota verò multiplex, quarum frequentissimè cognitionem nullam habemus, sed nec ad curam medicam spectant.

DICO 2. post cognitum morbum & partem affectam format Medicus suos scopos vel indicationes curativas, quæ omnes desumuntur ab eo quod est contrarium affectui. Ratio est quia morbus non expellitur à simili, quo potius conservatur. ergo à cõtrario; est autem aliquid morbo contrarium 4. modis; 1 per se, ut cum febrientibus dantur refrigerantia, quæ calorem mitigant & temperant. 2. per accidẽs, ut cum iisdem febrientibus porriguntur sudorifera quæ calida sunt, apertis autẽ intrinsecus

poris

poris halitus incensos magis attenuant, resolvunt & per eosdem meatus sive sensibiliter sive insensibiliter evacuant. 3. propriè, ut cum Medicina in ipsum morbum dirigitur, quam etiam primò & per se expellendum respicit, ut astringentia in vulnus claudendum, refrigerantia in calorem præternaturalem corrumpendum. 4. impropriè, ut cum medicina non tam in morbum quam in ejus causam evacuandam datur, aut cum sordes ab ulceribus eluuntur &c. quamvis hic modi ultimi non multum à primis differant. Adverte, non satis esse quod Medicus secundum leges methodicas curando cognoscat morbum & partem affectam, & super his suas legitimas formet indicationes curativas, inveniatque præsidia quibus morbo resistat, nisi etiam omnes conditiones & circumstantias naturarum & affectuum in singulis ægris diligenter attendat, quia his variatis etiam semper varianda est ratio medendi: Unde autem hæ varietates dependeant, infrà dicetur.

DICO 3. post cognitos & formatos scopos curativos accedunt præsidia sive remedia. Ratio est, quia ex scopis sive indicationibus eruuntur remedia & ratio inveniendi ea, id quod unanimi consensu docent Medici practici ex Gal. 1. meth. c. 4. ubi docet, sermonem habendum esse de remediis quæ vera methodo & per indicationem inveniuntur; invenire enim methodo est per solam indicationem vel scopum curativum auxilia deprehendere; similiter 12. meth. 5. scribit, si alteratio in spiritu ab aliquo occulto fiat, negotium esse extrà methodum medendi, cum id non possit indicatione comparari, sed alio instrumento, videlicet vel experientia vel analogismo, id est, scopo curativo à similitudine desumpto. Confirmatur hoc totum vehementi dolore lateris pungitivo & capitis in Socrate v. g. febre continua, difficili respiratione, tussi valida, expuitione subcruenta &c. Nam cum Medicus per hæc signa & symptomata cognoscit affectum esse aliquam insignem inflammationem in pleura membrana intercostali ex affluxu sanguinis; hos sequentes rationabiliter sibi scopos & indicationes format, videlicet levem imprimis alui subductionem si non satis respondeat; 2. sanguinis influentis vel influxi revulsionem vel effusionem. 3. doloris lateralis mitigationem. 4. materiæ in pectore hærentis coctionem, & eductionem. 5. febris sive caloris p. n. suppressionem, si præsertim sit vehemens, & denique virium restaurationem. Positis hujusmodi indicationibus superest, ut Medicus remedia congrua omnibus circumstantiis & conditionibus corporis morbosi adaptata inveniat, v. g. per quid alvus leniter sit subducenda, quomodo sanguis revellendus vel evacuandus, dolor mitigandus, tussis sedanda, materia pectoris eoquenda & excreanda, calor temperandus, viresque restaurandæ: Hæc enim omnia ratio symptomatum, circumstantiæ & conditiones ægri docent, quæ Medicum in praxi exercitatum & in cognitione medicamentorum tam simplicium quam compositorum eorumque singulis virtutibus versatum nosse oportet.

DICO 4. Verus modus curativus seu methodus medendi nihil aliud est quam ars qua per indicationes inveniuntur remedia, quibus deperdita sanitas hominis restituitur: Methodum hanc profitentur Medici omnes rationales, quia est via quædam universalis per quam Medicus rationalis sive dogmaticus procedit, cum a statu morboso hominem in contrarium reducere intendit; Et hæc via nihil aliud est, quam transitus ab uno ad aliud v. g. à generalissimo ad genera subalterna & ab his ad species, unde Gal. 2. meth. 7. ait, progrediendum esse à primis indicationibus ad specificas, id quod in Petro febricitante liquet: Nam quod hic morbo laboret, hoc est genus generalissimum; quod autem febre laboret, id morbum calidum indicat, & ita progrediendum est à genere ad speciem, videlicet ab indicante ad indicationem, per quem progrediendi modum differunt dogmatici à methodicis & Empiricis; per artem intelligitur habitus quidam effectivus; per indicationem insinuatur ratio inveniendi remedia, ut constet dogmaticum curandi modum distingui ab empirico methodico: Ille autem indicatione nititur 1. meth. 4. & hic sola experientia vel alio instrumento ab indicatione diverso; sic constat Venenotum & occultarum qualitatum curationes esse extrà methodum curandi 12. meth. c. 5. per sanitatis restitutionem finis intelligitur, & quidem extrinsecus contradistinctus interno vel implicito, quæ est inventio præsidiorum juvantium.

Methodus curandi quid.

DIFFICULTAS XVI.

Quomodo similia similibus conserventur, & contraria contrariis curentur.

HÆc sunt duo principia & axiomata desumpta ex Aristotele adeòque certa, ut etiam nefas sit illi, qui ausit in dubium vocare: Nam quod imprimis similia similibus gaudeant, patet ex ipso lib. 1. de gen. c. 7. & ratio est, quia inter duo similia nulla potest dari actio, cessatque finis agentis, qui est assimilare sibi passum; patet etiam ex sect. 10. probl. 51. ubi cum rationem hujus inquireret, respondit esse hanc, quod nimirum jucunditatis beneficio cognata cognatis gaudeant eademque concupiscant, non verò præcisè propter alterius rei pulchritudinem, quia res pulchra non semper suavis, & suavis res semper pulchra esse videtur; quia igitur cognata sunt suavia, ideò cognatis gaudent &c. Similiter quod contraria cõtrariis expellantur, patet ex eodem Arist. l. de sens. & sensili, ubi ait cõtraria

 non

non posse esse in eodem subjecto: Ut itaque constet, quomodo apud Medicos corpus humanum ejusque sanitas à similibus conservetur & morbus à contrariis expellatur, hic paucis expllcandum est; Cum verò inter Galenicos & Chymicos non eadem sit opinio

Adverte primò, quosdam recentiores Chymicos docere, similium similia esse remedia; Et quia similitudinem non tam ad naturam quam ad morbum astringunt, ideò censent talia remedia esse naturæ adhibenda, quæ sint similia, id est, familiaria, ut iis roborata & confortata morbum possit evincere; Quin etiam respectu & morbi & causæ morbosæ docent similia remedia esse adhibenda; sic enim purgantia similitudine totius substantiæ viriosos humores trahere, & alterantia habere similitudinem cum parte cui applicantur, v.g. absinthium cum epate, flores borraginis cum corde &c. & morbos denique ex sale orros curari Medicinis ex salibus confictis, sulphureos sulphureis, mercuriales mercurialibus &c.

Adverte 2. similitudinem & contrarietatem, de quibus hic agunt Medici, in amplissima significatione accipi; Nam imprimis similitudo non tantum respicit qualitates in gradu & specie, quomodo calor ut 4. est similis calori in eadem intensione, color colori, sapor sapori, sonus sono &c. sed etiam substantiam, quomodo aqua similis est aquæ non vino, domus domui, paries parieti, magnus magno, parvus parvo, homo homini, canis cani, aer, cibus, potus naturæ Petri &c. Similiter contrarietas ad multa sive propriè sive impropriè sese extendit; Non enim qualitates tantum dicuntur contrariæ ut calor & frigus, color niger & albus, amaritudo & dulcedo, morbus & sanitas, sed etiam quantitas magna & parva, actio & passio, locus, situs, habitus, dispositio, antipathia & sympathia, causa & affectus, inanitio & repletio, malum & bonum, virtus & vitium, gaudium & tristitia, dolor & voluptas, scientia & ignorantia, Medicina & morbus, alimenta, potus, aer, motus, quies, sonus, vigilia, passiones animi & natura individualis Petri, Pauli &c. His positis

DICO primò, corpus humanum verè conservatur similibus. Est hæc conclusio tam Philosophorum quam Medicorum, & coincidit cum utroque axiomate, quo imprimis apud Arist. cit. dicitur simile agere in simile, & rursum simile simili gaudere, & prob. ab iis conservatur corpus humanum, à quibus non patitur actiones corruptivas, sed accipit perfectivas; sed hoc de similibus verum est, ergo ab iis conservatur; Major vera est, quia quæ corrumpunt hominem ut sunt contraria, non possunt eundem conservare quod fit per similia eorumque actiones perfectivas: Minor patet ex Arist. 1. de gen. c. 7. Nam quæ corpori similia sunt, cognata, amica, affinia, proportionata, non possunt in illud corruptivè agere, ut inter magnos hujus seculi Philosophos confirmat Soat. d. 18. met. s. 9. numero 7. ubi ait, hoc esse velut principium in Philosophia. Ut tamen exemplis constat quomodo corpus humanum conservetur similibus.

DICES, conservatur homo cibis frigidis & calidis, liquidis & crassis, aere frigido, humido, calido, potu vini, aquæ, cerevisiæ, somno longo & brevi, motu, quiete &c. inter quæ tamen & corpus ipsius nulla intercedit similitudo: similiter senes gaudent calidis & æstate, juvenes autem frigidis & hyeme, ubi tamen calida & æstas dissimilia sunt senibus natura frigidis & siccis, juvenibus autem constitutione calidis frigida & hyems. Adhæc non licet frigida adhibere corpori frigida aut calido calida ut patet in affectibus frigidis & calidis, quorum illi calida, hi frigida cupiunt, ergo falsum est corpus humanum conservari similibus. Resp. juxtà variam constitutionem & dispositionem corporis humani varia maximèque diversa esse media, quibus homo ipse ejusque vitalia, id est, humidum & calidum vitale in corde, Epate, ventriculo totoque supposito conservantur, sive illud fiat per se sive per accidens, quo modo veram legitimamque semper cum homine habent similitudinem, ut patet per sequentem inductionem exemplorum quæ objectio suggessit; Nam imprimis cibi frigidi, calidi, liquidi, crassi, aër, potus, somnus, motus, quies &c. conferunt homini ejusque sanitati, quia vel augent calorem remissum, vel minuunt intensum, foventque temperatum & conservant connaturalem viscerum complexionem, in quo similia sunt & cognata hominis naturæ. Deinde senes gaudent calidis quia frigidi sunt, & juvenes frigidis quia calidi, non tamen præcisè tanquam gratis & finitimis aut similibus suo frigori aut calori, sed ut ibi frigus tempe-rent & calorem marcescentem foveant, hic autem calorem nimium frænent & actionibus vitalibus accommodent, qua acceptione utrobique sunt similia toti, id est, homini. Denique non licet ideò frigida adhibere corpori frigido, & calida calido; quia oportet ut omnia fiant in ordine ad calorem vitalem & naturalem conservandum, quod non fieret si corpori frigido frigida adderentur, & calido calida, quia in hoc calor nimium, intenderetur, in illo corrumperetur, & in utroque pro vita protrahenda deficeret, ideoque nec frigus frigori, nec calor calori cognata fotent & familiaria. Quæcunque itaque sanitatem & vitam conservant, homini sunt familiaria & calori vitali similia, & contrà quæ sunt similia, conservant hominem ejusque vitam tuentur, sive id directè & per se, sive potius indirectè & per accidens faciant; Nam similitudo primo & per se respicit sanitatem, calorem vitalem & vitam. *Similitudo conservat naturam hominem ejusque complexionem, atque vitam.*

DICO 2. Verum est, quod contraria contrariis curentur. Ratio, quia hæc est natura contrariorum, ut se mutuò ex eodem subjecto expellant, ergo cum nō possit unum existere cum altero, signum est, quod expellendo se

ſe ex eodem ſubjecto transferant in alium ſtatum ſive ægrum ſive ſanum: Et confirm. quia veritas huius oſtenditur ex ipſa contrariorum notione, quâ contraria dicuntur, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ſe invicem expellunt. Et hinc quod ſequitur,.

DICO 3. omnes morbi curantur per contraria, licet præſidia & remedia aliquando ſint morbo contraria, aliquando cauſæ. prob. 1. quod videl. morbi curentur per contraria, quia indicationes quæ præcedunt curationẽ, fiunt à contrario, ergo & hoc. Antec. verum eſt, quia qui non curat morbum per ſcopos & indicationes, is ſine ordine & vera methodo curat. minor prob. quia res omnis à ſimili conſervatur, ergo ut morbus expellatur, debet habere ſuas iodicationes à coottrario. Deinde ut confirmetur cooclusio ab inductione, omnes morbi calidi curantur per frigida, & frigidi per calida, ſicci per humida & humidi per ſicca; ſimiliter repletio curatur per inanitionem, inanitio per repletionem, obſtructio per apertionem, dolor per eius lenitionem, humorum corruptio per evacuatiooem, ſanguinis ebullitio per extractionem, calculus per contritionem &c. prob. 2. quod nimirùm non tam morbi quàm cauſæ aliquando expellantur adeoque hæ per ſe, illi per accidens & mediatè, quia morbi qui dependentes ſuot ab aliqua cauſa immediata & coojuncta, non tolluntur niſi prius hac ſublatâ, ut patet io febre putrida in qua prius humorum & ſanguinis corruptio à qua pendet febris, eſt evacuanda, quam calor mitigandus, ſed nec mitigari poteſt quia eſt humorum putreſcibilium.

DICES primo, inter cauſam morboſam immediatam & medicinam evacuantem oulla eſt contrarietas, ergo cum morbus curatur & tollitur, non fit per contraria, ſive hoc fiat per ſe ſive per contraria; Antec. patet in Rhabarbaro v g. cui bilis putrida non eſt contraria, ſed nec febris. Reſp. ſufficere quod Rhabarbarum ſit corpori contraria, contrarietate in ampla ſignificatione ſumptâ: Dum enim id nauſeat & horret corpus, expellit bilem caoſamque morboſam per eam potentiam, cuius eſt ooxia expellere cum ſtimulatur. Et ut clarius intelligatur.

DICES 2. venæ ſectio nec eſt contraria cauſæ morboſæ oec morbo, ergo dum utrumque tollitur, non fit per contrarium. Reſp. quia in venæ ſectione conſideratur effuſio ſaoguinis ſive inanitio, ideò contraria eſt repletioni ab humoribus corruptis, quæ contrarietas ſufficit; Et hoc idem intellige de purgatione, in qua ſi conſideretùr miſtum purgans, eſt cootrarium corpori viventi, ſi evacuatio, pleoitudini. Sudoriferum in febribus morbisq; malignis ideò iis contrariatur, quia prolicit vapores & halitus malignos aduſtos, & cum iis morbum ſupprimit: Ex his cætera collige, v.g. morbos magnitudinis & numeri, quia curantur minoratione &c.

DICES 3. ſi morbus per contraria expellendus eſt, id vel maximè fieri debet per ſanitatem, quæ verè proprièque morbo contraria eſt; ſed hoc falſum eſt, ergo & illud. Mioor patet, quia ſanitas nihil agit in morbum, ergo noo expellit eum. Reſp. morbum ſemper curari & expelli formaliter ſi non effectivè per ſanitatem; ſi enim ſumatur genericè pro conſtitutione p. n. abſtrahendo à cauſis, conditionibus & circumſtantiis individuantibus, formaliter expellit ſanitatem; ſi verò ſpecificè & cum cauſis ſpecialibus, idem facit, ſi prius expunctæ hæ fuerint; quod autem nihil agat morbo exiſteote, ratio eſt, quia oon exiſtit dum morbus affligit, ideòq; nec in hunc nec in cauſam eius agere poteſt, ſuccedit autem immediatè dum abit ſubjectumq; informat.

DICES 4. febrili calori propriè cootrarium eſt frigus; ſed hoc ooo expellit ſemper calorem, imò frequenter magis intendit, ergo. Reſp. quod frigida noo expellant calorem febrilem aliquando ſed magis intendant, id fieri per accideos, quia videl. Impediunt eventilationem humorum & vaporum putridorum, faciuntq; obſtructiooes.

DICES 5. noo omnes morbi curantur, ergo non ſemper fit curatio per contrarium. Reſp. etiam eos morbos curari qui perimunt; quod autem naturæ dominentur, id merè eſt per accidens, quia medicina opponitur cauſæ morboſæ & morbo, agitque ſemper ad ſalutem iodividui.

DICES 6. ſola victus ratiooe curantur frequentiſſimè morbi quod idẽ de natura intellige; ſed nec natura nec victus ratio ſuot morbo contraria, ergo. Reſp. oeg. minorem, qoia imprimis victus ratio oppugnat morbum ejusque cauſam ſubducendo media non congrua vel admittendo ſalutaria & naturam roborantia; hæc autem ad ſui conſervationem fatalem ſemper utrique pugnam indicit, & vel pugnando perit vel vincit.

DICES 7. fluxus alui curatur purgantibus, quæ tamen non ſunt contraria, Reſp. purgantia non eſſe cootraria fluxui, ſed humoribus, quos dum evacuant, naturam ſiſtunt, præſertim ſi & ſimul aſtringant.

DICES 8. lateri dextro contrarium eſt ſiniſtrum, ergo dum hoc malè habet, per illud curandum eſt, quod tameo eſt ridiculoſum. Reſp. hìc agi ſolùm de cootrarietate phyſica, quam non habent invicem hæ duæ partes; Deinde ſi latus dextrum malè habeat, non curatur præcisè ut dextrum eſt, ſed quia hoc aut illo malo affligitur; Denique ſi in inflammatione lateris dextri aliquaodo fiat evacuatio ſanguinis ex parte ſiniſtra, fit ideò ut ſubtrahatur & revellatur materia, quod ad tollendum contrarium ſufficit.

Colligitur, ſicut ſimilia io conſervanda ſanitate reſpiciunt omoia media, quibus ipſa conſervatur; Ita etiam contraria morbum, ejus cauſam & ſanitatem; Nam medicina dum morbum ejusque cauſam expellit, utri-

poterit auferre? rerum itaque naturalium vires determinatæ sunt & distinctæ, & vis medica in pluribus est dispersa, neq; naturaliter uni medicamento concessum est omnia facere; hinc plantarum & reliquarum rerum naturalium usui medico dicatarum tanta est diversitas, ut singuli morbi sua peculiaria habeant remedia, quæ copia & varietas frustrà concessa esset à natura, si unico & universali medicamento omnia curari possent. 3. hæc medicina esset simul alimētosa & medicamētosa secundum eandem partē, quod absurdū est dicere, quia haberet vim magnam roborandi & simul humores evacuandi; Quod si 2. medicina illa generica & universalis alimentosa est, non facilè causis morbosis instar cuiusdam ignis resistet, quia alimentum ut sic non habet vim ullam sive manifestè sive occultè movendi, sed & spiritus vitales, & calorem conservandi & corpus nutriendi. 4. febris hectica requirit v. g. humectantia, refrigerantia & nutrientia; sed hanc ternam intentionem non continet aliqua panacæa, ergo. Nam cum hæc sit magnarum virium, & sese instar ignis habeat, hecticum potius ad marasmum quam ad virium robur deducet. 5. nullos hactenus effectus habuit aut ostendit hæc Chymicorum opinio, quamvis ubique multos pro innata dicacitate & superbientis animi ostentatione promittat, ergo hoc ipso vana est & falsa, cum præsertim nec rationem habeat nec experientiam; sed nec ipsi Authores, qui multum de sua hac medicina gloriantur, eam pro condigno satis explicant, nec in ea declaranda sibi unquam constant, in hoc solo pertinaces, quod studio certisq; de causis eam occultent, ne res tanta fiat adeò communi. Si dicant quod pauci sint qui mereantur huius tam præclaræ medicinæ effectum; Resp. imprimis iniquum esset tantum abscondere thesaurum, quo mortales adhuc multis annis superstites esse potuissent; Deinde plerunq; Chymici illi, qui medicinam hanc circumferunt, sunt homines dolosi, multi rudes & indocti, ut proinde mirum, eis à Deo datum esse donum illud inveniendi & cognoscendi rem tanti pretii, non autem viris illustribus, & in doctrina variisque scientiis excellentibus. Itaq;

Ad argumentum primum, quo volunt lapidem philosophorum ita roborare naturam, ut potens sit omnibus morbis resistere atq; ita & se & corpus suum conservare; Respondetur, vanissimum esse commentum ab aliquo misto, esto sit humido & calido refertissimum, sic posse hominem roborari & confortari, ut absq; ope alicuius medicamenti calorem exuperantem contemperet, nimium humorem absumat, siccitatem modificet, aquas hydropicorum educat, calculum in renibus & vesica concretum comminuat &c. quia hæc solius naturæ nostræ opera non sunt, ut apud ægros constat, qui in magnis affectibus constituti rarò ad se redeunt nisi medicinis adjuventur; Nec confortatio ejus per universalem medicinam quicquam convincit, quia præterquam quod nemo chymicorum unquā aut sciverit aut scripserit, in quo hæc confortatio consistat, aut quomodo fiat, etiam impossibilis est, quia in tanta humorum corruptione, sanguinis impuritate, complexionis eversione, ac primariorum viscerum depravata constitutione non potest aliqua medicina quantumvis sit nobilis & pretiosa, facilè aliquid operari, nisi prius in stomacho actuetur, transeatq; per venas ad epar, tum convertatur in sanguinem & in spiritum vitalem, quæ singulæ actiones non possunt in extrema corporis corruptela, viriumq; & caloris naturalis deperditione administrari: Et esto copiosus spiritus & nobilissimum humidum radicale producatur in corde, in quo utroque consistit vera confortatio, non tamen sufficiunt ad præstandum id quod spagirici sperant, quia spiritus facilè dissipantur, & nisi per continuam novamq; semper generationem cum humido radicali reparentur, vires denuò concidunt, & in antiquum relabuntur statum. Manet itaq; Chymicis & probandum & demonstrandum, dari ejusmodi medicinam, de qua hactenus multi multa scripserunt, neminem verò exhibuerunt, qui eius auxilio à statu morboso in sanum restitutus meritas ejus dignasq; laudes decantare potuerit.

Ad secundum resp. similitudinem claudicare, & esse argumentum Chymicis dignum. Quare autem Antimonium omnia metalla excepto auro, ut ipsi ajunt, consumat, ratio & causa est ejus vis ignea & efficacia insignis aliena corpora corrumpendi; aurum verò non facilè dissolvitur etiam in igne ob perfectam ejus humidi & calidi commistionem, quam juxtà philosophos inter omnia metalla obtinet. Et hanc quantò minus cætera metalla obtinent, tantò facilius ab antimonio dissolvuntur.

Ad tertium resp. neg. conseq. quare autem omnia venena ita hominibus noceant, alia longè est ratio, quam quod unica simplex medicina omnes morbos in homine depellat: Et hinc cum inter hæc duo nec sit ulla paritas, nec aliqua connexio aut analogia, meritò argumentū frigidum & edentulum dici potest.

Ad quartum resp. neg. conseq. quæ tantùm inter crudos Carbonarios excocta est: figmentum enim est, epar lupi affectibus omnibus epatis mederi, & os de corde cervi morbis cordialibus, quia præterquam quod diversi in his visceribus dentur affectus, multa multis asscribuntur, quæ tamen re ipsa vel sunt dubia vel falsa, & nemo credo erit, qui vorando etiam integrum epar lupi, aut unciam ossis de corde cervi ausit affirmare, se in utroq; viscere levamen aliquod sensisse adeòque in integrum vires recepisse.

DIFFI-

lis: febri tertianæ, ergo etiam quartanæ: pituitoso, ergo etiam bilioso; viro, ergo etiam fœminæ &c. Ex quibus omnibus liquet, conditiones & circumstantias in quolibet ægro diligenter esse examinandas, quia quælibet ex iis potest variare methodum & indicationes curandi ut patet per omnes discurrenti: Et colliguntur omnes hæ conditiones tam ex Hipp. quam Gal. & communi Medicorum schola. Nam Hipp. 1. aphor. 2. dicit, inspicere oportet regionem, anni tempus, ætatem, morbum &c. Galenus verò secundo ad Glauc. 2. proponit ætatem, tempus anni, regionem, præsentem statum, vires, habitum, consuetudinem, naturam ægrotantis; & c. 1. ibid. addit motes pulsuum, motiones, calores & colores; & l. artis medicæ proponit in quolibet affectu curando juvantia. In scholis denique habentur hæ conditiones carmine descriptæ, & ab Avic. 4. 1. Can. c. 3. desumptæ, Ars, ætas, regio, victus, complexio, forma, symptoma, mos, motus, repletio, tempus & usus; Et benè si numeres, figuram his addere debes.

DICO 3. si secreta non sint magnatum virium, iis uti licitum est, præsertim si aliorum remediorum nullus sit fructus aut neglectus, minus verò si contrario modo se habeant. Ratio est, quia huiusmodi secreta, dum nihil corpori ejusque sanitati recuperandæ prosunt, etiam non obsunt; ergo per te licet iisdem uti. Anteced. patet in unicornu, quod apud multos in pellendis venenis magnum est solatium; est enim hoc earum virium, ut si veneno non sit remedium, quod probabiliter multi judicant, in quacunque etiam dosi haustum non plus noceat quam cremor aut crystallus tartari in corpore sano, quod idem de margaritis & lapidibus pretiosis intellige, quorum ubique major est fides & usus quam effectus. Dici tamen si alia præsidia nihil operentur aut non negligantur, quia graviter errat Medicus, qui probata longoque usu experimentata remedia negligit, utiturque iis secretis, de quorum effectu & natura nullam habet cognitionem, adeoque ægrum in præsentissimum vitæ periculum præcipitat, quemadmodum in acutissimis morbis, ubi nec hora nec salutaris medicina negligenda est, sæpius fieri consuevit; Quod verò minus licitum sit uti secretis validioribus, à contrario sumitur argumentum, quia videl. incerti sumus de effectu bono, certi verò quod efficaciter in corpus agant.

Margaritæ quas virtutes habeant.

DICO 4. In desperatis casibus potest aliquando secretum licet minus tutò adhiberi, præsertim si constet experientia id aliquoties fuisse comprobatum. Ratio huius est, quia longus usus & observatio in aliquo medicamento vel secreto fidem facit homini, & recipitur ejus virtus pro eo quo legitimè in usum ægrotantium adhiberi potest. Quod verò nec semper nec tutò id fieri possit, ratio est, quia incertus est ejus effectus. & præstat desperatum præsagio medico relinquere, quam frustrà agonisanti remedia propinare, ne & Medicus & medicina potius quam morbus videantur occidisse, præsertim apud eiusmodi astantes, qui nec judicium habent, nec mortis periculum prævident. Dixi tamen in desperatis casibus, quia in casu dubio & ubi spes prævalet, hæc secreta non sunt licita, ne rem incertam & periculosam pro certa secura rationeque comprobata ægris imprudenter applicemus.

DICES, non sunt admittenda huiusmodi secreta juxtà conclusionem primam, ergo frustrà quæritur in quibus casibus administrari possint. Resp. non esse admittenda in ordine ad totam speciem omniaque eius individua, quibus propinata semper æqualiter operentur, conceditur; In ordine ad hic & nunc, negatur, quia multæ sunt rerum naturalium operationes casuales & contingentes, ideoq; paucis solùm peculiares.

Colligitur, dari secreta remedia, quæ à rationali medico sæpiùs comprobata habitô respectu circumstantiarum & dispositionum in diversis individuis ad expellendos morbos applicantur, non autem quæ contrario modo se habent.

DIFFICULTAS XIX.

Quinam errores, quæque artes malæ & illicitæ reperiantur apud quosdam Medicos practicos.

DE erroribus medicis extant insignes libelli, in quibus multa, quæ scitu & lectu digna, continentur; Et hæc cum brevitatis causa, tum quod non sint huius fori aut propositi, omittantur, quemque medicinæ studiosum & amantem ad eorundem diligentem lectionem invito: Hac præsenti difficultate dicentur solùm artes illæ, quæ hoc seculo apud diversos Medicos in usu sunt, & Authorem non Hippocratem aut Galenum aut alium quemvis virum bonum, sed falsum impostorem aut fucatum roseæ crucis fratrem, vel quod ausim dicere, nigrum aliquem Æsculapium habent; Nam tot tamque impudentes doctrinæ, quæ sub medicinæ laudatissimæ pallio se furtim tegunt, à variis tenebrionibus & circulatoribus inspergantur, ut nemò vir honestus doctusque sit, qui non ausit affirmare, eos Magistrum habere peregrinum aliquem spiritum, aut insignem reprobatæ Magiæ Professorem, aut nigrum Medæ instructorem. Et dolendum certè, medicinam, quæ ars & scientia laudatissima est, quæque rationabiliter & methodicè in usum hominis applicata mirè commendare potest & solet Medicum, ita denigrari, ut ea passim vel despectui habeatur, vel viri in ea excellentes ab insana medicastrorum fece, nisi fortè apud paucos internoscantur, cum plerunq; in pretio hi habeantur, illi autem negligantur vel despi-

deſpiciantur, cuius rei cauſam non invenio aliam quam ignorantiam & debile judicium hominum in re medica, quam omnes quidem ſcire præſumunt, ſed eâ nihil minus intelligunt, ut proinde meritò, dum medici ſunt, vitam negligant & ſanitatem.

Numerus impar in diebus criticis, pilulis &c. nullus eſt.

DICO primo, ad ſuperſtitionem pertinet impar numerus in diebus criticis, in annis climactericis, in menſibus ad partum ſpectantibus & in pilulis. Hanc concluſionem vide diſp. 2. huius l. diffic. 9. quia numerus ut ſic nihil operatur, & vel nihil rebus ſuperaddit, vel quantitas eſt, quo utroque modo ut conſtat non eſt operativus; hinc ſeptimus vel alius dies non facit criſin, ſed morboſus humor, qui juxtà inſitam propriamque naturam jam tardius jam celerius decoquitur & movetur. Annus Climactericus homini eandem ob cauſam ſolet eſſe lethalis, quia eſt periodus quædam naturalis, & humorum totiuſque complexionis ratio. Quare partus octimeſtris non ſoleat eſſe diu ſuperſtes, habetur ex Hipp. l. de partu octimeſtri; vide l. 1. diſp. 18. de actionibus fætus intrà matrem diffic. 15. Pilulæ impares authore Delr. l. 1. diſquiſ. magic. c. 4. q. 2. in medicinis ſicut & Heliotropii grana 3. pro tertiana, 4. pro quartana & alia hujusmodi malo exemplo ſervari ſolent; Neque enim pilulæ impari numero plus proſunt, ut fatentur præſtantes Medici quam pari, ſi æquali quantitate præbeantur: Ex quibus omnibus inferre licet, hunc imparitatis numerum continere ſuperſtitionis monumentum.

Senectus an arceri poſſit.

DICO 2. malis artibus annumeranda eſt Medicina, quæ ſenectutem arceri docet & promittit, ſed & juventutem reſtitui poſſe; utrumque probatur ex actionibus vitalibus, ex effectu caloris dum humidum depaſcit, invehitque in omnes partes corporis eam ſoliditatem, quæ à nullo agente naturali ad primum ſtatum reduci poſſit. Quod ſi tamen varia circulatorum non tantum pro morbis depellendis ſed etiam pro corpore ſemper integrè ſervando remedia declamitentur, ea cachinnis potius quam argumentis ſunt refutanda: Certè ſeveriſſimo judicio digna ſunt multa, quæ in volumine artium aut ſecretorum Alexius Pedemontanus impudenter proclamat, dum videl. l. 1. non ſolum aquam aut ſuccum promittit, quo homines ſemper inſtar Arteſii apud Cardanum venuſti, ſani robuſtique conſerventur, ſed & ſenectus impediatur: affirmat enim hoc ipſo ſenē ſeptuagenarium canis & morbis coopertum ita reviteſcere, ut tanquam ſerpens exuta leberide pro viro 36. annorum haberi poſſit; huic etiā aquæ ſi aurum ut vocant potabile miſceatur, vel ſi etiam ſola bibatur, promittit omnem morbum inſanabilem 7. dierum ſpatio ſanari poſſe; Petrus Maffeius in hiſtor. Ind. ſcribit, Indo cuidam nobili ſpatio trecentorum triginta & ſupra annorum quibus vixit, juventæ florem ter exaruiſſe & ter refloruiſſe; Quæ ſi vera ſunt, non in naturam ſed in opere Dei vel Dæmonis referenda ſunt, quæ utraque nihil naturæ præſcribunt; unde meritò Gal. l. 6. de ſanit. tuenda c. 3. audaciam cuiusdam exploſit, qui vitam immortalem hominibus eſt pollicitus, ubi etiam ſicut & in aliis ſuis tractatibus ſcribit, cuiusque viventis vitam habere determinatam durationis periodum, tandemque ad ſenium mortemque deſcendere, quod eorum corpora continuò exiccentur, quod etiam Ariſt. 5. de gen. c. 10. docet; Et ſanè cum vitæ noſtræ ratio in conjunctione animæ cum corpore conſiſtat, conjunctio autem iſta in debita corporis temperatione conſervetur, tota ratio durationis vitæ ex eadem corporis temperie & diſpoſitione petenda eſt. Vt ergò anima juxtà generalem omnium formarum conditionem in materia ſuſcipi non poteſt, niſi neceſſariis diſpoſitionibus opportunâque temperatione antecedentibus; ſic iis abolitis ſubſiſtere diutius in corpore nequit, præſertim ſi nativi caloris cum humido primogeneo copulatio tollatur ut videre eſt apud Daud. l. 1. de anima c. 33. & 34. Ex hinc Conn. 2. de gen. c. 10. q. 1. a. 3. ridet Chymicos, qui per aurum liquatum & potabile ſive per quintam aliquam ſubſtantiam promittunt, ſenectutem poſſe arceri, quod tamen in ſe ipſis efficere hactenus nunquam potuerunt.

Curare in diſtans.

DICO 3. ad ignem & furcam pertinent mille inuſitati meritoque viris bonis & doctis ſuſpecti modi, quibus medicaſtri beneficio certorum ſimplicium varios morbos propulſare ſpondent, & fatuis & ſtultis facere ſapientes, bonam ingerere memoriam, curare vulnera in diſtans unguento armario, infligere morbos & dolores abſenti, & ſi quæ ſunt id genus alia. Ratio eſt, quia hæc omnia non fiunt mediis naturalibus, nec eo modo quo naturæ opera fieri conſtat, ergo Cacodæmonis & magiæ nigræ ſuggeſta ſunt, ſpectantque ad ignem & furcam. Quod autem hæc non tantum à Zingaris, impoſtoribus & veneficis ſed etiam à quibusdam Medicis credantur fieri poſſe naturaliter, ſed & defendantur, patet ex Pedemontano, qui l. cit. pag. 70. verſione germanica D. Ioannis Iacobi Weckeri admirandam prorſus medicinam detegit, qua homines ſive à natura ſive ab arte venefica fatui & ſtulti ſapientes reddi poſſint; Et huic affine eſt, quod idem Author part. 2. pag. 57. tradit, ubi ad bonam homini memoriam faciendam ſiniſtrum pedem animalis cuiusdam certo alligari loco jubet, unde ſi quis pedem abſtulerit, memoriam ſimul alteri auferre neceſſum ſit. Sed bonum eſt, quod Author ipſe & in præfatione fateatur, ſe multa ab aniculis didiciſſe, & part. 5. pag. 35. dicat, artem ſuam optimam eſſe incertam & fallacem. Quid Georgius Molthetus Medicus de peregrino quodam urbem imperii Wetzflariam tranſeunte ſcribat, ex ipſo quisque intelliget; hunc enim ait fuiſſe fratrem roſeę crucis, & multiplici rerum ſcientia, verbis & factis admirabilem ſe præſtitiſſe, feciſſeque mira quædam & ſanè peregrina vi prorſus naturali. Ejusdem penè

fatuæ

farinæ est tractatus impressus typis Davidis Franci, sumptibus Stephani Michelspacheri, qui in scribitur Cabala, speculum artis & naturæ in alchimia: Cum verò author huius tractatus jam dudum suæ vanitatis sit convictus, Cabala etiam, quæ Iudæorum Philosophiam divinam, humanam & naturalem omniumque rerum doctrinam mysticè ac symbolicè continere fingitur, per se satis fateat ut videre est apud Peret. l.1. de mag. c.10. idcirco in enarrandis arcanis quæ hoc tractatu promittuntur & tractantur, libenter supersedebo. Vnum adhuc Corollarii loco

De mummia, adipe humani corporis partibus quid. Quæres, quid de mummia, sanguine, cranio, pinguedine aliisque partibus humanis, quæ in usum medicum adhiberi solent, judicandum sit. Resp. verum quidem esse, quod hæc omnia mixta sint & constent diversis virtutibus & qualitatibus, quibus varii quoque effectus in alienis corporibus produci possint, id quod apud Beslerum Medicum Norimbergensem est videre, & communis medicorum opinio docet, quando mummiam pro sistendo & solvendo sanguine adhibent, pinguedinem in leniendis doloribus, emolliendis tumoribus, in abigenda paralysi, cranium sicut & sanguinis adhoc calentis haustum in depellendis convulsionibus &c. Nihilominus tamen cùm incertum sit, quænam virtutes medicæ tam nobilis compositi partibus insint multa etiam alia tam è genere mineralium quam vegetabilium longo usu & experientia comprobata ad eosdem effectus eliciendos habeantur, damnatæque superstitiones falsitatis & vanitatis intercedant, ut patet de cranio, quod in suspenso ob radiearum adhuc balsamum melius & efficacius quam in naturaliter mortuo & sepulto fingitur; De pinguedine, quam impiè carnifices in humanum corpus sævientes tractant, multisque pecuniis venalem faciunt; De sanguine ebullieute hominis jam decollati, quod verum est Diaboli inventum &c. & quod caput rei est, damnati spiritus eorumque ministri plerisq; suis inventis partes humani corporis addere soleant, iisque ad horrenda sua facinora ubique impiè in despectum humani generis abutantur; meritò omnium virorum bonorum calculo omnes hæ medicinæ, quas animus honestus semper horrere deberet, ab humanis usibus, quicquid etiam nonnulli dicant Medici, excludendæ & proscribendæ sunt, præsertim cum hactenus nemo de peculiaribus earum affectibus multum gloriari ausus fuerit. Quid autem sit mummia, videantur passim Medici & imprimis Schröderus Medicus Francofurt. l.5. pharm. medic. chym. classe; de animalibus, ubi ad longum partes humani corporis pro variis ut ipse ait, affectibus depellendis coquit, destillat, calcinat &c.

DIFFICVLTAS XX.

An morbi per magiam producti possint mediis naturalibus curari.

QVod Diabolus plurimum hominibus nocere & morbos inferre possit, extra controversiam est; Et patet hoc non tantum experientia quotidiana, sed etiam confessione multorum magorum, & veneficarum, authoritate doctorum virorum ut Ioan. Langii l.1. Ep. media. c.28. Wier. l.3. de præst. Dæm. c.18. Valesii s. phil. c.28. Delr. disquis. magic. l.3. p.1. q.4. s.5. & 6. Et constat hoc idem ex sacris litteris ut Iob. 2. ubi habetur Diabolum percussisse Iobum ulcere pessimo, & 1. reg. 16. n.14. ubi idem spiritus divexavit Saulum per atram bilem. Quomodo autem malus spiritus homini morbos inferat, non semper æquè facilè est determinare; quamvis enim illi facile sit humores commovere, spiritus perturbare, meatus & poros cutis obserare, ignota venena instillare, atque ita omnis generis morbos ad intemperiem & genus totius substantiæ spectantes inferre; nobis tamen non æquè facilè est modum, quo hæc faciat, cognoscere, præsertim verò dum pilos, clavos, vitri fragmenta, cultros integros &c. in corpus humanum infert, id quod frequentissimè facere, & miseros homines crudelissimè affligere solet. Verisimile tamen est, posse primò Dæmonem ut testatur Delr. cit. s. 6. alto sopore hominem ejusque sensus ligare, tum membra sine dolore incidere, illisq; materiam allatam imponere, ac demum occultis medicamentis iterum consolidare, ut nulla cicatrix aut vestigium remaneat. 2. posse eundem res solidas comminuere, & rursum applicatione activorum ad passiva intra viscera reunire, 3. demum, posse occultos corporis meatus insensibiliter adeò distendere, ut talis materia facilè aliquo istorum modorum per virtutem huius mille artificis inferatur; Et quamvis hoc ultimum videatur improbare Delr. cit. probabile tamen est id fieri posse; Nam qui consideraverit quam vehementer Diabolus corpora dilatare & distendere in energumenis possit, ut testantur illi qui viderunt id suismet oculis, non mirabitur, meatus corporis ad unum vel alterum palmum dilatari. Huius rei habemus exemplum apud doctissimum Florimundum Ræmondum Regis Galliarum in curia Bordegalensi Consiliarium, qui l.2. de orig. hæres. c.12. n.3. testatur, Iuvenculam quandã Nicolaam Obril nomine, Veruini non procul Laudano natam anno 1565. à Beelzebub cum 29. aliis Dæmonibus obsessam tanta vehementia diaboli fuisse distensam, ut cum illi ab Episcopo Laudunensi sacra hostia supponeretur, venter ad instar dolii inflaretur, & propius adstantes etiã fundum stomachi conspicere possent;

Quomodo Diabolus possit morbos inferre homini.

linguâ quoque ad pedis longitudinem exsertâ & oculis scintillantibus adeò præsentes perculisse, ut nemo penè tam terrificū aspectum ferre posset; Insuper tanta vi in altum elatam, ut 12. aut 15. fortissimi viri eam vix retinerent; Deniq; cū virtute augustissimi SS. acherontieus hic hostis cedere cogeretur, edito prius ingenti fumo, quem horribiles fragores & tonitrua, ululatus & flamma sulphurea templi fastigiū complente insequebātur, 8. Februarii qui fuerat dies veneris, attestante Cornelio Gemma Lovaniensi regioque medicinæ professore, qui eandem historiam fusius descripsit, excessisse; Et huius spectaculi beneficio ait ipse Florimundus se ad Ecclesiam Catholicam rediisse, eò quod hoc in tam suo quam multorum millium conspectu contigisset. His positis difficultas est, an si affectus aliquis per spiritum malignum aut veneficum ope dæmonis hominem obsideat, is naturalibus remediis expelli possit, an verò necessum sit uti mediis superstitiosis & quæ ab eodem spiritu maligno proveniant.

DICO 1. potest Diabolus eiusmodi morbos occultas inferre homini, qui nulla arte medica valeant curari. Prob. quia facilè illi est instillare venena ignota, atq; ita tegere ut lentè operentur, vel infringere vim medicamentorum, vel si permittat illa operari, noxā quotidiè reparare, interrumpere vias spirituum & humorum aliisq; mille modis nocere; sed hoc modo nunquam poterunt hi affectus arte medica curari, ergo opera Diaboli. Confirm. experientiâ quotidianâ, qua homines miserè torqueri, tandemq; beneficio alicuius veneficæ vel superstitiosi remedii rejectis è corpore pilis, clavis, vitri ferriq; fragmentis cōvalescere. Vide quę Delr. cit s. 5. & 6. ex Spreng. Corn. gemma aliisq; notatu dignissima narrant.

DICO 2. possunt etiam Dæmones curare morbos omnes, qui mediis naturalibus curari possunt, & omnes qui à suo actuali nocumento dependent: Ita Less. de Iure & Iust. l. 2. c. 44. Et ratio est, quia facilè est Diabolo occultos succos & species medicas præstantissimas adhibere; facilè est etiā ei humores putridos à bonis separare & è corpore protrudere; facilè item eâ adhibere, quæ intemperiem viscerum corrigant, obstructiones tollant, omnem materiam noxiam & morbosam expellant, vulnera perfectè occludant & cicatricem inducant &c. quia nimirùm exactè & perfectè novit morbi naturam, essentiam & causam tum partes ipsas affectas. Et hic notent omnes diligenter, meritò paracelsistas & impiam quorundam tenebrionum turbam, quæ sibi roseæ crucis titulum paucis abhinc annis impiè arrogavit, cuivis prudenti ob magiam debere esse suspectam, quod promittant curationes morborum hactenus incurabilium, & quibus nullus antehac Machaon, Hipp. vel Galenus potuerit esse sufficiens, quis videl. nigrum habent Æsculapium in Magistrum.

Non licet curare morbos superstitiosè.

DICO 3. non licet curare morbos ritu & modo superstitioso. Ita sentit tota Ecclesia Catholica, omnesq; ejus Theologi; Et ratio est, quia omnium huiusmodi rituum est Author Diabolus, quibuscum etiam specialiter concurrit & operatur quod media absq; certis ritibus & ceremoniis superstitiosis adhibita operari non poterant: sunt autem ritus, modi & ceremoniæ superstitiosæ tam variæ, ut indies à singulis maleficis multiplicentur; formulæ etiam multæ sunt, ut videre est apud Delr. l. 3. p. 2. q 4. s 8. quarum una est, si sancta Maria virgo puerum Iesum verè peperit, liberetur homo vel animal hac passione in nomine patris &c. altera, Christus fuit natus, Christus fuit amissus, Christus fuit inventus, ipse benedicat & consignet hæc vulnera in nomine &c. tertia, ego adjuro vos vermes per omnipotentem Deum, ut hæc domus vel hic locus nobis sit tam detestabilis, quam Deo est vir ille, qui falsam sententiam protulit & novit justam, in nomine patris &c.

Morbi maleficio illati curantur etiam mediis naturalibus.

DICO 4. etiam morbi maleficio vel divinitus illati possunt remediis naturalibus curari. Ita Cæsalp. de investig. Dæmon. c. 22. & sequent. Cotronchus 2. de morbis venef. & alii. Prob. 1. ejusdem naturæ & essentiæ est morbus à Deo vel Dæmone illatus cum eo qui à causis naturalibus tollitur, ergo & ille. major prob. in peste, quæ sive à Deo in homines puniendos immutatur sive maleficio Dæmonis procuretur, semper ejusdem naturæ est, cujus est illa, quæ ex variis elementorum concursibus & actionibus producitur. Quod autem una sicut & altera curetur, manifestum est, quia agentia naturalia, quæ in pestem expugnandam ex se ordinata sunt, semper uniformiter diffoimiter agunt, nec determinantur ad effectus suos eliciendos à causis & agentibus illis à quibus pestis producitur; Nam eodem modo curatur pestis, sive à certo astrorum influxu, sive à contagio, sive ab aëre infecto, sive ab interna humorum & sanguinis corruptione oriatur. Prob. 2. solent Dæmones inferre morbos hominibus obstruendo vias & meatus, commovendo & immittendo varios humores intrà corpus eosdemq; tam in ventriculo quam in venis cæterisq; cavitatibus putrefaciendo: sed hæc omnia solvi & è corpore mediis naturalibus educi possunt, ergo morbi per Dæmonem illati mediis naturalibus curari possunt. 3. medicamenta vomitoria, balnea tepida & suffumigationes sunt media naturalia; sed his sæpè pelluntur morbi dęmoniaci ergo mediis naturalibus. major vera est, minorem docet Cæsalp Cotronchus & alii, videl. his aliisq; medicinis naturalibus corrigi & evacuari humores corruptos, maximè autem bilem atram, in qua Dæmones sæpius residere solent: Nam hic humor quia amarus, tristis & turbulentus, sedes & subjectum est Dæmonum ut ait Cotronchus. qui ad eum expellendum commendat folia senæ, elleborum, lapidem lazuli & alia. 4. fugatur Dęmon mediis naturalib⁹, ut cōmunis est magnorū virorū sententia & doctrina. ergo etiam morbi ab eo inflicti. Ant. est Vales. s. phil. c. 28.

Ra-

Raphaëlis de la torre q. 96. a. 2. d. 12. & aliorum; Et patet ex illo Tobiæ 6. ubi legitur epar piscis super prunas assum fugasse Asmodæum, qui 7. viros Saræ enecaverat: Et Daniel 14. in præsentia Regis Babylonis Dæmonem qui Draconi inerat, fugavit occiditq; bestiam massâ confectâ ex pice, adipe & pilis. Quod si dicas, hæc non fuisse purè naturalia sed intervenisse vim & virtutem divinam, constat fumum ex rebus fœtidis, ut cornibus, ungulis, stercore caprino, assa fœtida &c. fugare Dæmones naturaliter, quia videl. non ferunt hanc sibi injuriam fieri, ideoque fugere malunt quam pati hoc genus ludibrii. Similiter certum est, spiritus malignos repelli per multas res naturales, ex quarum præsentia recordantur eorum quæ nescire mallent: sic enim horrent rutam, quia hæc signum est amaritudinis Christi in cruce; sic sulphure pelluntur, ut docet Avic. Fen. 1. tract. 1. l. 1. quia hoc in inferno torquentur. 5. Dæmones quando morbos maleficio inflictos pellunt, adhibent res purè naturales; ergo certum est, eos absolutè rebus naturalibus posse abigi. 6. morbi multi maleficio inflicti cessant per amotionem signorum maleficii quæ ex pacto Magus adhibet, ut quamdiu illa fiut appensa vel lateant, Dæmon etiam malum continuet: sed hæc naturalia sunt, ergo. Antec. constat quotidiana experientia, & habetur ex Spreng. in malleo p. 2. c. 1. Cæsalph. c. 17. Ronsæo in meditationibus venatoriis c. 50.

DIFFICULTAS XXI.

Quomodo differat cura naturalis & miraculosa.

QVi negat, morbos periculosos sæpè miraculosè curari, is indignus est, qui hujusmodi curam, cum eget, experiatur: Est autem arduũ & difficile judicare, an, si adhibitis medicinis affectus aliquis gravis & periculosus præter spem expellatur, id virtuti divinæ vel naturæ ipsius ægri, solertiæ Medici & remediis naturalibus sit asscribendum: Nam quicquid dixeris, fortè injuriam vel Deo vel naturæ feceris. Cæterùm sicut cura naturalis est vel actio vel effectus à causis naturalibus modo & ordine naturæ consueto productus; ita è contra miraculosa est effectus omnem vim naturæ exuperans. Et hinc ut propriè constet, quid sit miraculum,

Miraculũ quid. DICO 1. miraculum est effectus rarus arduus & admirabilis præter naturæ ordinem virtute solius causæ primæ productus. Ita Delr. l. 2. disquis. magic. q. 7. Dicitur primo effectus, quia est id quod sequitur causam efficientem; Dicitur 2. rarus, arduus, quia est divinæ potentiæ, ad quam propriè spectat, & vocatur ideò miraculum, quia admiratione plenum est. Dicitur 3. virtute causæ primæ productus, quia verum & proprium miraculum soli Deo debetur, ex quo etiam differt ab aliis affectibus, qui rari, insoliti & mirabiles, fiuntque præter naturæ ordinem, non tamen habent rationem veri miraculi, quia fiunt à creaturis, intrà quarum virtutes limitatas etiã comprehenduntur; sic spiritus faciunt multa miranda, quæ tamen non sunt vera miracula, quia non superant vim creatam; Et hinc nec Angeli nec sancti ex se ullum facere possunt miraculum, possunt autem virtute Dei,

DICES, si Deus hominem v. g. liberaret sua virtute à febre malignâ, esset miraculum; sed hic effectus non est rarus, ergo malè definitur miraculum. Resp. esse effectum rarum & insolitum quoad modum, non quoad rem: Quamvis enim secundum se non sit rarus, quia etiam à natura licet non cum iisdem circumstantiis fieri potest; Est tamen quoad modum, quia fit concurrente solo Deo, & quidem eo modo, quo vires omnis naturæ superat. Adverte, miraculum duplex esse, aliud quod simpliciter à Deo sic fieri solet, ut simi- *Miraculũ quotuplex.* lis effectus à nulla creatura fieri possit, v. g. in instanti mutare lignum in aurum, serpentem, excitare mortuum &c. aliud quod etiam simpliciter est miraculum, ita tamen ut similis effectus etiam à creatura fieri possit, ut restitutio sanitatis possibilis, quæ proinde differt à priori quoad modum, quia hic naturalis est, ille autem supernaturalis. Dixi tamen possibilis, quia si sanitas non sit possibilis, ut visus in cæco, vel ubi nullæ sunt dispositiones ad sanitatem naturaliter possibilem, simpliciter est miraculum à solo Deo & quoad rem & quoad modum fiendum. Et hinc dividunt Theologi miraculum contra naturam, supra & præter naturam primum ajunt esse, quando aliquid contra inclinationem & propensionem naturalem evenit ut dum aqua ascendit absq; artificio, homo in sublime fertur, mentes dimoventur &c. suprà naturam est, cum effectus à nulla creatura fieri potest, ut mortui resuscitatio. Præter naturam est, quando effectus est extrà ordinem naturæ, ut dum quis subitò à gravi morbo citrà ullam humorum decoctionem aut eductionem liberatur. Hæc divisio licet bona sit, magis tamen approbatur quæ sequitur, quia videtur captui nostro & modo intelligendi conformior. Nam Deus vel operatur miraculum nullis mediantibus causis naturalibus, & operatur id quod per eas nequaquam fieri potest, vel operatur quod per eas etiam fieri quidem potest, non tamen operatur per ipsas, vel operatur quidem per eas, non tamen ad operandum dispositas; vel denique operatur per eas etiam dispositas, nõ tamen proximè ad agendum, quæ omnia sequentibus exemplis clarius elucescunt. Nam primus & supremus miraculorum gradus est, quando à solo Deo immediatè fiunt, ad quæ etiam nulla causa secunda concurrere potest nisi in tantum à DEO elevetur, ut est mortui resuscitatio. Secundus est eorum, quæ quidem fieri possunt mediis causis naturalibus, à Deo tamen ejusq; sanctis alio modo

per virtutem superiorem fiant, ut patet in leprosis, paralyricis &c. quos Christus sanavit. Tertius eorum, quæ fiunt quidem à mediis naturalibus, sed Deo ad ejusmodi effectus disponente, atque ita eorum virtutem augente, ut cum sancti curant morbos lethales & incurabiles. Quartus denique eorum, quæ per media naturalia fiunt etiam disposita ad agendum, non fiunt tamen nisi Deo peculiariter volente, atque ita cum effectu concurrente, ut quando quis alium globo percutiendum quærit, & ex incuria Deo puniente se transverberat, quia globus & sclopetus causa naturalis est & ad occidendum disposita, peculiariter tamen Deo jubente & volente ab innocenti in nocentem immissa. Et hæc omnia sunt miracula vel minora vel majora, non respectu Dei, apud quem nullus effectus est difficilis aut rarus sed respectu nostri, qui miracula ex defectu & imbecillitate nostræ naturæ ad hunc modum metiri solemus. Iam quod colligitur.

Respectu Dei nullum est miracul.

DICO 2. curatio naturalis differt à miraculosa in hoc, quod illa fiat virtus naturæ, hæc Dei; patet ex dictis & vi verborum; Nam ideò dicitur altera naturalis, quia fit viribus naturæ, & altera miraculosa, quia superat omnem virtutem humanam & creatam. Est autem facilè colligere, an aliquis effectus sit naturæ vel Deo adscribendus, quia si ita superat vires naturæ, ut à causis materialibus omninò fieri non possit, si non quoad rem saltem quoad modum, Deo soli adscribendus est, proinde judicium stabit penes prudentem Medicum ut examinet an curatio juxtà leges & ordinem causarum naturalium processerit, & si videat effectum non superare vim naturæ, an hic contineatur intrà vires conditionis humanæ, an verò extendat se ad potentiam creaturæ superioris, Nam certum est potentiam spirituũ sive bonorum sive malorum longè excedere vires humanas, ideoque ab iis talia fieri posse, quæ nos tantoperè admiramur; Et licet miracula non sint, pro talibus tamen sæpè habemus eo quod nostrum & captum & ingenium superent, & quod nesciamus quousque se hujusmodi nobilissimarum creaturarum facultates extendant; Talia sunt si videamus integros montes de loco in locum transferri, nova flumina oriri, hominem in sublime ferri ibiq; detineri &c. Hæc enim omnia non superant vim superiorum spirituum, qui cum sint creaturæ nobilissimis potentiis prædiræ, omnium facilè rerũ naturalium cognitionē habent & noverunt applicare activa ad passiva. Si

Quæras, an miraculum sit, si Deus supplendo effectum creaturæ aliquid operetur, v. g. si curet ægrum, quem aliàs virtus naturalis curare poterat, subtrahendo saltem ab hac suum concursum naturalem. Resp. si Deus modum eundem observet in producendis rebus naturalibus, quem aliàs causæ naturales observare solent, non esse miraculum, sed esse actionem, qua suppleat Deus effectum causarum secundarum, & hujusmodi effectus sunt productiones rerum & formarum materialium; si verò Deus non observet eum modum, sed absque dispositionibus & alterationibus præcedentibus in instanti producat tales effectus, v.g. Evam ex costa Adami, vinum ex aqua, ex virga serpentem, inter miracula numerandi sunt.

Productio rerum à Deo non est miraculum quia observatur modus naturalis.

DIFFICVLTAS XXII.

An morbi curentur vel inferantur sola voce, afflatu, incantatione, visu, contactu &c.

SVnt & his superstitionibus non pauci dediti qui credunt posse multos morbos & vulnera non tantum sanari sed etiam inferri per solum contactum, ut cum Rex Galliç strumas tangendo pellit; per vocem ut cum parentes filiis maledicunt; per visum ut cum vetulæ parvulis aspiciendo noxam inferunt; per afflatum ut cum impii quidam vel osculo vel afflatu cum morbos tum vulnera sanare cupiunt; per incantationem ut cum aniculæ verbis quibusdam prolatis & bestias & homines à morbis liberare vel eosdem inferre sibi præsumunt.

DICO 1. solo contactu non sanantur morbi aut vulnera; sub contactu intellige etiam afflatum, sibilum &c. Prob. 1. tactui nulla vis alia inest, quam ut aliud quippiam tangat, ergo malè adscribitur illi vis sanativa. 2. si tactui inesset aliqua vis vel salutaris vel noxia, esset potius talis in proprio quam in alieno corpore; sed hoc falsum est ergo & illud. 3. sequitur, quod omnes indifferenter vel sanaret vel læderet contrà experientiam; Nulla enim est ratio quare non æqualiter in omnes ageret quos tangit, cum tactus sit agens naturale, neque sit in potestate tangentis quos vellet aut nollet curare & lædere. 4. si per solum tactum possent morbi curari, natura non adeò laborasset in aliis rebus & remediis inveniendis, cũ hæc sint difficillima, mod° a. ille curandi facillimus: Et hinc sequitur tactũ per se nihil aliud præstare quam observare qualitates tactiles.

Tactui nulla vis inest sanativa.

DICES 1. torpedo piscatoris manum torpefacit, umbra hyænç canes obmutescere facit, fides lupinæ agninis junctæ dissiliunt, ergo contactui non est deroganda aliqua vis aut morbum aut sanitatem inferendi, Resp. neg. conseq. Exempla allata in quandam antipathiam vel symp. naturalem transferenda sunt, vel in causas, de quibus alibi,

DICES 2. cum Pomponatio l. de incantatione c. 3. sicut in herbis aliisque rebus inveniuntur virtutes sanativæ, ita etiam tales homini denegari non possunt, Resp. neg. paritatem & similitudinem, quia qualitates sanativę nō reperiuntur in tactu hominis, sicut in herbis aliisq; rebus mixtis: Est n. donũ sanandi in homine aliquid supernaturale & gratiæ gratis data à Deo, ut habet S. Paulus 1. Cor. 12. v. 9. Et tale

tale donum habeot Sancti & Amici Dei, Regesque Franciæ à tempore S. Remigii Episcopi ob oleum cælitus huic ad inaugurandos reges missum. Et similem virtutem experimur in aliis etiam rebus inanimatis, ut aquâ benedictâ, imaginibus, nummismatis &c. quibus vis illa per benedictionem divinam impressa est.

DICES 3. aniculæ sæpè curant periculosos & desperatos morbos solis quibusdam sibilis & afflatibus ergo. Resp. anteced. falsum esse; Quod si tamen fiat, intercedere pactum cum Diabolo.

DICES 4. contactu multi morbi ioferuntur, ergo etiam curantur. Resp. neg. conseq. quia non est par ratio, hominii morbum inferre, eumque denuò depellere; Nam plura requiruntur ad sanitatem reducendam quam ad morbum infligendum, quia malum est ex quovis defectu, bonum autem ex integra causa; Deinde contagio fit tali afflatu, per quam ingeruntur simul pessimæ qualitates, in curatione autem per contactum observantur varii ritus & ceremoniæ superstitiosæ, quibus nulla vis inest agendi qoippiam per se.

Vox sola non curat.

DICO 2 per solam vocem nolla ægritudo est curanda; probatio peti potest ab iis quæ de verbis nudis patent; Et confirmatur, quia vox nihil operatur in eum qui audit, oisi quatenus ratione soni vel significationis verborum alterat audieorem aliquando lætitia, aliquando tristitia propter rem significatam. Neque dicas quod Magi aliquando mira insusurratis vel recitatis carminibus; præstent; quia fiunt hæc ex pacto cum Diabolo: Quod verò parentum execrationes in filios non semper sint irritæ, ratio est, qoia vel id contingit propter sensitivas aliquas alterationes, quæ ejusmodi execrationes sequuntur, & filiorum viscera commovent, vel propter justam divinæ majestatis iram, impiam liberorum vitam vindicantis.

Cur maledictiones aliquando non sint irritæ.

DIFFICVLTAS XXIII.

Quid verba & characteres ad sanitatem conferant.

DOctrina Galenicorum est, morbos solum medicinis ex vegetabilibus, animalibus & mineralibus per indicationem contrariorum desumptis curari. Paracelsus autem l. 1. phil. sagacis c. 6. & l. de occult. phil. tit. de characteribus asserit, omnes morbos, qui aliis remediis sunt incurabiles, verbis & characteribus curari posse: Huic consentiunt Aëtius l. 8. c. 5. Trallianus, Arabes, ferè omnes, Cabalistæ, recentiores Rabini, Agrippa, Pomponatius, Grilandus, Goclenius & alii. Non est tamen una omnium senteotia, & opinio, quia Paracelsus putat parum interesse, sive opera Dæmonum intercedat, sive alia vis naturalis. Alii solis inhærent experimentis & credunt omnia per ea fieri quæ ipsi applicant non solliciti de iis quæ oon vident. Alii ut Ficinus l. de vita studiosorum, Pomponatius, Grilandus & alii, cùm magicis nugis nimium sint addicti, facilè soperstitiosa multa pro naturalibus receperunt. Vt itaque constet qoid de utrisq; sit sentiendum,

DICO primo, nulla verba sive ore prolata sive scripto comprehensa vim habeot naturalem morbos curandi. Prob. 1. verba ex natura sua nihil significant, sed tantum ex instituto, conventione & pacto, ergo. Prob. antec. si verba ex natura sua aliquid significarent, ab omnibus intelligereotur, nec esset opus tanta linguarum varietate; Itaq; verba animi sensa declarant & præter hoc nihil aliud, nec ullã vim habent oec quicquam operantur, quia omne principium operationis quo corpora alterantur, qualitas est & potentia naturalis, & res per qualitates tantum sunt efficaces, proinde vox in audientem nihil potest operari nisi per accidens ratione soni vel significatioois verborum alterantis audientem. 2. verba ore prolata vim habent tantum contactu aërem feriendi per sonum, ergo cum ad sanationem corporis requiratur ut sensus tactus immutetur, cui verborum sonus æquè improportionatus est ac color auditui, sola verborum prolatio nihil conducet. Et idem prob. 3. de verbo scripto, quia hoc mortuum est, nullamq; prorsus vim habet nisi ab atramento vel carta cui inscriptum est. Si

Nulla verba vim habent producendi sanitatem vel morbos.

DICAS primo cum Pomponatio, verbis primo & per se auditum immutari, tum animum & tactum, v. g. in Oratoribus & Musicis, Resp. oratores non movere nudis verbis sed pondere sententiarum & rationum momentis; Nam si proponerent verba nihil significantia vel in lingua incognita, ut sunt incantatorum, nunquam animos moverent; similiter in musica oblectat ipsa concentus suavitas & harmonica modulatio, cui nihil est simile in stultis magorum susurris ac sibilis. Si dicat Pomponatius, id fieri per fidem vehementem incantatoris & iocantati; Respondetur, hoc ipso denegare eum vim omnem verbis, sicut certum est curationis eventum noo è characteribus aut carminibus provenire sed ex vi animi confidentis. Constat enim tantam esse vim animi nostri, ut si quid sibi suaserit honesti & in eo firmiter perseveraverit, idipsum potenter operetur, modo alterius in quem agit, animum non habeat contrarium ac diffidentem, ut patet in medico & ægro; Quamvis enim hic nihil in animum aut corpus ægrotantis operetur per nuda verba prolata, quia tamen sua præsentia confidentiam addit ægro, ideò humores eius alterat & passiones in animo excitat, qood experientia multoties comprobat, dũ affectus etiã periculosissimi præsentia desideratorum curantur.

Oratores quomodo verbis moveant.

Medici præsentia multum sæpè valet in curatione.

DICES 2. cum Cabalistis, miram esse literis & syllabis cum corporibus cælestibus & mentibus hominum sympathiæ connexionem. Resp. hoc absolutè falsum esse apud viros doctos, nisi fortè Caballistæ id à Dæmonẽ sint edocti; qui semper est mendacissimus, neque ab ullo mortalium cogi potest ut veritatem nisi sponte & lubens dicat.

DICES 3. constare quod quædam preces Magorum aliorumque hominum multa possint vel propter linguæ dignitatem vel quia continent res sanctas. Resp. hoc esse commentum Diaboli, ut sanctissimis quibusque rebus facilius & lubentius faciat suos abuti, qua in re Deus nullam gratiam supernaturalem concedit, sicut facit cum aliis precibus sanctis quæ in bonum finem licitè & non superstitiosè aut ex conventione Diaboli applicantur; Nam licet hæc sint verba pia & sancta, non sunt tamen ad huiusmodi effectus instituta; Et sic dignè impostor ille apud Delr. l. 3. q. 4. s. 2. qui vulnera recitatis consecrationis verbis sanabat, ut Magus combustus fuit, quia videl. operante peculiariter Dæmone hæc sacra verba contra fidem ad alium sensum impiè transtulit: Et huc pertinent omnia, quæ similiter ad curandos alios affectus adhibentur. Itaque cum hic nec rei sanctæ significatio, nec linguæ dignitas, nec probitas hominis instituentis ullam qualitatem physicam operativam vocabulis possint imprimere, manifestum est, eorum opera nihil fieri sed ex alio principio, Dæmone scilicet peculiariter concurrente.

DICES 4. cum Paracelso, magnam vim inesse verbis incognitis. Resp. id etiam absolutè falsum esse, verum autem quod Iamblichus cap. de div. nomin. Porphyrio quærenti cur Magi utantur verbis quibusdam nihil significantibus, respondit, omnia scil. ejusmodi nomina significare aliquid apud Divos sive Dæmones; hi enim olim suis cultoribus indicarunt, quibus verbis, signis & imaginibus coli & invocari vellent, atq; ita ex pacto valent: Hinc si aliqua eorum efficacia deprehendatur, ea non verbis ut sic debetur, sed verbis ex pacto ejus qui primò eam disciplinam à Diabolo accepit; unde accidit sæpè, ut iis qui talia verba & conjurationes legunt, licet non intelligant quid significent, Diabolus tamen ex pacto adsit, cuius rei vide Exempla apud Delr. & alios.

Non convenit legere conjurationum verba etiã illi qui non intelligit.

DICO 2. Characteribus & figuris ratione dimensionis sive quantatis nulla vis inest morbos curandi: sub characteribus & figuris intellige annulos, sigilla & imagines. Probationem huius conclusionis vide disp. 3. diffic. 9. huius libri.

Characteres nullam habēt vim

DICES primo, constare experientia, quod homo plus delectetur hac quam illa figura, hoc quam illo charactere, imò res aliquando est magis operativa sub hac quàm sub illa figura, ergo figuræ & characteres valent in multis operationibus. Resp. id non fieri præcisè ob hanc aut illam figuram, sed quia alia comitantur accidentia aut qualitates, ob quas certus & determinatus effectus sequatur; sic homo plus amat pulchram quam turpem & monstrosam figuram.

DICES 2. cum Paracelsistis, individua cum incipiunt esse sub determinata constellatione, accipere quandam mirabilem facultatem operandi vel patiendi præter eam quam habent à specie, ergo characteres non sunt contemnendi. Resp. neg. antec. quia gemmæ & lapides non incipiunt esse quando iis asinus aut vitulus insculpitur, sed quando in visceribus terræ gignuntur fiuntque perfectum mistum, ergo quales vires non habuerunt tunc, nec habebunt jam. Deinde occulta sympathia & antipathia est inter substantias, quia in sigillis est materia & character, quorum nec illa vim habet operandi ut patet, nec hic quia fit ab artifice qui nihil nisi figuram addit: Adhæc constat gemmas habere suas vires sub quacunque forma & figura, id est, sive insculpta sit forma asini sive leonis, sive etiam nulla: Nec denique à cælo veniunt huiusmodi vires, quia prorsus nulla est ratio, quare cælitus descendat aliqua virtus & influat in gemmam, quando illi scorpius, asinus, mulus, aut Dæmon insculpitur, quia si cæli vim aliquam communicant sublunaribus, faciunt id in eorum generatione naturali & non in figuratione artificiali. De amuletis & periaptis eadem intellige.

Quando gemmæ accipiant virtutem.

DICES 3. talia sæpè fieri absque Dæmonum invocatione & conjuratione aliisq; modis illicitis, sed naturaliter, ergo. Resp. neg. simpliciter antec. licet enim nullum pactum explicitum intercedat, intercedit tamen implicitum, agnoscitque semper Diabolus istas quasi thesseras suis quondam cultoribus semel propositas & promissas. Itaque meritò suspectæ sunt omnes curationes morborum, in quibus nec miraculum nec naturæ & artificii solertia intercedit, quando videl. nullæ res naturales vel supernaturales adhibentur sed solum verba in secreto vel palam prolata, tactus, afflatus vel quid simile, quæ nullam vim habent naturalem sanandi: similiter suspectæ sunt orationes omnes, quæ ad alium effectum producendum adhibentur, quam sint institutæ, quod idem de exorcismis & conjurationibus intellige, quia hæ non ad morbos sed ad Dæmones ab hominibus expellendos in Ecclesia Catholica institutæ sunt. Adhæc damnantur orationes piæ, in quibus aliquid continetur extraneum vel incognitum signum, ut patet in variis schedulis & ligaturis, quia semper continent aliquod signum extraneũ vel characterem vel nomen quod non tendit in bonum finem: Et admiscere semper solet Dæmon aliquid, quo fiduciam in homine ergà se confirmet. Denique suspecta sunt omnia illa, in quibus etiam adhibentur res naturales, quando ad id ad quod adhibentur, nullam vim habere dignoscitur, ut ad fascinationem hanc aut illam herbam, aut dentem lupi argento inclusum ad facilem dentationem parvulorum, vel amuleta ex arsenico ad formam cordis efformatam contrà pestem &c.

Pactum expl. & impl.

Orationes piæ quando non sunt licitæ.

DIFFI-

DIFFICULTAS XXIV.

An medico necessaria sit cognitio physica, anatomica & astrologica.

SUppono primo, etiam vocari medicum, qui omnis generis morbos quocunque modo depellere solet, cujusmodi sunt Empyrici, obstetrices, circumforanei, & quicunque manum curandi applicant, 2. necessitatem aliquando in se absolutè spectari, aliquando ad melius esse. 3. quæstionem non esse tam de perfecta quam de aliquali & congrua cognitione.

DICO primo, physica, quæ est scientia rerum naturalium, absolutè ad medicum rationalem & methodicum spectat. Ratio est, quia medicus in contemplando corpore humano ejusque dispositionibus, in perscrutandis causis earumque effectis, in acquirendis remediis eorumque debita applicatione debet habere cognitionem & combinationem rerum naturalium, quod propriè ad physicum spectat: Et hinc natum est illud, ubi physicus desinit, ibi incipit medicus, quod axioma eum sensum habet, ut idem medicus, dum hominem ejusque constitutionem cum natura remediorum ut physicus contemplatus fuit, jam manus medicas applicet, & quæ p.n. in individuum irruerunt, debitè repellat. Dixi tamen ad medicum rationalem & methodicum, ut excludantur Empirici, quique tantum ex usu & experientia certis remediis assueti absque cognitione essentiæ morbi, partis affectæ & omnium circumstantiarum, quæ ad verum usum medicum sive medicinam determinant, indiscriminatim ea in omni morbo, ætate, sexu &c. ægris porrigunt: Et hinc apparet etiam differentia inter medicum, qui rerum naturalium cognitioni tum contemplationi animæ stieæ multum incumbit, & eum qui syllogisticæ disciplinæ vix Auditor ad artem medicam properat & indocto medicastrorum gregi sive numero sese associat. Et parum est, feliciùs aliquando operari manum empyricam quam rationalem, & ubi omnia maturo consilio & judicio ponderantur; Quia non semper metiendus est effectus ex institutione operantis, dum videlicet frequenter evenit per accidens, quod à prudentibus nec sperari nec prævideri poterat; Et hujusmodi affectibus, quisquis se committit aut subjicit, extrà jactum aleæ nunquam est, suoque malo expectandum haber id, quod sæpè remederi vel nunquam vel difficulter potest: Nam non semper bene curat, qui feliciter curat, de quo etiam alibi.

DICO 2. Cognitio anatomica multum in medico prodest, sed non simpliciter est necessaria. Per cognitionem anatomicam non intelligitur semper ea quam ex professo hactenus exercuerunt & adhuc exercent Vesalius, Laurentius, Spigelius, Harvæus, Parisanus, Primirosius & alii, sed sufficit confusa, & quæ habetur ex situ & connexione primariorum viscerum. Jam prob. primum, quia nisi medicus habeat cognitionem interni hominis, & sciat eam singularum partium situationem sive mutuum dependentiam, non potest habere cognitionem morbi, multò minus partis affectæ, adeòque nec remedia pro eo depellendo applicate. prob. secundum, quia sufficit confusa & imperfecta anatomiæ cognitio, ergo altera quam ex professo multi pertractant, absolutè necessaria non est. Antec, prob. quia imprimis plerique medicorum etiam præclarissimorum non habent eam scientiam & cognitionem anatomicam; Deinde quia ad medicinam sive alterativam sive motivam ejusque operationem non prærequiritur ejusmodi cognitio. Denique quia ita incertè sunt ipsi Anatomici in quamplurimis suis administrationibus, ut infensivas sibi mutuo tam partium quam operationum intendant lites, ut ex eorũ scriptis & opinionibus est videre.

DICO 3. Astrologia sive pro cognitione motus syderum sive pro eorundem effectibus accepta, non est medico necessaria. Hæc conclusio patet ex disp. qual. occult. & præserrim de cælorum influentiis, ubi constat, quid quantumque astra in hæc inferiora operantur; Et confirmatur, quia præterquam quod astra sint efficacia in hæc inferiora multumque faciant ad producendos morbos per suas influentias quas Elementis & corporibus humanis imprimunt, nihil tamen ipsa Astrologia medicinæ patrocinatur, quia non determinatur hæc à tempore aut ab astrorum influxu sive certa positione, cum & ægritudo & ejus remedia sint agentia naturalia, quæ tam in essendo quam in operando à superiorum concursu non impediuntur, sicut lapis quo minus descendat, aut ignis quo minus urat; Et esto, morbum sæpè ex syderum latione variaque constitutione moveri, quod ultro conceditur; hujus tamen nulla omninò in Astrologis datur præcognitio, ut proinde ad tam exactam syderum scientiam quam illi venditant, necessariò non sit medicus astringendus.

DIFFICULTAS XXV.

An peccatum sit Medico, si lunæ quadris porrigat homini sive sano sive ægro medicinam.

SCiu hic non iri sed curri, nullâ etiam factâ consideratione in affirmativam: Communis enim est opinio non tam vulgi quam Medicorum, non licere vel plenâ vel novâ luna, vel etiam reliquis duabus quadris, exceptâ tamen summâ necessitate de qua hic sermo non est, homini porrigere medicinam ideò, quod experientia doceat, eo tempore

lunam propter peculiares influentias & virtutem quam in hæc inferiora mittit, magis efficere, & non tam morbum intendere quam sanitatem minuere, si medicina porrigatur.

Adverte primo, sermonem esse de medicinis tam moventibus quam alterantibus. 2. per quadraturas intelligi posse ipsum punctum quo luna lumen suum vel medium vel totum in accretione acquirit, vel in decretione perdit, & ipsum diem naturalem, quo sol tum hæmisphærium nostrum illuminat, & hæc sive accretio sive decretio accidit. His positis

Dare licet medicinā alterativā in luna quadris. DICO primo, Medicina alterativa, quæ solum ad excessum alicujus qualitatis corrigendum vel etiam ad vires roborandas adhibetur, non habet determinatos lunæ dies quibus prohibeatur; Ratio est, quia non movet aut turbat humores aut vellicat viscera, ideòque nec minuit vires ex se, sed tantum modificat aut reducit qualitatem excessus, ideòque potius est ad conservationem quam ad corruptionem. Dicoex se, quia si effectus alius qui non est ex intentione, sequatur, is merè est per accidens.

DICES primò, non semper convenit dare medicinam ullam ægro, ergo nec alterativam, ergo & hæc determinatum habet tempus & locum. Resp. Quare non conveniat aliquando dare medicinam, etiam alterativam, causam non esse diei aut horæ certæ ut sic delectum, sed quia tum alia impedimenta interveniunt, ut purgatio, somnus, quies, cibatio &c. Deinde sermo est de die integro, non de ejus hac vel alia quavis hora.

DICES 2. nunquam est alteratio absque motu, sed est ipse motus, ergo omnis medicina est motiva. Resp. hunc motum esse intentionis & remissionis in qualitatibus, non lationis in substantia: Quod si autem talis sequatur, est per accidens.

DICES 3. etiam medicina alterativa est ad corruptionem, scilicet qualitatis, & motiva ad conservationem, quia in hunc finem purgat ægrum Medicus, ut ejus sanitatem sive perditam & amissam restituat, sive præsentem adhuc & in via ad perditionem conservet. Resp. quamvis utraque sit ad conservationem & corruptionem, unam tamen dici conservativam, quia est ad tuendas vires & qualitates connaturales, esto alicujus excessum infringat & temperet; alteram verò corruptivam, quia dum etiam intendit conservare aut reducere sanitatem, vires ex commotione sanguinis, humorum & viscerum debilitat.

Etiam motivam. DICO 2. nec medicina motiva propter lunæ aut alterius syderis certam positionem justè prohiberi potest. prob. nec convincit hoc ulla experientia, ad quam solet quisque contrarius confugere, nec ratio, ergo, prob. antec. de experientia, quia si quis aliquando vel rarissimè effectus alius præter intentionem sequatur, is certè aliunde & non ab astris petendus est, eamque in rem feci ego multoties & in hujusmodi medicinis & in venæ sectionibus experientiam, qua tamen nihil adversi, aut quod alio quovis die accidere non potuisset, comprobatum accepi, ex quo & mille aliis in rebus verè statuere & affirmare licet, experientiam esse quamplurimis in effectibus, quas ob defectum judicij & ingenij nostri malè ad causas nobis placitas detorquemus, veram matrem & asylum ignorantiæ, & consequenter ad hanc, si quis vel extra vel intrà quadraturas lunæ ex medicina purgante effectus contrarius sequatur, non confugiendum. prob. similiter de ratione; quia si luna in ordine ad operationem medicinalem vel corpus purgandum plus in ipso quadraturæ puncto vel circà illud (accipiamus 6. horas ante totidemque post vel spatium diei naturalis) agat quam prius aut posterius, adeoque curam medicam de qua in præsenti sermo est, inhibeat, vel facit hoc motu & lumine tanquam agentibus manifestis, vel influentiis quæ sunt qualitates occultæ; sed nullum ex his verum est, ergo. prob. imprimis de motu, quia hujus differentia nulla est, vel certà tam exigua, ut meritò in medicinæ operationem à nemine detorqueri possit; sed nec reliqua astra quicquam per motum efficiunt, nisi quia advehunt lumen & calorem, de quo vide disp. 54. diffic. 17. hujus libri. prob. etiam de lumine, quia sequeretur nunquam tutius agere Medicum, quam ubi minus lucet hoc astrum, hoc est, in ipso puncto novilunij vel totius obscurationis, quod tamen falsum est & contrà omnes medicos. prob. denique de influentijs, vel enim hoc tempore influit luna occultè in medicinam, vel in corpus, & superaddit producitque aliquam qualitatem peregrinam, quam prius & posterius produecre nec solet nec potest: Non in medicinam, quia sicut non inæqualiter dependet à lunæ positione in esse & fieri, ita nec in operari, cum sit agens naturale & necessarium ex se, sicut ignis qui quacunque diei hora aut mensis lunæque tempore æqualiter urit, nec jam plus jam minus. Neque in corpus, de quo maxima sed & tota est difficultas; Nemo enim hactenus extitit qui aut intelligere aut explicare potuerit illud, quod in quadraturis luna in ordine ad operationem medicinalem corporis ægrotantis sive etiam integrè existentis producat, an sit humor, an siccitas, an quippiam aliud, & cur non item sit potens prioribus aut posterioribus diebus id operari; Et quia hujus rei veritas maximè exiis, quæ meritò objici solent & possunt, eorumque solutione eruitur; Itaque hanc postremam & meliorem conclusionis partem responsis ad objecta probabo. Nam si

DICAS primo, Homo plerumque aliter se habet in singulis quadraturis lunæ, ergo signum est, tum efficacius in hæc inferiora influere. Resp. si homines agrestes id quæras, non intelligent te; si civiles & urbanos, ridebunt te; si litteratos sanos, responsa non dabunt nisi dum Ephemerides inspexerint, quia nesciunt, an & quo loco existat luna, si denique valetudinarios, aliquid sed ineptum

dicent,

dicent, & si omnia, hoc unum, quod circà lunam vel plenam vel novam aliquando peius sentiant id quod nihil omninò convincit; ac proinde conclusio claudicat, vel affirmat illud, quod antec. in bono sensu loquitur. Nam si quadraturæ pro tempore extensivo sumantur, & antec. & conseq. conceditur, si contrà, negatur, quia nec millesimus lunam ex quadraturis sentit. Unde etiam si

DICAS 2. semper vel plerumque fit mutatio tempestatis, v. g. pluviæ, frigoris, caloris, ventorum &c. in quadraturis, ergo. Resp. neg. antec. simpliciter, quia id falsum vel semper vel plerumque esse, experientia luculenter docet; Nam mutationes in effectibus naturalibus vel tempestatibus indeterminatè quocunque tempore accidunt, & egregiè suos exspectantes ludificant, ut proinde non malè inter vanas observantias numerentur. Et feci ego tot tamque diversis temporibus experientias, ut cum toties mihi nihil aliud quam mus ridiculosus nasceretur, tædio tandem & pudore affectus, omnem hujusmodi influentijs determinatis fidem posthabuerim.

DICES 3. Plerunque infeliciter operari medicinam in ipsis lunæ quadraturis, ergo signum est tum potentissimè influere, & producere aliquid peculiare sive in medicina sive in corpore. Resp. neg. antec. simpliciter, quia falla est phantastica hæc opinio, nisi tamen phantasia plus quam luna operetur, quod facilè fieri potest: Et appello ad medicorum fidem, quid singuli si sincerè loqui cupiant, unquam & quibus circumstantiis experti sint.

DICES 4. Epilepticos & convulsivos plerunque in novilunio & plenilunio affligi hoc malo, ergo plus agit luna hoc tempore quam reliquis luæ lunationis diebus. Resp. primo, convulsivos non affligi solum ipso die novilunii sive plenilunii, sed etiam aliquot diebus ante & post, quod nihil conclusioni nostræ contrarium convincit, nisi hoc, quod non tantum in ipso plenilunio, sed etiam præcedentibus & consequentibus diebus non liceret medicinam purgantem contrà medicorum opinionem propinare. 2. Verum esse, quod lunatio plena plus operetur in hæc inferiora quam reliqui dies intermedii; sed negatur hanc virtutem ad quosvis affectus corporis & animæ operationes sese extendere, quod item patet de unicornu, theriaca, lapide bezoartico aliisque mixtis, quæ licet venenis adversentur, non tamen omnium vim frangere possunt. Itaque concedi potest totum argumentum, sed nihil aliud quod inferri possit. Quod itaque Epileptici plerumque suos motus in vel circà plenilunium patiantur, causa est, quia hoc tempore solet luna augere humores à quibus illi motus pendent; Et hæc eadem. Ratio valet in satiombus, plantationibus, lignorum sectionibus, multisque affectibus aliis, in quibus dominium humorum, qui lumine lunæ causantur, sunt incommodo, quæ tamen omnia nequicquam in venatum sectionibus & humorum evacuationibus eveniunt, quia utrinque longè impar est ratio.

DICES 5. habet luna mirabiles effectus in his inferioribus, ut patet tam de mineralibus & vegetabilibus quam de animalibus & homine ejusque nonnullis affectibus; Nam quicquid sit de primis, de quibus vide Bernh. Cæsium l. de miner. & metallis, vegetabilia ob lunæ diversos aspectus crescunt & decrescunt, amittunt reperiuntque suas virtutes, ut constat de Cinamomo, aliquando etiam malè cæduntur, seruntur, plantantur &c. quod optimè norunt olitores, hortulani & agrestes; Et hoc idem de insectis & animalibus imperfectis intellige. Quid autem animalia & imprimis homo ex variis lunæ positionibus & aspectibus sentiant, ad cujusque scientiam & experientiam propriam appello, ne cogar hæc molestè & ad nauseam multis narrationum titulis inserere. Resp. Ex his omnibus nihil solidi sequi, quia ultrò conceditur, lunam habere potentissimas vires in hæc inferiora, & pro varietate positionum aut luminationis & conjunctionis cum aliis Planetis alias atque alias; sed nego has influantias deberi quadraturis earumque punctis præcisè, adeòque hoc tempore ita agere in hominem & medicinas, ut harum virtutes potenter immutet, & illius actiones singulas ad nutum & imperium suum habeat, quia prætetquam quod sit contrà omnem experientiam, etiam est ultrà sphæram activitatis earum.

DICES 6. æstus maris vel ejus reciprocatio, fit in novilunio & plenilunio, ergo hæc puncta maximas habent vires. Resp. idem quod in præcedentibus. Unde autem & quomodo fiant diversæ commotiones maris, vide l. 1. disp. 5. diffic. 32. & sequentes.

QUÆRES, quid ergo confert luna his inferioribus, & potissimum corpori humano sive sano sive ægro. Resp. conferre illis & bona & mala per influxum tam manifestum quam occultum; Illa quidem dum ut causa universalis & particularis esse vitamque & sanitatem conservat; Hæc verò dum producendo humorem, siccitatem, frigus & calorem, vel etiam qualitatem aliquam occultam in aëre quo necessariò fruimur, omnis generis morbos producit eosdemque auget & multiplicat: Quomodo autem producat manifestè, ut motu, lumine & calore, & rursum occultè per influxum aut qualitatem abstrusam, patet ex se disp. 14. de qual. occultis hujus libri; Quomodocunque tamen id fiat, certum est, nunquam aliquid produci in homine, quin prius vel illud vel aliud consimile efficiens recipiatur in aëre, ut patet in peste & morbis Epidemicis, ubi in aëre prius producitur qualitas maligna, quæ in corpore recepta producit putrefactionem, calorem, malignitatem; In humoribus quibus opplentur sæpè viscera, in annonis & mortalibus tam hominum quam brutorum, quæ omnia sunt effectus secundarij, & à qualitatibus

tatibus in Elementis primò productis emanentes.

DIFFICULTAS XXVI.

An mors quæ homini post haustam pharmacum purgans supervenit, Medico imputari possit.

HAnc quæstionem hîc in fine ideò impendi, quia casus est, qui vix elapsis aliquot diebus, dum hæc scripsissem, accidit: Est autem sensus, an medico, dum hominem purgat, & hic post sumptum hoc pharmacum moritur, talis interitus ei asscribi, atque adeò actio de illato hoc malo intentari possit. Ad meliorem autem intelligentiam difficultatis.

Adverte primo, medicinam purgantem vel esse & natura & quantitate ultrà vires homini sufferendas, ut de venenis & aliis fortissimè moventibus constat, vel ita proportionatam, ut eam quisque ex hactenus longo usu & experientia innocuè sumere possit, 2. hominem vel esse bona & integra corporis cõstitutione, vel contrà debili viscerum complexione formatum. 3. Morbum & interitum esse ejusmodi accidens, quod ex causis nobis incognitis quovis tempore contingere, ac proinde à nobis præcaveri aut præviderí non potest. 4. Cuivis homini diversas esse dispositiones corporales, quas non immeritò naturæ nostræ secreta sive individuales proprietates dicere possumus, quia juxta earum infinitas penè discrepantias aliter patimur & aliter operamur.

Suppono autem, medicinam sive pharmacum purgans esse ex naturalibus ingredientibus paratam, neque fraude sive incuria & casu toxico aliquo commixtum. His positis,

DICO primo, si detur medicina homini quæ tam ob propriam naturam, cujusmodi sunt venena quæque potentissimè movent & alterant, quam ob nimiam ejus quantitatem sit ultrà vires, meritò culpandus est is, cujus suasu & hortatu datur. Ratio, quia talis medicina ex se mala est, & non potest non offendere hominem ejusque vitam & sanitatem, ergo quisquis eam sub quocunque etiam prætextu porrigit, culpandus est.

DICES primo, licet antimonium v. g. porrigere in parva dosi, id est, tribus quatuor aut quinque granis, ergo etiam in magna, videlicet viginti & pluribus granis. prob. hæc consequ. quia 20. grana non plus virium continent, quam quatuor aut quinque sicut nec ignis magnus plus habet caloris quam parvus. Resp. neg. conseq. ad ejus probationem dico, omninò plus virium habere quamvis medicinam in magna quam in parva dosi, & magnam ignem plus caloris quam parvum, cujus ratio, quia licet integra libra Rhabarbari v. g. aut magna lignorum strues incensa non habeant plures partes intensivas sive graduales caloris aut virtutis purgativæ quam drachma una aut bacillus unus igni subjectus, habent tamen plures extensivas & entitativas, ob quas validius & fortius agunt, non quidem in unam eandemque partem, sed in diversas & distitas, ideòque etiam minorem habent resistentiam.

Plus operatur magna dosis quam parva.

DICES 2. sæpè feliciter dari medicinas sub magna etiam dosi, ut apparet in antimonio, quod dum efficacius quam pat fit, iu hominem agere videtur, optimo successu frequenter applicatur. Resp. si hujusmodi medicina conducat, signum est, non fuisse ultrà vires haurientis, de quo hic sermo est.

DICES 3. non raro ex ignorantia virium medicinæ porrigi hanc à medico; at culpa non potest cadere in ignorantem, ergo. Resp. neg. min. quia in hujusmodi casibus medicia ignorantia non eximit à culpa, imò accusat, cum non temerè ea applicanda sint, quorum vires nesciuntur, aut non probata sæpius fuerunt. Verum tamen est, quod in ignorantem minor culpa cadat quam in scientem, ut in quo est actus voluntariè & deliberatoriè malus.

DICO 2. Medicina, cujus natura & dosis non est ultra vires homini ferendas, etiam hactenus longo usu & experientia comprobata, etiamsi eam infelicissimus comitetur aut sequatur effectus, non potest tamen facere medicum culpabilem, nisi tamen improportionata sit supposito. prob. primum, quia Medicus nihil fecit quod sensus & ratio experientiæ juncta non suggesserit, & quia talis medicina ex se ordinata fuit ad vitam & sanitatem hominis tuendam & conservandam, ergo non facit medicum culpabilem: Quod autem ex effectu contrario nihil ei imputari possit, ratio dicit, quia insperatus est & casualis, proindeque merè per accidens & citrà intentionem Medici ant medicinæ. Nam fit ex peculiari & individuali dispositione sive constitutione suppositi, quæ nunquam Medico sufficienter est cognita, sive dicat ordinem ad se sive ad medicinam extrinsecam, cum qua potest vel sympathicè convenire vel antipathicè dissentire; Et sic medicina cui aliquid rosarum, ambræ, camphoræ aut quippiã aliud naturæ contrarium admixtum est, potest in præsens periculum præcipitare ægrotantem; sic casus & ex alio causatum accessu potest emergere convulsio aut apoplexia aut subitaneum deliquium, quæ absente etiam medicinâ hominem peremissent, quod sæpius fieri constat, dum aliqui apoplexia inter ambulandum corruunt & moriuntur, sinistrè autem & malè in gravem refertur lapsum. prob. secundum, quod videlicet medicina per se etiam bona nec quantitate excessiva, si homini sit improportionata, culpari possit, quia talis non convenit, proindeque necessariò lædit quocunque etiam tempore data, ergo quoties improportionato porrigitur, peccatur. Est autem improportio, si v. g. medicina

Casus quandoq; est mors hominis.

dicina quæ ſano & robuſto convenit, detur ægro ſive morbuſo, ſi puero aut ſeni quæ viro debetur, ſi fœminæ uterum gerenti, ſi poſt cibum ſumptum, ſi tempore menſtruationis, ſi iu humoribus ad ſauces. pectus & thoracem fluentibus &c. quæ omnia inter ſe vitioſum & inſelicem reſpectnm & habitudinem tranſcendentalem dicunt.

DIFFICULTAS XXVII.

An medicinæ expellant Morbum, an causam an ſymptoma.

COoſtat, hæc ſola tria eſſe, quæ corpus humanum præternaturaliter afficiant, ac proinde dum per congruas medicinas ſanitati redditur, prius expelli oportere; ſed quodnam horum ab iis expellatur, & an ſemper in morbi vel etiam aliquando in cauſæ vel ſymptomatis ablationem dirigantur, hic controverſum eſt, pro quo autem

Suppono primo, varia eſſe genera & ſpecies morborum, ut aliunde conſtat. 2. cauſarum alias eſſe remotas & extrinſecas, alias proximas & internas; vide diſp. 9. hujus l. diffic. 3. 3. Medicinam aliquaodo agere in aliud immediatè, directè & per ſe, aliquando contrà. 4. morbum aliqnando ſumi formaliter & in abſtracto pro ſola diſpoſitione præternaturali, nulla habita ratioue cauſæ ſive producentis ſive conſervantis; aliquando materialiter & in concreto cum reſpectu ad cauſam immediatam, ut calculus qui vel eſt ouda & ſimplex diſpoſitio p. o. vel complexum qoid ex hac & ipſa ſubſtantia calculoſa, quæ ſe habetur cauſa naturalis. His poſitis

DICO primo, ſæpè dirigitur medicina In morbum expellendum, ſæpè in cauſam, à qua pendet in eſſe & conſervari morbus, ſæpè io ntrumque ſimul, nunquam in ſymptoma niſi concomitanter ſive per natutalem ſequelam. Hoc ultimum vide priori diſp. d, 22. prob. primum in mediciois reſrigerautibus, quæ ſecluſis cauſis calori præternaturali ſeu febri opprimendæ applicantur, quod idem de remediis intellige, qoæ vulneribus curandis admoventur. Secuudum in purgantibus, quæ non febrem immediatè ſed cauſam ejus potius reſpiciunt, ideoque humores putrilaginoſos expelluot. Tertium in iiſdem purgantibus, diſcutientibus moltiſque aliis, quæ tumores & obſtructiones cum ipſa hujuſmodi affectuum cauſa materiali ſimul exterminant, Si quæras, an ſit aliqua certa regula, qua conſtet, qui morbi quæque cauſæ, & quando medicinam immediatè requirant. Reſp. non haberi aliam præternaturalem morbi & cauſæ, & quod aliquando magis urgeat morbus, aliquando cauſa, ſæpè otrumque, aliquando etiam vix cauſa ſuperſit, ut in ſebre hectica, in qua calor cordi firmiter inhærens & reliquum in viſceribus fovens, nulla cauſa alia præſeote morbus eſt. Ut tamen ad ſpeciem pauca dicantur.

DICO 2. morbi ſolutæ unitatis ut ſic aliqnando exigunt remedia citrà habitum reſpectum ad cauſam, aliquando contra. Per morbos ſolutæ unitatis intelſige vulnera, ulcera, fracturas, diſlocatiooes, divulſiones &c. Dixi primo, quod aliquando exigant remedia citrà cauſæ ablationem, cujus ratio eſt, quia preter eam in fieri oullam habent aliam. Dixi 2. ut ſic, quia quod aliquando accedant cauſæ quæ reunitionem impediaot, ut affluxus ſanguinis & humorum, ſordes & excrementa &c. ſunt vulneri extrinſecæ, neque ad ejus naturam ſive in eſſe ſive in conſervari ſpectant; Quod ſi dicas, etiam vulnera ut ſic habere cauſam ſibi iotimè coojunctam, ſcilicet partium diſunitatiouem; Reſponde, hanc ipſam eſſe vulnus, ſed & rationem formalem vulneris. Dixi 3. quod aliquandu requiratur cauſæ ablatio, quia ab hac pendet ſolutio unitatis, ut patet iu ſanguine, humoribus, flatibus aliiſque ſubſtantiis, quæ partes & viſcera divellunt.

DICO 3. morbi compoſitionis & conformationis, ſive ſumantur in abſtracto pro diſpoſitione præternaturali, ſive in concreto & prout cauſam intriuſecam & immediatam comprehendunt, ut videre eſt in calculo & quavis obſtructiooe, non requirunt alia remedia quam cauſarum ſuarum ablationem. Ratio eſt, quia ab his ſolis cooſervantur, quia noo debetur iis cura oiſi in concreto ſumptis, quia materialiter nihil ſunt aliud quam ſubſtantiarum alicubi congeſtio & coagmeotatio, ut patet in ſexto digito, duplici deotiū orꝺe, gibbo, tumoribus, puſtulis, obſtructionibus &c. ſi dicas hoc idem de morbis aliis, v. g. de omni intemperie dici poſſe; Reſpondeo &

DICO 4. morbi intemperiei aliquando in concreto ſive materialiter ſumpti per cauſæ ablationem ſicut morbi compoſitionis expelluntur, aliquaodo nulla habita ratiooe alicujus cauſæ, quo ſolo differunt ab illis; Et hoc patet experientia, quia ferè ceſſaot aliquando febres per ſolam alterationem, quæ refrigerantibus perficitur, vel certè plurimum mitigantur, cum ſæpè plus urgeat morbus temperari quam cauſa expelli, præſertim ſi difficultatem habeat. Et huc referri poſſunt morbi maligni, in quibus aliquando morbus cum cauſa, intellige putrilaginoſam & malignam ſubſtantiam, aliquando morbus ſolus qui cum malignitate identificatur, opprimendus eſt.

DICO 5. quamvis aliquando In ſolum morbum dirigantur remedia, nihilomious tamen nunquam ille expellitur, oiſi prius expellatur cauſa, vel quocunqne modo ſuppreſſa ceſſet. prob. morbus eſt effectus cauſæ; ſed nunquam ceſſat effectus niſi prius ceſſet cauſa, per hanc intellige à qua in facto eſſe pendet morbus, ut febris putrida à corrupto ſanguine & putrefactis humoribus, ergo nec

morbus

morbus nisi prius tollatur causa. Quod si DICAS, febrem hecticam non habere causam conservantem, cum sit calor in soliditate viscerum jam habituatus & confirmatus; Neque sufficit dicere esse calorem cordi inhærentem à quo reliquus conservetur, quia hic febris est & non causa. sed Resp. quamvis calor cordi infixus & irradicatus verè morbus sit & identificatus cum reliquo calore, quia tamen à sanguine & spiritibus per novam concoctionem productis fomentatur, verè rationem causæ obtinere.

Colligitur, non posse morbos ullos ut sic per potentiam increatam conservari extrà subjectum, quia sunt velut formalitates & modi corporis ægrotantis.

DISPUTATIO DECIMA-NONA.

De virtualibus mixtorum qualitatibus.

Etiam hæ sunt qualitates aliquando primæ aliquando secundæ, quæ à primarum commistione ducunt originem; Mirum profectò, quam sint illæ fæcundæ tot prolium generatrices, totque fœtuum eductrices causæ; Neque enim res ulla est in sublunaribus, quæ sub aspectum cadit, & natura constat, in qua non ipsæ multis variisque effectibus insignes se prodant, nulla quæ non suis viribus in hominum cognitionem beneficio earum primò veniat, adeò ut ne cælos ipsos, qui licet primis fortè qualitatibus careant, exceperis, tum quod ab his calorem omnem vitamque & existentiam ab uberrimis eorum influentiis hauriant sublunaria, tum quod iis deficientibus cessaturæ sint vegetabiles rerum inferiorum actiones. In his pulcherrimè ludit natura, suamque æterno Creatori fidelem obedientiam & æmulationem ostendit, ne ubi Deus non omnia solus operatur, ipsa vel imperfecta & defectuosa vel rebus pereuntibus nunquam adesse videatur. Et hæc quidem in unius hominis gratiam, quem post Angelos primum fecit divina Majestas, & in cujus conservationem vestivit tantâ perfectione tantâque rerum varietate totum hunc mundum sublunarem, quem eidem cum omnibus quæ videt oculus, subjecit: Hine tantæ rerum mundanarum sunt virtutes adeòque excellentes, quæ hanc electam humanæ naturæ speciem in individuis conservant & ad finem ultimum, qui felicissima est æternitatis possessio, tuentur; Neque tamen ita efficaces sunt, ut hominem planè ab omni corruptione liberent, hujus caloris omniumque partium harmoniam & connexionem conservare, eum ab injuriis quibuscunque tueri possint, quia naturæ corruptibilis fomentum id impedit & inevitabile justissimi conditoris decretum, quod omnibus mortalibus datum est, ut sensim pereant, & in prima suæ existentiæ principia resolvantur. Cæterùm quæ & quales non tantum in ipsis Astris ant elementis, sed & potissimum in corporibus mixtis, de quibus præsens disputatio, virtutes reperiantur, id apud varios cum Philosophos tum Medicos habetur: Hic autem ut ex eorundem doctrina & sententia omnes & singulæ in compendium quasi redigantur, sit

DIFFICULTAS I.

An dentur qualitates virtuales, & quibus in rebus.

Negant has Capreolus, Soncinas, Sotus, Marsil. Henr. Gand. Ægid. & alii apud Conn. 1. de gen. c. 3. q. 2. a. 2. Cir. & hoc propter rationes non omninò contemnendas ut infrà videbitur.

Advertendum autem ante omnia, qualitates virtuales, quæ aliter virtutes rerum mixtarum sive animatarum sive inanimatarum appellantur, & sunt idem quod potentiæ seu facultates in animalibus, in varias species dividi posse; Nam aliæ sunt manifestæ quia cadunt sub sensum ut vis astringens in corticibus granatorum, calefaciens in vino, pipere &c. aliæ sunt occultæ ut vis purgans in Rhabarbaro, toxicans in napello, trahens in magnete &c. *Quid sint qual. virt.* Vocantur autem virtuales ad differentiam earum quæ formaliter sunt in mixtis, ut color, frigus, cum ipsæ earumque effectus tantum virtute in iis reperiantur, id est, actu quidem quoad esse, ita tamen potentiâ quoad effectum, ut hunc non ubique sed cum debitis solum dispositionibus producant ut patet de calore in vino, quod tametsi sit formaliter frigidum, in subjecto tamen capaci, quale stomachus est aut lingua viventis, producit calorem, & non in lapide, manu &c. Nam qualitas formalis est, à qua subjectum formaliter tale dicitur, ut patet in calore ignis ejusque calefactione, in humore aquæ, in duritie lapidis, in albedine nivis, in odore rosæ, in raritate vaporis, quæ etiam non immutatæ sensui externo manifestè objiciuntur eumque immutant, cum virtuales id solum præstent, quando debitæ adsunt dispositiones, & eorum subjecta prius à calore vitali alterantur, ut patet de vino, quod non calefacit, nisi quando intrà corpus resolvitur. Jam

DICO

DICO primò, dantur in rebus sublunaribus qualitates virtuales, quæ positia in subjecto certis dispositionibus producunt tanquam causæ æquivocæ calorem, frigus, humorem, siccitatem &c. sicut lumen producit calorem. Ita docent communiter Philosophi com conn. cit. & prob. primo, dantur io rebus sublunaribus qualitates occultè alterativæ & motivæ, ergò etiam dantur virtuales, quia est par ratio, & utræque dependeot à certa commixtione primatum qualitatum. 2. In rebus sublunaribus datur vis calefaciendi in iis quæ formaliter frigida sunt, humectandi in siccis, & similia; sed hæc vis oon est formalis, ergo virtualis, quod confirmatur in vino, pipere, Cinamomo & sexcentis aliis, quæ licet formaliter frigida sint, oon manum, sed linguam & stomachum calefaciunt; Eodem modo medicina, quæ formaliter est calida, frigefacit; ooo per frigus quia supponitur calida, nec per aliam qualitatem immediatè ex primis ortam, cujusmodi est color, odor, sapor, ergo per virtualem. id est per eam, quæ habeat vim producendi frigus, si tamen prius debitæ ponuntur dispositiones. Si

QUÆRAS, quænam sint illæ dispositionea quæ in subjecto poni debeaot ut mixtum virtuale operetur, & quomodo ponantur. Resp. nomine subjecti oon intelligi tantum illud, io quo fieri debent operationes, sed etiam ipsum Agens, quod antequam operetur, alterari debet ut patet in cibo & potu, qui oterque post dissolutionem afficit stomachum & corpus: Debent autē in subjecto patiente tales esse dispositiones, quæ non resistant agenti, ut patet in ferro aut lapide, io quibus nulla produci potest humectatio ob improportionatam dispositionem cum re humectante, sed quæ actioni recipiendæ sint connaturales, ut patet io lingua & stomacho, quæ propter calorem, humorem & mollitudinem evocant à vino, pipere &c. calidas exhalationes, à quibus tum incalescunt: Itaque iotet subjectum agens & passum debet esse aliqua similitudo, operari autem calor vitalis.

DICES primo, cum Valesio 1. controv. c. 21. piper accipere calorem à ventriculo, eumque deinde calefacere: sed cootra est primo, quia hoc deberet etiam dici de medicina calefactiva quod tameo falsum est. 2. calor minor qui est stomacho nativus, non potest intendere majorem qui est piperis. 3. si omoia virtualiter calefacientia calefieret à stomacho, fieret hoc æqualiter in omnibus, quod tameo falsum est; Neque enim apparet ratio, quare piper acciperet intensionem calorem & vinum remissiorem. 4. simile ooo agit in sibi simile & specie & gradu, quod tamen fieret si piper eo calore, quem accipit à stomacho, rursum ex se diffunderet & calefaceret eundem stomachum.

DICES 2. piper, Cinamomum &c. esse ex suo temperamento calida, & à coorrario frigefieri, à quo si removeantur, mox reparare suum calorem & calefacere corpus vicinum. Contra est primo, quia hoc non potest dici de medicamentis refrigerantibus quando calida sumuntur. 2. quia piper linguæ suppositum eam calefacit & non manum. 3. si piper natura sua esset calidum, magis caleret io loco calido contrà experientiam.

DICES 3. omnes effectus in mixtis producuntur ab eorum temperamentis, ergo oon à virtutibus, ergo hæ superfluæ sunt. Resp. primo, neg. antec. quia etiam magnes trahit ferrum, & bilem Rhabarbarum, non beneficio temperamenti sed qualitatis virtualis, quæ occultè movet & alterat. Resp. 2. multos effectus io mixtis produci ab eorum temperamentis radicaliter & remotè verum est; proximè & principaliter, falsum; sic quamvis io Rhabarbaro vis tractiva bilis multum pendeat à temperamento, io ipsa tamen est qualitas quæ in subjectum alienum operatur. Itaque Resp. 3. neg. conseq. quia cum qualitas virtualis non sit idem cum temperamento, competit illi effectus formaliter & temperamento radicaliter, sicut recreatio spirituum odori grato, calefactio caloti &c. mediante temperamento.

DICES 4. calefactio à vino, pipere &c. debetur calori, ergo non qualitati virtuali. Resp. calorem in vino, pipere &c. esse quidem patibilem & inter qualitates tertiæ speciei, imò omnium qualitatum tactilium primam, nihilominus tamen virtualem, quia non afficit subjectum formaliter, sicut albedo parietem, frigus glaciem &c. *Calor in vino est qualitas virtualis.*

DICES 5. nulla qualitas virtualis cadit sub sensum antequam à calore vitali resolvatur mixtum, ergo falsa est distinctio in manifestam & occultam. Resp. primo falsum esse antec. quia multæ sunt herbæ, quarum vires cognoscuntur ex odore vel etiam ex simplici intuitu. 2. quamvis ante dissolutionem mixti non facilè cadant sub sensum quoad esse qualitatis, cadunt tamen quoad esse effectus; sic enim calor vini, ante ejus actuationem oon facilè percipitur nisi dum in stomacho productus est, cujus natura, efficacia & modus agendi cognoscitur, non item in occultè motivis & alterativis, quorum & virtus & natura tota à nostro intellectu aliena est.

DICES 6. non sunt idem qualitates virtuales quod poteotiæ in animalibus, ergo non spectant ad secundam speciem qualitatis sed ad tertiam, adeòque sunt vel primæ vel secundæ; Antec. patet, potentiæ io animalibus pereunt pereunte anima, quod de virtutibus herbarum aliorumque mixtorum dici non potest, ut patet in Rhabarbaro, quod etiam aridum purgat. Resp. primo, etiam qualitates primas & secundas esse virtuales, quod oon est contrà earum dignitatem; 2. quod potentiæ in animalibus pereaot pereunte formâ sive animâ, non autem in vegetabilibus, ratio est, quia hæ virtutes sunt animæ inferioris, ita etiam sunt io esse suo viliores, magis autem immersæ materialitati & dependentes à temperamēto; An separatâ *Quare virtutes & potentiæ non pereant cum formis suis in vegetab. sicut in brutis & homine.*

animâ rationali à suo corpore pereant omnes ejus potentiæ, non est hujus loci definire.

DICES 7. qualitates virtuales non differunt à temperamento, ergo superfluæ sunt. Resp. neg. antec. quia sunt virtutes resultantes ex naturali temperamento, vel qualitates simplices, cum temperamentum sit quid complexum: hoc patet in calore vini, & vi astringente rosarum, quæ simplex virtus est, & resultat ex toto rosarum temperamento.

DICES 8. Mixta operantur per solum temperamentum, ergo non est opus fingere alias qualitates. Resp. mixta operari per temperamentum tanquam radicem aliarum qualitatum, non autem tanquam per causam immediatam efficientem; Et hinc negatur consequentia.

DICO 2. qualitates virtuales sunt in solis mixtis propriè, & non in elementis, prob. 1. qualitates virtuales resultant ex varia commixtione 4. primarum qualitatum; sed talis commixtio non datur in elementis ut constat apud omnes philosophos, ergo nec dabuntur in iis qualitates virtuales. 2. hæ qualitates sunt nullius usus in elementis, ergo frustrà in iis fuissent productæ à natura; Antec. patet, quia cum elementa nihil aliud producant primariò quã calefactionem, frigefactionem &c. non requiruntur hæc omnia qualitates virtuales, sed solum 4. primas formales à quibus sufficienter producuntur. 3. qualitates virtuales ideò datæ sunt ut compleant & perficiant subjectum & substantiam cui inhærent; sed hoc tantum verum est in mixtis & non in elementis, ergo; Nam elementa non requirunt ad suam perfectionem qualitates virtuales sicut eas requirunt mixta, quæ debent habere ejusmodi principia ut agant in aliena, cum elementa sufficienter in se mutuo agant per qualitates primas.

DICES 1. Elementa non tantum calefaciunt, frigefaciunt, rarefaciunt &c. sed producunt insuper varios & multiplices effectus, qui eorum virtutibus asscribi debent, ergo. etiam qualitates virtuales habent. Resp. neg. cons. quia etiam qualitates formales Elementorum habent magnam vim & efficaciam producendi omnis generis effectus.

DICES 2. aqua calefacta reducit se ad proprium & nativum frigus; sed non facit hoc per calorem, quia hujus non est producere frigus sed calorẽ; neq; per frigus, quia fit etiam hæc reductio in loco calido, ergo per qualitatem virtualem, quæ proinde in elementis concedenda est. Resp. hanc reductionem fieri à generante tanquam à causa principali, proximè verò à forma substantiali aquæ tanquã ab ejus instrumẽto ut docent conn. 2. gen. c. 5. q. 2. a. 3.

DICES 3. egent elementa virtutibus ut se contrà omnes injurias extrinsecas defendant eò quod primæ qualitates non sint satis fortes ad resistẽdum tot incommoditatibus; facilè enim vincuntur & pereunt, ergo necessariæ videntur qualitates virtuales in elementis, quæ 4 primis respõdeant easque roborent. Resp. neg. antec. quia natura satis incolumitati elementorum, quantum expedit, in distributione 4. primarum qualitatum earumq; varietate consuluit; Neque verum est, eas facilè vinci aut cedere, ideòque egere aliarum auxilio, à quibus muniantur, quia resistunt quantum debent, eorumque natura & communitas universi requirit.

DIFFICVLTAS II.

Vnde oriantur qualitates virtuales.

ADverte, aliud esse in mixto, v. g. in vino, pipere, cinamomo &c. temperamentum, aliud calorem qui ut pars temperamentum constituit, & aliud denique vim calefactivam sive calorem virtualem, quia hic est aliquid ab utroque illo distinctum & emanativum.

DICO, qualitates omnes virtuales sive sint manifestæ sive occultæ, sive rerum animatarum sive inanimatarum, producuntur effectivè & principaliter à suppositorum generantibus, quæ varia sunt, tum ab iis dispositionibus quæ ad formam producendam concurrunt, à qua etiam sicut ex commixtione primarum qualitatum resultant: Hæc conclusio eadem est quæ alibi de productione qualitatum in genere, & comprehendit tam actionem physicam quam resultantiã. prob. primũ, quod videl. producantur effectivè & principaliter à Generante, quia hujus est constituere totum suppositum in esse suo naturali, ergo etiam omne id quod ad ipsius perfectionem & complementum spectat; Quod etiam dispositiones genere causæ effic. concurrant, patet quia sunt accidentia substantiis superadditæ, quibus mediantibus operentur. prob. secundum, quod videlicet emanent à forma & temperamento, qualitates virtuales sunt complementum & perfectiones substantiarum & producuntur ab eodem Agente à quo forma juxtà illud qui dat formam dat consequentia ad illam ex l. 2. de anima c. 3. ut explicat Soarius; sed hoc non fit per actionem physicam, ergo per emanationem, ergo qualitates virtuales verè emanant à forma; Quod denique supponant commixtionem primarum qualitatum, probatur, quia omnes qualitates secundæ oriuntur ab harum temperatione, ergo hanc supponunt; Et si emanarent à sola forma, non possunt eâ pereunte remanere, quod tamen verum esse sensus & experientia testatur in pipere, quod formâ vegetativâ privatum eandem vim habet calefaciendi quam prius, imò majorem propter aquei humoris evaporationem. Confirmatur conclusio inductione omnium mixtorum; Nam lapides, metalla & cuncta mineralia seu fossilia virtutes suas habent à sole, astris, concursu elementorum eorumque variis dispositionibus & qualitatum temperaturis, à quibus in genere causæ effic. tam proximè quam remotè tamquam magis quam minus principaliter producuntur, emanant autem à forma per naturalem sequelam, quia competunt illi tãquam totius suppositi proprietates.

Qualitates virt. unde producuntur.

Et

Et hoc idem de cunctis vegetabilibus intellige, quæ esse & virtutes efficienter habent à suis generantibus, id est, ab astris aliisque vegetabilibus, illas autem emanativè à forma & temperamento, à quo quicquid est qualitatum secundarum, oritur, ut videre est disp. 4. de qualitatibus in genere ; Neque dicas, abeunte formâ vegetativâ remanere formam mixti, & ab hac dependere qualitates virtuales; quia respondetur, per hoc nihil derogari temperamento, sive sub forma vegetativa sive mixti concurrat ad constituendum compositum physicum; hoc ipso enim quod abeunte formâ vegetativâ piperis maneat ejus vis calefactiva, signum est, non emanare vel dependere ab ea sola.

Proprietates in rebus mixtis sunt multiplices. DICES 1. solæ proprietates manant à forma; sed qualitates virtuales non sunt proprietates, ergo. Resp. quicquid de majori dicendum sit, minor falsa est; constat autem, varias esse & multiplices in rebus sublunaribus proprietates, quia imprimis ad earum seriem pertinent potentiæ vitales, ut vis nutriens, augens &c, 2. proprietas illa quæ speciei, soli semperque convenit, ut risibilitas soli homini. 3. qualitates combinatæ in elementis, ut calor & siccitas ignis. 4. qualitates occultæ in reb⁹ sive animatis sive inanimatis; ut vis tractiva in magnete, elleboro, alterativa in napello &c. 5. denique virtutes omnes magis sensuales in reb⁹ mixtis, ut vis calefaciens in cinamomo, refrigerans in lactuca, astringens in plantagine &c. Et hæ qualitates seu virtutes quàvis omnes à formâ emanent, ita tamen ab ea aliquæ dependent, ut solius sint formæ, v.g. potentiæ vitales, quædam autem & formæ & temperamenti, si non semper in conservari, saltem in fieri & esse.

DICES 2. omnes qualitates secundæ oriuntur, id est, producuntur effectivè à temperamento, & non emanant à forma; sed virtutes mixtorum sunt qualitates secundæ, ergo. Resp. neg. majorem, quia quocunque tandem modo producantur qual. secundæ, ut alibi constat, dicuntur emanare à forma, si tamen quod diligenter advertendum est, cum ea talem habeant connexionem, ut ad complementum & perfectionem suppositi spectent.

DICES 3. si qualitates virtuales resultant ex permixtione primarum, sequitur id etiam de calore vini, piperis, dicendum esse, quia & hic qualitas virtualis est; sed hoc falsum, ergo & illud. Resp. neg. sequelam majoris, quia calor vini, piperis &c. est qualitas omninò distincta à virtute vini calefaciente ; Et hæc sequitur temperamentū, ille autem constituit tanquam pars, qui proinde realiter & actualiter est in mixto, illa autem virtualiter.

DICES 4. Virtutes mixtorum non sunt à temperamento distinctæ, quia sunt ipsum temperamentum, ergo malè dicuntur ab eo emanare. Antec. inde desumitur, quod hæc virtutes maneant & pereant rursus cum temperamento. Resp. neg. antec. quia temperamentum est complexum quid & qualitas conflata ex concursu & temperatione primarum, proindeque radix & fundamentum omnium virtutum, quæ in eo continentur & quæ ab eo fluunt. probatio nihil probat, quia etiam pereunte temperamento perit quoque forma & anima vegetabilium sive quorumcunque mixtorum.

Colligitur, potentias vitales esse nobiliores virtutibus mixtorum, si illæ ad animalia sola, & hæ ad vegetabilia & mineralia restringantur, quia sunt formarum nobiliorum, cum quibus etiam habent majorem affinitatem, & hæ cum primis qualitatibus, quæ etiam sunt nobiliores quam virtutes, quia sunt harum radices & fundamentum.

DIFFICULTAS III.

An calor v. g. à cibo & potu in ventriculo productus præextiterit totus in utroque.

SEnsus quæstionis est, an quando animal ex cibo, potu, medicinis aliisque ingestis ventriculum & reliquum corpus calefacit, hic calor totus in ejusmodi mixtis præfuerit, & ex eorum resolutione in omnes sese partes effuderit, an verò primùm de novo producatur.

Suppono, virtutem calefactivam vini differre à temperamento vini, quia illa est qualitas simplex, hoc autem quid complexum à quo plures virtutes seu qualitates virtuales emanant.

DICO 1. totus calor, qui in cibo, potu, rebusque ingestis ante earum resolutionem & alterationem præfuit, communicatur ventriculo & reliquo corpori ex se. Ratio est, quia totum dissolvitur mistum, reditque in ea principia ex quibus constabat, videlicet in partem terream quæ abit in feces duriores in aqueam quæ in serum & urinam, aeream quæ in sanguinem & alimentum corporis, & igneam quæ in spiritus & calorem, quo foventur & incalescunt viscera. Dixi tamen primò post factam alterationem ; Nam quæ solida sunt nihilque immutantur, ut aurum, ferrum, lapides aliaque solidiora ingesta, nihil alterant nisi juxtà quasdam exhalationes, quemadmodum fieri probabile est in struthionibus, dum ferrum vorare & digerere dicuntur. Dixi 2. ex se; Nam quod aliquando calor qui inest cibo & potui, vel parum vel nihil alteret corpus, id est per accidens, quia videlicet à frigidiori stomacho retunditur, vel assumpta mox regeruntur.

DICO 2. non tamen totus calor, quem animal post ingestum alimentum accipit, in eo virtualiter præextitit. Ratio est, quia partim de novo producitur in visceribus, prout constat de productione formarum tam subst. quam accid. Nam sicut ignis in ligno & quavis re combustibili producit *Nō omnia virtualia producuntur simul.*

producit & ignem & calorem; Ita etiam vinum, piper, Cinamomum &c. dum in ventriculo aliisque membris actuantur, partim suum quem prius habuerant, diffundunt calorem, partim alium de novo producunt Hoc tamen non de omnibus virtualibus intellige qualitatibus, sed de iis solum, quæ activæ sunt, habentque vim producendi sibi simile; Nam vis incidens, attenuans, astringens, orinam movens &c. non producit aliam vim incisoriam, astrictoriam &c. Itaque

Calor virtualis quomodo operetur. DICO 3. producit calor virtualis cibi & potus alium in stomacho, Epate & reliquo corpore hunc in modum, primo cibus & quodvis mixtum alterabile dentibus comminuitur, & in ventriculo ita dissolvitur, ut humidum à sicco & calidum à frigido separetur, pereatque tota misti ratio. 2. Quando mistum in hunc modum calore viscerum dissolvitur, separanturque partes & substantiæ elementares, separantur etiam qualitates omnes in misto prius virtualiter existentes, & vel sequuntur materiam suam elementarem, ut humor & frigus aqueam, humor & calor aëream &c. vel commiscentur & confunduntur inter se, quemadmodum vinum, aqua, cerevisia, aliæque res liquidæ, quibus mistum constituitur imperfectum. 3. partes ad hunc modum separatæ vel sunt alimentales vel excrementitiæ; has sequuntur humor aqueus & frigus terreum, illas autem calor Igneus & humor aëreus. 4. calor igneus, qualis est in pipere, vino, Cinamomo &c. quia est in vaporosa substantia tenuique spiritu, facilè quaquaversum per corporis interiores poros cæcosque meatus diffunditur, & sicut ventriculum, ita Epar, sanguinem, cujus pars maxima est, cerebrum, cor, omniaque viscera calore fovet, incendit & inflammat: Et quod de calore, idem de aliis qualitatibus & virtutibus intellige; Nam frigus sequitur materiam setosam & terream in alimento, quam eandem sequitur humor & siccitas; frigus in substantia terrea sequitur vis astringens; calorem in materia tenui vis rarefaciens, attenuans; humorem & calorem moderatum vis emolliens, sudorem provocans &c.

Colligitur remanente vel etiam aliquando sensim pereunte qualitate virtuali in alimento converso in chylum & sanguinem produci in eo calorem formalem à vitali, quem etiam adjuvet ille, qui alimento intrinsecus est.

DIFFICULTAS IV.

An qualitates virtuales eodem ubique modo insint rebus mixtis & operentur.

Videmus calorem, frigus &c. produci à mineralibus, vegetabilibus, animalibus, elementis, astris & sole; Jam quæritur, an hisomnibus eodem modo insint hæ virtutes, & rursum an eodem modo operentur.

. Adverte, non esse idem, calorem v. g. produci ab aliquo & inesse virtualiter alicui, vel rem aliquam habere vim producendi calorem & esse virtualiter calidam, id est, continere in se qualitatem seu calorem virtualem; Nam sol habet potentiam producendi calorem, etiamsi in se non contineat calorem virtualem sicut vinum; Jam

DICO primo, non eodem modo continet calorem sol, vinum, piper, lapis &c. prob. primo de sole, quia non inest huic ulla qualitas ex primis ut plerique sentiunt proindeque nec secunda ex iis orta, quæ tamen omnes reperiuntur in vino, pipere aliisque mineralibus & vegetabilibus, ergo aliter continet calorem sol, aliter vinum, piper &c. Dicitur autem ideò sol virtute continere calorem, quia beneficio luminis, quo omnibus universi corporibus præstat, habet potentiam hunc in mundo inferiori producendi, & non quod hic ex certa ejus temperatione resultet prout in rebus mixtis fieri solet. prob. 2. de lapidibus, matallis, variisque corporibus duris & solidis, quæ licet natura sua sint frigida, nihilominus possunt multo attritu incalescere & excitare tum ignem tum calorem, ergo nec in his continetur calor sicut io vino, pipere. Denique sol excedit latitudinem quæstionis, quæ sola res mixtas concernit, ergo quia non est ex barum serie, non potest continere calorem sicut vinum, piper,

DICO 2. diverso modo producitur calor à silice & à vino, patet ex dictis, & confirmatur tam experientia quam inductione; Nam sol producit calorem in his inferioribus per lumen & reflexionem suorum radiorum; lapis per attritionem & rarefactionem exhalationum, quæ in poris inclusæ sunt, quo modo etiam aët attritus & rarefactus ignescit; Vinum autem, piper, aliæque res natura sua calidæ, dum resolvuntur in lingua, actuantur in stomacho, convertuntur in sanguinem & adgenerantur viventi. Et hinc duplici modo intelligi potest hæc virtualis continentia caloris, primo quia potest calor ab aliquo produci, quocunque tandem modo. 2. quia ideo producitur, quod sub mixti forma lateat, & prodeat cum alteratur & resolvitur: primo modo sol continet calorem & Deus omnes creaturas possibiles, quia sol potest producere calorem ideò, quod diffundat ex se lucem, cujus vera & genuina soboles est calor; Deus autem propter infinitatem suæ potentiæ continet in se omnes res possibiles, quando vult producendas & rursum annihilandas. 2. modo continet calorem vinum, piper, quia in utroque obscurè latet calor dum sunt integra & in sua perfecta mistione, exeritur autem & sentitur, cum alterantur & cessante mistione qualitates singulæ suam comitantur materiam.

DICES, ex dictis sequitur, cælos eorumque sydera esse virtualiter calida, frigida, humida, sicca, quia diversis suis congressibus & conjunctionibus ut docent Astrologi, produ-

producunt frigus, calorem &c. Et hoc idem intellige de rebus calidis, quæ refrigerant, & de frigidis, quæ calefaciunt: Nam theriaca & quæ sudorem provocant, sunt calida, & nihilominus dum adustos ex corpore halitus expellunt, illud refrigerant; similiter frigida sæpè per caloris & spirituum concentrationem intendunt calorem, factâque meatuum obstructione febres accendunt. Resp. virtualem continentiam aliquando sumi in latissima significatione, & sic extēdi ad omnia illa, quorum beneficio producitur calor, frigus, sive proximè, remotè, sive per se, per accidens: Et juxtà hunc sensum etiam cæli eorumque singuli planetæ & astra dicuntur virtualiter calida, frigida: aliquando autem strictè, & spectare ad sola mixta, quia in his existunt actu qualitales virtuales, quæ ex varia primarum commixtione oriuntur, & in alienis corporibus, positis tamen prius certis & determinatis dispositionibus, inter quas præcipua est alteratio mixti & receptio in loco vel corpore debito. calorem, frigus, astrictionem, attenuationem, incisionem &c. producunt.

DIFFICULTAS V.

An qualitates virtuales vini, piperis, differant realiter à forma substantiali.

SOarius magnus hujus sæculi Philosophus & Theologus d, 7. s. a, numero 14. & d, 18. s. 2. numero 16. putat omnimò qualitatis illas virtuales realiter forma discrepare, eo quod vix magnetis, herbarum, lapidum &c. successu temporis senescat & minuatur. Sunt tamen qui id negent, dum putant virtutes mixtorum ideò minui, quia minuitur temperies qualitatum vel impeditur propter defectum alicujus conditionis requisitæ; sic enim cerebro læso aiunt debilitari intellectum; posse etiam aliquid positivi accidere quod impediat actionem sicut impedit allium tractionem ferri in magnete &c.

DICO 1. qualitates virtuales quæ sunt in mineralibus, in vegetabilibus totoque genere animalis, distinguuntur essentialiter & realiter à forma substantiali; Ita communis est sententia, & probatur non tantum apud eos qui potentias ab anima distinguunt, sed quia etiam contrarium tuentur, quia sunt accidentia formis superaddita manentque in subjecto pereunte forma ut patet in omnibus vegetabilibus, An tamen eodem modo differant à formis partialibus, incertum est, quia his pereuntibus etiam illæ confestim pereunt; Nihilominus tamen

DICO 2. probabilissimum videtur, etiam qualitates virtuales, in quocunque genere mixti reperiantur, differre à formis partialibus. Ratio est, quia nihil commune est accidenti & substantiæ, formæ accidentali & substantiali, quæ duo constat semper & ubique toto genere totaque natura discrepare. Et probat hanc conclusionem Soarius cit. hoc argumento, quod in fide catholica est validissimum: Eadem inquit est vis calefactiva in speciebus sacris, dum forma vini corrupta est, quæ fuit cum forma vini adhuc præsens esset, ergo reverà distinguitur à forma: Quod si dicas hanc vim miraculosè conservari ad tegendum mysterium; Respondetur, hoc verum quidem esse, nihilominus tamen illi naturale esse, calefacere stomachum & reliquas partes corporis: Hoc argumentum ita est efficax, ut etiam multi, qui aliàs hærerent dubii, censeant hanc conclusionem esse probabilissimam. *Argum. validissimum. cur qual. virt. differant à forma subst. &c.*

DICES 1. pereuntibus formis partialibus pereunt etiam virtutes, ut patet in omnibus vegetabilibus, ergo ab iis non differunt. Resp. neg. conseq. quia cū formis partialibus perit simul temperamentum, & pereunte temperamento perit anima omnesque formæ substantiales, & tamen temperamentum differt ab anima & omnibus formis substantialibus.

DICES 2. In mineralibus v. g. in lapidibus, metallis, terris, vegetabilibus &c. non dantur formæ partiales, quia sunt corpora homogenea, ergo frustrà quæritur de differentia qualitatum virtualium à suis formis subst. in omni genere mixtorum. Resp. neg. simpliciter antecedens, quia sola elementa sunt perfectè homogenea & non mixta, quæ habent suas venas, radices, meatus, poros, partesque hic densiores, ibi rariores, adeoque vel organa, quibus vitaliter operentur, vel certè qualitates secundas, quibus mixta verè heterogenea judicentur, vel certè quod superest, temperamenta, à quibus pendent qualitates virtuales,

DIFFICVLTAS VI.

An mixta tot gradus caloris frigoris contineant quot producunt, adeoque compleant totam in qualitatibus latitudinem graduum.

DIfficultas est, an cum rosa v. g. unum gradum frigoris producat ideòque communi medicorum judicio in primo gradu sit frigida, reliquos omnes gradus caloris ad complendam graduum latitudinem contineat, adeoque cum unum habeat gradum frigoris, reliquos 3, caloris participet, quod absurdum & contrà communem tum experientiam tum consensum esse videtur: Quod autem de rosa, idem de omnibus mixtis, quæ virtualibus operantur qualitatibus, intellige.

Adverte 1. quamcunque ex primis qualitatibus habere certam & determinatam intensionis latitudinem ideò, quod omnis potentia activa naturalis, à qua producuntur gradus, & receptiva in qua recipiuntur, limitatæ sint, in quo à supernaturalibus discrepant, quod hæ à Deo infusæ & in subjecto receptæ secundum potentiam obedientialem possint in

 infini-

infinitum augeri. Quod autem habeant æqualem latitudinem, ratio eſt quia aliàs una non poſſet alteram totaliter è ſubjecto expellere, quod tamen fieri certum eſt.

Secundò, dicas qualitates primas contrarias eidem rei poſſe ineſſe in gradibus remiſſis & non in intenſis, ut ex alibi dictis conſtat & oſtenditur ex ipſa contrariorum notione, qua ideò dicuntur contraria, quod ſub eodem genere maximè diſtent, & ſe mutuò ex eodem ſubjecto expellant. Tertiò, etiam qualitates ſecundas contrarias poſſe invicem permiſceri in gradibus remiſſis, quia non magis repugnat has eo modo inter ſe uniri quam primas, cum non plus illæ quam hæ ſibi adverſentur. Et patet ex Ariſt. l. 5. & 7. phyſ. dari ſcil. motum à buna qualitate ſecunda ad alteram, ut ab albedine ad nigredinem, ex quo ſequitur manere ſimul in eodem ſubjecto qualitates ſecundas in gradu imperfecto, cum aliàs hic motus fieri non poſſit niſi cum participatione utriuſque contrarij. Quartò, omnes qualitates ſecundas habere quidem intenſionem & remiſſionem, non tamen ſemper habere contrarium: primum patet in odore, gravitate, vi aſtringente, ſomnum inducente, &c. alterum in virtute tractiva magnetis, inebriante vini, pus movente, ulcerante, intoxicante &c. Quintò, qualitates in mixtis conſiderandas eſſe vel ſecundum ſe vel ſecundum effectum, v. g. frigus & calorem in roſa ſecundum ſe & prout concurrunt ad mixtionem, tum ſecundum effectum, qui ab ipſa roſa poſt reſolutionem in ſtomacho factam producitur.

Suppono 1. alium eſſe calorem qui conſtituit temperamentum, & alium qui eſt idem quod vis calefactiva diſtincta à priori. 2. alias eſſe virtutes primas & vis calefactiva, frigefactiva, &c. alias ſecundas, ut vis aſtringens, rarefaciens &c. 3. qualitates in mixtis alias eſſe primas, alias ſecundas, & ex his alias formales ut odor in roſa, alias virtuales, ut ejuſdem roſæ vis refrigerans. 4. omnes qualitates virtuales poſſe dici ſecundas quia non ſunt primæ & ſpectare ad ſecundam ſpeciem, id eſt, ad naturalem potentiam. His poſitis

DICO primo, duæ primæ qualitates contrariæ in uno ſubjecto & temperamenti conſtitutivæ, v. g. frigus & calor in roſa ſecundum ſe conſideratæ, neceſſariò complent totam latitudinem graduum unius. Ita communis eſt ſententia, & probatur, quod enim in mixto frigus aut calor non habeat ſuam ultimam & ſupremam perfectionem, quam tamen ex ſua natura cupiunt habere, nulla alia eſt cauſa, quam quia contrarium ſibi admixtum habent, & quidem tot gradibus quot adſunt à contrario, ergo in roſa complent totam unius latitudinem calor & frigus inter ſe commixtæ. Quando itaque primæ qualitates in generatione mixti concurrunt, tantum una infringit alteram, quantum ſubjecto de ſe communicat, v. g. ignis cum deſtruit frigus aquæ, tantum caloris in ea producit quantum frigoris adimit; Neque enim poteſt ceſſante uno alteroq;

Quare duæ qual. contraria cõplent latitudinem graduum.

gradu caloris non ſequi frigus, ne vel univerſum à ſua perfectione recedat, vel natura ſibi ipſi interitum inferat, quod abſurdum eſſet & in caſu fieret. Cum igitur in hoc duorum contrariorum concurſu latitudo unius expleatur, & illa expletio poſt generationem etiam non pereat aut ceſſat, neceſſariò dicendum eſt, duarum qualitatum contrariarum gradus ſemper unius facere complementum, idque in omnibus rebus & mixtis naturalibus, quia hæ ſunt primæ rerum naturalium & generationis & alterationis miniſtræ & opifices, quibus mediantibus ſubſtantiæ operantur. ſed an hoc etiam de qualitatibus ſecundis verum?

DICO 2. qualitates ſecundæ ſive formales ſive virtuales non ſupplent neceſſariò aut integrant totam latitudinem graduum: patet hoc non tantum in virtutibus moralibus, ſed etiam in iis qualitatibus quæ primas immediatè ſequuntur; Nam ſicut non requiritur ut quantum Petro in temperantia deeſt, tantum ei à vitio contrario ſuppleatur; Ita etiam neceſſum non eſt, ut, cum odor, ſapor, vis aperiens, emolliens, attrahens &c. in aliquo ſubjecto remittit, tantum accedant eorum oppoſita. Vis noſſe cauſam? hanc Conn. 2. de gen. c. 3. q. 8. a. 4. docent, quia inquiunt cum tales qualitates reſultent ex cõmiſtione primarum, poterunt hâc diſſoluta ita remitti & evaneſcere, ut in ſubjecto contraria qualitas non proveniat, cum in eo non exiſtat talis proportio, quæ ad illarum ortum exigatur. Hic tamen iidem Conn. advertunt, in iis nimirum qualitatibus ſecundis, quæ vel ſequuntur rationem quantitatis ut raritas & denſitas, vel quamlibet proportionem primarum ut gravitas & levitas, non ita defectum unius & additamentum alterius intelligendum eſſe, quaſi quanta portio in quolibet miſto deſideretur de gravitate terrea, tantum inſit de levitate, cum multa ſint quæ cum aliquanta levitate obtineant partẽ unam terreæ alteram aqueæ gravitatis; ſed ita, ut quantum deſit de gravitate abſolutè, tantum de levitate ſuppleatur, ſive gravitas ſolummodo ſit terrea ſive aquea, ſive conflata ex terrea & ignea; ſimiliter ſive levitas tantum ſit aërea ſive ignea ſive ex utrâque conflata.

Qualitates 2. non complent totam latitudinem graduum qual. 2.

DICO 3. latitudo ſive multitudo gradualis qualitatum primarum in mixtis non petenda eſt ex effectu quem producunt, id eſt, ab uno gradu frigoris quem roſa producit, non metiendi ſunt 3. caloris ad complendam latitudinem. Ratio eſt, quia roſa plus continet & producit frigoris quam caloris, quo nomine etiam dicitur frigida & non calida; Deinde quia hi gradus caloris & frigoris non ſunt formaliter in mixtis, ſed tantum virtute, unde etiam qualitates virtuales appellantur. Adhæc omnia mixta per virtutes ſuas id operantur quod ſunt, nimirum ſi frigida, frigus, ſi calida, calorem, & ſic de cæteris, ergo ex effectu nec contrarii conſtitutio nec ejus quod producitur, metienda eſt, ſed tantum virtus in calore, frigore, humore &c. vel multum vel parum exupe-

Roſa quæ lenitur, id eſt, in primo gradu calefacit, non eſt in 3. frigida.

exuperans. Denique non constat nobis quibus gradibus inter se qualitates primæ in rebus mixtis temperatæ sint, & quicquid cognoscimus, id cognoscimus ab effectu, id est, à calore vel frigore, quæ in alieno corpore producuntur, nos autem ad primum vel secundum gradum trasscribimus: Et multa sunt mixta quæ in gradu quarto adeoque in ultimo apud Medicos sunt calida, ut flammula jovis, calx, arsenicum &c. vel frigida ut opiū, mandragore, cicuta &c. in quibus proinde nullus reperiretur vel calor vel frigus contrà naturam mixti. Nos itaque cum adverrimus mixtum aliquod producere levem aliquem calorem, judicamus hunc leviter dominari & excedere frigus; si validiorem, jam multis partibus superare &c. Nam in rebus mixtis dominatur ea qualitas quam per se producunt, dum intra corpus viventis alterantur, cuius ratio patet, quia hæc est natura sublunarium, ut juxtà qualitates & virtutes, quas à generante suo acceperunt, in alienum subjectum operentur, ne produćat aliquid quod est extrà suam sphæram, fiatque in universo confusio, ergo mixta id dicenda sunt quod producunt, v.g. calida si calorem, frigida si frigus &c. quod confirmatur in vino quod quia calidum est, semper calefacit, & quia calefacit; semper habetur calidum. Dixi tamen per se, quia multa sunt quæ per accidens frigefaciunt, quamvis sint calida, ut patet de sudoriferis, de aqua frigida, quæ sæpè per accidens calefacit, uniendo calorem & spiritus: Et quia hæc omnia de qualitatibus primis virtualibus dicuntur, ideircò

DICO 4. multò minus latitudo graduum in qualitatibus secundis virtualibus ex effectu spectanda est. Ratio, quia huiusmodi virtutes non habent omnes contrarium, ut patet in virtute inebriante, calculum frangente, expectorante &c. Et si habeant, non sunt in eodem subjecto, sed nec possunt esse, quia emanant à diversis temperamentis.

Colligitur. vim calefactivam in vino, cinamomo, pipere &c. non esse idem, quod temperamentum, aut calor qui concurrit ad temperiem in huiusmodi mixtis.

DIFFICVLTAS VII.

Quæ & quot virtuales qualitates in mixtis reperiantur.

Effectus qualitatum virtualium per se patent, non item modus, quo in humanum corpus agant, v.g. quomodo feniculum calefaciat & aperiat, plantago astringat, apium urinam & artemisia menses moveat, sudorem theriaca eliciat, Rhabarbarum purget, cornu cervi, bezoar, lapides pretiosi & similia vitalia confortent. Hæc omnia in sequentibus explicabuntur, ad quorum faciliorem cognitionem

Adverte primo, qualitates omnes virtuales generatim dividi posse in primarias & secundarias: Illæ sunt vis calefaciens, frigefaciens, siccans & humectans: hæ attenuans, aperiens, constringens, condensans, incidens &c. Illæ dicuntur primariæ, quia primi & formales earum effectus sunt calefacere, frigefacere &c. secundi verò attenuare, incrassare &c. 2. bis virtutibus suos quoque inesse gradus, ut patet in rosis, quæ moderatè laxāt, in agarico, qui fortius movet, in diagridio, quod validissimè purgat. 3. unum idemque mixtum non tantum in diverso sed etiam in eodem subjecto aliter atque aliter operari ob varietatem dispositionum quas diversis temporibus ubique reperit; Cum enim hæ virtutes tanquam causæ æquivocæ agant, requirunt certas & determinatas in subjecto dispositiones, quibus immutatis earum quoque effectus vel plus vel minus immutantur. 4. multa reperiri mixta, quæ non tantum in eodem subiecto, sed etiam eodem tempore diversos & contrarios effectus producant propter diversas substantias elementares, quæ post mixti resolutionem in stomacho sua obtinent vires, ut patet in Rhabarbaro, cuius pars & substantia subtilior vim moventem, terrestrior verò constringentem obtinet. 5. ad omnes mixtorum effectus plurimum facere dispositionem in qua ipsæ virtutes sint perfusæ; Ita n. crassities, viscositas, tenuitas, raritas &c. vim agendi vel augēt, vel minuūt, vel langnidiorē reddunt, si prælertim ad hæc dispositio passi accedat. 6. quædam mixta respicere suis virtutibus hanc vel illam alieni corporis partem propter aliquam vel convenientiam vel disconvenientiam: Et hæc causa est, quare eadem omninò medicina tam in ejusdem corporis diversis partibus quam in distinctis quoque subjectis aliter operetur. Iam

DICO breviter, virtutes omnes mixtorum, quas natura ad generationum & corruptionum vicissitudines implantavit, & quas hactenus usus, ratio & experientia ab actionibus quæ in immutandis & alterandis universis mixtis tum potissimum in homine observari solent, comprobavit, sunt

Primaria, vis Calefaciens,
frigefaciens,
humectans,
siccans,
temperata,
Secundaria Astringens sive constringens,
occludens sive obstruens,
condensans sive incrassans,
dilatans,
apetiens sive obstructione liberans,
indurans, emolliens,
rarefaciens vel attenuans,
discutiens sive resolvens,
attrahens,
reprimens sive repellens,
flatus generans eosdemq; discutiens,

incidens,
abstergens,
emplasticans sive illiniens
relaxans, tendens,
leniens, exasperans,
roborans, debilitans,
leniens dolores; expectorans; tussim sedans,
calculum frangens, maturans, putrefaciens,
lac generans, semen augens, venerem stimulans,
somnum concilians, stupefaciens,
digerens, præparans, pus movens, carnem generans,
erodens; cicatricem inducens, glutinans sive vulnera sanans,
vesicans, urens, exulcerans,
inebrians, intoxicans, Venena & purgantia corrigens,
vermes necans. Amorem concilians &c.

Quod autem hæ singulæ sicut & plures aliæ in mistis repetiantur, patet primo ex usu & experientia, quia non tantum conservatio singulorum individuorum in humana specie his omnibus opus habet, sed docuit etiam ipsa experientia, has sæpè in omni mistorum genere fuisse comprobatas, dum vel sanitatem labentem restituerint, vel morbum ingravescentem evicerint, vel causas morbosas expulerint, vel denique omne præternaturale averterint, adeoque hominem ab injuriosis affectibus ad integritatem reduxerint: Et suadet hoc idem secundò ratio, quia profectò dura & infidelis foret natura, quæ in tanta rerum sublunarium varietate non dedisset mixtis virtutem, sanguinem v.g. in aliqua corporis parte coagulatum dissolvendi, aut carnem avulsam reuniendi, aut calculum renibus impactum confringendi &c. cum tamen hæc omnia non exigant virtutem mistis in hoc statu contrariam aut impossibilem, constet autem in unius hominis gratiam omnia à Deo facta & producta fuisse.

DICES, plerosque effectus, qui hisce virtutibus defeuntur, fieri operâ & ministerio primarum qualitatum, ut patet in rarefactione, attenuatione, densatione, obstructione & similibus quæ fiunt à labore & frigore, ergo frustrà finguntur tot virtutes. Resp. neg. conseq. quia satis est quod calor virtualis habeat potentiam producendi distinctos effectus, si alio atque alio modo cum cæteris qualitatibus & certæ materiæ dispositioni junctus fuerit. Deinde attenuatio, densatio aliique similes effectus non in mixtis præcisè à calore vel frigore, sed à toto temperamento, à quo etiam tot virtutes resultant, quæ proinde sicut inter se, ita etiam à qualitatibus primis earumque temperatione distinguuntur.

Colligitur, tot in mixtis concedi posse virtutes, quot modis status corporis sani perfectus evertitur, vel, quicquid præternaturale in homine sano est, expellitur, vel denique ipsa integritas corporis conservatur.

DIFFICULTAS VIII.

Quomodo virtualiter calida, frigida, humida, sicca, temperata operentur.

CONstat omnis generis mista & formaliter & virtualiter calefacere, frigefacere, humectare & siccare, sed modus est obscurus, quo id præstent, si non in omnibus, saltem in quibusdam. Nam quis facilè discerit, quomodo cibus calidus frigefaciat, aut medicina frigida calefaciat: Et rursum quis facilè intellexerit, quomodo acetum, alumen, piper, porrum, vinum &c. exsiccent, aut pepones, portulaca, violæ, lactuca, humectent cum non sint formaliter talia. Et quia de virtualibus eorumque effectibus tantum est difficultas; Idcircò

DICO primo, mixta, quæ sunt virtualiter calida, frigida &c. operantur sicut ea quæ formaliter sunt talia quoad rem, non quoad modum. prob. primum, calor virtualis eundem producit effectum estque ejusdem dignitatis cum formali non tam in ordine ad esse quam ad operari, si aliunde nihil obstet, ergo eodem modo quoad rem operabitur; hoc confirm. in vivo, quod dum ventriculum calefacit, producit in eo calorem, sicut cum sol aërem & ignis aquam calefacit, id est, producendo formam accidentalem in ventriculo, aëre, aqua, quæ prius non erat nisi in potentia eorum, ergo virtualiter & formaliter calida quoad rem æquè calefaciunt, quod idem de frigidis intellige; humor & siccitas ubiq; disparem & inferiorem habent conditionem. prob. secundum, quia formaliter calida, dum ubique sub sensum cadunt, semper & ubique calefaciunt, ut patet in aqua ebulliente vel ferro ignito quæ ubique applicata formaliter & effectivè calefaciunt; quæ verò virtualiter solùm participant calorem, non manum, non lapidem, non aquam calefaciunt, sed vel linguam vel stomachum, & ubi prius à calore vitali alterantur; Nam sic calor elementaris, qui sub terreo & in corpore mixto latebat, jam liberior factus vim suam naturalem in partem sive animatam ut ventriculum sive inanimatam ut chylum, sanguinem & humores exerit, quod idem de cæteris omnibus qualit. virtualibus intellige, quia omnes ad hûc modum in corpus operantur. Quamvis etiam dici possit, eundem esse modum producendi calorem tam à formaliter quam virtualiter calidis, quia utrinque producitur calor & recipitur eodem modo in ventriculo, epate, sanguine &c. esto productivum caloris non sit uniusmodi, quod nihil convincit, quia est illud merè extrinsecum. Sed quid de de humore

Virtualiter calida quoad rem non quoad modum calefaciunt sicut formaliter talia.

more & siccitate? Ratio dubitandi est, quia sunt potius qualitates passivæ quam activæ, & quia non facilè intelligitur, quomodo v.g. manna, saccharum, feniculus, acetum, alumē & alia post actuationem, in corpore siccent, malua autem, viola, uvæ, lactuca &c. humectent, cum in utrisque post actuationem & humor & siccitas reperiatur. Respondeo itaque &

DICO 2. nec humor nec siccitas formalis habent eam vim eumque modum operandi, quam habent calor & frigus formale. probat. hoc ex natura utriusque. Nam longè minoris sunt activitatis quam calor & frigus; Deinde ex se non sunt ita constitutæ, ut à potentia materiæ sicut calor & frigus producantur, sed quia maximam habent consinitatem cum materia, vel transferuntur de loco in locum unà cum subjecto, ut patet dum lingua arida pòtu, vel pannus nebulosus aëre vel aquâ lapis humectatur; vel producuntur ex recessu contrarii saltem secundariò, ut fit dum eadem lingua, quæ prius humida fuerat, per calorem humore evaporante vel quovis modo evanescente siccatur, ad quem modum lignum, pannus omniaque corpora humida arescunt. Contrà verò arida ex accessu contrarii concreti humescunt, Dixi tamen secundariò, quia dum calor linguam siccat, non fit ideò solùm quod humor recedat contrà conclus. diffic. 5. disp. 11. huius libri, sed quia etiam calor verè siccat & siccando humorem expellit.

Humor & siccitas quomodo agant. DICES, humoris primarius effectus est humectare, & siccitatis siccare, ergo producunt effectus sibi similes, id est, humorem & siccitatem, sicut calor & frigus calorem & frigus. Seclusis effectibus formalibus immanentibus resp. si per humectationem intelligatur, quod res humida corpus siccum humectet, quia videl. in eo recipitur, verum est humorem producere per se talem effectum, quia verè humectat idque formaliter; si autem intelligatur, quod humor in alio subjecto producat humorem nihil sui aut subjecti sui communicando, & in ea perfectione quemadmodum fit in productione caloris & frigoris, falsum; Nam quando aër humidus pannum, lignum, lapidem &c. humectat, recipitur & aër & cum aëre humiditas, secus in calore, qui è potentia materię novum producit calorem, & hoc ex intrinsecа perfectione, quæ in priori deficit; Et idem de siccitate intellige in hoc ab humore discrepante, quòd hæc, sicut frigus calori cedat; Nam licet corpus siccum, v.g. exhalatio producat in panno humido siccitatem, hanc tamen non educit sicut calor vini aut ignis in stomacho & manu alium calorem, sed potius per recessum, evaporationem & consumptionem humidi, quod ex hoc patet, quia pannus aut vestis post exiccationem fit levior. Sed quomodo humor & siccitas virtualis humectant & siccant? Respondeo &

DICO 3. sicut humor & siccitas formalis producunt humorem & siccitatem, ita etiam humor & siccitas virtualis, non quidem quoad modum, sed quoad rem. Hæc conclusio eadem est quæ prima, quia utriusque eadem est ratio; sicut enim res quæ formaliter est humida, producit humorem, etiam antequam actuetur & alteretur, quo opus non habet; Ita etiam eundem producit res quę virtualiter est humida, post actuationem & in stomacho vel lingua factam alterationem; sed in utroque modus tantum, id est, alteratio facta intrà corpus distinguit, ergo quoad rem eodem modo humor virtualis & formalis humectant; Major patet ex ratione concoctionis in stomacho, quia quando lactuca aliaque mixta alterātur, aqueus humor separatur à terrea, & obtinet vim agentis jam formalis, quod idem de siccitate intellige.

DICO 4. Etiam dantur mixta temperata, quæ ad eundem modum sicut qualitates primæ operantur. Adverte, temperaturam hanc vocari, quando qualitates primæ æqualem in misto proportione magendi obtinent, vel cum calido & humido viveotis magnam habent affinitatem, adeoque nec utrumque minuunt nec augent, quomodo vocamus eam complexionem temperatam, quando observatur notabilis excessus vel defectus 4. primarum qualitatum, ea autem temperata alimenta, quæ calorem & humorem naturalem fovent & conservant. Iam prob. primum, quod videl. dantur mista temperata, quia pertinet hoc ad decentiam & perfectionem rerum naturalium, ut sicut ad humanæ vitæ sanitatisq; conservationem requiruntur mista, quæ in qualitatibus primis excedant, ut nimirùm omnibus in cutiis & causis morbosis occurrant, ita etiam ea concedantur, quæ calidum & humidum foveant & contemperent. Deinde nulla reperitur implicantia nec ex parte agentis & generantis, nec ex parte subjecti, quia sicut elementa in excessivis, ita quoque in temperatis producendis fœcunda sunt in quibus etiam utrisque se compatiuntur; Adhæc docet experientia & omnium Medicorum authoritas, nos quotidiè huiusmodi mixtis nutriri & conservari, cuiusmodi sunt asparagus, radix graminis, lentiscus, semen lini, lentes, fabæ, mastiche, oleum dulce, nuclei pinei, terra samia &c. secundum patet ex dictis, quia post alterationem in lingua vel stomacho operantur quemadmodum in se affecta sunt, id est, temperatè nec deficiendo aut excedendo in productione unius aut alterius qualitatis. *Mista temperata quomodo agant.*

DICES primo, huiusmodi mista non posse agere, ergo erunt superflua. Resp. neg. antec. quia non consistit temperatura in æqualitate ad pondus, sed in ea temperatione, quæ calori virali sit proportionata, & quia ipsæ qualitates à se invicem non multum excedant.

DICES 2. ex hoc misto generari qualitates secundas æquales, quia oriuntur ex temperatione primarum. Resp. qualitates secundas præter temperationem primarum requirere etiam materiæ dispositionem, juxtà cuius va-

riatio-

riationem variant & ipsæ; sic calor in tenuiori substantia aliter operatur quàm in crassiori, & temperamentum frigidum si sit in subjecto terreo, densat, in rariori autem astringit & occludit.

Si quæras, an aliqua sint mixta quæ magis v.g. refrigerent hominem quam aqua pura; Et ratio dubitandi est, quia aqua est summè frigida, nec habet qualitatem contrariã sibi admixtam, sicut vegetabilia, mineralia aliaque omnis generis mistione concreta. Respond. quamvis mixta semper habeant duas qualitates sibi contrarias, adeoque nullam in summo sicut aqua aliudve elementum, magis tamen refrigerare, v.g. hominem si æstuet; Ratio est, quia frigus in mixto virtualis est, habituatus & propter materiam cui firmiter inest, difficulter, quamvis non semper & ubique, dissipatur aut corrumpitur sicut in aqua frigida, quæ facilè in stomacho incalescit deseritque frigus suum nativum, quia elementum est, à quo facilè expelluntur qualitates, & quia est corpus liquidum & rarum, propter quod etiã glacies magis refrigerat quia est densa &c. non tamen intellige hoc de calore elementari & in summo constituto, quia hic activior est quam in ullo mixtorum. Itaque per accidens est, quod mixta magis refrigerent si intus assumantur.

DIFFICVLTAS IX.

An & quomodo mixta dicantur esse substantiæ crassioris, tenuioris &c.

QVando Medici, quibus hæc locutio communis est, de substantia crassiori & tenuiori in rebus mixtis loquuntur, vel intelligunt constitutionem & affectionem totius misti, quemadmodum constat cerevisiam esse crassam, vinum tenue, vel ipsum misti spiritum & vaporem sive exhalationem, in quæ tota misti virtus residet; Iam

DICO 1. per crassitiẽ & tenuitatẽ substantiæ non intelligitur eius soliditas, fluiditas, densitas, raritas &c. Ratio est, quia multa sunt crassę substantiæ, ut astringentia, densantia, obstruentia, refrigerantia, quamvis sint in materia ad sensum tenuissima, v.g. in aceto, in succo plantaginis &c. & è contra tenuioris, quæ tamen videntur crassa & terrea, ut myrrha, Rhabarbarum, cinamomum, castoreum & similia quæ attenuant & menses movent.

DICO 2. per crassitiem & tenuitatem substantiæ intelligitur materia, cui post alterationem tota misti virtus inhæret, cuiusmodi est vapor sive exhalatio & spiritus. Ratio est, quia intelligitur illud quod corpus alterat & movet; sed hoc est substantia vaporosa sive spirituosa, cui inhæret virtus totius misti, ergo. Et hinc alimentum aut medicina calida potest esse substantiæ crassioris, frigida tenuioris, illud patet in alumine, hoc in aceto.

DICES primo, in omnibus mistis existit qualitas agens post actuationem in spiritu, ergo omnia mista sunt tenuis substantiæ. Resp. neg. conseq. quia calida semper habent spiritum tenuiorem, frigida crassiorem. Si dicas, vinum esse calidum, & tamen habere spiritum crassum quo caput opplet; deinde multa sunt calida quæ dicuntur substantiæ tenuioris & contra, ergò crassities & tenuitas substantiæ non consistit in hoc; sed resp. ad primum, vinum habere quidem vapores crassos & copiosos, sed distinctos à spiritibus in iis existentibus, qui tenuissimi sunt & ignei. ad secundum negatur absolutè vim calidam existere in materia vel spiritu denso & crasso. Sed quid de aliis virtutibus secundariis? Resp. sequi naturam temperamenti & vires primarias, quia nullum est mistum, quod his careat.

DICES 2. quædam astringentia sunt calida & quædam frigida, & tamen omnium virtutes sunt in eàdem substantia, ergo falsum est calida esse tenuioris substantiæ, frigida densioris. Resp. neg. antec. quia non est opus ut omnia astringentia sint vel substantiæ tenuioris vel crassioris: Neque vis astringens in hoc consistit, neque requirit vel tenuem vel crassam substantiam, cum illud ab alio principio oriatur, nimirùm, à terreo vel magis vel minus cocto, crudo, adusto, sicut patet in cineribus & salibus, qui omnes per adustionem vim quoq; constringentem habent, sive hæc vis existat in tenui sive in crassa substantia.

DICO 3. in mixto non tantum sunt diversæ substantiæ, sed etiam diversæ & contrariæ virtutes. Ratio est, quia in uno eodemque mixto distinctæ sunt substantiæ elementares, ergo etiam distinctæ qualitates & virtutes tam primariæ quam secundariæ, & non tam formales de quibus nulla est difficultas, quam virtuales. Confirmatur in vino, in cuius substantia ignea & spirituosa est vis calefaciens & siccans, in aquea verò & serosa frigefaciens & humectans; similiter in lacte, Rhabarbaro & sexcentis aliis; nam in Rhabarbaro promit substantia spirituosa vim calefacientem, attenuantem & laxantem, terrea autem & seculenta constringentem; in lacte debetur temperatus calor floti, sero frigus, & coagulo nutrimentum, quia videl. flos aërem participat, serum aquam, & coagulum terram, unde etiam densat & occludit.

DICES, hinc sequitur, plerasque res sublun. non esse mixta perfecta, quia nec materia eorum nec qualitates inter se perfectè sunt unitæ, quod tamen ad perfectam mistionem requiritur. Resp. primo neg. seq. quia in omnibus mistis post alterationem & actuationem intrà corpus separantur materiæ & substantiæ elementares & occupant sua loca quæ ipsis ex natura competunt, ut ignis cum calore supremum, terra cum siccitate inferiorem &c. Resp. 2. mixta vel esse homog. vel heterog.

rog. si hoc, certum est, non habere ubiq; suas qualitates sive motivas, sive alterativas æqualiter mixtas, quod etiam non requiritur, quia sufficit ita ubique inter se commisceri, ut juxtà partis & corporis heterog. exigentiam dominentur; si prius, dubium est, an ubique omnia sint æqualiter distributa, quia videmus in vino partes superiores præstare calore, alias frigore, alias esse rariores, crassiores &c. Quamvis itaque in mixtis homogeneis qualitates & virtutes sint perfectè cum substantiis elementaribus inter se commixtæ & unitæ, in dissolutione tamen, quæ fit per vim caloris digestivam, separantur, ut patet in Rhabarbaro, in quo dum integrum est, nullæ patent qualitates & virtutes ab aliis separatæ, nullæ substantiæ inter se discontinuæ, nisi primum post ejus decoctionem.

DIFFICULTAS X.

De virtute astringente, incrassante, densante, occludente, obstruente, congelante, indurante &c.

AD unam difficultatem redigi possunt hæ virtutes, tum quia in effectu & operandi modo non multum discrepant, tum quia unū idemque mistum id totum præstare potest quod omnia præstant, Nam eadem v.g. medicina dum reddit humores compactos ob frigus materiæ crassæ conjunctum, dicitur incrassans, densans, indurans, congelans &c. Cum autem obstruit meatus vel ductus, dicitur coarctans, constringens, occludens, coangustans, quæ quasi synonima sunt.

DICO primo, vis astringens est, quâ meatus coarctantur, partiumque labra nonnihil distantia conjunguntur. Non semper uniusmodi rebus mixtis inest, nec eodem ubiq; modo suos elicit effectus ut patet inductione; Nam imprimis inter constringentia sunt calida & frigida, humida & sicca, quæque aliquando substantiam crassam & terream, aliquando tenuem & vaporosam habent juxtà medicorum doctrinam. Sic inter astringentia calida numerantur abrotanum, absinthium, calamus odoratus, Centaurium, Cyperus. Inter frigida plantago, tosa, cortices & flores granatorum, terra sigillata, bolus armenus, quæ etiam partim humida sunt ut rosa, partim sicca ut terra sigillata, partim tenuioris substantiæ ut absinthium, partim crassioris, ut alumen, acetum. Adhæc quædam astringunt per se; quædam per accidens, quædam primariò, quædam secundariò, alia siccando & humidum exprimendo vel repellendo vel absumendo, alia denique ob frigidum terreum coangustando. Sic per se & ex natura sua constringunt quæ habent partes crudas terreas, immaturas, incoctas, & cum calido non benè commistas ut omnis generis fructus & succi immaturi, plantago, tormentula, angelica, mala cydonia, flores rosarum, granatorum aliaque plurima quæ propter substantias terreas, crudas & austeras contrahunt & constringunt: sic per accidens astringunt, quæ humorem partium quovis modo absumunt & repellunt, ut ventus borealis, calida siccantia, evacuantia, vomitiva, sudorifera; sic primariò astringunt quæ per primò in hunc effectum intendunt, secundariò verò quæ primò siccant, reprimunt & repellunt, tum consequenter astringunt, quia videl. labra vasorum partesque meatuum ex se concidunt; quæ enim valida siccant & humorem absumunt, ideò constringunt quia partes ultrò comprimuntur, ut patet in ventriculo inanito, tum in corio prius humectato & ad ignem resiccato. Itaque in universum sit astrictio vel quia humidum absumitur, vel quia repellitur.

Astrictio quomodo fiat.

DICO 2. virtus incrassans est, qua compacti redduntur humores, & consistit in substantia crassa frigori juncta, citrà tamen omnem acrimoniam, in quo à priori discrepat. Fit itaque incrassatio ad eum ferè modum, quo materia crassa miscetur tenui ut terra aquæ; hoc faciunt frigida & humida, ut hyosciamus, portulaca, papaver, sedum majus, quorum vapores crassi & spiritus dum post alterationem humoribus & sanguini commiscentur, eos per se incrassare dicuntur; Contrà verò per accidens quæ ex natura sunt calida quæque partes tenuiores absumunt & in vapores convertunt relictis interim & concretis densioribus. Et huc quoque spectat vis densans quæ contraria est rarefacienti, redditque substantiam solidiorem propter frigiditatem & crassitudinem materiæ. Est autem hic multorum opinio, ut incrassatio vel densatio tantò fiat commodius, siccitate quoque præter frigiditatem opus esse & vi modicè astringente, ita tamen ut prior utraque qualitas sit moderata; Major enim inquiunt frigiditas obstrueret meatus, ut in superficie tantum fieret condensatio & in partibus profundis ob caloris concentrationem rarefactio, neq; posset vis medicamenti ob substantiæ crassitiem penetrare, & siccitas immodica exasperaret locum & inhabilem faceret pro humorum retentione. Inter hæc numerari solent radix anchusæ, aqua frigida, lenticula palustris, portulaca, sedum majus, tribulus viridis, lentiscus, psyllium &c.

Incrassatio quomodo fiat.

DICO 3. vis occludens, obstruens sive coangustans contraria est apertioni, eâque venarum & meatuum capacitas coarctatur. Huius mixta sunt crassioris substantiæ frigidæ & siccæ omnisque acrimoniæ aut amaroris expertia, quæque inter austera & astringentia non omninò primas obtinent. Talia sunt amylum, bolus armenus, terra lemnia, dactyli, pinguedines &c. Variant itaque in effectibus hæc mixta, secundum varios gradus frigoris, humoris & siccitatis cum pauco calore & in subjecto magis minusve crasso & terreo fundatos.

Vis obstruens.

DICO 4. *Congelans*

DICO 4. vis congelans contraria eſt fundenti de qua infrà, oriturque à cauſis ipſi contrariis, ſumma ſcil. frigiditate quæ condenſat humores & calorem nativum ſupprimit vel etiam extinguit. Huius generis ſunt fungi, opium, mandragora, hyoſciamus, papaver erraticum &c.

Indurans.

DICO 5. vis indurans eſt qua partes corporis indureſcunt: Quot autem modis indurata emolleſcunt. tot etiam emollita indureſcunt. Nam ſi imprimis aliquod membrum in corpore ob extranei humoris copiam fuerit emollitum, ſicut caro in ulcere, indiget exiccantibus quæ humorem abſumant; cavendum tamen, ne talia erodant, quod fiet cũ attractione materiæ, vel putrefaciant quod fiet cum corruptione; proinde non debent eſſe intenſè calida aut frigida, ſed temperata. Deinde quæ ſunt à calore emollita, frigidis indurantur & humidis; & quia cum ejusmodi emollitione multum quoque humidi deperditur, ideò non malè adhibentur ea quæ ſimul humectant aut ſaltem inſigniter non exiccãt, unde neque aſtringentia admodum neque acerba conveniunt, quia potius ad exprimendum ſunt idonea; Et quia frigus intenſum non tantum refrigerat, ſed etiam exprimit, ideò etiam in ſecundo gradu cum humiditate, non autem cum ſiccitate ſufficit additis non fruſtrà emplaſticis ut oleo roſatum, viol. nymphææ &c. Denique ſi emollitio fuerit facta ex evacuatione, ut contingit in atrophia, tabe; neceſſariæ ſunt medicinæ calidæ & ſiccæ quæ attrahunt, quia indigemus attractione ſanguinis ad locum affectum, quod fit rebus inſigniter calidis & tenuioris ſubſtantiæ, quia difficulter meatus clauſi penetrari poſſunt: Ad hos affectus mixta in 3. gradu calida & ſicca in 4. eſſe poſſunt, ut oppoponax, pix & quæ ad dropaces idonea ſeliguntur, intenſiora verò ſunt pyrethrum, ſinapi, euphorbium, in quibus omnibus ſemper obſervandum ne diutius loco affixa maneant, ſed ad apparentiam rubedinis amoveantur, quia alioquin caliditas medicamentorum redundans non tantum attrahet, ſed etiam attractum ſanguinem reſolvet locumq; magis evacuabit.

Emollitio.

Quando opus calidis attrahentibus.

Attrahentia fortiora quæ.

DIFFICVLTAS II.

De virtute dilatante; aperiente, rarefaciente, diſcutiente vel reſolvente, fundente, emolliente.

Dilatatio.

DICO primo, dilatare nihil aliud eſt, quam orificia vaſorum ampliare, proinde actio hæc contraria eſt aſtrictioni quæ à frigido ſicco & terreſtri pendet: fit autem dilatatio partim ab iis quæ abſtergunt & humores adhæreſcentes detergunt & eluunt de quibus infrà, partim ab iis quæ calorem aëreum humido adjunctum habent, ut oleum amygd. dulce, oleum vetus, maturum, chamomel: butyrum &c. quia mollificant & lubrifaciunt vias ſive meatus, ut commodius humores quicunque tranſeant: Diſtinguunt nonnulli hæc dilatantia ab aperientibus, alii verò ea inter ſeſe confundunt, eò quod utrumque præſtent; ſive tamen eadem ſint ſive diverſa, contrariantur aſtringentibus & obtinent calorem moderatum humori adjunctum.

Apertio.

DICO 2. Aperire eſt viam ſive meatum reclusum & obſtructum denuo reſerare omniq; infarctu liberare, idque ut plurimũ in partibus profundioribus. Fit autẽ apertio partim ab iis quæ incidũt humores craſſos frigidos & viſcoſos, partim ab iis quæ reſolvunt, digerũt, attenuant & rarefaciunt; Et hinc aperientia craſſiuſculam & terream habent ſubſtantiam caloremque validiorem ut profundius penetrent nec facilè vis eorum diſſipetur; neque tamen nimis ſint calida aut craſſioris ſubſtantiæ ne magis putrefaciant quam aperiant; Nam ſufficit calor ſecundi gradus & primæ tertiæque manſionis, tum ea materiæ diſpoſitio quæ caloris penetrationem & apertionem foveat. Hinc amara omnia conferunt quæ in moderatè craſſa ſatisque per calorem decocta ſunt ſubſtantia, ne in majori calore & materia denſiori ſubjectum proprium adurant, ſiccent & penetrationem impediant, habito tamen ſemper reſpectu ad propriam ægrorum complexionem & obſtructionem.

Rarefactio

DICO 3. rarefacere eſt vel ſuperficiem cutis magis ſolvere & laxare, vel materiam ita attenuare, ut commodè per poros cutis difflare poſſit; unde rarefacientia calorem requirunt qui moderatus ſit & in ſubſtantiæ tenuitate fundatus. Nam ſi in craſſiori exiſtat, profundius penetrat, aperit potentius, reſolvit validius; ſi in tenui, facilius difflatur, ideoque cutaneas partes ita reſolvit, ut materia vaporoſa facilius & commodius exhalet.

Diſcuſſio ſive reſolutio.

DICO 4. diſcutere ſive reſolvere eſt per attenuationem humores vel ſenſibiliter vel inſenſibiliter convertere in vapores. Hæc apud Medicos ſunt duplicia, videlicet tenuiora quæ dicuntur rarefacientia, & fortiora, quæ propriè diſcutientia vel diaphoretica appellantur, intusque ſumpta detergendo vel attenuando nõ tantum vias obſtructas aperiunt, ſed etiam humores obſtruentes ad ſumã corporis propellunt, eosdemque tandem vel ſudore vel habitu inſenſili expellunt. Eſt autem diſcutientium natura de genere calefacientium & ſiccantiũ in 3. ordine, quia ob utramque virtutem attenuando & detergendo celerrimè penetrant; Et differunt ab attrahentibus in hoc, quia hæc è profundo ad extimam cutem trahunt, illa autem humorem attractũ in halitum convertunt. Cæterùm nec ſanguis nec humores craſſi facilè ſolvuntur, ſed ſeroſi, fuligines & ſubſtantiæ vaporoſæ, ſub quibus etiam intellige hydropicorum aquas, unde podagricorum vel paralyſi laborantium ſeroſitates egregiè imminuunt. Talia ſunt ex metallis nitrum, nitri ſpuma, ſal, ex radicibus utraque ariſtologia, cucum. ſylveſt. cy-

clam. fenic. pyreth, rumicis. ex foliis apiastr. chamep. dipt. ereticum, liguft. mentha. &c. Si quæras, quomodo generentur flatus, qui sunt substantia præternaturalis in cavitatibus corporis detenta & omne genus membranosum divellens. Resp. semper gigni à calore debili tam in ordine ad se & corpus suum, quam ad materiam vel digerendam vel educendam; quam utramque cum satis evincere non possit, facile in flatus sive crassos halitus convertit. Quod si dicas, plerunque in subjectis calidioribus gigni flatus copiosos, ergo ab excessu caloris. Resp. etiam in calidioribus naturis deficere justum temperamentum saltem in uno vel altero viscerum v.g. in splene apud hypochondriacos ubi præter calorem imminutum semper humorum cruditates reperiuntur.

DICO 5. fundere idem est quod liquefacere: fit autem fusio à calore intenso, qui quartum ejus gradum attingit, quiq; in tenui substantia etiam rarefacit, attenuat, sanguinemque & humores fundit. Talia sunt allium, cæpe, chelidonia, cinis ficulneus, costus, Euphorbium, fæx usta, uastuttium, porrum agreste, pyrethrum, ranunculus, ruta sylvestris, omniaque caustica, quæ tamen ob nimium calorem vimq; erodentem potius corrumpunt, adurunt & inflammant. Fusio pretiosissimi sanguinis Christi non spectat huc, quia facta est à causa longè vehementiori, videl. à perfectissima præcognitione futuræ passionis & mortis quam naturaliter ut frater noster hortuit &c. quod si quæras, an frequentius ejusmodi fusio accidat & à quibus causis. Resp. non esse omninò improbabilem aut impossibilem in vehementissimis passionibus, angustius, ce ttisq; corporis dispositionibus de quo vide Medicos.

DICO 6. emolliuntur ea quæ dura sunt, durescunt autem mixta vel calore ut os, vel frigore ut glacies, & per alienam substantiam ut uter flatibus plenus. Et hinc etiam tot modis emolliuntur dura: quæ verò siccitate indurescunt, ea rebus humidis & moderatè calidis paulatim attemperautur, tantoq; facilius si viscosa quoq; substantia sit adjuncta, quia humiditas siccitatem corrigit, caliditas penetrationem adjuvat, & visciditas dissolutionem spirituum ac partis noxam impedit, imò tempetiem partis fovet. Quæ verò adeò sunt sicca & terrestria, ut angustissimos peneque nullos meatus habeant, per quos humidum penetrare possit, sicut æs & lapides, hæc non possunt emolliri, ac proinde supradicta emollientia calculis vesicæ frustrà adhibentur; Ea igitur sunt applicanda quæ humidam quidem & fluentem habent substantiam, sed tenuissimam cum multis partibus igneis vel terreis attenuatis, ut sunt liquores omnes qui vel purè acidi sunt ut succus limoniorum, vel purè acres ut succus chelidoniæ, vel mixta ex utroque ut acetum, quod etiam eò potentius redditur, si quippiam acre ut squilla infundatur; hinc enim acetum squilliticum est efficacissimum, quia ut reliqua omnia habet à tenuitate substantiæ quod penetret, ab acrimonia sive aciditate quod incidat, & in minimas partes dissipet, ab humore autem quod madefaciat & colliquet. Quæ verò emolliant per frig⁹ congelata ut est scirrhus à materia pituitosa, ea calida esse oportet, quia quæcunque à frigore congelantur, ea calore solvuntur, non quidem debili, nec intenso, sed temperato, ut sunt ea quæ gradum secundum attingunt cum moderata siccitate, terrestreitate & viastrictoria, ne partes à calore & siccitate in materia tenui solvantur, & emollitæ in halitum discutiantur, quo modo & calor debilis ad solvendum esset impotens, & intensus nimium resolvet partes subtiliores & reliquas in gypseas converteret: Vis etiam astrictoria introrsum arcet humores nec difflari sinit, vel si absit astrictio, habeat saltem mixtum vim emplasticam quo meatus obstruantur & difflatio prohibeatur; Ad hunc usum optimum est bdellium, ammoniacum &c. tum medulla crurum vituli, laudanum pingue, sevum hircinum, bubulum, cervinum &c. Ad emolliendum deniq; ex plenitudine dum facta est induratio, requiruntur ea quæ meatus oppletos aperiunt, quia materia in loco inflammato contenta ideò putrescit, quia meatus sunt coarctati, ideòq; calidis temperatis egemus, ut sunt ea quæ proximè accedunt ad gradum secundum; Nam calidiora magis attraherent & inflammarent, atq; ita dolorem augerent, quod non faciunt ea quæ modicè sunt calida habentq; humiditatem aëream, quæ cum vaporosa sit, maximè facit ad relaxandam tensionem sedandumq; dolorem, ad quem usum optimè conveniunt tepida ut decoctum chamomelinum, althææ, malvæ, oleum dulce, butyrum recens. Sunt autem ex emollientibus radix alth. eucum sylv. malvæ, squillæ, folia betæ alb. brass. absinth. florea chamomel, malvę, lil. alb. viol. purpur. flav. ficus siccæ, nvæ passæ. semen lini, fænugr. furfures, lolium, ladanum, ol. amygd. dulc. opoponax, storax liquida, gummi ammoniacum, bdellium, mastix, galbanum, adeps anser. capon. gall. hirc. taur. butyrum, cera, lac, medulla ossium, mel &c.

DIFFICVLTAS XII.

De vi relaxante & tendente, leniente & exasperante, attrahente & reprimente.

DICO primo, tensum vocatur, cuius partes non ad naturalem substantiam extenduntur indeque dolor & calor consequitur; per tensionem verò intelligitur separatio partium sive divulsio quæ fit quoties vapor, flatus vel humorū affluxus vacuitates partiū repler & dilatatur videre est in membrorū inflamationib.

Quot igitur erunt causæ relaxationis, tot etiam erunt instrumenta tensionis; Nam si laxitas fiat ob membri debilitatem, & hoc ab intemperie frigida, unde sequatur tensio, temperabitur congruè pars calore, vel contra frigore si fiat à calore; si verò laxitas ex inanitione, & partium spatia vacua inter se concidant, repletione opus est. Laxum igitur dicitur, cuius partes remissæ concidunt, non sicut ex congelatione aut exiccatione, ex qua utrâque pars dum est non laxa. Relaxantur tensa evacuantibus & discutientibus quæq; etiam rarefaciunt, quoties vapor seu flatus cavitates replet; Eliguntur autem quæ à gradu primo usq; ad tertium rarefaciunt, ubi vel minus vel magis attractionem humorũ timemus, quæque sunt tenuioris substantiæ ut facilè penetrent & crassitudine non constipent ut sunt attenuantia & rarefacientia, quibus accedunt lilium, puleg. calam. sambuc. sem. lini, fænugr. &c.

DICO 2. leniens sive levigans medicamentum est, quod asperas & summa cute inæquales partes æqualiter replet levesque facit; exquisitè id humidum esse debet, in mediocri & minus crassa quam glutinosa substantia, quæ tamen ipsum humorem acreum cohibeat & tantò facilius implendis atque levigandis partibus adhæreat: Et hæc oportet esse in quadam caloris frigorisq; mediocritate omnisq; acrimoniæ expertia, ut sunt mucilago sem. psyllii, lini, fænugr. radic. altheę &c. Exasperans quod lenienti est contrarium, debet esse detergens validum, ut nõ solum sordida eluat, sed etiam partium substantiam, quibus adhærent, corrodat & quadam inæqualitate divellat; hoc præstant vehementer sicca & aliquo calore prædita, in medioeri tamen materia, ut centaurium minus, aristologia, aloè & quævis amara. [Exaspar.]

DICO 3. medicamentum attrahens est, quod rem ut spiculam, telum, ferrum, lapidẽ, pilam plumbeam è profundo corporis ad exteriora attrahit, quod nunquã fit per se, semper per accidens, quia attractio est motus violentus, qui in corpore vivo semper fit à principio vitali per se, quodq; solùm ex natura sua fertur in hanc actionem; Neq; enim res inanimatæ habent eam vim ut ex se humores localiter moveant quod infrà pluribus dicetur de purgantibus, neq; habent ullam consinitatem cũ telo, lapide, ligno, aut ferro quod è profundo corporis extrahendum est. Fit autem motus hic sive attractio hunc in modum; [Attractio quomodo fiat.] Quando ferrum aut telum alicubi præternaturaliter detinetur in corpore, non tantum sanguini & humoribus sed etiam partibus vicinis invehunt putrefactionem, proindeque gignunt calorem, attenuationem, rarefactionem & motum ad extra; Nam ex sanguinis & humorum affluxu intenditur calor, rarescunt partes putrescentes, & dum majorem locum occupant, eò feruntur à natura quo naturalem habent decubitum, licet utplurimùm ad extra, si in musculis cuti vicinis infixa detineantur, & potentia expultrix quæ huius motus est primum cum anima sua principium, aliud obstaculum non reperiat. Et hunc motũ per accidens sollicitant ea quæ attrahentia dicuntur, dum extrinsecus apposita calorem internum fovent & poros cutis aperiunt; Nam vis attrahens consistit in calido & sicco cum substantiæ tenuitate, & quidem in calido à secundo gradu usq; ad quartum sese extendente, cũ calor intensior magis attrahat ob vehementiorem attenuationem, resolutionem & fusionem humorũ, qui ad locum confluunt. Hoc fieri solet per fomenta, cataplasmata, unguenta &c. quibus pori exteriores reserantur, & res impactæ cum humoribus jam corruptis à natura protruduntur. Est a. vis attrahens potissimùm in sagapeno, nitro, sale arm. radic. acori, apii, aristol. rot. gentianæ; in foliis abrotani, arthem. centaur. minoris marrubii, hyss. in ammon. bdell castor fimo columbino &c. Repressio fit contrà per virtualiter vel actu frigida & constringẽtia, de quibus vide priora.

DIFFICVLTAS XIII.

De vi movente urinam, menses, arenam, & quomodo differant.

VT menses, urina & arena moveantur, opus est incisione, apertione, attenuatione, dilatatione, solutione, fusione: Ad has a. actiones cum requiratur calor & siccitas cum tenuitate substantiæ, quę aperientibus & attenuantibus inest; controversum est, an hæc omnia indifferenter menses, urinam & arenam moveant.

DICO 1. menses moventur à medicamentis partim per se partim per accidens. Per se moventur ab iis quæ sanguinẽ attenuant, fundunt & liquant: per accidens a. quæ aperiunt, incidunt, rarefaciunt, stimulant, gignuntque sanguinem serosum, tenuem, acrem &c. Et ratio utriusq; est, quia ut sanguis è vasis suis fit abundantior, profluat, opus est ejus attenuatione, fusione & liquatione per calorem: Deinde quia per attenuationẽ & apertionẽ funditur sanguis, tolluntur q; impedimenta quæ eundẽ sistebãt. Itaq; effectus eorũ quæ menses movẽt, est aperire, fundere, liquare & educere. [Quomodo menses moveantur]

DICO 2. urinæ non pelluntur ab iisdem medicinis, sed nec eodem modo, prob. multa pellunt eandem per se, multa per accidens, ergo. Antec. prob. quia per se pellunt, quæ sanguinem extenuant, fundunt & à sero separãt; per accidens verò quę emolliunt vias, dilatant meatus ductusq; lubrifaciunt; similiter quæ acria sunt & humores fortiter incidunt; Denique sunt illa, quæ validius potentiam expultricem stimulant, ut purgantia, vina recentia, allium, cæpæ, & inter multa acria cantharides, quæ in desperatis urinæ suppressionibus sæpe præsenti fuerunt auxilio. Et hinc apparet, quamvis mixta, quæ urinas pellunt, etiam menses moveant, esse tamen aliquam inter ea differentiam, quia maioris est virtutis & efficacię movere menses quam ciere urinas, ideoque maiori calore opus est ut ad partes profundiores fiat penetratio

DICO 3. quæ menses & urinam movent, differunt ab aperientibus, attenuantibus & dilatantibus. Ratio, quia in iis etiam fusione sanguinis eiusdem separatione à sero opus est, quod aperientia, attenuantia & dilatantia ut sic non faciunt, cum ad utramque illam actionem calor intensior requiratur. Sed hæc omnia magis physicè & ingeniosè quàm practicè dicuntur, quia revera ad consequendos hos omnes effectus indiscriminatim & feliciter utimur iis quæ aperiunt, attenuant, incidunt &c. Dum cætera ut fusio sive liquatio sanguinis & separatio fieri per se proprioque naturæ ductu sequuntur. Sunt autem quæ menses movent, acorus, abrotanum, apium, anisum, arist. rotunda, artemisia, radix bryoniæ, calamenthum, calamus odoratus, cassia lignea, centaureum utrumque, chamæp. chamæd. cinam. costus, daucus, cyperus, dipt. fenic. galb. hyper. lugust. melis. orig. puleg. sabina &c. Vtinam verò pellunt eadem, sicut & allium, amygd. amaræ, aspar. cappares, crocus, eruca, baccæ junip. milium, ocymum, ononis, pastin. sylvestris, petros. raphanus, squilla, scordium &c. Si

Quæras, an eodem modo Arena sive calculus pellatur, & quibus modis. Resp. &

DICO 4. ferè eadem & urinam pellunt & arenam sive calculū; Ratio est quia eædem requiruntur actiones iidemque modi; Nam ad utramque requiritur fortis incisio, abstersio, viarum dilatatio & emollitio, &c. Dixi tamen ferè, quia ad urinam educendam requiritur magis apertio & attenuatio sanguinis cū separatione à sero; ad Arenam verò sive calculum major stimulus & acrimonia qua potentia expultrix impellatur & calculus conteratur. Cæterùm qualem actionem eliciant tot medicorum pulveres, magisteria, essentiæ, spiritus, extracta, aquæ, sales, &c. quibus miracula promittunt, non facilè constat, nisi hoc quod ad hunc affectum tanta sit secretorum farrago in quibusvis tam magnatum quam privatorum domibus, ut nusquam videatur posse dominari, aut semel expulsus reviviscere, licet nihil eo comunius & crebrius. Quid huiusmodi remedia agant, an in arenam & calculum sive in corpus vivens, & an novam utriusque generationem præcavere aut impedire possint, quisque judicet; sufficiat hic dicere, quod extrà prædictos modos nihil operentur ideoque multa ex iis sint frustranea; quod in corpus potius agant quam in materiam inanimem, ut ìo qua nullum producunt impulsum non tam probabile quam certum est, & quod denique novam generationem non tam facilè impediant aut præcaveant, cum hæc subjecta sit virtuti concoctrici, quæ sicut alibi sanguinem, lac, semen, ita hic arenam sive calculum, si materiam habeat & innatam renum dispositionem, coquit & gignit.

Si quæras, an calculus in renibus vel vesica tam facilè ex quorundam medicastrorum suggesto comminui & resolvi possit. Resp. absolutè id falsum esse & commentum Agyrtarum & quorundam de fece chymicorum; rationes relinquo scholaribus, quia faciles sunt & manifestæ, tum contrà omnem experientiam.

DIFFICULTAS XIV.

De vi abstergente, emplasticante sive illiniente.

DICO 1. vis abstergens est, quæ sordes & viscosos humores tam intrà quam extrà corpus abstergit & eluit: fit autem abstersio *Abstersio.* plurimis modis, ut primò per ea quæ exiccant absque astrictione, ne coarctatione meatus præcludantur viæque obstruantur: Et possunt abstergentia esse tam calida quam frigida, modo sicca simul sint, quia ad abstersionem requiritur siccitas. Inter frigida sunt hordeum, farina fabarum, furfures, succus limoniorum, qui tamen ob adstrictionem solùm superficiem abstergit; Inter calida verò nitrum, sal, amara ferè omnia ac salsa, & acria nonnulla dulcedine mixta, ut mel, saccharum. 2. abstergunt alia quasi per ablutionem, v. g. omnia liquida, quę si dulcia quoq; fuerint, siccam & moderatè excoctam habent substantiam, ratione cuius vera sunt abstergentia ut caro & succus peponum. 3. sunt alia quæ asperitate extimas partes abradunt, ut parietaria, lupulus, equisetum, nitrum, corallia &c. horum usus est ut pus aliasque ulcerum sordes expurgent, & viscerum phlegmata detergant, qualia sunt æs ustum ex metallis, alumen crudum, flos nitri, nitrū, salis spuma, sulphur &c.

DICO 2. vis emplasticans sive illiniens contraria est quia opplet & obstruit meatus; *Illinitio.* Quæcunq; hac virtute sunt prædita, constant qualitate nec admodum sicca nec calida, quia hæc potius discuteret & aperiret, illa contrà exiccaret & inaniret; Neq; astrictio magna requiritur, quia si meatus astringerentur tantum, non opplerentur: Erunt itaq; emplastica substantiæ humidæ aëreæ cohærentis cum moderato calore non resolvente sed ad penetrationem adjuvante: In quamcunque autem partem impegerit medicamentum emplasticum, ei firmius adhærescit eamq; obstruit & interiores ductus corporis infarciès obstruit, cutis meatibus illitum pingui ac tenaci sua substantia ceu gluten adhærer eosdemque opplet: Hinc media est quodammodo materia ex humore multo aqueo & aëreo constans sed fusa tenaciter, in frigore & calore temperata, siccæ & terrestris substantiæ, citrà morsum tamen exiccantis. Ejusmodi sunt quæ pinguia dicuntur quæque dulcis saporis sunt *Illinientia in quot usus.* quodammodo aut insipida, nō item acria nec mordacia, nec acida nec salsa amara. Vtimur his ad sanguinis impetus cohibendos aliasq; fluxiones coërcendas, quia meatus cutis opplent, & calorem nativum partis continent, quo tumores apprimè maturantur, ut sunt ex metallis alumen scissile, cerussa, gypsum, plumbum &c.

DIFFICULTAS XV.

De dolorem mitigantibus vel omninò tollentibus.

DE doloris natura uberius actum est alibi, hic solum quæritur, quor quibusve modis possit vel tolli vel mitigari, tum quænam sint, quæ ad mitigationem faciant.

Adverte, dupliciter leniri vel tolli dolorem; primo manifestè, directè & per se. 2. per modum quendam occultum & indirectum sive per accidens. Iam

Doloris mitigatio. DICO primo, per se manifestè & directè leniunt dolorem, quæ causam doloris leniunt & modificant. Prob. quia mitigatio doloris fit directè & manifestè quando actio instituitur à contrario manifesto, sed hoc fit per ea quæ causam dolorificam leniunt & contemperant, ergo. hæc minor patet, quia licet mitigantia non sint dolori contraria, sunt tamen ejus causæ, quod ad eum expugnandum sufficit: sic si frigus, calor aut aliqua ex activis qualitatibus sensum molestum inferat, contemperandus erit per contrarium; si à materia acri & mordaci, blandâ quoque & benigna substantia est mitigandus; si denique à flatu & vapore divulsionem faciente, moderato item humido & calido, quod utrumque rarefaciat, extenuet, digerat &c. leniendus. Itaq; propriè dolorem mitigant quæ sunt humida & calida tenuisque substantiæ, calida quidem ut calorem innatum foveant & quicquid inest partibus peregrinarum qualitatum, contemperent, humida verò & tenuia sine astrictione, ut facilè penetrent tactuque suavi ac blando connaturalitatem æqua, bilitatem inferant. Ex horum genere sunt althæa, anethum, atriplex, chamomelinum, cuminum, eryngium, ficus, fænugræcum, iris, semen lini, fænugræci, parietaria &c.

DICO, quæ indirectè & per accidens dolorem mitigant vel tollunt, narcotica dicuntur & stupefacientia, suntque impropriè talia. Ratio est, quia hæc formaliter nec causaliter dolorem tollunt, sed vel vim cerebro sensitivo que interno inserunt, vel partem dolentem

Stupefactio sensu privant, adeoq; mentis integritatem auferunt; Nam præter intensum frigus quâ constant omnia narcotica, & quo calorem cerebri vehementer opprimunt, continent etiam vitulentiam, & vim quandam peculiariter cerebro adversam, quod à posteriori manifestè liquet, dum naturalem ejus constitutionem immutant sensumque communem ita debilitant, ut partim humoribus densatis, partim oppletis undique meatibus & intoxicatâ per malignum vaporem substantiâ cerebri phantasiam & simul intellectum perturbeut, faciantque verificari illud Hippocratis, qui videl. aliquâ corporis parte affecti dolorem non sentiunt, iis mentem ægrotare &c. Sunt autē ex stupefacientibus cicuta, hyoscyamus, lolium, mandragora, opium, papaver erraticum, solanum somniferum, aliaq; plura, quorum potiora, præter intensum summumque frigus vim malignam & venenosam, quæ cerebro summè adversantur, continent, ut palam Medicis notum est.

DIFFICULTAS XVI.

De expectorantibus, tussim sedantibus, vomitum provocantibus, vermesque necantibus.

DICO 1. quamvis expectoratio sit actio, quâ humores in pulmonibus & pectore hærentes ejiciuntur, ipsa tamen expectorantia non dicuntur quorum beneficio illud efficitur. Ratio est quia fit excreatio humorū absque ministerio expectorantiū. Itaq; dicuntur *Expectorans.* talia quia materiā concoctione & digestione facilitant, quod fieri solet incisione, attenuatione & abstersione quæ eadem in omni humorum sive alimentalium sive excrementitiorum concoctione observantur; sunt autem ex genere eorum quæ expectorationi inserviunt non solum moderatè calida & humida, sed etiam frigida & nonnihil desiccantia, si modo præter vim attenuantem & abstergentem etiam incisoriam habeant, ut patet in aceto, quod incidendo & in minimas particulas materiam dividendo ad excreationem juvat. Præter acetum sunt squilla, adianthum, amygdalæ amaræ, apiastrum, arum, capillus veneris, caricę, hyssopus, helenium, liquiritia, iris, mel, nasturtium, palmulæ, pineæ, scabiosa, terebinthina, tragacanthum, tussilago, vetonica, uvæ passæ &c.

DICO 2. tussim sedant & mitigant quæcunque materiam in pectore hæresçentem excreati faciunt, quæque humorum in pulmones illabentium acredinem contemperant. Primum patet ex præcedenti conclusione, quia hoc ipso cessat tussis dum pectus eluitur & morbus dum causa ejus tollitur, alterum prob. ex natura cornu quæ vim acrem & mordacem habent ideoq; tussim in aspera arteria movent ut patet in pipere, in zingibere cunctisq; salsis, austeris, acerbis & acribus, quæ medicinis sive alimentis blandis nulloq; gravi gustatu præditis contemperantur, cujusmodi sunt cremor hordei, oleum amygd. dulc. lacticinia, succus violarum, butyrum, rotulę de succo violarum, succus liquiritię &c.

DICO 3. vomitus, qui est motus ventriculi præternaturalis, quo eius contenta contractis & divulsis tunicis per superiora rejiciuntur, variis fit modis & causis. Nam imprimis fit à solutione continui, ut cum vel ipse ventriculus vulneratur vel alia pars quæ cū eo consensum habet. Secundò fit vomitus ab excessu primarum qualitatū, ut frigore, æstu, nimioq; *Vomitum quæ faciunt.* humido. Tertiò movetur ventriculus cum ea *quæ faciunt* ingeruntur, quæ ex naturali quadā antipathia *&c.* sunt

ſunt adverſa, ut patet in iis quæ vinum, caſeum aliaque nauſeant & horrent. Quartò faciunt vomitum alimenta nimis avidè aut copiosè ingeſta, quia gravant, diſtendunt, ſtimulantque tunicas. Quintò ſunt omnes humores acres, bilioſi & corrupti, ſive ex vitioſo alimento intra ipſam ſtomachi capacitatem geniti fuerint, ſive ex capite aliisq; partibus illuc affluxerint. Sextò multa ſunt quæ abſtergendo humores tenacius adhæreſcentes tunicis ventriculi vomitum & nauſeam movent ut ſaccharum, vel incidendo ut raphanus, oxmel. Septimò ſunt vomitoria ex natura ſua omnia lubrica ut oleum, butyrum. Octavo creant nauſeam & vomitum cibi vel impurius cocti, vel cum aliis nauſeabundis permiſti qui movent phantaſiam quod & plura alia faciunt, dum inter edendum eorum fit recordatio. Nonò numerantur inter vomitoria quæ vel humores concitant, vel naturalem cum ſtomacho diſſenſum habent, ut omnia purgantia, antimonium, agaricus &c. Et hæc omnia, quia ſtomachi contractionem & divulſionem, id eſt, motus contrarios creant, in re ipſa ſi non in modo cauſandi conveniunt.

Vermes necantia.

DICO 4. vermes necant & expellunt omnia amara. Ratio eſt, quia ſunt contraria eorum naturæ & principio materiali, dulci nimirùm vel inſipido phlegmati ex quo oriuntur. Talia ſunt abſynthium, mentha, ruta, zedoaria, porrum, allium, lupulus, radix gentianæ, filicis, helenii, amygdalæ amaræ, nuclei perſici, aloës, cornu cervi, myrrha, theriaca, fel, rhabarbarum. Cum itaque vermes qui dulcibus delectantur, vel acria vel amara ſentiunt, ab inteſtinis profugiunt, ſeque ſponte alvo exonerant, vel quod frequenter accidit, in ipſis inteſtinis emoriuntur.

DIFFICVLTAS XVII.

De vi inebriante ſomnumque & ſudorem provocante.

DICO 1. vis inebrians eſt, qua organum ſenſus interni, quod eſt cerebrum, medio quodam vapore craſſo, calido, flatulento, & ſpiritus animales turbante obruitur & obſcuratur. Dicitur primo obruitur & obſcuratur, quia opplentur meatus & ventriculi cerebri ſicut fit in ſomno profundo. Dicitur 2. organum ſenſus interni, videl. totum cerebrū, quia inebriatio vel eſt affectus vel effectus cerebri malè habentis, ut patet ex actionibus læſis circà ſenſum internum & intellectum; Nā qui ebrii ſunt, nullum actum ſenſus interni ſicut nec externi benè exercent. Dicitur 3. à vapore calido & craſſo &c. ut deſignetur cauſa materialis & efficiens inebriationis; Nam vapor craſſus eſt qui replet cerebrum, calidus autem & flatulentus qui inflammat & ſpiritus turbat ut patet in vertigine, copioſus denique & humidus qui nervos nimium humectat, unde etiam ebrii rarò robore præſtant. Sunt autem inebriantia præter vinum cereviſia ex lupulis cocta, vinum aduſtum, mulſum, tabacum &c.

DICO 2. ſomnus naturalis inducitur partim ab inedia, videl. poſt longas vigilias, labores & ſtudia, partim à blandis alimentorum vaporibus, à quibus cerebrum oppletur; præternaturalis verò ab inebriantibus & narcoticis ſive ſtupefacientibus, inter quæ etiam intellige copioſas exhalationes febrium calidarum vel aliorum affectuum, à quibus non rarò lethargus aut ſomnus profundus ut videre eſt apud Medicos practicos, invehitur.

DICO 3. quæ ſudorem provocant, eadem ſunt quę diſcutientia ſive reſolventia, quorum natura eſt ut humores vel ſenſibiliter vel inſenſibiliter in vapores convertāt. Calida ſunt & tenuis ſubſtantię, unde etiam quod ad hanc actionem requiritur, rarefaciunt, diſcutiunt, obſtructos meatus aperiunt, & humores obſtructos ad ſumma corporis propellunt, ſicq; tandem eos vel ſudore vel halitu inſenſili evacuant & diſſolvunt. Sunt autem quæ ſudorem eliciunt ex metallis, nitrum, nitri ſpuma, ſal, ſalis ſpuma, ex radic. ariſtol. utraq;, bryonia, cappares, cucum. ſylveſtris, cyclam. fenic. pyrethrum. Ex foliis althæa, apiaſtr. braſſica ſylv. chamæp. chelidonia, dipt. creticum, ebulus, liguſt. mentha, nepeta; Ex floribus chamomel. malu: melit. ſtachas. Ex fructibus ficus ſiccæ, piper, nuces juglandes. Ex ſeminibus ameos, aniſi, apii, dauci, fænugræci. Ex ſuccis elaterium, ladanum, Benzoin. ammoniacum, pix liquida, caſtoreum, butyrum, amurca &c. Et accedunt omnia ſicca quæq; in poris exhalationibus abundant, ut omnis generis lapides, cornua & oſſa ſolis calore exuſta, etiam quorumcunq; cadaverum, quia, quod non mirętis, eâdem facilitate eodemq; effectu ſudorem movent, quo cornu cervinum, lapis bezoar &c. quia propter calidas exhalationes, rarefaciunt, diſcutiunt &c. His contraria ſunt, quæ materiam impinguant, & quorum uſus in medicina non eſt, niſi quandoq; ad nimias reſolutiones virium factas ex ſudoribus, quibus omnibus ea ſatisfaciunt quæ condenſant & aſtringunt.

DIFFICVLTAS XVIII.

De lactis & ſeminis generantibus, tum calculum frangentibus.

SVppono, ſanguinem lac & ſemen gigni ex ſolis alimentis nō ex medicamētis; Et hinc

DICO 1. ad gignendum ſanguinem conferunt omnis generis alimenta puriora & ſinceriora. Hæc concluſio communis eſt omnibus & habetur ex alibi dictis de alimento & humoribus. Quæ autem ſint alimenta ſinceriora & puriora, conſulendi ſunt Medici qui de his ex profeſſo ſcripſerunt.

DICO 2. quamvis nulla ſint, quæ lac aut ſemen immediatè generant, ſunt tamen

quæ id me diatè præstent. Ratio est, quia omnia assu mpta convertuntur immediatè in chylum & sanguinem, ex quo deinde coquitur lac & semen, ergo utrumque mediante sanguine convertitur. Cùm itaque ex puriori & defæcatiori sanguine tanquam alimento ultimo lac & semen gignatur, ad sanguinem verò spirituosum conferant quę melioris sunt substantiæ quæque vim nutriendi maximam obtinent, necessum est, omnia quæ unum generant, generare & alterum, illud quidem immediatè, hoc verò mediatè. Cæterùm quamvis in bonitate alimenti non tantopetè spectentur primæ qualitates pro chylo & sanguine conficiendo, spectantur tamen in ordine ad lac & semen, ita ut modicè sint calida absque vi desiccante, quia sic proximè accedunt ad naturam corporis humani, & continent virtualiter copiosum spiritum vitalem, quo mediante leniter penetrant sanguinemque attenuant, fundunt & ad loca destinata commodè deferunt, ut sunt anethum viride, eruca, feniculum, apium &c.

Venerem stimulant varia. DICO 3 quæ venęrem augent & stimulāt, non sunt uniusmodi. Ratio est, quia diversæ sunt agentium virtutes & modi, licet omnes in eundem finem intendant; Nam quædam sunt quæ à copioso & laudabili nutrimento vel etiam à sanguine flatulento id munetis exequuntur; alia quæ à calida & acri substantia; alia denique ab iis quæ peculiariter vasa genitalia stimulant & impellunt: si primum, id efficiunt ea quæ semen copiosum, defæcatum & flatulentum gignunt; si secundum, ea quæ sunt acria & vehementer calida siccitati juncta, ut piper, nux indica, vinum forte, porrum, cæpæ, alium &c. si tertium, dicuntur inter cætera maximè id præstare cantharides, de quibus vide historias apud Fernelium, Forestum & alios. Nam suo malo multi sunt experti, quantum corpori & sanitati conferat naturam vel alimentis vel medicamentis ad ejusmodi actum, qui hominem in hac vita sæpè prostituit, & in altera æternis flammis devovet, cogere, quia dum cogitur id calidis & acribus sive stimulantibꝰ tam medicamentis quam alimentis, temperamento vis infertur; dum esculentis crassis & flatulentis, vis concoctrix obruitur sanguine crasso & flatulento; Dum multo deniq; & copioso victu, *Quantum prosit naturam cogere.* hic tantum dabit seminis, quantum naturæ videbitur, ut proinde quicquid contrà naturæ exigentiam & inclinationem violenter fecetis, & defectum vitibus & jacturam temperamento utinam non simul animæ intuleris.

Calculum frangunt. DICO 4. vis calculum frangens consistit in sola potenti incisione absque desiccatione magnoque calore, quia hæc potius indurarent cogerentque lapidem sive in renibus sive in vesica. Vis hæc mordax & acris ubi in materiam calculosam incidit, eam facilè sua tenuitate penetrat, atterit & minuit: Huius generis sunt acetum, squilla, adianthum, amygdalæ amaræ, bdellium, berberes, Ciceres, Cyperus, eryngium, succus limoniorum & fisquæ plura ad propellendam urinam conferūt. An autem facilè sit huic intentioni quocunque etiam præsidio satisfacere, quemadmodum id medicastri quidem facere præsumunt, constat apud multos viros practicos, quia præterquā quod tam solidum & lapidosum corpus non facilè à quovis succo extrinsecus illud solùm allambente comminuitur, etiam locus remotus est & inaccessus quo non facilè medicina penetrat, vel certè cum totius virtutis jactura in spatio intermedio, id est, in tot anfractuosis viis & meatibus &c.

DIFFICVLTAS XIX.

De maturantibus & putrefacientibus.

DICO 1. pus movere seu maturare est materiam abscessus ad formam puris reducere, quod non nisi à calore naturali fieri potest; Nam ab eodem fit omnis coctio, sicut putrefactio à non naturali; in pure igitur observandum est, ut nativum partis calorem conservemus & si fieri potest, etiam augeamus non quidem in gradibus sed in substantia; unde in pure movendo materias præsidiorum seligemus quæ temperatissimæ sint & calori naturali simillimæ. In hoc autem differunt maturantia ab emollientibus, quod hæc augere debeant calorem, & consequenter excedere calorem membri cui applicantur; maturantia verò seu suppurantia intrà eundem prorsus gradum consistere cum corpore quod ad suppurandum ducitur; sed quia variæ sunt tam hominum quam membrorum partiumq; temperaturæ, ideò pro varia illa ratione varia etiam sunt suppurantia, ita ut eadem medicina respectu alicuius corporis possit esse suppurativa & alterius emollitiva, & rursum alterius indurativa. Simillima igitur in calore cum temperatissimo corpore, quæ loco suppurātium applicari possūnt, sunt aqua calida, oleum commune, adeps suilla, farina tritici &c. Id verò hic observandum, quod cum calor nativus est conservandus, medicamenta emplasticam substantiam habentia applicentur, quia hoc efficiunt, ut cum meatus & poros obstruant, calor & spiritus non possint difflari, proindeq; non solùm servetur sed etiam augeatur substantia caloris. Medicamenta igitur suppurantia cum moderatum calorem habeant, debent esse substantiæ emplasticæ, unde etiam omnia unctuosa & pinguia temperata ad hunc usum maximè conferunt, ut sunt tad alt. liliorum, folia anethi, chamom. melil. tussil. farina tritici, fænugr. lini, panis triticeus. Ex succis hydroleum, ladanū, aqua tepida. Gummi bdell. ammoniacum, storax liquida, thus, tereb. adeps anser. gall, vitul. suilla, medulla crurum bovis, vituli, cervi, butyrum &c.

Putrefaciunt. DICO 2. putrefactio fit à calore p. n. subjectam materiam ad corruptionem & rarefactionem ducente, unde putrefactiva contrariantur maturantibus. Nam maturatio fit

fit à calore naturali, putrefactio autem è contrà ab intenso qui idcò priorem corrumpit, & in igneum convertit, tum ejus subjectum colliquat & adurit. putrefacientia igitur sunt, quæ in calore sicut & frigore ad quartum gradum accedunt, quamvis inagendo varient, quia frigidissima in primo occursu nisi vicerint & calorem extinxerint, paulatim vires amittunt, imò & ipsa incalescunt; calidissima verò statim igniunt, & si quæ in tenui substantia fuerint, facilè expirant & à calore naturali evincuntur; quorum tamen substantia crassa est & terrestris, eorum calor ad actum deductus adurit & planè colliquat, quia non facile difflatur, cum crassa substantia tenaciter adhæreat ut videmus in ligno quercino, ferro, in quibus calor diutius hæret & validius agit: Hinc etiam videmus diversa medicamenta in eodem etiam caloris gradu sub diverso genere ob substantiæ diversitatem in crassitie vel tenuitate varios & diversos effectus edere, quia calor in tenuissima substantia facit medicamentum incisivum & apertivum simpliciter ut piper: si verò ad crassitiem vergant, etiam attractiva erunt ut galbanum, succus cyrenaicus, sagapanum. si aucta sit crassities, calor tamen non ita magnus & mordax, carnem superfluam colliquabunt & absument ut alumen ustum: Quod si autem hæc crassities adjunctum habeat calorem acutissimũ, medicamentum erit escaraticum seu crustam inducens, ut capsia, euphorbium, adarce, sinapi. Utrumque si excesserit, medicamenta fient septica vel putrefacientia, quæ quia periculosa sunt, ideò etiam è medicamentorum genere & numero excluduntur, ut sunt aconitum, arsenicum purum & sublimatum, auripegmentum, cedrinus liquor, chrysocolla &c.

DIFFICULTAS XX.

De erodentibus, carnem generantibus, adurentibus, vesicantibus, ulcerantibus, glutinantibus, cicatrisantibus.

DICO primo, Erodentia sive exedentia dicuntur, quæ inutilem & putridam excrescentemque carnem in superficie tantum aut ulceribus absumunt, vel tubercula, verrucas, callos &c. minorem habent calorem quam caustica & substantiam subtiliorem. Talia sunt adarce, ærugo, æris flos, æris squama, æs ustum, alumen, mercurius sublimatus, præcipitatus, arsenicum ustum, calx, calcanthum, cinnabaris, melanterium, mysipomphalix, plumbum ustum, sal torrefactus, pumex crematus, oleum antimonii, sulphuris, vitrioli, cinis antimonii, concharum, testatum, titimali &c.

DICO 2. Carnem generantia sive sarcotica prædictis opponuntur, quia deficientem carnem in vulnere aut ulcere cavo gignunt, hæc modicè detergentia esse oportet & sicca in primo gradu ne nimium calefaciant; Convenit autè abstersio, ut sordes ausetantur, quæ sunt in ulcere, & siccatio ad superfluam humiditatem siccandam quæ carnis generationem impedire potest: Debent quoque mediocris esse substantiæ omnisque acrimoniæ expertia, quia calidiora & tenuiora carnem colliquant, crassiora autem & frigidiora nimium siccant & astringunt, ut sanguinem à viis locisque vacuis repercutiant & prohibeant ne eò confluat. Huc spectant cerussa, lythargirium, plumbum, folia plantaginis, symphitum, flores hyperici, semen atriplicis, lupinorum, orizæ, orobi, cortex thuris, aloes, sanguis draconis, mastix, terebinthina, myrrha, pix arida, liquida, resina pini, storax, thus, thuris manna, suligo thuris, mel, butyrum &c. *Carnem generant.*

DICO 3. vis vesicans, urens & ulcerans sub uno quidem genere communiter comprehenduntur, in hoc tamen differunt, quod exulcerans cutem tantum divellat, vesicans etiam debilius humiditatem tantum eliciat pustulasque excitet, urens verò sive escarotica quia vehementer urit, etiam crustam inducit, quamvis infrà cutem non subeat ut & vesicans. Causticum tamen non modo summam sed etiam veram cutem solvit, & nonnunquam in subjectum carnem cauterii instar penetrat. Omnia sunt ex 4. gradu calidorum, vesicans quidam in tenui, escaraticum verò in crassa, & causticum denique in terrea planè substantia. Talia sunt pes columbinus, flammula Jovis, sinapi, Euphortium, arsenicum, squama æris, æs ustum, attramentum surorium, Elaterium, cantharides. Escarotica sunt cinis corticum fraxini, sabinæ cremataæ, sapo niger, Caustica calx viva, vittiolum, æs ustum &c. *Caustica.*

DICO 4. medicamenta glutinantia sunt quæ recentia vulnerum labra diducta conjungunt: Id autem efficiunt quia prohibent ne intrà labra influat humor. Astringentia ea esse oportet, crassæ & terreæ substantiæ, sicca secundi gradus, calore temperata & naturâ mediocria inter ea quæ carnem generant & cicatricem inducunt; hinc etiam nec acria esse debent, ut sunt terra lemnia, bolus armenus, terra sigillata. Ex metallis, alumen, gypsum, plumbum, spongiæ, ex radic. Aristol. gentium. torment. cyclam. Ex foliis betonica, anagall. Cypress. Cynogl. equis. hyperic. heder. terr. millesol. Verben. myrtill, hypocist. balaust. semina ocymi, lupini, cortex thuris, aloes, gummi bdellium, bitumen, myrrha, pix mollis, terebinth. sarcocolla. thus, thuris manna &c. *Glutinantia.*

DICO 5. cicatrisantia sunt simillima prioribus ea parte qua cicatricem inducunt. Dicuntur græcis epulotica, quia abundè siccant, omnemque humiditatem absumunt; crassioris sunt substantiæ ut carnem astringant, densent, & contrahant, nullius caloris sed frigoris participantia sine morsu, & à glutinantibus tantum secundum magis & minus discrepantia,

pantia, ut terra lemnia, bolus armenus, æris squama, ærugo, alumen ustum, aqua aluminosa, cerussa, calx lota, gypsum, mysi, plumbum lotum, scoria, spodium, stibium &c. Ex radicibus, foliis, fructibus, floribus, seminibus eadem quæ glutinantia, densantia, astringentia, Et hæc referri quoque possunt vulneraria, quæ in omni genere vulnerum tam Intrinsecè quam extrinsecè, maximè verò in diuturnis fistulosis & malè morigeratis vulneribus à medicis & chyrurgis omnibus præter unum fortè Ronsæum epist. medic. 66. adhiberi solent, quo fine autem & quo usu hæc vulneraria applicentur, habet Ambr. Paræus l. 18. suæ chyrurg. c. 18. Natura, inquit, vulnerariâ potione adjuta planè mira fuisse nihil non rarò visa est in cariosorum ossium correctione & ulcerum consolidatione: Hæ namque potiones tametsi humores noxios per alvum non expellant, valdè tamem efficaces sunt detergendis ulceribus, sanguine depurando & ab ichoribus omnique impuritate repurgando &c. Et paulo post, hæc medicamenta inquit admirabili vi sanguinem ita repurgant, ut es eo tanquam ex materia laudabili cato & quævis alia substantia deperdita promptè possit restitui & reponi. Hoc idem patet es Hier. Fabritio, Aquapend. l. 2. c. 24. ex Guid. p. 2. chyr. parvæ c. 9. ex Joanne de vig. l. 3. c. 10. ex Fallop. de vulneribus c. 14. & aliis; qui nec illud prætereunt. quomodo secundum varietatem affectuum & partium sint potiones variandæ, sunt autem simplicia, à quibus ejusmodi potiones parantur, consolida utraque & Saracenica, agrim. pyrole, Veron. artem. plant. pimpin. radix, sabina, equisetum, torment. carduus bened. pilosella, polygonum, quinque fol. Centaur. minus, millefol. ophioglossum, berouica, hyper. flores rosar baustiorum &c.

Vulneraria.

DIFFICULTAS XXI.

De amorem conciliantibus.

HÆc eo fine dari solent, ut in amorem pertrahatur, quisquis iis intrà corpus utitur, & vocantur communiter amatoria maleficia vel phyltra, de quibus difficultas est an & quomodo operentur. Horum vim & naturam exactissimè descripsit Grilandus de sortil. q. 3. numero 15. & q. 5. numero 2. ubi amatoria inquit sortilegia fiunt vel intrà vel extra corpus. In corpore communiter fieri solent per cibum & potum, & in his frequenter admiscent Sacramenta Ecclesiæ Catholicæ, ut hostiam consecratam vel nondum consecratam, sed circumscriptam notis & litteris sanguineis, super quâ dici curant unam 2. 3. vel plures missas, quibus celebratis tradunt hostiam ipsam non integram, sed in pulverem redactam personæ maleficiandæ, quam assumere faciunt in cibo vel potu, ex quo dicunt illam esse naturæ attractivæ, & posse cor & voluntatem absorbentis trahere ad amorem personæ tradentis; sed nugæ sunt & Dæmonis fallaciæ &c. paulò post narrat & citat quosdam scelestissimos sacrilegos, quam horrenda in hunc finem licet semper absque fructu commiserint tam circà ritus & ceremonias Ecclesiasticas, certasque sacramentorum materias ut oleum & aquam baptismi, quam etiam circà alias res vanissimas & sordidissimas v.g. circà membranulam, quâ involvitur & enascitur fætus, circà sanguinem menstruum, semen virile, imò & stercora aliaque spurcissima escrementa ut refert Sprengerus. Extrà corpus ait idem Gril. faciunt maleficia per mixturas certas ex foliis, radicibus, metallis, intestinis, unguium præsegminibus, fasciis, crinibus, particulis ossium, reliquiis Sanctorum, ramis palmorum, cereis benedictis, sacro chrismate, indumentis Sacerdoribus &c. adhibitis nefandissimis precibus & verbis diabolicis, quibus ad hos turpissimos libidinis actus scelestissimè utuntur; hæc autem omnia consuunt in ipsius maleficiandi vestibus, vel abscondunt sub limine domus vel alio loco super quo maleficiandus est transiturus. Plura alia magisque abdominanda vide apud ipsum Gril. & alios, tum apud Delr. l. 3. p. 1. q. 3. His positis

DICO primo, nulla sunt ex mistis quæ hominem in amorem alterius per se trahant. Ita passim omnes philosophi & Theologi, & prob. quia ut quis amet, debet concurrere voluntas, & ut res aliqua hominem ad amandum per se pelliciat, debet cogere voluntatem; sed hæc directè cogi non potest, ergo. Disi per se, quia fieri potest per accidens, ut quando imaginatio per res naturales turbatur, humores concitentur, & totum corpus intus quasi succendatur, homo illicitis amoribus & Dæmone variis tentationum illecebris interius certante, vehementi libidinis æstro divexetur, adeòque voluntas ad appetendum id quod inhonestum est, trahatur. Quod autem admittendæ sint res naturales, quæ vim habeant turbandi humores, irritandi semen &c. omnium medicorum est doctrina, imò potest Dæmon per se perturbationem, flatulentiam, pruritum & calorem in corpus inducere simulque certæ personæ imaginationi obiicere importunam suggestionem & sic in amorem inflectere, quod tamen non est cogere voluntatem, ut in quam propter insignem humani arbitrii libertatem nulla Dæmoni jurisdictio, nulla coactio competit.

Philtra ex se nihil faciunt.

DICO 2. hæc philtra & menti & corpori valdè sunt noxia, sive intus sumantur, sive extrinsecus per incantationes, illigationes aut contactum applicentur, magis tamen si in cibum vel potum dentur. Ratio hujus est, quia ingredientia solent esse periculosa, ideòque vehementer debilitare valetudinem, & de statu mentis dejicere, ut sunt fluores menstrui sperma, cerebrum felis vel pulli asinini, virga lupi, ossa rubetæ &c. illius autem, quia in movendis humoribus inflectendâq; voluntate

infer-

inferrur vis corpori & sanitati, maximè si venena sint admixta. Hoc confirmat Ovidius, cum ait, nec data profuerint pallentia philtra puellis, philtra nocent animis, vimque furoris habent, ut testatur historia de Lucretio poëta primò dementato & postea à seipso interempto, & Plutarchus de Lucullo in ejus vita, & Sifridus Presbyter in Chronico suo de quodam adolescente in Misnia; hic enim ut suis potiretur amoribus, philtrum à Mago accepit, & in desertum quemdam ædium locum deductus fuit; huic inquit loco puellæ quam amabat, spectrum operâ & incantatione malefici apparuit, à quo cum manum porrigeret, parieti allisus miserabilem in modum necatus fuit, cadaver etiam tanto impetu in Magum projectum ut multo tempore in mortuum hic jacuerit.

DICO 3. Contra philtra amatoria non omnia remedia sunt prohibita, sed superstitiosa tantum, & quæ olim apud Gentiles per incantationes & lustrationes fiebant. Ratio prioris est, quia sæpè applicantur naturalia medicamenta, quæ commodè maniam curant, & ardorem libidinis temperant, sicut & opera pœnitentiæ, jejunia, corporis castigationes &c. posterioris verò, quia Dæmonem habent magistrum, sunt impia & pertinent ad magiam dæmoniacam. Omnium optimum remedium illud est, quod apud Delrio de Hypatia Alexandrina narrat Suidas, hanc videlicet cum non posset aliter cujusdam Amatoris importunam sollicitudinem abrumpere, panniculos suos fluore muliebri plenos ei objecisse, hoc inquiens adolescens est, quod amas, nihil autem pulchrum.

DISPUTATIO VIGESIMA.

De virtute purgante & corroborante.

SUnt hæ binæ ex mistorum virtutibus ferè præcipuæ, quibus in reformandis & immutandis hominum corporibus occupantur Medici; mirum enim quam ubique in ore & calamo sint omnium voces hæ & nomina partim cum spe partim cum tædio & nauseâ eorum, qui dum malè sentiunt, unicam tantoperè sentiunt sanitatem; Et meritò quidem, quia unum est quod reficit & fovet, alterum quod licet grave sit corpusque moveat, sæpè tamen hominem ad interitum declinantem restituit facitque reviviscere; Nam repletio quæ ex humorum abundantia communis est & frequentissima, parit Rhabarbaro labores, ut immunditiam primumque mali fomitem exterminet; Et multum profectò, in rebus mixtis latere virtutes, quæ in corpus agant, illudque in hostem muniant animentque, ut eo pulso liberius respiret & securius in utramque dormiat auram, adeo ubique provida est natura, ut in iis quæ necessaria sunt, nunquam homini deesse velit; Neque enim minus necessum est, ut quisque humorum corruptorum è corpore propellatur, quàm ut alimento si inanitum, restauretur, vel si in corde vitalis calor vim patiatur, hic roboretur: quia utrumque est ad interitum, nisi succurratur; Et verò levioribus aliis imbuta sunt mixta, ut aut se à quibusvis injuriis externis & incursibus tueantur, aut in tutelam unius hominis, cui Deus cuncta subjecit sublunaria, applicentur. Quid enim? vilissimus est scorpius, & tamen oleo comminuti suffocatus mirificam vim addit; turpissimus assæ fœtor & tamen fœminas ab uterinis halitibus penè strangulatas revocat; perniciosissimum opii frigus aut potius toxicum, & tamen in tollendis doloribus auxilium sæpè præsentissimum. De purgatione itaque & corroboratione hac disputatiuncula pauca, & quidem ea breviter dicam, de quibus varii variè sentiunt; Dicam autem quid multi quid pauci sentiant, & quid ex mente & ratione optimorum cum Medicorum tum Philosophorum sentiendum sit, maneat reliquis suum & voce & scripto liberum judicium.

DIFFICULTAS I.

An detur vis purgans.

ADverte, vim purgantem vel considerari, quatenus est in vivente, vel quatenus reperitur in mixto, videlicet in Rhabarbaro, in elleboro &c. In vivente est famula & pedissequa potentiæ nutrientis, diciturque vis expultrix, quæ omnis generis humores & excrementa è corpore propellit, ut sudores per spiracula cutis, urinam per ureteres & vesicam, fæces crassiores per intestina & alvum &c. In rebus mixtis est virtus quæ incitamentum vel stimulum in visceribus post actuationem addit, de quo inferius; Et de hac virtute quæritur an detur in mistis sive vegetabilibus sive mineralibus, quæ intrà corpus hausta humores & quicquid excrementitium est, expurget.

DICO primo, datur in animali vis movens & expurgans. probationem sufficientem dat experientia, quia videmus quotidie à nobis omnis generis supervacaneos humores excerni, quod fieri non posset, nisi esset, aliqua virtus in corpore, per quam anima id operaretur;

Humo-

Humores enim non moventur seipsis de loco in locum, quia aliàs fieret idem in corpore mortuo: Et moventur non raro excrementa cum maximo impetu contrà suam naturalem inclinationem sursum & in omnem partem, ut videre est in vomitu, raptu bilis ad cerebrum, sanguinis ad nares &c. ergo assignanda est aliqua virtus non humorum, sed corporis viventis per quam id fiat.

DICO 2. etiam datur in mistis sive simplicibus sive compositis vis purgans. prob. rursum ab experientia, quia experimur id frequentissimè ab assumptis fieri, dum ad insolitam evacuationem movemur, quod certè nunquam contingeret, nisi ipsis inesset aliqua similis facultas, præsertim cum accedat & illud, quod natura non semper nec ab omnibus assumptis, sed à quibusdam certis & determinatis solum moveatur, ergo necessum est, rebus quibusdam sublunaribus inesse vim purgantem: Et certè natura nunquam deest in necessariis ut est apud Arist. 3. de anima, t. 45. ubi ait naturam non deficere nisi in orbatis & imperfectis; sed necessarium est animali, hanc virtutem aliquando expetiri, ergo natura eam mistis denegare nec voluit nec debuit; Nam videretur injuriam fieri homini, si natura, quæ in omnibus provida est & tutelaris, vim talem denegaret ei, qui ad tuendam vitam conservandamque sanitatem contrà instantes variorum membrorum causas defensione opus habet, imprimis verò beneficio virtutis alicujus expellentis, quæ facilè dum congruo tempore applicatur, omnem morbum ejusque causas, nisi tamen robore sit impar, auffert. Cum itaque inter reliquas mixtorum virtutes homo maximè hac ad conservandam vitam & sanitatem, tum ad expellendos morbos eorumque causam materialem opus habeat, rationis fuit nec hic deficere naturam, quæ in omnibus aliis tam est provida & benigna.

DICES, non sunt entia multiplicanda sine necessitate, ergo superflua erit vel vis corporis viventis, vel rerum mistarum, cum id totum ab alterutro præstari possit. Resp. neg. conseq quia nunquam virtus corporis expellit violenter humores, nisi vel ab horum acrimonia & quantitate vel à peculiari vi mixtorum stimuletur; sed nec mista movent, nisi in corpore vivente & quidem ministerio potentiæ expellentis adjuventur. Itaque licet frequenter solum corpus onerosas superfluitates expellat, non tamen id semper facit & quando fieri vellemus, sed quando vel à quantitate vel à qualitate humorum impellitur, proindeque necessum est, vim occultè motivam, quæ variis inest mistis, addere stimulum facultati expultrici, quæ virtus superior est, animæque vices suppler. An autem in ipsis humoribus corporis existat aliqua vis humorum motiva, quæ videlicet non minus quam medicina corpus ad excernendas inutiles substantias impellat, id paulò post dicetur,

DIFFICULTAS II.

Quid sit vis purgans, & quid purgatio.

SUppono, aliud esse vim purgantem & aliud purgationem, quia hæc est actio, & illa qualitas secundæ speciei, v g. naturalis potentia. Sumitur autem purgatio aliquando latissimè pro quacunque humorum excretione, sive ea per intestina & fauces, sive per nares, vesicam, spiracula cutis, uterum, venasque hæmorrhoidales fiat; Aliquando strictius & propriè pro ea commotione, qua excrementa è visceribus totoque corpore vi medicamenti concurrente simul facultate expultrice per alvum excernuntur.

DICO primo, Vis purgans est qualitas occultè motiva, quæ factâ misti resolutione in stomacho & visceribus, potentiam naturalem ad excretionem impellit. *Vis purgans quid.* Dicitur primo, qualitas, quia est corporis misti v.g. Rhabarbari, ad secundam speciem qualitatis, videlicet ad potentiam naturalem spectans. Dicitur 2. qualitas occultè motiva, quia omnis vis purgans est è genere ejusmodi qualitatum ut alibi patet; Non enim est prima, nec aliqua secunda quæ sit manifesta aut quæ ad primas velut ad originem suam referri possit. Dicitur 3. in visceribus post resolutionem misti recepta, ut intelligatur vim purgantem extrinsecus accedere, nimirum è certis quibusdam mixtis, & cum spirituosa substantia in viscerarorumque corpus diffundi; Et hinc excluduntur humores acres, biliosi, adusti, qui intrà corpus primum geniti sæpè naturam ad excretionem stimulant; excluditur etiam vis corporis expellens, quia hæc non advenit extrinsecus, non agit stimulando, non est ad hoc à natura ordinata, ut quovis tempore violenter excernat, sed tantum eum impellitur; non habet denique ullas conditiones virtutis depellentis & expurgantis de quibus in sequentibus, Dicitur 4. factâ misti resolutione intra corpus viventis, quia mistum nunquam agit, nisi cumprimum dissolvitur, & vires quæ sub terreo misto cum humido latebant, unà cum tenui vapore & halitu, qui est veluti quinta rerum naturalium essentia, corporis meatus subingrediuntur. Dicitur ultimò quod impellat corpus ad excretionem, videlicet potentiam se superiorem, quæ cum sit vitalis & emanet ab anima, meritò principatum in elicienda hac actione obtinet,

DICO 2. purgatio si strictè sumatur est actio seu motus, quo humores & excrementa per intestina & alvum vi medicamenti excernuntur, vel est eorum, quæ sola qualitate molesta sunt, evacuatio secundum Fernel. l. 3. m.m. c.t. quam desumit ex Gal. 1. aphor. 2. & 3. aph. 13. In ampla autem significatione est eorum, quæ vel quantitate vel qualitate pec-

cant; excretio, quo modo comprehenduntur omnis generis evacuationes, à quacunque causa & per quoscunque meatus fiant. Jam Explicatur prima definitio. Dicitur itaque imprimis motus, scilicet localis, quia est actio physica, quâ humores de loco in locum transferuntur, nimirum è venis & cavitatibus universi corporis ad intestina indeque per alvum; Dicitur 2. humores & excrementa, ut designetur materia quæ excernitur; Nam quia purgatio est actio ad sanitatem institura, ideò expellenda sunt ea, quæ in corpore p.n. abundant, cujusmodi sunt humores excrementitii, non autem alimentales qui à causis morbosis & præternaturalibus, aut etiam à vehementissimis medicinis & venenis non sine maximo corporis dispẽdio subinde profunduntur; Et hinc omnes evacuationes p. n. ut diarrhæa, lienteria, & si quæ reliquæ fiunt à causis p. n. & violentis, excluduntur. Dicitur 3. vi medicamenti, ut designetur causa externa efficiens, quæ corpus ad hanc actionem impellit; excluduntur hic omnes illæ purgationes, quæ fiunt aliquando ab acrimonia humorum vel etiam à quantitate ciborum, potus &c. quæ non habent rationem medicinæ. Dicitur 4. potentiæ expellentis, quia hæc est causa proxima & principalis, qua superflui humores expelluntur ut infrà dicitur. Dicitur 5. ab intestinis & alvo, ut excludantur reliquæ viæ, per quas sæpe numerò omnis generis humores solent expelli, ut sanguis per nares & venas hæmorrhoidales, urina per vesicam, sudores per spiracula cutis &c. id quod in crisi frequentissimè experimur.

DIFFICVLTAS III.

An etiam humoribus corporis insit vis purgans.

QUibusnam rebus mixtis insit vis purgans, infrà dicetur; hic quæritur, an etiam reperiatur in humoribus viventium, sive alimentales sint ut chylus, chymus, sive excrementitii ut bilis. Nam videmus frequenter hominem non tam symptomaticè quam criticè à solis humoribus peccantibus & superabundantibus vehementer purgari. Soppono autem purgationem aliquando sumi pro ea evacuatione, qua omnis generis humores per vesicam, alvum, stomachum &c. excernuntur. à quacunque demum id causa accidat; aliquando verò pro ea qua humores excrementitii solo medicamine purgante ab intestinis & alvo pelluntur.

Purgatio quotupliciter sumatur.

DICO primo, si purgatio juxtà primum modum sumatur, etiam homoribus inest vis purgativa. probat hanc conclusionem effectus, quia sæpè porgamur citrà medicinam haustam adeòque violenter movemur, ut & animam effundere videamur, ergo cum hoc aliunde peti non possit, omninò ad humores referendum est; Non enim ad ipsam facultatem expulsivam, quia hæc nunquam nisi prius lacessita movet, quod inde liquet, quia semper corpora impura & præternaturaliter constituta moventur, quæ proinde vim corporis motivam ad hujusmodi actionem determinant.

DICES, humores non possunt seipsos purgare, ergo falsum est, iis inesse vim purgantem. Resp. humores non purgare vel expellere se immediatè, directè & per se, verum est; indirectè & per accidens, falsum. Nam humores impellunt & irritant vim expulsivam corporis, quæ tum omnem substantiam vitiosam & corpori onerosam excutit forasque propellit: Itaque non est hic quæstio de agente principali, quale est vis animæ expellens, sed de eo quod stimulat.

DICO 2. probabile est quod vis purgans quæ inest humoribus, sit ejusdem rationis cum altera, quam habent mista; Ratio est, quia nulla apparet necessitas distinguendi, cum in modo operandi nisi secundum magis & minus discrepantes conveniant; Neque valet dicere, quod altera in humoribus sit corruptiva & altera in mistis perfectiva, quod illa sit manifesta oriaturque per corruptionem hæc autem occulta, & fiat à Generante, sole vel astris, vel peculiaribus elementorum rerumque mixtarum concursibus; quia etiam calor in materia putrilaginosa est ejusdem rationis cum vitali vel solari & elementari; Deinde incertum est, an sola virtus manifesta in humoribus tam vehementer moveat corpus, & nunquid per corruptionem contrahant aliquam peregrinam qualitatem, quæ tam in operando quam in essendo similis sit occultæ, quia non omnes humores corrupti, acres & erodentes movent naturam ad excretionem, sed peculiares & determinati, quod signum est eos per corruptionem contraxisse aliquam virulentiam & corpori hostilem.

DIFFICVLTAS IV.

Quomodo fiat purgatio.

COnstat non pauca in sublunaribus esse mixta, quæ postquam intrà hominem sumpta vi caloris in stomacho resolvuntur, omnia commovent & perturbant, & partes quidem viventes cum dolore lancinant, reliquas verò non viventes ut humores & excrementa de loco in locum & de parte in partem propellunt, quousque tandem ab intestinis & alvo excludantur. Jam controversia est, quomodo & à quo principio hæc humorum expurgatio & corporis commotio fiat, quia dependent reverà hic motus ab aliquo principio corpori intrinseco, & est nihilominus certis quibusdam mistis peculiaris aliqua virtus seu qualitas, quâ hominem ejusque interiora commovent, quæ an sola sufficiat, an verò præter eam aliud insuper principium

cipium quod ſit nobilius & corpori intrinſecum, requiratur, in quæſtionem venit. Et de hujus actionis dependentia laborarunt jam dudum veteres & magis adhuc Novatores, qui omnes in ſuas diviſi partes & opiniones mirè rem turbant & obſcurant. Nam

Opinio prima eſt Hipp. l. 1. de natura humana, Gal. l. 3. de ſimplici medic. facult. c. 17. & Arabum, humores attractione evacuari; Et hanc opinionem licet ex recentioribus & modernis medicis plerique ſequantur, eam tamen variè explicando ſuſpectam faciunt. Aliqui enim ajunt hanc attractionem fieri beneficio caloris, quod demonſtrant exemplo ſolis; ſicut enim inquiunt attrahit ſol ex aquis & terra vapores vel exhalationes beneficio caloris; Ita etiam medicamenta purgantia trahunt humores poſtquam eos virtute caloris attenuant & ad excretionem diſponunt: ſed hanc ſententiam negat Gal. 1. aphor. 24. & l. 5. facult. medic. c. 16. Patet hoc in roſa, quæ licet temperamento ſit frigido, nihilominus tamen purgat; Deinde ſequeretur, illud quod calidus eſt, fortius attrahere & purgare contrà experientiam; Alij docent eam attractionem fieri media tenuitate & amaritudine, unde etiam putant, purgantia quò ſunt acriora & amariora, eò etiam magis humores craſſos & profundos evacuare; Et hinc mixta minus amara & acria bilem flavam tantum attrahere, acriora verò pituitam, & acerrima ſuccum melancholicum; ſed nec hi verum ſentiunt, quia ſuccus aloes amariſſimus eſt, & tamen inter leviora reputatur purgantia, imò felle nihil facilè amarius, quod tamen non habet vim ullam attractivam; Adhæc agaricus eſt craſſæ viſcoſæque ſubſtantiæ, & Rhabarbarum tenuioris, quod tamen æqualiter penè cum illo purgat. Alii denique cum Gal. aſſerunt, attractionem fieri media virtute ſympathetica, quam vocant ſimilitudinem ſubſtantiæ inter humorem & vim purgantem, adeòque conſiſtere in conſenſu quodam occulto contrà Valeſ. l. 9. Contr. c. 1. ubi ait eam virtutem conſiſtere in medicamentorum calore, craſſitie, tenuitate, aliiſque ſecundis & manifeſtis qualitatibus. Cæterùm, hæc opinio conſequenter docet, quamprimum ex Hipp. l. de natura miſtum purgans corpus ſubierit, in illud agere quod maximè cognatum eſt, illudque trahere vel ut magnes ferrum vel ut ſtirpes & ſemina terræ injecta facere ſolent, dum hæc ſuccum ſibi familiarem & proportionatum attrahunt; ſed hanc ſubſtantiæ ſimilitudinem eſſe commentum infrà patebit.

Similitudo ſubſtantiæ quid.

Opinio 2. eſt Joberti paradoxa. 9. decad. 2. nimirum medicamenta purgantia, cumprimum in ſtomacho vi caloris ſoluta fuerint, fugare & expellere humores ob quendam hoſtilem diſſenſum quem cum iis habeant; ſed nec hæc Joberti doctrina multum roboris habet, quia non eſt opus fingere tantam inter humores & purgantia antipathiam, niſi tamen intelligat, id fieri media virtute pulſiva corporis.

Opinio 3. eſt Thomæ Eraſti Medici & profeſſoris Heidelbergenſis, qui l. de occult. medic. fac. ait, medicamenta purgantia non trahendo ſed ſtimulando pellere humores: Et hoc idem docet Jac. Schegkius l. de medic. purg. ubi totam cauſam purgationis humorum non tractui ſed facultati expultrici aſſeribit, quod & idem Jobertus fortè intellexit, videl. purgantia fugare ſuccos inutiles corporis per vim ejus expultricem.

Opinio 4. eſt Senn. l. 5. ſuarum inſtit. p. 1. c. 11. de purgantibus, ubi ait prius à medicamento trahi humores, & à maſſa ſanguinea ſucciſque utilibus ſegregari inutiles, tum à facultate exturbari: verba ejus hæc ſunt, medicamentum inquit purgans ubi aſſumptum fuerit, à ventriculi calore in actum deducitur, ejuſque reſoluti vapores ac ſpiritus in totum corpus diſperguntur, qui occulta quadam vi ac proprietate humores ad ſe trahi aptos, corpori autem noxios alliciunt atque à maſſa ſanguinea ſucciſque utilibus ſegregant; Quod ubi fit, natura & à noxiis humoribus & à medicamento ſtimulatæ facultatis expultricis ope, & purgant medicamentum & à medicamento tractum humorem ſimul è corpore exturbat, Ex his Sennerti Verbis colligitur primo, miſtum purgans ſecundum ſuam virtutem non manere in ventriculo ſed diſpergi per corpus. 2. trahere eundem humorem, quem ſimilitudine ſubſtantiæ reſpicit. 3. poſt factam conjunctionem & attractionem utrumque ſimul è corpore expelli: Et hæc opinio quia in re ead. eſt quæ Galeni, idcò ſequitur.

DIFFICVLTAS V.

Quæ ſit verior ſententia.

QUæritur à quonam principio purgentur humores principaliter & efficienter, & quid medicina præſtet.

Præſuppono, vim purgantem factâ miſti in ſtomacho ſolutione in omnes partes corporis diffundi, aliquando in proximas ſi miſtum levius ſit magiſque paſſum reſiſtat, aliquando etiam in remotas & profundas, ſi validius in corpus agat. Jam

DICO primo, miſtum purgans ut Rhabarbarum, agaricus, elleborus &c. non movet trahendo. Eſt contra Gal. & pleroſque Medicos, ſed conſentit Jac. Schegkius, Thomas Eraſtus, aliique rationales cum medici tum philoſophi, & prob. primò, ſi concederetur hæc attractio, vel foret ſimilis illi, quæ fit à ſole, vapores & exhalationes, vel illi quæ fit à potentia viventis, qua attrahitur alimentum, vel illi quæ fit dum aliquid trahitur violenter, vel denique illi, qua magnes ferrum attrahit; ſed hæc omnia falſa ſunt, ergo & illud. De ſole imprimis manifeſtum eſt, quia hic per accidens vapores ſurſum trahit, attenuando videlicet certas quaſdam terræ & aquæ partes eaſque ita calore rarefaciendo, ut ex

natura

natura sursum ferantur. Potentia attractrix vitale principium est, animaque jubente nutrimentum, sanguinem & humores per certa organa ad corporis conservationem in omnem partem trahit. Dissimilis est virtuti motivæ, qua homo se de loco in locum transfert, trahitque violenter ad se ministerio manuum, pedum & totius corporis quicquid appetit, quia hæc vitalis est, pendetque à præcognitione & voluntate. Sed nec tractioni magneticæ similis est, quia magnes non trahit ferrum per illam numero virtutem quam in se continet, sed per aliam in medio productam; tum per impulsum ferro per eandem ut alibi patet, impressum. mixtum verò purgans agit per virtutem quam in se continet & quam factâ in stomacho solutione in corpus effundit; Et hæc virtus an immediatè humores per quendam impulsum & quorsum localiter moveat, an verò post mutuam conjunctionem, non constat apud ipsos hujus opinionis defensores & Authores; Non est etiam eadem actio, qua magnes ferrum & vis purgans humores trahit, quia cum magnes ferrum attraxit, quiescit, vis purgans autem evanescit vel extrà corpus unà cum humoribus ab uno eodemque principio vitali quod est anima ejusque potentia, effunditur. prob. 2. concessâ hac humorum attractione nullus vel facilius vel difficilius movebitur contrà experientiam, quia vis purgans cum sit agens naturale, ubique in subjecto capaci æqualiter trahit, nec impediri ejus actio à nobis potest, cum non amplius sit in potestate nostra. 3. nulla intercedit similitudo sive qualitatum sive substantiæ inter vim purgantem & homines purgandos, ergo falsum est, purgationem fieri per similitudinem substantiæ. Antec. patet in bile & Rhabarbaro, in pituita & agarico, elleboro & succo melancholico, quæ nec in naturis nec in qualitatibus sive primis sive secundis conveniunt. Neque dicas convenire occultè; quia hoc est asylum ignorantiæ, simile illi, dum Astrologi, quando eorum prognostico non respondet effectus, hanc ridiculosam proferunt excusationem, astra inclinant non necessitant; Et dic quæso, cum humores excrementitii sint specie distincti, unũ verò ex purgantibus plures evacuet, quousque extendet se illa similitudo substantiæ, quam necessariò debebis admittere inter res nõ tam disparatas quam contrarias? 4. Ejusdem rationis est tam in re quam in modo purgatio, quâ humores corrupti & superabundantes citrà medicinam excernuntur; sed in hoc casu nulla fit humorum attractio, ergo nec in altero. 5. si datur humorum attractio, vel vis purgans penetrat ad humores in venis aliisque profundioribus viis latentes, vel non penetrat, sed trahit ad se; si hoc ergo dabitur actio in distãs, quia mistum purgans non producit virtutem tractivam in medio sicut patet; si illud, non fit attractio sed conjunctio, quorsum enim se mutuò traherent? 6. sæpè vis medicamenti purgantis non penetrat ad meatus & profunditates, unde extrahendi sunt humores corrupti, quod inde manifestum evadit, quia multi sunt qui immediatè post haustam medicinam moventur, quo tempore non potuit mistum in stomacho solvi & virtus in corpus penetrasse, imò purgantur homines ex sola apprehensione, ergo attractio humorum fabula est, eòque magis, cum hæc omnia per potentiæ expellentis incitamentum solidè explicari possint. 7. per attractionem nulla ratio firma adserti potest, cur pueri, senes, quique variis sunt dispositionibus præditi, non æqualiter purgantur, quia vis trahens æqualiter trahit, neque habet ex se ullum respectum ad individuum, quod tamen absurdum est dicere, ergo ad potentiam expultricem ejusque stimulationem recurrendum est, quia hæc omnia facillimè explicantur; Neque dicas attractionem determinari à vi purgante, quia ponimus unum idemque medicamentum, & conferimus pueros cum pueris & senes cum senibus, non pueros cum senibus &c.

Non est eadem virtus magnetis quâ ferrũ trahit & quam in se continet.

DICO 2. medicina purgans post factam in stomacho solutionem lancinat solùm partes viventes, purgatque potentiam expultricem stimulando. prob. quia mistum purgans non movet humores & succos inutiles extrà corpus protrudendo, quia in hoc nihil agit, ergo tantum ut causa instrumentalis & conditionata stimulando. Antec. prob. quia actio qua humores excernuntur, pendet à principio vitali, quod est effectivum principale, ergo non debetur virtuti motivæ misti purgantis; quod verò solum stimulet, hinc patet, quia in excretione humorum alius modus non observatur, nec alium usum habent purgantia; Nam ut humores & quævis excrementa è corpore educantur, necessum est, ut vis motiva corporis stimuletur, id quod etiam humores intrà corpus vel quantitate vel qualitate peccantes faciũt, ergo frustrà affingitur humorum attractio quæ fiat à similitudine substantiæ, quia prorsus supervacanea est, præsertim cum per naturæ incitamentum tota purgandi ratio facilè & exactè intelligatur & explicetur, ut ex sequentibus argumentis patebit. Sed unde & quare fit hoc naturæ irritamentum?

DICO 3. mista purgantia stimulant facultatem expulsivam partim quia sunt venenum corpori, partim quia cum ejus calore vitali & partium constitutione quandam habent antipathiam; Quod sint venenum viventi, desumitur ex eorum intrinseco, quia videl. nunquam nutriunt ea parte qua sunt purgantia, tota verò substantia & qualitatibus dissident à calore viventis, quem etiam alterando vehementer corrumpunt, & corrumpendo imminuunt. Neque tamen ex hoc solo quod venenum sint viventi, vim expulsivam irritant, quia aliàs quævis venena purgarent contrà experientiam, sed quia peculiarem respectum & habitudinem ad corpus movendum habent, & sunt è genere eorum, quæ inter se antipatheticè dissident, quod quia occultum est, ad motus etiam occultos pertinet, videl. ad specificã & peculiarem proprietatẽ irritandi partes vi-

ventes & in iis facultatem expulsivam, quod etiam in vomitu fieri cernimus, quem nõ quivis sed peculiaris humor, vel certè nimia ejus copia provocat. Quod itaq; ex dictis colligitur.

DICO 4. causa effic. principalis in purgatione est anima ejusque facultas expultrix, quam adjuvat calor & impellit lancinatque vis motiva medicamenti. prob. omnis excretionis humorum causa principalis est anima ejusque fac. expultrix, ad quam concurrit vis medicamenti & humorũ irritans; sed purgatio est talis actio: ergo. prob. ma. omnis excretionis causa principalis est principium vitale, non quod ipsa actio sit vitalis, sed quod ad aliam causam effic. principalem omninò referri non possit; sed hoc principiũ est anima, ergo ipsa est causa principalis, cujus facultatem expellentem stimolat solùm & impellit vis motiva medicamẽti, vel etiam humorum, quia ad purgationem requiritur vis motiva medicamenti vel humorum irritans, & ipsa animæ facultas expellens; hæc ut causa principalis & intrinseca, illa ut instrumentalis & extrinseca.

DIFFICULTAS VI.

Respondetur objectionibus.

DICES 1. multa dari quæ extrinsecus volneribus imposita spinas, fragmẽta lignorum & quicquid sub cutem impactum est, vi quadam occulta & sympathetica extrahunt, ut docet Fern. l. 4. m, m, c. 5. & cõstat experientia, ergo nec purgantibus deneganda est humorũ attractio. Resp. neg. antec. quia hujusmodi a-gentia nec agunt per qualitatem occultam aut sympatheticam, nec in spinam, ferrum, telumque impactum, nec extrahunt ea propter quãdam cum eis similitudinem, sed ideò, quia materiam in parte læsa existentem rarefaciunt, attenuant, putrefaciunt, viamque parant naturę, ut ea quæ impacta sunt, jam liberè, nisi tamen aliud meatuum impedimentum occurrat, expellere & protrudere possit, quod etiam fieri videmus si nihil extrinsecus applicemus; Natura enim quæ intrinsecus nutritioni & conservationi partium studet, semper conatur expellere onerosa, quod etiam in hujusmodi casibus semper facit, quando per putrefactionẽ interiores viæ & meatus dilatantur; Et in hunc finem omnia quę extrinsecus applicantur, ejus sunt intentionis, ut per se calorem partis affectæ conservent, & cum eo materiam morbosam coquant cæteraque disponant, per accidens autem impacta extrahant, qui modus non observatur in purgantibus, nisi dũ per se naturam stimulant, & per accidens evacuant.

Attractio spiculi quomodo fiat.

DICES 2. cum Dorncrellio tract. de purg. si sola facultas expultrix esset causa purgationis, non posset reddi ratio, quare medicamentis electivè purgantibus humores in remotis etiam & profundis partibus existentes tantum per alvum, & non per compendiosiores vias, ejiciuntur, v. g. humor pituitosus in capite existens per nares aut palatum. Resp. 1. idem argumentum is quoque solvendum esse, qui tractionem tuentur. 2. neg. assumptum; Nam imprimis falsum est humores in remotis partibus existentes semper per alvum exturbari, quia experimur id quoque fieri per nares, palatum, vesicam &c. Deinde si pituita è ventriculis cerebri v. g. per alvum exturbetur, quid tum? certè tractionis opus non est, sed quia natura excrementum per rectos & obvios quoscunque meatus excernere solet, quales non sunt semper viæ ad nares & fauces, sed ad intestina & alvum. Adhæc si excrementum sponte onlloque adhibito medicamento rejiciatur, verum est, quod id fiat per viam proximiorem cæteris paribus, v. g. pituita capitis per nares, palatum; si autem violenter & per vim purgantem, tum fieri solet per alvũ & intestina propterea quod virtus medicamenti vim corporis expulsivam potissimum in iis visceribus sollicitet, à quibus faciliores sunt ductus ad intestina & alvum. Et fieri potest, ut virtus medicamenti non contingat immediatè humorem peccãtem in tam remotis partibus, sed vellicando proximas tãtum & consentientes vim corporis ad certos ductus & vias quæ maximè fuerint congruæ, determinet. Falsum itaque est, quod medicamentum purgans omnem materiam peccantem in præsentiaut quovis alio simili casu per intestina expurget, quia sæpè illud tantum aufferr & demit, quod materiam morbosam fomentat, & reliquum per nares, per palatum, fauces, poros cutis &c. excernitur.

DICES 3. Gal. l. de fac. purg. medic. c. 4. ubi contra Erasistratum disputat, ait medicinam quæ ad melancholiam educẽdam ordinata est, nunquam bilem flavam in morbo regio quantumvis etiam redundantem educere; & hoc idem alibi de fac. natut. c. 15. ait, sed succum melancholicum, illudque cum certo supplicio quo Erasistrato cupit esse devinctus, promittit, si aliter eveniat. Resp. absolutè falsum esse, quod videl. medicina purgans, quæ aliàs ad educendam melancholiam ordinari solet, non etiam bilem abundantem evacnet, ideòque redundabit hæc præsumptio in caput Galeni.

DICES 4. Ex hac opinione sequi, frustrà assignari delectum medicamentorum purgatiorum; cum quodvis medicamẽtum quemlibet humorem possit expurgare. Nam stimulus nõ determinat ad certum humorem in specie. Resp. si purgantia præcisè ut sic spectentur, veram esse sequelam, neque est contra rationem aut experientiam, si autem considerentur ut mixta quatenus vel magis vel minus activa & quæ variis imbuta sunt viribus, falsum; Nulla enim sunt purgantia quæ propter vim purgantem non etiam habeant alias virtutes & qualitates tam primas quam secundas cum substantiæ tenuitate, crassitie &c. juxtà quarum constitutionem actiones & operationes in hunc potius quam in illum locum, humorẽ & partẽ determinentur; Et sic in Rhaharbato v. g. est imprimis vis purgans, tum juxtà partes diversas substantiæ vel tenuitas, vel crassities, visastringens, attenuans, solvens, calefaciens, siccans &c. Et quamvis in hoc eodem Rhabarbaro ut benè notat Erastus, sit virtus

quâ

quã facilè quemvis humorem evacuet, potius tamen pro bile eligitur quam agaricus, non quidem ut dicit præcisè vim purgantem, sed ut habet alias virtutes & qualitates manifestas à certa primarum temperatione pendentes; habet enim Rhabarbarum insignem calorem fundatum in tenuitate substantiæ, citò solvitur in stomacho & ad Epatis partes circumjacentes facilè penetrat, in quibus bilis non phlegma abundat; adde quod epar respiciat eique familiare sit propter virtutes secundarias, potissimum verò propter vim constrictoriam qua gaudet epar, si laxetur. Agaricus autem natura sua lentus est & viscosus, ventriculo facilè adhærescit, & pituitam cujus ille receptaculum, exturbat; sic alia alias & diversas partes respiciunt, non ut quantum sunt purgantia, sed quia sunt mixta, in quibus plures sunt virtutes & qualitates manifestæ, quæ proinde hoc potius quam aliud membrum sibi familiare habent. Et ridiculum foret, scammonium non purgare hominem, cui nulla sit bilis superflua, aut elleborum nihil agere in biliosum &c. Nec est quod cum Fernel. l. 3. m.m. c. 1. dicas, præter rationem propriam & naturam purgandi, quâ scilicet quodvis purgans quemvis trahit humorem peculiarem, etiam dari quandam virtutem generalem in mixtis, qua omnes humores indifferenter trahantur, quia hoc novum est commentum, estque virtus hæc vel specie distincta ab aliis vel certe ex omnibus conflata, sicut temperamentum ex 4. primis qualitatibus, quod tamen falsum est & absurdum cogitare. negatur itaque consequentia, quia videl. mixta purgantia vel sunt magis minusve activa ut sic, vel habent alias virtutes & qualitates, quibus respiciant certa viscera certosque in iis humores existentes.

DICES 5. etiam allium, pyrethrum, piper aliaque vehementer irritant & lacessunt potentiam expultricem, & tamen nihil purgant, cujus ratio est, quod ut ait Dorncreil. cit. totum evacuationis opus naturæ humorem noxium expellenti committant, & nemo sit qui attrahat, qui propellat, qui evacuet, ergo mixta purgantia non agunt stimulando. Resp. primo, negando quod allium, piper &c. factâ irritatione nihil evacuent, quia contrarium docet experientia, si intrà nares, os aut fauces applicentur; qualis enim non fit humorum commotio in capite existentium, qualis defluxus & attractio? & hoc ideò quia vellicant, attenuant, rarefaciunt &c. Resp. 2. ab allio, pyrethro, pipere & similibus non irritari partes profundas aut quæ sunt extrà ventriculum, cujus ratio est, quia sunt hæ virtutes manifestæ, benignæ hominique familiares & evanescunt antequam ad partes remotiores penetrent, vellicant autem vias primas faucium & narium, quia incidunt in nervos cerebro proximiores, qui proinde magis noxam sentiunt faciliusque convelluntur. Quod verò Dorner. dicat, hoc esse discrimen inter pyrethrum & agaricum, quod illud tantum irritet & reliquũ naturæ committat, hic verò [illegible] post stimulationem convenientes humores attrahat & hoc modo expurget, id ridiculosum est figmẽtum, quia post vellicationem nulla fit attractio. Nã quorsum traheretur bilis à Rhabarbaro? ad stomachum? sed ibi nulla virtus est Rhabarbari: ad intestina? nec ibi existit, quia factâ irritatione disparuit, quemadmodum fieri solet cum aliis mistorum virtutibus, proinde corruptâ vel pereunte vi Rhabarbari, quod fit immediatè post irritationem, etiam cessaret purgatio quod est absurdum.

DICES 6. nisi admittatur attractio humorum, indifferenter omnes humores qui in venis existunt, educerentur, quia non est ratio cur potentia expultrix unum & non alium vel omnes simul expellat; sed hoc falsum est, ergo & illud. Resp. neg. assumptum; nisi tamen omnes humores sint corrupti. ad confirm. dico, quod potentia expultrix unum & non alium ex humoribus exturbet, hanc esse rationem, quia natura inutilia tantum separat & expellit, non autem utilia & alimentosa, nisi tamen vis impellens vehementior sit omniaque conturbet & commoveat ut fieri solet ab antimonio & similibus, quæ vasis venisque vim summam inferendo sanguinem etiam expurgant; Est enim natura ita provida, ut semper utilia ad se trahat fortiterque amplectatur, inutilia verò & excrementitia, dum etiam aliunde non lacessitur, exeernat.

DICES 7. purgatio non est actio vitalis, ergo non provenit à principio vitali. Resp. neg. cõsequentiã, quia multi sunt actus qui in humano corpore non vitaliter exercentur, quorum tamen principium est anima ejusque potentia; sunt autem duplicis generis actiones in homine; quædam veniunt à principio vitali & terminantur ad substantiam; aliæ fiunt à principio vitali, & non terminantur in illud, ut concoctio, attractio, retentio, excretio &c. purgatio itaque non est actio vitalis primo modo, est tamen secundo.

DICES 8. hæc sententia pugnat cum tota antiquitate, ergo hoc solo admittenda non est; Resp. parum esse, sive eum multis sive cum paucis pugnet; sufficit enim esse rationabilem, quodque hoc sæculo non desint viri docti, qui eam non tam oppugnent quam expugnent Et sunt plura. quæ jam dudum in Gal. reprehenduntur, à multis autem qui ab eo deficere nefas esse putant, pertinacius quam verius defenduntur.

DICES 9. succi inutiles qui sunt cum sanguine in venis, purgantur per medicinas; sed non potest hoc fieri, nisi prius trahantur per vim medicamenti, ergo, prob. minor, Nam si per stimulum facultatis expellentis fieret, moverentur humores sursum, deorsum & in omnem partem. Resp. naturam non posse babere in hujusmodi evacuationibus viæ ductore, cum ipsa dum ab extrinseco stimulatur, in secretione utilium ab inutilibus, & horum per certos ductus & debitos meatus excretione sibi sit sufficiens.

Et cur non etiam vis movens medicinæ trahat ſurſum & deorſum, cum ipſa non agat aliquo prudente directore, ſicut natura, quæ animam habet comitiſſam.

DIFFICULTAS VII.

Quæ ſint mixta purgantia hactenus uſu & experientia comprobata.

ADvertè primo, quaſdam res mixtas ſive ſimplices ſive compoſitas per ſe & ex natura ſua purgare, quaſdam per accidens, idque vel aſtringendo & gravando ventriculum & inteſtina comprimendo ut auſtera & acerba omnia; vel ſua humiditate lubrificando ut olea, butyrum, poma, decoctum maluæ; vel lenta ſua lubricitate partes exiccatas & corrugatas leuiendo ut mucilago ſeminis pſyllii, muſtum; vel liberando à farctu & detergendo ut ſumaria, gentiana, abſinthium, mel, ſaccharum & amara omnia. Et quia de his impropriè purgātibus non eſt hic quæſtio, tantum verò de iis, quorum natura eſt vim corporis expulſivam per ſe movere.

Adverte 2. his purgantibus ſuos eſſe gradus intenſionis & remiſſionis ſicut cæteris alterantibus: Sunt enim multa quæ mitius movent, alia quæ fortius & quædam denique quæ fortiſſimè. Cum verò 4. ſolum humores in humano corpore ut ſerum, pituita & utraque bilis evacuandi redundent, etiam in totidem claſſes purgantia à medicis dividi ſolent, ita ut cuique humorum ſua attribuantur appropriata moventia, alia quidem mitiora, alia autem fortiſſima, & denique inter hæc extrema quæ medium locum occupant. His poſitis

DICO primo, inter ſimplicia purgat aquam leviter ſuccus ebuli ex ejuſdem radice vel medio cortice expreſſus, vel fructus ejus cum cinamomo & ſaccharo conditus: Radix item mecboacanna, myrabolani bellirici, emblici, chebuli, opoponax & ſagapenum; vehementius mezereum, id eſt, ſemen Rhymelææ & granum gnidium dictum; Elaterium, id eſt, ſuccus cucumeris ſylveſtris, & tam radix quam laceſulæ, quod aliter ſuccus tithymali nuncupatur. Inter compoſita purgant aquam ſyrupus diaſcreos & de ſpina infectoria, & quæcunque ex radice bryoniæ, ex ſucco cucumeris ſylveſtris & elaterii, ex corticibus ebuli & ellebori nigri, ex foliis chamelææ, ex colocynthide &c. conficiuntur; pilulæ item alhandal, de hermodactylis &c.

DICO 2. Ex ſimplicibus pituitam blandius purgant agaricus, myrabolani bellirici, chebuli & emblici, carthamus, turbith, opoponax, ſarcocolla, mechoacanna alba, ſerapium vel ſagapenum, vehementius colocynthis, euphorbium, hermodactyli, galappa nigra. Ex compoſitis ſyrupus de carthamo, de tribus & roſatus compoſitus ſine elleboro; pulpa item caſſiæ, Electuarium diacatholicon, lenitivum, diaphænicon &c. Pilulæ cochiæ, hieræ cum agarico, alephanginæ, aggregativæ, de agarico &c.

DICO 3. flavam bilem ex ſimplicibus blandè educunt caſſia, manna, roſa, violæ, tamarindi; mediocriter aloës, myrabolani citrini, Rhabarbarum. Vehementer ſcamnionium, quod apud pharmacopæos & medicos dicitur diagridium præparatum. Ex compoſitis ſyrupus de floribus perſicorum, de Rhabarbaro ſolutivus, violatus ſolutivus & mel roſ. ſolut. pulp. tamarind. Electuar. Diapr. ſimpl. diapr. ſemit. Caryocoſtinum, hiera ſimplex & compoſitum.

DICO 4. bilem atram blandè reſpiciunt folia ſenæ, Epithimus, polypodium, myrabolani Indi; vehementius autem agunt lapis armenus, lapis lazuli, elleborus uterque. Inter compoſita habentur ſyrupi de Epithimo, de fumar. de polyp. de pomis, qui me dotum Regi Sapori à quo captus imperator Valentinianus, attribuitur & meſuæ adſcribitur, Roſatus ſolutivus cum & ſine elleboro, ſpleneticus, oxymel elleboratum majus. Electuarium Epiſcopi, confectio Samech, infuſum ellebori, hiera logadii, diaſena Nicolai; pulvis ſol. ſenæ, ſpecies Epiſcopi, pilulæ Indæ, de fumaria, de lap. armeno, de lap. lazuli &c.

DIFFICVLTAS VIII.

An hæc mixta purgantia ſemper & in quocunque operentur.

QUæſtio non tantum eſt de primi ſed etiam de ſecundi generis purgantibus, an videlicet quotieſcunque intra corpus alterantur, ſemper moveant: ſunt autem purgantia primi generis quæ vim corporis expulſivam irritando evacuant ut ex dictis habetur, & ſecundi, quæ aſtringendo, comprimendo, abſtergendo, humectando, emolliendo, ab infarctu liberando &c. idem præſtant.

DICO primò, purgantia primi generis ſemper movent hominem ex ſe, & niſi aliunde impediantur. Ratio eſt, quia hæc mixta poſt alterationem factam in ſtomacho ita operantur, prout in ſe naturaliter affecta & virtutibus imbuta ſunt; ſed affectio eorum connaturalis eſt occultè hominem movere, ergo juxtà eam ſemper operabuntur; Deinde agentia purè naturalia poſitis debitè diſpoſitionibus non poſſunt non agere id quod ſunt; ſed purgantia ſunt purè agentia naturalia, ergo ſemper agant id quod ſunt, ergo ſemper & ubique movebunt, niſi tamen aliunde quod dixi impediantur; poteſt enim vis motiva medicamenti vel enervari vel penitus aboleri, ſi ſtomachus revomat, ſi viæ & meatus recluſi ſint, ſi partes illæ, quarum miniſterio facultas expultrix humores ejicit, quæque probabiliter fibræ ſunt, non irritan-

irritantur, si denique cæteræ dispositiones absunt, de quibus in sequenti difficultate; Si quæras, an etiam moveant bruta animalia; Resp. incertum esse; Et pendet hoc totum ab experientia, qua constat, non semper moveri quamcunque speciem animalium, quantumcunque etiam aut Rhabarbari aut ellebori vorent, cui experientiæ accedit hæc ratio, quod cum differant forma physica, differant etiam dispositionibus & complexionibus; Et hinc etiam videre licet diversas simplicium mixturas apud Villanos & Rusticos, quibus domi suæ pecora curare aut ab ingruentibus malis præservare solent.

Quomodo purgantia moveant.

DICO 2. purgantia secundi generis non nisi positis certis in subjecto dispositionibus operantur. Ratio est, quia sunt agentia indirecta & concurrunt in hunc effectum per accidens; Nam evacuatio humorum non est effectus, qui directè correspondeat hisce mistorum virtutibus; ergo eam operabuntur per accidens; Antec. patet ex notabili. quia virtutes sunt abstergere, humectare, emollire, comprimere, constringere &c. si itaque effectus ille secundarius sequatur, & humores superflui per primam virtutem localiter moti vel alterati ab intestinis profundantur, id singulari partium internarum dispositioni adscribendum est, quæ sicut in multis ad eam actionem est incitamentum, ita in contrarium apud multos alios ad eandem est impedimentum, quia est conditio quæ non minus requiritur quam calor vitalis, potentia expellens, humor superfluus, animæque organa quæ ad hanc actionem requiruntur.

DICES, sicut purgantia primi generis requirunt certas dispositiones in subjecto ut operentur, ita etiam ea quæ sunt secundi generis, ergo eodem modo movebunt, Resp. neg. antecedens & paritatem, quia purgantia primi generis semper movent nisi aliunde impediantur, hæc autem abstergunt, emolliunt, constringunt &c. Quod si itaque corpus moveant, est illis per accidens. quod est primis per se, quia in hunc effectum ex natura sua non intendunt. Si de dispositionibus quæras, quas purgantia secundi generis requirunt; Respondetur, eas non facilè explicari eò quod sint quædam peculiares individuorum differentiæ materiales, cognosci autem solo effectu.

DIFFICULTAS IX.

Quare medicinæ purgantes tam diversimodè operentur.

Fit non tantum ut homines diversi sed etiam iidem diversis temporibus vel facilius vel difficilius à medicinis purgantibus moveantur, Et hoc cum frequenter non tam medicum quam ægrum decipiat, quæritur quæ ejus rei sit causa.

Suppono primo, nunquam fieri purgationem nisi concurrente immediatè potentia appulstrice tanquam causa principali, quæ ab aliquo extrinseco, sive sint humores acres biliosi & corrupti, sive peculiares mixtorum virtutes ad hanc actionem determinatæ, impellatur, 2. mixta semper agere juxta dispositiones passi, & sic ignem facilius agere in stipulam, difficilius in lapidem; Rhabarbarum facile in juvenem aut puerum, difficulter in senem, nunquam in res inanimatas. 3. quæstionem non esse circa medicamenta diversa sed circa unum idemque. Nam constat, rosas, manna, cassiam, & si quæ sunt alia non ita ex natura sua agere, sicut diagridium, elleborus, antimonium &c. 4. sensum quæstionis versari circa homines ejusdem vel non multum discrepantis ætatis, quia manifestum est puerum esse facilem, & senem difficulter mobilem. His positis

DICO 1. Quod homines aliqui facilè, aliqui difficulter moveantur, non est in causa complexionis aut temperamenti varietas. prob. quia accidit hoc indifferenter biliosis, melancholicis, phlegmaticis & sanguineis, sed & uni hominum qui eodem semper vivit temperamento, ergo non est referendum in diversitatem complexionis & temperamenti: Confirmatur ratione, quia sive purgantia trahendo secundum Galenum sive stimulando secundū Schegkium operentur, primarum qualitatum temperies non concurrit ad evacuationem nisi velut quædam communis corporis dispositio, ergo non gignit principaliter hanc evacuandi varietatem; Antec. prob. quia contrà ejus imperium stimulat Rhabarbarum vel elleborus facultatem expultricem; sed nec in sententia Galeni trahit humorem sibi familiarem eum habito respectu ad hoc vel illud temperamentum, ergo qualitates primæ concurrunt tantum dispositivè.

DICES, experientiam testari, biliosos utplurimum facilè purgari, non item pituitosos aut melancholicos, cujus ratio est, quod bilis facile, reliqui autem humores difficulter moveantur, ergo plurimum facit temperamentum sive complexio. Resp. neg. antec. quia experientia docet, indifferenter & biliosos & melancholicos &c. sæpè facilè sæpè difficulter moveri, cujus rationem infrà videbis. Nec juvat ipsa humorum natura & constitutio, quia si naturales sint, non irritant vim corporis expulsivam, nec concurrunt ad purgationem nisi passivè.

DICO 2. ad facilem vel difficilem purgationem nihil quoque facit fortis, validus & quadratus corporis habitus, aut in contrarium debilis, morbosa multisque affectibus obnoxia constitutio; Et hæc idem de sexus diversitate, de pallidis, rubicundis, magnis, parvis, mediocribus, septentrionalibus, meridionalibus, excepta sola ætate intellige. primum probat ipsa experientia, quâ videmus aliquando delicatissimas fœminas esse difficulter mobiles, & contrà fortes hercules quadratosque colonos facillimè. De ætate probat ratio, quia tenella sunt parvulorum corpora facilèque stimulantur,

lantur, contrà Juvenum Visorumque compacta & robore firmata.

Unde homo facilius vel difficilius purgetur.

DICO 3. quod homo vel facilè vel difficulter purgetur, causa est intrinseca corporis viscerumque dispositio, vel individualis quædam viventis proprietas. prob. primo, purgatio est vera actio facultatis expellentis; sed quod hoc in diversis subjectis, vel etiam in eodem diversis temporibua aliter atque aliter operetur, hoc habet ab interna viscerum & organorum dispositione, ergo hæc dispositionum varietas est causa vel facilis vel difficilis purgationis; Major vera êst ex hactenus dictis, minor prob. quia anima ex se indeterminata est ad omnes actiones tam benè quam malè eliciendas, & determinatur ab organorum constitutione, ergo hæc causa est, quod anima vel benè vel malè operetur, prob. 2. ad humorum eductionem vel expurgationem concurrit præter irritamentum quod est à medicamento, imprimis facultas expellens, quæ locum Agentis principalis obtinet, tum interna corporis constitutio. ergo ut humores vel facilè vel difficulter educantur, eædem causæ & conditiones requiruntur. Quod si de hac organorum dispositione inquitas, respondeo &

Dispositio purgativa in quo consistat.

DICO 4. hæc dispositio consistit in natura & constitutione humorum, in primarum qualitatum temperatura, & membrorum omnium configuratione seu coagmentatione. Ratio est, quia ab hac dispositione & constitutione dependent omnes actiones & effectus, quos non tantum in diversis hominibus, sed etiam in eodem frequenter tantoperè variare cernimus; id quod ab inductione patet; sic enim nonnulli facilius non tantum ob humoris naturam vomunt, sed quia etiam tunicæ inferioris ventriculi sese facilius complicant, quia sunt exquisitioris sensus, quia superius orificium minus clauditur, suntque omnes meatus ampliores. sic aliqui facilius inebriantur, quia calidius habent cerebrum, quia meatus à ventriculo sursum magis diducuntur, vinosique spiritus illuc rapiuntur. sic quidam fæces intestinorum semper habent ficciorea, ideòque tardius & segnius eas rejiciunt, vel quia harum partium tunicæ crassiores sunt calorque firmior eas exiccat, vel quia nulli ductus à vesicula fellea ad intestina stimulanda derivantur, vel quia venæ mesaraicæ sugunt omnem fæcum vel chyli liquorem, vel quia hic ad meatus undique pervios ad viaa urinarias & ad habitum corporis propellitur. Et sic homo vel facilius vel difficilius movetur, quia ad hunc motum concorrit sensus viscerum, ubi viget facultas expulsiva, humorum cruditas vel concoctio, viarum obstructio vel lubricitas, angustia meatum vel amplitudo, paucitas vel multitudo excrementorum, robur aut debilitas potentiæ expellentis & retentricis, & quod caput est, peculiaris constitutio fibrarum in meatibus & vasis, tum robur omnium membranarum, quarum ministerio & beneficio anima cum facultate humores & excrementa expellit.

DIFFICULTAS X.

An Medicus de purgantium effectu certus esse possit.

QUod de moventibus, idem de alterantibus intelligi putest, v.g. an Medicus, cum ægro medicinam porrigit, semper si non de eo quem desiderat, saltem de aliquo effectu certus sit, & si Rhabarbarum in substantia vel infusione propinet, an evidenter vel probabiliter tantum sciat, bis, ter, quater, aut toties quoties cupiat & necessitas postulet, expurgaturum. Est autem quæstio hæc pro gloriosulis medicastris, qui sibi omnia apud ægros pollicentur, nec ex suis potionibus, syrupis, Electuariis, pilulis, pulveribus &c. aliud nisi ob errorem ab ægro & astantibus commissum, posse evenire autumant, quasi aut immortalitas homini data sit, aut quivis morboa tam facilè ab ægro repelli possit.

Nota aliud esse scientiam, aliud opinionem; Illa est cognitio per causam certam, infallibilem & necessariam; hæc verò actuale judicium probabile per medium de re proposita, ideòque cum nitatur probabilius tantum conjecturis, non tollit omnem omninò errandi furmidinem ut loquuntur Logici. Jam

Medicus incertus est de effectibus cujuscunque medicinæ.

DICO primo, medicus non habet scientiam de effectu mixti purgantis, sed nec ullius medicinæ, quam ægro porrigit. prob. primo, Medicus non habet cognitionem evidentem causarum ad hunc effectum necessariarum & concurrentium, ut patet ex dictis, ergo non est evidenter certus de effectu, quem ex medicina sperat. 2. Medicus cum applicat medicinam ægro, versatur circà singulare vel individuum, ergo incertus est de effectu, quem beneficio medicinæ exspectat; prob. hæc consequentia, singularia simpliciter creata nullius scientiæ objectum esse possunt ut docet Arist. 1. poster. c. 24. ubi requirit absolutè universalitatem in objecto cujuscunque scientiæ saltem naturalis. Et favet ratio, quia nulla cognitio certa & necessaria haberi potest de singularibus idcò quod non sint certa & necessaria sed infinitis penè mutationibus obnoxiis; Quis enim evidenter sciret, Rhabarbarum in hoc aut illo individuo bilem evacuaturum, cum nesciat interiorem hominis constitutionem, à quo omnis hæc actio pendet. Et hæc conclusio militat pro tota medicorum praxi.

De singul. nulla datur scientia.

DICO 2. potest tamen Medicus habere opinionem de effectibus medicinæ, quam ad sanitatem consequendam applicat. Ratio est, quia novit medicus probabiliter statum & constitutionem corporis, novit etiam vires medicamentorum, ergo potest habere opinionem, id est, aliquam scientiam de effectibus, ad quos in homine producendos intendit, prob. hæc cons. quia opinio est, quæ nititur proba-

probabilibus tantum conjecturis, qualis est, v. g. cum video duos inter sese humaniter & familiariter colloqui ideoque amicos esse opinor; sed Medicus de statu & dispositione corporis probabiles tantum habet conjecturas, novitque similiter vim & efficaciam medicinæ, ergo opinionem habet de effectibus per hanc medicinam producendis. Nec est quod quis medicastros hic moretur, quia hæc est eorum antiquitus observata consuetudo, ut multa spondeant, paucis autem datam fidem servent, & cum aliis passim contemptui & ludibrio habitis ipsi soli inter viros viri & inter doctos docti haberi cupiant, cum fumo famæque dispendio evanescant.

DIFFICULTAS II.

Quare purgantia in certa tantum dosi purgent.

HÆc quæstio concurrit cum omnibus agentibus naturalibus, quæ licet in parva quantitate eandem habeant vim & efficaciam agendi quam in magna nihilominus tamen plus & fortius in hac quam in illa operantur; exemplum sit ignis, qui in parva quantitate minus quam in magna, quod idem de vino, cinamomo, pipere aliisque intellige, quæ in ventriculo minus caloris excitant, si temperatè sumantur, quam si excessivè, licet utrobiq; habeant eosdem gradus caloris, nec minores nec pauciores.

Suppono. in actionibus physicis, quæ fiunt ab accidentibus, duplices esse gradus, alios scil. intensivos, & alios extensivos, de quibus vid. disp. 11. diff. 7. huius lib.

DICO primo, Rhabarbarum, agaricus, elleborus & si quæ sunt alia purgantia non operantur plus intensivè in magna quantitate sumpta quam in parva. Ratio est, quia in utrâque habent eandem virtutem intensivā, ergo secundum illam idem operabuntur; Antec. patet, quia eadem est ratio cum omnibus mixtis earumque virtutibus, quæ est cum igne ejusque calore; sed hic in parva quantitate tot habeat gradus caloris, quot in magna, ergo de rebus aliis idem dicendum est, ergo ubi hi gradus reperiuntur, idem intensivè in parvo quod in magno operabuntur, cæteris tamen paribus. Et confirmatur, quia ad scrupulum Rhabarbari aut ellebori non additur virtus intensior per accessum unius libræ ejusdem Rhabarbari vel ellebori, quia non additur novus gradus intensior, ergo libra integra non operabitur intensius quam drachma aut scrupulus: Dixi tamen cæteris paribus, si videl. utrinque pares sint subjecti dispositiones, nec adsit aliquod impedimentum quod vim agendi retardet.

Plus operatur agens in magno. DICO 2. plus operatur Rhabarbarum vel agaricus extensivè in magna dosi quam in parva. Ante probationem adverte, ut fiat debita purgatio, debet fieri vellicatio non in una aliqua viscerum particula, sed in pluribus, ad quas non extendit se vis agens in parvo sicut in magno. Deinde tametsi dosis se ad plures partes vellicandas extendat, ita tamen debet esse constituta, ne virtus statim evanescat, quod in partibus paucis entitativis fieri solet, non autem in pluribus, licet utrinque extensivè sint æquales. Iam prob. primo, extensio virtutis Rhabarbari est, quando hæc ad alias atque alias partes sese extendit; sed hoc fit, quando Rhabarbarum in magna quantitate sumitur, ergo plus operabitur in magno quam in parvo. Major certa est, & patet ex natura alterationis extensivæ; minor prob. quia tunc fit major alicuius virtutis extensio, quando sunt in agente plures partes entitativæ; sed hæ potius sunt in magna quantitate agentis quam in parva, ergo in multo Rhabarbaro major est virtus extensivè sumpta quam in pauco. 2. ubi actio sese extendere debet ad plures partes, etiam agens ad eas sese debet extendere; sed purgatio est talis actio, ergo de purgante idem intellige; Iam subsumo, sed non potest sese agens, v. g. Rhabarbarum, agaricus, elleborus, in quavis dosi aut quantitate ad multas partes extendere & in iis operari, ergo in certa & determinata, ergo plus operabitur Rhabarbarum in multo quam in pauco; Nam vellicatio & evacuatio non debet fieri in parte aliqua minima nec secundùm minimam particulam humorum, ideoque nec medicamentum ita debet esse constitutum, ut agat in membrum parvum, & quod sequitur ad utramque hanc actionem non sufficit quævis dosis aut quantitas, nec vellicabit aut movebit tantum scrupulus ellebori quantum drachma non præcisè quod in parva substantia sit virtus intensivè minor, sed quia minores partes entitativæ citius dissipantur, habentq; majorem resistentiam à passo; Nam virtus medicamenti purgantis si sit in parvo subjecto, facilè dilabendo per varios meatus viarumque ambages & anfractus dissipatur & evanescit, vel à corpore resistente corrumpitur, ergo necessum est in majori quantitate ex pluribus entitatibus vel gradibus entitativis conflatam esse & unitam.

DICES primo, cum Dorncreill. cit. unam drachmam Rhabarbari tantum trahere quantum 3. aut 4. ergo minor dosis idem operabitur quod major. Antec. patet, quia vis tractiva magnetis eodem modo est efficax in exigua quantitate sicut in magna cum trahit ferrum. Resp. primo, hoc argumentum non habere locum apud eos qui tractionem negant, sed & esset contra ipsum Dorncreillium, qui de consequentia viderit. Resp. 2. unam drachmam Rhabarbari tantum agere intensivè quantum duæ aut 3. verum est, extensivè, falsum. Nam in majori quantitate cum sint plures entitates virium quam in quavis minori, vires autem ipsæ vel inter agendum vel à corpore ejusque natura resistente collabantur, certum est illam in legitima purgatione requiri: paritas

Suppositio quam in parvo.

inter magnetem & medicamentum non valet, quia magnes in quacunque etiam quantitate non habet eam reſiſtentiam à ferro eum quo gerit amicitiam, quam habet miſtum purgans à corpore, cum quo antipatheticè pugnat. Deinde etiam magnes parvus non habet eam vim tractivam quam habet magnus, quia hic magnum poteſt trahere ferrum, non ille; Itaque reſponderur magnetem eſſe eodem modo efficacem in parva quantitate ſecundum intenſionem, non extenſionem.

DICES 2. ſæpè docere experientiam, quod minor doſis æquè multum aut plus etiam operetur quam major, quia frequentiſſimè plus efficimus levioribus quam fortioribus medicamentis. Reſp. hæc caſualia eſſe & non ordinaria; Non enim ſequuntur hi effectus præcisè à vi ſola medicamenti, ſed plerunque à cauſis aliis Medicum latentibus, nimirùm à magna copia humorum acerrimorum, à debilitate potentiæ retentricis, ab erroribus quos æger commiſit, à nimia medicamenti nauſea & apprehenſione, quæ ſola frequenter ſolet validiſſimè movere, ut noverunt illi, qui prius purgant, quàm medicinam ſapiant. Quod aliquando medicamenta fortiora minus moveant quam leviora, id etiam non fit ordinariè, ſed ob internas corporis diſpoſitiones quæ non ſemper adſunt, videl. ob viſcerum calorem aduſtosque humores, quibus evacuandis plus conferunt humida & moderata quam valida, ſicca & calida.

DIFFICVLTAS XII.

Quinam humores purgentur, an etiam ſanguis.

ADverte, duplicem eſſe purgationem, unâ naturalem, alteram præternaturalem; illa eſt quâ ex legitimè purgantibus & juxtà intentionem Medici ea expurgantur quæ ſuperflua ſunt & oneroſa viſceribus, cuius generis ſunt excocti humores & excrementa; Hæc verò, quâ ſummè violenter quicquid humorum eſt in corpore, excernitur; Et quia hæc impropria eſt purgatio, ſæpius etiam per ſummam humorum acredinem & malignitatem, venena aliaque exotica & validiora purgantia ſolet accidere, quibus conſtat non tam humores excrementitios quam ipſum ſanguinem per inferiora & ſuperiora profundi; ideircò de prima quæritur, an videl. ſanguis purus & alimentalis ſicut phlegma & utraq; bilis quæ excrementa ſunt, evacuetur. Non eſt autem ſenſus, an ſicut reliqui humores ita & ſanguis per certa & determinata purgantia evacuetur, quia falſum eſt miſtum purgans ut ſic reſpicere aliquem humorem determinatum ut conſtat ex dictis; ſenſus itaque ſimpliciter eſt, an purgatione naturali & licita ſanguis minorari poſſit ſicut reliqui humores dum evacuantur. His poſitis

DICO primo, præter humores inutiles & excrementitios etiam evacuantur utiles & alimentales, illi quidem naturaliter & cum tolerantia naturæ, hi verò contra. Utrumq; conſtat ex hactenus dictis, docet etiam experientia & ratio, quia ſæpè pellimus morbum & reſtituimus ægro ſanitatem ſolo uſu purgantiu, quorum miniſterio natura omnes humores qui morbum faciebant & fovebant, evacuat; Et abſurdum eſſet, naturam quæ aliàs rerum omnium generationibus & productionibus tam laudabiliter proſpexit, & in unius hominis gratiam tam multa produxit, in his ſolis defeciſſe, quæ ſanitatem amiſſam per inutilium excluſionem reſtituerent: accidit tamen non rarò, ut non tam inutiles quam contrà ſucci utiles & alimentales, qui videl. ſunt primæ & ſecundæ concoctionis, evacuentur, idque præternaturaliter, quia fit à principio extrinſeco violento, quod non ad tolerantiam aut ſanitatis ſive conſervationem ſive reſtitutionem, ſed ad virium & complexionis connaturalis jacturam viſcera & in iis vim expulſivam nimium commovet & impellit, cuius generis ſunt humorum corruptorum malignitas, tum purgantia valida & eſculenta venenoſa.

DICO 2. nunquam evacuantur humores alimentales qui in venis exiſtunt, naturaliter. Ratio prima eſt, quia hi ſunt Theſaurus vitæ & pro quorum conſervatione tota pugnat natura; 2. quia non inferunt vim naturæ, nec graves ſunt ulli bi aut oneroſi, niſi dum nimia quantitate peccant, ut in athleticis, quo caſu non patiuntur evacuationem niſi ſola apertione venarum, 3. malè accidit homini, dum extravaſati computreſcunt, ut patet in graviſſimis inflammationibus & abſceſſibus. 4. hactenus nullus modus inveniri potuit, quo ſanguis ſi abundaret, commodè & ad ſanitatis conſervationem effunderetur niſi ſola venarum exteriorum apertione; 5. etiam in corruptione ſanguinis ſi præſertim febres malignæ accendantur, illicitum eſt adhibere purgantia, quæ profundius naturam ſtimulatent, ne hac commotione calor morbusque intenderetur, & accederet cum ingraveſcentia ſymptomatum jactura virium vitæq; diſpendium, ut norunt Medici, ergo nunquã evacuantur ſanguis & humores alimentales, qui in venis exiſtunt, naturaliter. Dico nat. quia contrariũ accidit in cauſis morboſis & violentis, quæ totam facultatem naturalem ſeu vegetantem invertunt, effuſoque à propriis receptaculis ſanguine & humoribus alimentalibus magna & graviſſima excitant ſymptomata.

DICES primo, ex communi Medicorum conſenſu nõ tantum evacuantur aliquando humores alimentales qui primarum ſunt concoctionum, ſed etiam qui in venis exiſtunt, ergo & ſanguis. Reſp. neg. antec. quia licet nõn rarò humores alimentales è ventriculo, meſenterio & epate crudi adhuc & incocti per inteſtina evacuentur, ut fit in lienteria aliisque alui fluxibus & viſcerum naturalium affectibus, falſum tamen eſt, id tam facilè quo-

que

que iis qui in venis existunt, accidere, quia ab his non evacuantur nisi impuriores, & corrupti quique ad nutriendum inutiles à sanguine totaque massa alimentali naturæ ductu separantur; Hi enim accedente purgantium virtute & facultatem in venis stimulante propelli & per cæcos meatus venarum cæterorumque membrorum exturbari facilè solent, quia excrementales sunt & naturæ graves. Et hoc experimur in sanis, multoque magis in morbosis, ubi cum sanguine multi humores serosi & corrupti existunt, & aliquando dum ab alimentalibus separati sunt, solius naturæ conatu per criticas aliasque naturæ commotiones & conatus ejiciuntur. Falsum itaque est, idem fieri cum bonis & nutritiis humoribus, quia cum tales sint ad vitam conservandam, tuentur sese quantum possunt etiam ab injuriis gravissimis, & non solum quando eũ putridis varièque corruptis commisti sunt, sed etiam quando ab iis separati ad vitam supersunt.

DICES 2. sæpius inter purgandum, sive id fiat vi medicamenti sive humorum acredine sive quarumcunque causarum occursu sincerum è venis sanguinem profundi, ergo probabile est, inter mixta reperiri verè proprièq; purgantia quæ id præstent. Resp. neg. conseq. quia non faciunt hoc ex se suaque natura, quæ ad solam vim corporis expulsivam stimulandam determinatur; sed nec faciunt sub ratione virtutis purgantis, sed aliarum qualitatum concomitantium. Quod si itaque fiant tam insolitæ excretiones, ut etiam præter humores & succos inutiles sanguis profundatur, id vel referendum est in aliquam malignitatem misti, vel in peculiarem dispositionem corporis; Illud quidem, quia probabile est, multa purgantia præter vim purgantem habere quoque calorem insignem & virtutem tum alterandi tum fundendi sanguinem, ut de aloë constat, summam item acredinem qua stimulent, & malignitatem qua commoveant & corrumpant; hoc autem quia humores fusi sunt, quia oscula venarum aperta, quia sanguis calidus est, serosus & adustus, quia vires exhaustæ, quia potentia expulsiva debilitata, quia expultrix nimium irritata &c. Et excretiones hæ, quia fiunt à mixtis venenosis, vel non nisi in vitiosa membrorum dispositione, à legitima purgationum serie, quæ ad verè proprièque purgantia referri possit, excluduntur.

DICES 3. sæpè sanguis sponte effunditur per nares, per venas hæmorrhoidales, per uterum in fæminis, ergo etiam poterit medicina idem præstare. Resp. non semper artem posse id præstare quod natura, quantumvis velit, præsertim in iis quæ sunt corporis humani; hoc patet in febribus aliisque affectibus, quæ per nullam artis potentiam inferri possunt dum vellemus: sunt autem omnes hæ operationes virtutis expellentis, quæ cum sanguis abundat, cum serosus, calidus, & adustus est, oscula que venarum diducuntur, eum quo viam ducit natura, profundit, eoque magis, si ad præsentes dispositiones virtus aliqua medicamenti extrinseca accedat.

DIFFICVLTAS XIII.

An mixta purgantia nutriant.

SVppono primo, purgantia quædam esse mitiora, alia fortiora, & tertia deniq; fortissima. 2. quædam esse substantiæ siccæ & terreæ, ut radix galappa, turbith. alia verò liquidæ & aëreæ, ut manna, cassia, succus rosarum. 3. pleraq; mixta habere non unam substantiam & virtutem, sed plures ut lac quod habet serum, florem & coagulum, Hippositis

DICO primo, purgantia ut sic non nutriunt; Ratio est, quia nutrimenta debent habere aliquam similitudinem & convenientiam cum corpore nutriendo tam in substantia quam in qualitatibus; sed purgantia ut sic non habent hoc, ergo nutrire non possunt; major vera est, probatur minor, quia purgantia ut sic tantum movent & alterant, qua parte maximè à vivente discrepant; Nam alteratio & commotio cum facultatis tum humorum, quâ utràque à purgantibus afficitur corpus, dicit quandam dissensionem & antipathiam inter rem moventem & corpus motum. Dixi tamen purgantia ut sic, quia cum hæc sint corpora mixta, habeantque diversas elementorum non tantum virtutes, sed etiam substantias, nutrire possunt ea parte, quâ benignis constant qualitatibus in materia aërea corporiq; analoga fundatis. Ex hinc *Purgantia ut sic non nutriunt.*

DICO 2. valdè probabile est, in purgantibus mitioribus & blandioribus reperiri aliquam substantiam alimentalem. Ratio desumitur ab eorum natura, quia non sunt ingrati saporis, nec tantoperè nauseantur à stomacho, non commovent etiam magnoperè interiora franguntque vires dum assumuntur, ergo probabile est ea parte qua non purgant, alere; huiusmodi sunt manna, cassia, pruna, myrabolani, succus violarum, rosarum, florum persicorum &c.

DICO 3. purgantia validiora, ut scammonea, colocynthis, esula, elleborus, antimonium non nutriunt; Ratio in contrarium est, quia improportionata sunt corpori humano, ab eoque maximè tum substantiis tum qualitatibus distant, ideoque proximè ad naturam venenorum accedunt ut infrà dicetur, ergo ad nutriendum inhabilia sunt, maximè verò quia partim corpori insuavia sunt, partim fortiter illud commovent. De Rhabarbaro, agarico, foliis senæ & aliis quamplutimis quæ medio modo se habent, res dubia est, quia & hæc ingrata sunt viresque debilitant: probabile tamen est habere saltem aliquas substantias, quæ ad alitionem sint idoneæ, præsertim si crudiores & fæculentiores cum substantiæ tum

tum vires per coctionem ſeparentur & corrumpantur, quia mixta ſunt ex variis elementorum porrionibus concinnata & coagmentata. Quæcunque itaque purgantia obtinent qualitates & ſubſtanrias terreas, qualitates tam primas quam ſecnndas viventi improportionatas, tum verò vim validam purgandi & commovendi corpus, hæc ab alimento aliena ſunt & remota; quæ verò multo conſtant humido & calido aëreo, vimque ſuavem & blandam purgandi corpus habent, hæc inter nutrimenta numerari poſſunt, non quà ſunt purgantia, ſed qua ſubſtantias corpori analogas obtinent.

DICES primo, mixta purgantia actuantur in ſtomacho & reſolvuntur non ſecus ac pura alimenta, ergo eum in finem ut nutriant; Reſpund. neg. conſequentiam, quia etiam venena ſolvuntur in ſtomacho aliaque plura quæ non ſunt capacia ut nutriant, niſi fortè ſecundum partes ac ſubſtantias benigniores, & in quibus peregrinæ qualitates & vires à calore vitali vincuntur: Non autem actuantur res purgantes, quaſi in chylum ſanguinemque convertantur, ſed ut ſubſtantia vaporoſior & activior in membra & viſcera ad vellicandum & movendum effundatur craſſior verò & fæculentior ad inteſtina propellatur.

DICES 2. multa ſunt venena quæ nutriũt, ergo etiam de purgantibus id verum eſt. Antec. patet in viperis, quibus capones ſaginantur, in ſturnis quorum cibus delicatiſſimus eſt cicuta. *Reſp.* viperas non eſſe caponibus venenum, nec ſturnis cicutam, atque ita falſum eſt, venena ſub ratione veneni nutrire, quod idem de purgantibus intellige; Nam poſſunt hæc quibusdam ſpeciebus eſſe venenum, aliis autem cibus & nutrimentum. Deinde viperę non ſunt venenoſæ niſi ſecundum aliquas partes vel excrementa, carnem vero eſſe alimentalem, vel certè medicamentalem nemo eſt qui id neſciat.

DIFFICULTAS XIV.

An purgantia poſsint vocari venena.

VEnenum aliquando ſtrictè, & aliquando latè ſumi pro omni eo quod ab humano corpore diſſentit, conſtat ex iis quæ nupera diſpur. de venenis dicta ſunt, Hic quæritur an etiam è genere venenorum ſint mixta purgantia, quia ſunt ex iis nonnulla corpori adeò infeſta, ut nec contactum eorum nec odorem aliquando ferat, ſed ad ſolam apprehenſionem convellatur, & ad excretionem impellatur.

DICO primo, purgantia blandiora non habent rationem veneni propriè dicti, ratio eſt, quia non ita diſſident tota ſubſtantia ut loquuntur Medici, ab humano corpore, nec exercent cum eo fatales inimicitias; non etiam corrumpunt violenter calorem vitalem aut temperiem naturalem, nec diſſolvunt ita virium robur, ſed leviter vellicant blandeq; ſtimulant facultatem expultricem, quod etiam faciunt humores ſubinde bilioſi, ergo rationem veneni non habent. Dixi tamen veneni propriè dicti, quia ſi ſermo ſit de venenis latè ſumptis, probabiliſſimum eſt, quævis purgantia ut ſic ad venena ſpectare, quia non intendunt per ſe conſervationem corporis, ſed potius ejus corruptionem,

DICO 2. nec fortiora purgantia ſunt venena propriè & ſtrictè ſumpta. prob. venena propriè dicta per ſe & directè oppugnant vitalia, manusque extremè violentas injiciunt corpori; ſed hoc non faciunt purgantia etiam fortiora, ergo ad venena propriè ſumpta non ſpectant; Major patet ex natura venenorum, quæ eſt, ut vel ſubitò hominem perimant, ejusque vires & imprimis vitæ principium efficaciſſimè ſupprimant; minor prob. quia purgantia electiva quamvis ut ſic non nutriant, ſed corpus alterent & vehementer aliquando commoveant, habent tamen hoc, quod commovendo corpus & naturam ad noxiorum humorum excretiones impellendo hominem non tantum in periculum non præcipitent, ſed potius ſi morboſus, ſanitati reſtituant, quia avertunt & expellunt quidquid in corpore præternaturaliter accidit, dataque ſunt & inventa ab Authore naturæ, ut ægris tempore neceſſitatis ſubſerviant, & Medico in depellendis affectibus auxiliares manus præbeant.

DICO 3. ſunt tamen mixta quædam purgantia, quibus incautè aliquando utuntur omnis generis indocti medicaſtri in evacuandis corporibus; Et hæc vel ſunt venena vel proximè ad hæc accedunt, ut argentum vivum, antimonium, elleborus albus & ſimilia. prob. hæc mixta ſemper & ubique vitales diſpoſitiones ſive directè ſive indirectè plurimùm infringunt, habentque naturam toto genere ab homine, ejusque complexione diſcrepantem, ergo vel venena ſunt vel proximè ad ea accedunt: Antec. deſumitur ab experientia, quæ ſatis evidenter docet, in quæ pericula vitæ corporisque carnificinas intempeſtivo huiusmodi purgantium uſu multi quotidiè conjiciantur, quorum aliqui ob magnam eorum efficaciam vimque effrenem paucis ſæpè diebus vel horis etiam expirant, aliqui autem, quorum natura validior, in longos & diuturnos viſcerum cruciatus præcipitantur, ex quibus tandem viribus exhauſtis conſumptâque corporis compage pereunt.

DICES primo, multis ſæpè conferunt hæc purgantia violenta, ergo non ſunt è genere eorum quæ propriè venena dicuntur, proximè tamen accedere: Et verum eſt ſæpè antimonium, mercurium aut aliud violentum purgans beneficium corpori adferre, ſæpius tamen vitæ aut ſanitatis diſpendium; ſtat ergò cuique liberum, tentare & experiri vitæ fortunæque aleam; ſi enim interiora corre-

ſpon-

sponderint, benè lusum est; sin minus, malè, perditurque nunquam recuperabile.

DICES 2. in plerisque purgationibus vehementer pati & debilitari naturam, ut indicant sudores frigidi, deliquia, pulsus mutatio, dejectiones virium, spasmus &c. ergo signum est, omnia purgantia indifferenter esse venena. Resp. omnia purgantia ea parte qua talia sunt, esse venena vel magis vel minus tam in ordine ad se quam in ordine ad hominem: Illud quidem, quia ut constat ex dictis, alia sunt mitiora alia fortiora, ideoque magis vel minus ab homine distant; hoc verò, quia variè in variis operantur, alibi multum, alibi parum, & rursum alibi mediocriter ob discrepantes in singulis individuis dispositiones, quæ faciunt, ut id quod quibusdam est toxicum, aliis suave sit edulium &c. Cæterùm communiter iis qui purgantibus utuntur, variis affligi solent symptomatis, quia videl. vis purgans commovet imprimis ventriculum cui consentit substantia cordis & spiritus vitalis, tum vellicat omnes partes sensitivas & in iis potentiam expulsivam, cuius beneficio impellit quicquid sanguinis, humorum & spirituum intra corpus continetur.

DIFFICVLTAS XV.

Vnde producitur vis purgans.

HÆc vel existit in vegetabilibus, vel in mineralibus; de utraque dum quæritur respondeo &

DICO primo, si vis purgans sit rerum vegetabilium, id est, radicum, plantarum, foliorum, florum, succorum &c. oritur ab ipso generante principaliter & emanat à forma substantiali suppositi ejusque temperamento; Per generans intellige principium productivum v.g. Rhabarbari, agarici, ellebori, sive illud sit ejusdem speciei, ut alius elleborus, aliud Rhabarbarum &c. sive diversæ, ut sol dum principaliter producit plantam ex multorum sententia, larix dum ex suo cortice protrudit & gignit agaricum; per principium emanativum intellige formam substantialem ejus suppositi, cui inest vis purgans, v.g. virtus agarici aut ellebori. Iam prob. conclusio de generante, quia huius est rem constituere in esse suo, ergo si formam & cum eo compositum physicum completum producit, producit etiam ea quæ formam consequuntur, quæque sunt ad ejus perfectionem: Anteced. patet ex productione omnium rerum naturalium, quæ cum non fiant ex seipsis, sequitur quòd sint ex alio, id est, ex suo generante, sive hoc sit univocū sive æquivocum, ut sunt cæli qui in visceribus terræ omnis generis mineralia & fossilia producunt; De emanatione res clara est, quia quod sint potentiç sive sensitivç sive cognoscitivæ in homine & animalibus, id sunt virtutes in vegetabilibus; sed illæ emanant à forma sive ab anima, ergo & hæ à formis suorum suppositorum. Nam spectant ad complementum & perfectionem substantiæ, & sequuntur formam tanquam proprietates in supposito, ergo emanant ab ea. Dixi ejusq; temperamento, quia etiam remanet pereunte forma substantiali eum temperamento, ut patet in Rhabarbaro, quod aridum purgat, hanc vim autem cum temperamento amittit, ut proxima conclusio docebit.

DICES, virtutis purgantis causa consimilis & univoca est alia vis purgans, ergo nō ipsum generans quod est totum suppositum, v.g. Rhabarbarum. Resp. primo, neg. anteced. quia virtus purgans quamvis sit activa in ordine ad alterandum & corrumpendum, non est tamen activa in ordine ad gignendam aliam vim purgantem; Neq; opus est, ut qualis secunda qualitas aut virtus mixti dicatur causa consimilis alterius qualitatis & virtutis, quia spectat hoc ad totum suppositum, quod potens est principaliter in genere causæ efficientis producere quicquid formam sequitur aut concomitatur; Et hinc negatur secundò conseq. quia habet pyrus potentiam & virtutem producendi aliam pyrum & cum ea flores, fructus, folia, semina in genere causæ efficientis & principalis generantis; Et idem de Rhabarbaro, aliisque rebus cum animatis tum inanimatis v.g. sole & elementis intellige.

DICO 2. vis purgans dependet in conservari à temperatione primarum qualitatum. prob. tamdiu manet mistum integrum, quamdiu primæ qualitates inter se benè perfecteq; commiscentur, nec notabiliter deficiunt, ergo etiam virtus Rhabarbari v.g. non corrumpitur, quamdiu ejus temperamentum & primarum qualitatum commistio illæsa permanet, quia hæc est præcipuum complementum substantiæ, servatque formam cum materia unitam. Et confirmatur experientia, quæ docet Rhabarbarum, quod leve est, porosum, vetustum & diuturnitate temporis marcescere incepit, nullas amplius vel certè exiguas habere vires purgandi, quia videl. pereuntibus primis qualitatibus tota ratio misti dissolvitur.

DICES, sæpè deficere vel etiam perire vires mixtorum non mutatis primis qualitatibus earumque temperatione, ergo falsum est, vim purgantem dependere in conservari à temperamento; Antec. patet in multis vegetabilibus, quæ ex una provincia transportantur in aliam; Constat enim, si Rhabarbarum ex India in Europam transportetur, totam vim purgantem non mutatâ temperie ejus perire, quod etiam in aliis quamplurimis simplicibus fieri solet. Resp. neg. antec. ad probationem dico, si contingat, aliquod simplex seu vegetabile non retinere nativam suā virtutem, si transferatur in aliam provinciam, semper mutari & alterari temperiem, sive diuturnitate temporis, longitudine viarum & inclementia cæli nimium exiccetur, sive aliena humiditate imbuatur, sive denique soluto

quâ

qualitatum nexu & unione putrefcat & corrumpatur, five denique peregrino & diverso cæli & elementorum influxu afficiatur: Quæ autem ejusdem speciei plantæ in diversis terræ partibus satæ & plantatæ diversas & discrepantes acquirant virtutes, ex alibi dictis videre est.

DIFFICULTAS XVI.

An & quid sit vis corroborans.

HÆc dicitur talis vel in ordine ad solum cor, vel ad reliquas etiam corporis partes: Quantumvis enim solius cordis corroborationi imprimis invigilamus, ut in quo principium vitæ & caloris vitalis existit; nihilominus tamen omnes partes, quotquot sunt in humano corpore, posse corroborari quotidiana experientia & medicorum cum usus tum praxis testatur. Hinc

DICO primo, datur reverâ virtus in rebus mistis, qua corpus ejusque singulæ partes sive in statu sano sive ægro sive neutro existentes corroborantur. prob. 1. quia videmus & experimur in nobis, qui prius eramus debiles & imbecilli, paulatim fieri robustiores viresque resumere, ut cum inedia confecti nutrimentis restauramur, cum à deliquio bonis odoramentis gratisque vaporibus recreamur, cum depulsis causis morbosis quæ cor obsederant, ad naturalem statum reducimur &c. ergo datur in rebus naturalibus virtus qua corroboremur. prob. 2. reperiuntur virtutes in rebus mistis quæ hominem à sanitate deflectentem ad statum naturalem reducunt, ergo eundem corroborant, quia depellunt id quod vires exhauriebat & vitales operationes ostendebat; Et confirmatur à singulari providentia naturæ ejusque Authoris, qui ideò mundum tanta varietate mistorum adornavit, ut essent in ministerium hominis, ejusque sanitatem si non in perpetuum, ad tempus saltem tuerentur. Dixi sive in corpore sano sive ægro & neutro, quia ubique vires majores recipit, in sano quidem ex inedia, vigiliis, studiis, laboribus, in ægro autem & neutro ex causis morbosis & injuriis extrinsecis.

DICES, corpus sive sanum sive ægrum & neutrum resumere vires ab ipsa corporis natura intrinseca & virtute conservativa, ergo non à vi corroborativa; Antec. patet, quia dum corpus multis laboribus & exercitiis debilitatur, quiete restauratur, & ad statum naturalem ab intrinseco reducitur; si ad morbum declinat, adest virtus conservativa, quæ partim remotis causis morbosis, partim viribus reductis sanitatem revocat; si denique morbus sanitatem & constitutionem naturalem invenit, est eadem virtus, quæ pro corpore ejusque sanitate pugnat. Resp. non esse hic quæstionem quid potentiæ corporis faciant, & nunquid aliquando solæ cum bona victus ratione morbum expellant viresque recuperent; sed status quæstionis est, an non detur etiam in rebus mistis sive medicamentis aliqua virt⁹, quę cor cæteraq; membra reficiat si viribus destituantur; & concluditur affirmativè quod nihil præjudicat naturæ corporis, ut quæ in omnibus affectibus p. n. maximum quod potest, facit, utiturque medico & medicina tanquam instrumentis extrinsecis.

DICO 2. vis corroborans est, quâ corpus humanum in statu naturali conservatur vel ad eundem reducitur: probat. corroborario corporis nonnihil est aliud nisi ea actio, per quam vel vires si fuerint integræ corpusq; sanum & laudabiliter constitutum, conservantur, vel si collapsæ, corpusq; morbidum, restituuntur, ergo vis corroborans est, qua corpus in statu naturali conservatur vel ad eundem reducitur; Nam eorum agentium est sanitati prodesse vitamq; cum integritate virium tueri quibus inest non vis corruptiva aut motiva, sed ea moderatione alterativa ut vel spiritus consumpti & dissipati regenerentur & in omnes quaquaversum partes distribuantur, vel intemperies quæ visceribus impressa est, ad statum naturalem bonitatemq; primævam reducatur, vel causæ morbosæ unà cum morbis ipsis abigantur, àtq; ita principium vitæ ab omnibus injuriis violentisq; alterationibus muniatur, vel deniq; id cibi & potus suministretur, quo uttoq; laudatissimus sanguis & ex hoc spirituum vitalium copia generetur. Colligitur itaq;, non tantum eam dici corroborationem qua sanitas & vires amissæ restituuntur, sed etiam qua constitutio naturalis munitur & conservatur, sed illud magis propriè, quia corroboratio præsupponit virium jacturam qualemcunque. *Vis corroborans.*

DIFFICULTAS XVII.

Quomodo & quot modis fiat confortatio cordis.

NIhil frequentius aut communius est cum apud Medicos tum apud ægros, quam ut dum hi malè habent, viribus conserventur; Et hinc vox una & sermo unus omnium ægrotantium est, ut corroborantibus succurratur, in quod etiam Medici vel maximè intendunt, ut cum in causis morbi tollendis cæterisque impedimentis abigendis diu multumq; laboraverint, jam de viscerum & maximè de cordis confortatione cogitent, quod etiam non abs re esse videtur, cum ab hoc tanquam fonte & principio vita salusq; pendeat. De modo autem dum quæritur,

DICO 1. confortatio cordis fit per ea quæ morbum causasq; morbosas depellunt, sicut à corde, ita & à reliquis visceribus sed inditectè & per accidens. prob. omnia quæ morbo medentur, & causas morbosas vel p.n. abigût, ea corpus in integrum restituunt & sanitatem revocant; sed quæ sanitatem restituunt, ea verè cor confortant, ergo & ea quæ morbum causasq; morbosos depellunt. Vtraq; proposi- *Cor confortatur primò per ablationem causæ morbosæ.*

tio

tio vera est, quia dum corpus nullo affectu p. n. afficitur, nullisq; etiam passionibus affligitur, eâ constitutione gaudet, quæ ipsi virtus est, & ab Arist. l. 1. Rhetor. ad Theod. c. 5. & 6. sanitas dicitur; quodcunq; verò corpus sanum est, illi nec vires ad eliciendas actiones vitales, nec spiritus & calor ad recreanda fovendaque viscera desunt, egetq; solum confortantibus, cum morbo opprimi & viribus deficere incipit. Dixi tamen indirectè & per accidens, quia vis horum confortantium per se determinatur tantum in morbum ejusque causas expellendas, ergo quisquis effectuum illus consequitur, ut est evicto morbo sanitas, pulsisq; causis morbosis virium restitutio cordisq; cõfortatio, is indirectus est & per accidẽs.

2. Per ea quæ sanguinem laudabilẽ gignunt.

DICO 2. per se corroborant, quæ sanguinem purum & laudabilem tum spiritus vitales gignendos suppeditant. prob. generatio sanguinis & spirituum vitalium per se determinatur ad conservandam sanitatem & vitam, ergo quæ materiam pro iis gignendis subministrant, per se dicuntur corroborare; Antec. patet, quia sanguine & spiritibus vitalibus restauratur calidum & humidum nativum, enutritur corpus ejusque depasta substantia resarcitur, omnesque actiones vitales laudabiliter administrantur, ergo generatio sanguinis & spirituum vitalium per se corroborant, quia per se ad vitam & sanitatem conservandam determinantur; Nam sanguis & spiritus vitales ita sunt necessariæ ad vitam tuendam conservandam, ut sine iis nec anima corpus informare nec alias quascunq; vitæ operationes elicere possit, quod etiam non tam Philosophi quam Theologi sanctiq; Patres docent, cum ajunt, sanguinem sub quo spiritus vitales quoq; intellige, à verbo assumptum fuisse, quia videl. pars integrans est, quæ complet corpus, quod verbum à B. V. assumpsit.

3. Per restitutionẽ connaturalis temperamenti & constitutionis.

DICO 3. etiam ea per se confortant, quæ non tam cordi quam singulis membris & visceribus connaturalem temperiem vel conservant vel restituunt; Ratio est, quia præter unitatem partium debitamq; earum configurationem consistit sanitas totius suppositi & singulorum viscerum optima constitutio in connaturali qualitatum convenientium harmonia, ergo quicquid hanc conservat vel restituit, per se confortat.

DICES 1. etiam in morbosis dispositionibus gigni sanguinem & spiritus, & tamen nullam fieri confortationem, ergo falsum est quod sanguinẽ & spiritus gignentia cor confortent. Resp. id fieri per accidẽs, quia videl. corrumpunt vires causæ morbosæ, sanguine interim & spiritibus quantũ in se est, vitam & corpus conservantibus & corroborantibus.

DICES 2. per odoramenta nec morbus & causa morbosa tollitur, nec sanguis gignitur, sed per odorabilia mirè confortatur homo in deliquiis & summis debilitatibus, ergo non tantum ea confortant quæ morbum tollunt spiritusq; vitales gignunt. Resp. per odores suaves & gratos, quia sunt substantiæ nobilissimæ & temperamenti cum spiritibus vitalibus confinissimi, hos eosdem recreari, purificari, vel etiam juxtà multorum opinionem ex iis gigni adeoq; vitalia confortari.

DIFFICULTAS XVIII.

An & quomodo reliquæ partes corporis confortentur.

SVpponO, præter expulsionem causæ morbosæ & præternaturalis confortationem partium & viscerum consistere in reductione naturalis temperamenti & constitutionis, ut patet; Et hinc

DICO 1. non tantum cor eget confortantibus, sed etiam caput, epar, pulmo, ventriculus singulaq; viscera totius corporis, sed & partes exteriores quæ magis Injuriis expositæ sunt. prob. 1. omnes partes corporis variis affectibus subiectæ sunt, ergo omnes indigent corroboratione, ut ad statum connaturalem reducantur cum id fieri possit. 2. modi confortativi non tantum cordi sed & reliquis omnibus affectibus competunt, ergo & confortantia. 3. sanitas suppositi non consistit nisi in omnium partium connaturali constitutione, ergo in omnibus conservanda vel restituenda, si vitiosa sit & deperdita. 4. sicut omnes partes corporis potentiam habent recipiendi & in se sustentandi omnes affectus p. n. ita etiam eand. habent potentiam ut his omnibus ab agente natutali liberentur, ergo confortatio competit iis omnibus.

DICO 2. non eadem sunt omnibus membris & visceribus confortantia; Ratio est, quia non omnium eadem est constitutio naturalis, quę confortatione eget, ergo nec eadẽ confortandi ratio, nec eadem agentia, quæ indiscriminatim omnes partes confortent; Antec. patet, quia alia constitutio partiũ naturalis est calida, alia humida, alia frigida, sicca, mollis, solida &c. in quo temperamento cum vel conservari vel esse desiderent, manifestũ est, non omnia ubiq; & in omnibus competere viscerib. Et hinc alia sunt quæ confortant cor, alia quę caput, ventriculũ, lienem, epat, renes, uterum &c. hoc patet inductione per longum usum & experientiã Medicorum comprobata; Nam borrago confortat cor non cerebrũ aut epat; Absinthium conducit epati & ventriculo, non cerebro aut pulmonibus; melissa uterum eluit, non renes aut intestina; milium solis repurgat vias renum non asperam arteriã aut venas mesaraicas: pectori conducit liquiritia, saccharum, mel, hyssopus, tussilago, non piper, cinamomũ. Caput amat salviã, betonicã, cubebas, nõ bolũ armenum aut flores rosarũ.

Non eadẽ confortant omnes partes.

DICO 3. quod alia aliarũ partium & membrorum sint confortantia, id facit diversitas temperamentorũ, situs, officiorũ seu functionum & usuũ. Nam ut medicina conferat parti alicui, debet aliquam cũ ea affinitatẽ habere & sympathiã; sed hanc nõ potest habere cũ omnibus propter varietatem complexionum & functionum, ergo quod non quęvis medicina conducat cuivis parti id oritur à diversitate totius constitutionis &c. Et ut hoc inductione multorum viscerum confirmetur,

Confortantia variant juxtà naturã partium & functiones.

ideò cordi imprimis non competunt apérientia, quia non patitur obstructiones, nec astringentia, quia non laxatur aut dilatatur nisi fortè ut astrictione vapores maligni excutiantur; ergo conducunt illi talia, quæ materiam pro gignendis spiritibus suppeditant, bonam temperiem & constitutionum laudabilem muniunt, tum quod caput rei est, ab omni vaporum malignorum incursu, à quo malo potissimum patitur, defendunt. Sic cerebro inimica sunt frigida & humida, quia ipsum est frigidum & humidum, ne magis humectetur & frigescat; sed nec calida & sicca conveniunt, quia obessent nativo temperamento, ergo ea tantum, quæ calorem & humorem nativum vel reducunt vel tuentur, quæque frigida aut humida nimis non sunt, sed blandè calida, substantiæq; tenuioris & mitioris. Sic pulmonaria sunt, quæ blandum habent calorem & humorem, adeoq; leviter abstergunt, materiam crudam coquunt, digerunt & leviter educunt, ut hordeum, mel, saccharum &c Sic stomachum roborant, quæ eundem à laxitate defendunt, leviter stringunt & calefaciunt ut innatum temperamentum firmetur; huius generis sunt absinthium, mentha, mastix, semen fenieuli, Coriandrum præparatum &c. Sic epati conferunt quæcunque ejus substantiam firmāt & complexionem debitam tuentur, alienam verò expellunt, ut absinthium, cinamomum, spica, caryophilli, mastix, santalum, spodium, cichoria, acetosa &c. Sic lieni prospiciunt, quæ ejus fæculentum sanguinem mundificant, crassos humores incidunt, obstructiones aperiunt, ut nasturtium, eupatorium, fumaria, radix capparorum, cortices fraxini, folia senæ, summitates epithymi. Sic renes conservant, quæ urinam & arenam pellunt adeoq; eorum substantiam ab omni impuritate eluunt de quibus alibi. Sic matrici competunt, quæ eam ab omni humorum ingluvie liberant, & si qui humores crassi, viscidi & frigidi eam obsident, hos incidunt, apertisque viis & meatibus educunt, ut sunt omnia menses moventia; Hic tamen

Adverte non semper una eorundem membrorum esse confortantia, sed toties variare, quoties eorum status & constitutio sive naturalis sive præternaturalis variat; Nam si stomachus v.g. laxus sit, requirit astringentia; si frigidus & humidus, calida & sicca & contra. Similiter si epar tensum sit & flatibus prætumidum, requirit discutientia; si obstructum, liberantia; si scirrhosum, emollientia; si emollitum, astringentia; si calidum, modicè refrigerantia, & sic de cæteris omnibus, quorum status & constitutio præsens indicat corroborantium diversitatem. Et hinc

Qualibet partes quomodo confortentur.

Colligitur 1. aliter confortari & muniri viscera si naturaliter constituta sint, aliter si præternaturaliter. 2. corroborantia vel universim tollere morbum & causam morbosam vel reducere ad temperiem naturalem, vel suppeditare materiam bonā & laudabilem ad gignendos spiritus vitales. 3. omnes res mixtas habere quandam affinitatem cum partibus corporeis, quas vel afficiunt vel conservant in ordine ad temperamentum, officium, functionem, & situm. 4. non semper eadem esse confortantia ejusdem etiam partis, sed variare pro varietate affectus præsentis.

DIFFICULTAS XIX.

An confortato corde omnes reliquæ partes confortentur.

CHymici, qui variis rerum essentiis, extractis, liquoribus, pulveribus & è cęlo lapsis spiritibus ad omnes omnium partiū morbos depellendos utuntur, hanc ubiq; inter mortales spargunt venduntq; opinionem unū idemque numero medicamentum quale suā ajunt esse panaceam & aurum potabile, ideò universim omnibus morbis mederi, quod in corde adeò firmet roboretq; calorem & spiritum vitalem, ut hic uterq; sufficiens sit omnem in reliquo corpore affectum & constitutionem p. n. depellere, & cùm sanitatem tum vires reducere. Hoc an verum sit & quomodo intelligendum, hic paucis accipe.

Adverte 1. vires in humano corpore vel esse conservandas vel restituendas si amissæ fuerint. 2. vires debilitari vel per alterationē & intemperiem, vel per malignam & occultam qualitatem tum in corde impressam tum alibi receptam, vel per solutionem continui, vel per morbos vitiosæ compositionis, vel per seniū, naturalem humidi radicalis depascentiā calorisq; nativi suffocationē. 3. confortationē cordis vel esse in ordine ad affectum tollendū & mitigandum, vel ad vires partium roborandas vitamque prorogandam. 4. confortationem sumi juxtà omnem modum in prioribus explicatum. Iam quæritur, an in his omnibus casibus confortato corde confortentur etiam reliquæ partes viresq; restaurentur.

DICO 1. ut sanitas firmetur, ad vires cordis imprimis attendendum est. Ratio prima est, quia omnes vires hauriuntur à corde tanquā à principio vitæ, ergo in firmanda & conservanda sanitate maximè cordi prospiciendum est. Antec. patet ex alibi dictis de principatu cordis. quia fons & scaturigo omnium actionum vitalium habetur, ideoq; benè est toti corpori, si huic benè sit. 2. quia non statim ad quamcunq; alterationem aut affectionem p. n. dicitur homo morbosus, sicut fit dum cordis substantia à minima etiam injuria impetitur, ergo ut homini sanitas firmetur, ad integritatem cordis imprimis attendendum est; Hoc patet in deliquiis & animi defectionib9, quæ frequenter reliquo corpore sano & integro, ex aliquo vel minimo cordis affectu vel afflatu maligno accidunt, quod nunquam fieri solet, si corde illuso reperiatur in aliquo cæterorum viscerum quantumvis etiam gravis affectus. Nam quod id in apoplexia quæ cerebri est affectus, contingat, ratio est, quia cor suppressis spiritibus vitalibus simul afficitur, & quidem in ordine ad operationes vitales primariò, esto non in ordine ad sensitivas & intellectivas, quia pereunt hæ omnes,

omnes, dum illæ multo adhuc tempore vigent: Et idem de aliis gravibus affectibus intellige, qui tum maximè vires prosternunt, quando cor in consensum pertrahunt.

Confortato corde non tollitur affectus solo corroboratio

DICO 2. confortato corde, quod fit partim per morbi causarumq; morbosarum mitigationem, partim per benignioris humidi & calidi multiplicationem, etiam reliquum corpus quod præternaturaliter constitutum est, confortatur, non quidem in ordine ad ipsum affectum, sed aliquando ad eliciendas actiones vitales vel ad conservandam vitam. Ratio prioris est, quia per additionem virium in corde non fit levior aut mitior, v. g. exulceratio pulmonum, fractura pedis, scirrhus epatis, calor hecticus viscerum &c. posterioris verò, quia confortato corde diffunditur calor unà cum spiritibus vitalibus in universum corpus, ut sint instrumenta potentiarum in eliciendis actionibus; Nam cor principium vitæ est, ideoq; hanc in reliquo corpore sustentat & prolongat, ut fatentur, qui morituri grato aliquo cordiali vel odore vel sapore vel spiritu recreantur. Si itaq; cordi vires subministrentur in alienis viscerum affectibus, corpori quidem melius est, spiratq; liberius æger, vulneri tamen ut sic nulla additur medela, quia nihil affectui tollitur, sola vitalis actio corroboratur, quæ dum res omninò desperata non est, vitam protrahit & conservat, contrà verò dum malum funestius est, frustrà à corde suppeditatur, cum & ipsum ex nimio consensu pereat. Et hinc addidi, aliquando, quia in multis affectibus nec panacæa Æsculapii, nec spiritus Medææ à morte & interitu vindicat.

DICO 3. plurimùm conducit corpori, si in malignis calidisq; morbis cor confortetur. Per corroborationem intellige hic partim malignæ qualitatis dissipationem, partim contemperationem cordis & novam spirituū vitalium productionem. prob. primum de morbis malignis, quia discussa malignitate mitè recreantur vires, ægerq; ab infestis quasi reductus videtur reviviscere, ut experientia in febribus malignis per quævis cordialia fieri testatur, ergo multum confert si in febribus malignis cor confortetur. prob. secundum, quia ideò damus in febribus calidis medicinas refrigerantes, ut non tantum ventriculum, epar, sanguinem cæterasq; partes naturales, sed præcipuè cor ipsum refrigeremus, tum cibos & juscula liquida quæ sint bonæ facilisq; substantiæ, ut dum vitam conservare & vires ad sufferendum morbum protrahere cupimus, cordis imprimis confortationi studeamus, ejusq; materiam commodam pro calore & spiritu vitali subministremus.

DICO 4. etiam in senibus confortato corde vires servantur & multiplicantur, quantum tamen naturales dispositiones sufferunt. prob. tamdiu in senum corporibus vita sanitasq; protrahitur, quamdiu humido & calido naturali foventur; sed hoc utrumq; in corde primam habet perfectionem, indeq; in reliquum corpus diffunditur, ergo corde confortato, quod fit sufficienti spirituum vitalium generatione, vires in universo corpore multiplicantur. Confirm. quia in senibus cum calor tum spiritus vitalis & animalis, quorum omnium fons & principium est cor, deficit, ergo iis in corde sufficienter productis etiam reliquum corpus & vitâ & sanitate gaudet. Dixi tamen quantum naturales dispositiones admittunt, quia humido deficiente partibusque tum carneis tum solidis nimium exiccatis & induratis, aut visceribus in se malè affectis nulla caloris spirituumq; vitalium productio fieri potest, neç vita prolongari aut perpetuari, ut ex disp. 10. l. 1. de vita patet. Si

Quæras, quid variarum rerum & simpliciū tincturæ, magisteria, essentiæ, panacææ, lapis philosophorum & aurum potabile præstent, quia soleat hæc etiam animam agentibus & ubi deplorata habentur cætera, ad vitam salvandam vel certè aliquandiu saltem protrahendam administrari; Resp. nihil agere ubi vis morbi prævalet, quia tunc nulla est proportio inter morbi ferociam & panacææ cujuscunq; etiam Æsculapii efficaciam; Deinde nihil virium extrinsecus accidere potest, ubi intrinsecus vires sunt oppressæ, quæ vim medicinæ confortantem modificent, quia hæc mortua est, ubi interior virtus non actuat & homo debilitatibus undiq; oppressꝰ animam agit: Hoc tamen intellige de mitioribus terrā essentiis, quæ jam longo usu & experientiā apud omnes cognitæ & receptæ sunt, à quibus etiam nemo Medicorum Galenicorum abhorret; Quæ verò in secretioribus Chymicorum furnis & ollulis cocta sub alieno & emendato titulo speciosum nomen habent, tutius respuenda sunt & magis cavenda, quia potissima ex parte sunt virulentæ & damnosæ mineralium substantiæ, solùm peregrinis & ad speciem fraudulentis coloribus per varias alterationes modificatæ: Quid enim sit lapis philosophorum, fateor me nescire nec ventrem ejus nec caput nec caudam, quod tamen mirū non est, cum neç ipsi decoctores id tanquam monstrum Hippocentauro rarius & animâ mundanâ abstrusius intelligant; Si ex auro conficiant, modicas & perexiguas habet virtes medicas, suiq; multiplicativas nullas; si ex antimonio, hydrargiro aut alio quovis fossili, caveant qui tantum pænitere emunt, tantoq; vitę & sanguinis pretio hunc sæpè hospitem domi suæ alunt & nutriunt: Et quamvis antimonii vires pretiosissimæ sint in certis effectibus, sed nec Mercurii aliorumq; mineralium virtutes contemnendæ; sæpius tamen hostes quam amici vitæ salutisq; fuêre, dum incautius quovis tempore & loco, & indiscriminatim hausta sub visceribus sese condidêre, ut proinde tutius sit ab horum usu extrà rationem abstinere, & facilius auro loculos ditare, quam inani ejus & vacuâ essentiâ vitalia replêre, quia ut verbo dicam, aurum vires medicas vel in ordine ad corpus sanitatemq; servandam nullas omninò habet, multas autem ad redimendum Creditorem & solvendum Debitorem *Auro quæ virtutes.*

DISPUTATIO VIGESIMA PRIMA.

De motibus & diebus criticis.

TAndem ordo deducit ad crisin, quæ motbū aliquando & hominis mortalitatem confirmat; Ipsa enim est actio & certamen quo vel funestissimè succumbitur, vel felicissimè vincitur. Hominem videl. id spectat, qui mille hactenus difficultatibus, sudoribus, affectibus & curis pressus jam ad inevitabilem vocatur & lacessitur pugnam, adeoque suo opponitur hosti, ut solus quasi stet vir viro & pes pedi. Profectò certamen est hoc periculo plenissimum, resistentia pertinacissimum, valore maximum, sanguineq; & vita pretiosissimum; Nam quia summis concurritur viribus & pro aris focisq; pugnatur, ideò etiam de summa rei agitur, & ubicunq; suis stat victoria trophæis, corruptio producitur & interitus; Id humani quotidiè in acutis morborum conflictibus docent casus, in quibus jam hostilis affectus superior homini jugulum petit, vitamque orbe cariorem abripit, jam verò virtus corporis, unita dextrè fatalibus armis occurrit, & è gratissimo domicilio, cuius ipsa est fidelissima propugnatrix, hostem expellit inque auras vanissimas diffundit. De hac ipsa crisi quæ utplurimùm morbos graviores & calidiores terminare solet, hac præsenti disputatione agetur, utcum vel vitam conservat vel interitum adfert, sit velut epilogus hactenus actorum, sed & reliquorum motuum, quos in homine veluti criticè alterativos deprehendimus, ut nihil deficiat in iis, quæ ad interitum hominis eiusque mortalitatem manifestandam faciunt.

DIFFICULTAS I.

An detur & quid sit crisis.

VAriæ sunt huius vocis acceptiones & significationes apud Medicos. Primo enim accipitur absolutè & simpliciter pro evacuatione, ut est fluxus sanguinis è naribus. 2. pro ipsa commotione & perturbatione corporis quæ crisin præcedit, quia ante ipsius adventū incipiunt omnia turbari ut in progressu patebit. 3 pro morbi temporibus, id est, pro exacerbatione sive accessione ut in febribus aliisque affectibus. 4. pro mutationibus quę per ætates & annorum decursus animadvertuntur. 5. pro violentis quibusdam motibus sive conatibus naturæ, quo modo partus & abortus vocantur crises. 6. denique pro quacunq; subita repentina & veloci mutatione in morbis, quæ fit cum notabili excretione, sive declinet in melius sive in deterius; & hæc acceptio solet esse propria apud Medicos. Cæterùm crisis nomen græcum est quod judicium significat, & derivatur à verbo κρίνω, id est, judico, secerno, excerno, decerno.

DICO primo, datur verè crisis morbi & corporis morbosi; Est communis doctrina omnium tam veterum quam modernorum Medicorum, & prob. primò, quia datur in morbis subita & repentina mutatio vel ad interitum, ergo datur crisis quæ nihil aliud est nisi illa subitanea mutatio. 2. observant Medici in morbis acutis certos quosdam & periculosos dies in quibus natura corporis & morbi inter se decertant adeò, ut vel illa sanitatem vindicet, vel hic ægro interitum & mortem intendat, ergo. 3. Non potest intelligi, quo modo vel morbus vel natura ægri succumbat absque hac insigni corporis immutatione & alteratione, ergo necessum est, dari aliquam crisin, si non in omnibus, saltem iis in morbis qui cum notabili alteratione terminantur; Anteced. patet, quia sive morbus sive corpus pereat, admittendus est vigor seu terminus ultimus morbi, à quo fiat recessus in alienum statum, unius quidem ad salutem & victoriam, alterius verò ad interitum & corruptionem; Er hic exclude febres diarias vel synochos simplices, quæ non expectato vigore senescunt.

DICES, rarò à Medicis criticas & manifestas mutationes etiā in febribus morbisq; acutis & putrilaginosis observari, ergo non est necessarium dari crisin. Resp. neg. conseq. quod autem in febribus acutis frequenter non observentur hæ mutationes, ratio est vel quia Medici negligentiores sunt, vel quia materia morbosa quæ crisi evacuari solet, in principio morbi adhibitis mediciuis magna ex parte absumitur; Et certè utplurimum videre est in febribus putridis acutis circa finem diei decimi tertii vel ad initium decimi quarti dum fit mutatio in alienum statum, vel sudores copiosos, vel fluxum alui, quæ evacuationes criticæ sunt, morbumque vel ad salutem ægri vel ad interitum terminant. Er hinc

DICO 2. crisis est subita & repentina morbi mutatio vel ad salutem vel ad interitum ægri; Ita definiunt communiter Medici ex Hipp. Gal. & antiquiores. Dicitur 1. mutatio, videl. vehemens illa humorum agitatio & corporis comotio per irritamentum morbi ejusq; *Crisis quid*

ejusque cauſæ conjunctæ quæ putrilaginoſus humor eſt, admodum qui in purgationibus obſervari ſolet, hoc ſolò diſcrepans quod ob vitium jacturam hic majus immineat periculum; ſicut autem in purgationibus vis corporis expulſiva à medicina, ita hic à materia morboſa ad excernendum impellitur, & quidem eo morbi tempore, ubi vel materia concocta excretionem petit, vel morbus à ſtatu & vigore cogitur deflectere; Cum enim in hoc diutius perſiſtere non poſſit, quia vel ipſe paſſum vincit vel ab eo vincitur, neceſſariò ad unius interitum & corruptionem terminatur. Dicitur 2. mutatio morbi, quia hic eſt, qui afficit corpus, & circa quam fit mutatio. Dicitur 3. ſubitanea & repentina mutatio, ad differentiam eorum motuum, qui ſenſim & abſque inſigni perturbatione ſeu conflictu fiunt; Neq; tamen ita ſubita eſt hæc mutatio, ut quaſi momentanea dicatur, quia extendit ſe in horas & diem etiam integrum ut in ſequentibus dicetur; eſt autem ideò repentina, quia incipit hoc certamen non ſenſim & vix notabiliter, ſed ſummis ſtatim viribus & ita manifeſtè, ut nemo non ægro timeat. Dicitur ultimò, ad ſalutem vel interitum ægri, ut deſignetur finis ſive ſtatus contrarius per criſin acquiſitus; Nam ſi morbus vincat, mors ſequitur; ſi natura corporis, ſanitas, ut proinde terminus à quo ſimpliciter ſit morbus vel ſtatus morboſus, ad quem verò ſanitas vel mors.

DICES, ſi mutatio in criſi eſt humorum agitatio & corporis commotio, ergo non eſt motus ad qualitatem. Reſp. per mutationem quæ fit in criſi, non intelligi ſolam agitationem humorum, ſed etiam motum ad qualitatem, id eſt, ad ſtatum vel meliorem vel pejorem, illud quidem primariò, hoc autem ſecundariò; Itaque verum eſt antecedens in ſenſu diviſo, falſum in compoſito

Colligitur, ſudorem in morientibus fieri etiam à virtute corporis expulſiva.

DIFFICVLTAS II.

Quibus in morbis fiant criſes.

VAriæ & multiplices ſunt morborum diviſiones ut ex alibi dictis conſtat; Nam præter alias ſunt morbi cum materia ut febris putrida; ſine materia ut febris hectica; acuti ut febris ardens; Chronici ut hydrops; calidi ut febres, frigidi ut cachexia &c. Et de his omnibus adum quæritur, an criſi terminentur

Suppono 1. ad veram criſin tria concurrere, primo magnam naturæ turbationem; 2. totius aut potioris materiæ morboſæ evacuationem; 3. ſubitam mutationem ad ſalutem. 2. præter hanc veram propriéq; dictam criſin eſſe aliam illegitimam, cum videl. morbus coctione lentoq; motu ſolvitur. 3. tunc fieri criſin quando morbus in vigore exiſtit ideoq; vim ſummam homini infert, quia in hoc ſtatu aut corpus ſupprimit aut ab eo victus & ſuppreſſus in auras evolat, præſertim ſi materia ſeu fomes morbi calore ſatis ſit decoctus, & ad evacuationem facilem habilitatus. Iam

DICO 1. non omnes morbi habent veram & propriam criſin de qua hic ſermo eſt. prob. ad veram criſin requiritur in genere cauſæ efficientis natura quædam peculiaris morbi, tū ſtatus & conſtitutio corporis ejuſq; facultatis, & demum conditio materiæ; ſed hæc tria non reperiuntur in omnibus morbis, ergo. major vera eſt & patebit ex ſequentibus. prob. minor, quia imprimis ſoli morbi acuti ejus ſunt naturæ, ut celeriter moveantur; alii autem ut ſenſim lentoq; motu ſolvantur. Deinde non quivis corporis aut facultatis ejus ſtatus ſufficit ad criſin movendam, ſed is tantum; ubi vires morbo ſunt proportionatæ, ſive morbum feliciter ſolvant, ſive ab eo ſuccumbant; Nam ſi penitus dejectæ fuerint, nulla fiet pugna, & peribit æger citrà perturbationem. Deniq; neceſſum eſt materiam laceſſere vim corporis expulſivam; hæc debet eſſe aut benigna & concocta ut evacuetur, aut cruda vitioſa & maligna, quæ omnem concoctionem refugiat, ideoq; vi ſua maligna corpus opprimat & vires; Ad criſin itaque efficiendam maximè idoneus eſt humor calidus aut tenuis, præſertim ſi acrimoniam quoque & mordacitatem habeat, qua ratione in ardentiſſimis & bilioſiſſimis febribus ſæpè criſes conſpicimus. *In peste rara est crisis.*

DICO 2. non omnes morbi magni & acuti terminantur criſi. Ratio eſt, quia non omnes morbi magni & acuti habent illas conditiones, quæ ad criſin veram & legitimam requiruntur, ergo nec habebunt omnes criſin. Anteced. patet, quia ut morbus criſi terminetur, debet eſſe calidus & habere præter motum celerem etiam humores tenues, calidos, mordaces & putreſcibiles, qui ſint cauſæ conjunctæ & immediatæ à quibus morbus pendeat, & has conditiones non habet quivis morbus magnus, ut patet in apoplexia, in convulſionibus, in calculo, in vulneribus magnis, in hydrope, in phthiſi &c. Vt itaq; ordine conſtet quibus morbis magnis competant criſes

DICO 3. in morbis malignis ut ſic non fiunt criſes. Ratio eſt, quia hi morbi præſcindunt ab omni humore putreſcēte, qui ad perturbationem criticam requiritur, & dicunt ſolam virulentiam malignam, quę non movet ſed vitalia tantum corrumpit; Confirm. ab experientia, quia nunquam in peſte quæ abſque febre eſt, criſin expectabimus, ſed vel interitum ex ſuppreſſis viribus vel evaneſcentiam malignitatis citrà ullam corporis commotionem. Quod ſi itaq; in febribus malignis accidant criſes, debentur iis ut ſunt morbi cum humorum & ſanguinis putrefactione. *Morbi maligni non habent crisin.*

DICO 4. nec morbi ſolutę unitatis habent per ſe criſin, ſed nec illi qui ſunt vitioſæ cōformationis & compoſitionis. Ratio eadē eſt quę prius; Non enim habent motum celerem, nō ſunt cū humore calido, tenui & putreſcente, nec ſunt cum calore per ſe. Dico per ſe, quia ſi quem humorem putreſcentem & calorem

febrilem habeant adjunctum, is uterque per accidens adest, & spectat ad febrem symptomaticam sive accidentalem, non ad solutionem continui &c.

DICO 5. Crisis etiam non fit in morbis frigidis nec in omnibus humoralibus. prob. primum, morbi frigidi non sunt calores sed tardè decoquuntur citrà ullius materiæ putrefactionem, ergo non terminantur crisi. Nam materia frigida ob defectum caloris est incapax ad motum repentinum, ergo etiam ad crisin. prob. secundum, quia febres morbique longi, diuturni, chronici & frigidi sunt humorales; sed illi non solvuntur crisi, ergo neque hi: Nunquam enim hactenus observatum fuit, morbos diuturnos & chronicos aliter quam lenta humorum decoctione fuisse solutos.

DICO 6. Crisis fit tantum in morbis calidis, non quidem omnibus, sed humoralibus & putrefactivis per se. Ita comunis doctrina Medicorum & prob. 1. hectica v.g. est morbus calidus; sed in hectica nunquam observatur crisis ob defectum humoris, ergo crisis non fit in omnibus morbis calidis. prob. 2. quia in morbis calidis, humoralibus & putrefactivis reperiuntur omnes conditiones & omnia requisita ad crisin necessaria, ergo in iis fit crisis. Antecedens patet ex dictis, & confirm. ex Hipp. qui primo aphor. quando morbis acutis crises attribuit, de calidis putrefactivis locutus fuit. Dixi tamen per se, quia constat in febribus symptomaticis non fieri consueto more crisis, sed subinde discussionem materiæ vaporosæ per spiracula cutis, vel stillicidium sanguinis è naribus propter inflammatum accensumq; sanguinem, qui motus non sunt verè propriè q; critici; Deinde in febribus symptomaticis sive vulneratiis nulla est putrefactio sanguinis & humorum, nisi qui ad partem vulneratam confluunt, sed solum fervor quidam & incensio.

DIFFICVLTAS III.

Quo tempore morbi fiat crisis.

SVnt 4. tempora morborum, principium scil. augmentum, vigor & declinatio; Iam quæritur, quo horum temporum accidat crisis, an in uno vel in omnibus, & cum quodlibet habeat principium medium & finem, an ad omnes hasce partes sese extendat.

Adverte primo, hæc tempora aliquando vix unius esse diei, aliquando duorum, trium & plurium juxtà naturam & essentiam morbi. 2. crisin aliquando sumi pro quacunq; perturbatione subitanea sive fiat cum signis coctionis sive non, aliquando pro ea, quæ fit cùm signis perfectæ concoctionis.

DICO primo, crisis non fit in principio morbi. prob. quia eo tempore, quo omnia cruditate plena sunt, non potest fieri crisis; sed ita est in principio, ergo. major patet, quia ad crisin requiritur saltem aliqua concoctio humorum, qualis non potest esse in principio: Minorem docent Medici, & ratio est, quia ad decoquendam materiam quæ morbum facit, requiritur aliquod temporis intervallum, aliquando longius aliquando brevius, & id semper quod principium excedit: Intellige tamen hæc omnia de crisi perfecta, quæque fit saltem cum aliqua nota concoctionis.

DICES, ægrum sæpius primo morbi die perire, ergo probabile est crisin aliquando fieri in principio; Nam principium non extendit se aliquando ultrà diem, v.g. in summè & extremè acutis affectibus. Resp. neg. conseq. quia qui moritur die primo morbi, non experitur crisin, sed succumbit summa virium dejectione citrà humorum commotionem.

DICO 2. nec potest fieri crisis in declinatione morbi. probat. omnes conditiones ad crisin spectantes deficiunt in hoc morbi statu, ergo nulla in eo crisis fieri potest. Antec. patet. quia imprimis deficit causa materialis, quæ in vigore concocta per vim corporis expulsivam disparuit: Nec adest causa formalis, quæ est status corporis morbosus sive morbus in vigore positus, quia hic in alium jam statum immutatus est; Deficit etiam causa efficiens, quæ est materia impellens & naturam ad pugnam sive conflictum provocans; Denique nec finalis vim amplius habet, quia jam homo finem suum qui est sanitas si non in esse perfecto saltem in fieri consecutus est, ergo in declinatione nulla fit crisis nec æger moritur.

DICO 3. crisis aliquando fit in augmento. proh. hæc conclusio ab experientia & à morborum vehementia; Nam observant Medici, ita repentè aliquando mutari morbos, ut ægri etiam ante notabilem aliquam materiæ morbosæ concoctionem succumbant, quia sunt aliqui tam acuti & vehementes ut non expectato vigore hominem interimant, unde etiam huiusmodi crises vocantur infidæ & imperfectæ, de quibus infrà. *Crisis aliquando fit in augmento sed rarò.*

DICO 4. Crisis vera, sive terminetur ad salutem sive ad interitum, fit in statu. Ratio prima est, quia in hoc fit subita & repentina mutatio in melius vel in deterius, totius naturæ turbatio & materiæ concoctæ excretio. 2. quia in hoc materia perfectè concocta est, nisi tamen existat pertinacior & malignior, viresq; magis depressæ. 3. quia cum morbus ultrà hunc ascendere non possit, nec in eo semper corpus affligere, necessum est in hac vehementi mutatione & commotione, quæ criticū dicitur certamen, vel ægrum vel morbum occumbere, ergo crisis, qua morbus terminatur, in solo fit statu. Cæterùm quare humores vitiosi intra illud spatium, quo morbus à principio usq; ad vigorem decurrit, ad crisin efficiendam aliquando perfectè & cum salute ægri, aliquando imperfectè & cum ejusdem interitu concoquantur, in sequentibus dicetur. Hoc unum colligitur, crisin veram, quæ definitur subita & repentina morbi mutatio, in solo statu ægro accide- *Crisis vera fit in statu.*

accidere, nunquam in principio aut declinatione, in augmento autem aliquando infidè & imperfectè.

DIFFICULTAS IV.

In quibus regionibus fiant crises.

HÆc quæstio concernit homines non tantum diversis temperamentis & complexionibus præditos, sed etiam in diversis climatibus & regionibus habitantes; Et hinc

DICO primo., fiunt crises in locis meridionalibus & orientalibus. Ratio prima est, quia in his locis grassantur febres & morbi acuti in quibus omnia reperiuntur quæ ad crisin efficiendam natura postulat. 2. quia nec morbi meridionales quoad formam & materiam nec homines differunt à septentrionalibus nisi in quibusdam solum accidentiis, ergo si in his fiunt crises ut mox dicetur, fient etiam in illis. Et confirmatur hoc authoritate Hipp. & Gal. qui ipsi meridionales sive orientales multa de crisibus suorum contertaneorum scripserunt, & meritò quidem, quia subjecti sunt morbis cum putrefactione sanguinis & humorum quique per calorem internum decoquuntur & ad salutem determinantur, quod non nisi per crisin fieri potest. Nec impedimento sunt temperamentum calidissimum & humores tenuissimi, quia & hi concoctione egent, ut constat apud medicos practicos.

DICO 2. etiam in locis & hominibus septentrionalibus fiunt crises; Ratio eadem est quæ meridionalium, quia patiuntur etiam morbos calidos & putridos, qui concoctione & evacuatione quod utrumque fit beneficio & irritamento naturæ & morbi, terminantur; Deinde confirmat hoc quotidiana experientia & medicorum longa praxis, qua non minus suorum popularium si febribus morbisque acutis affliguntur, quam Hipp. & Gal. suis temporibus, observant: Nec obstant humores & substantiæ quæ morbum faciunt, frigidiores & crassiores, quia æque corrumpuntur & putredine dissolvuntur quam quæ tenues sunt & calidæ; præterea in septentrionalibus etiam sunt humores calidi & fervidi, quia abundant calore interno, unde etiam generosiores & animosiores sunt quam Asiatici, in quibus sicut & in omnibus populis qui versus meridiem, orientem & in locis calidioribus habitant, hæc duo animadvertenda sunt; primo quod eorum calor internus multum adjuvetur ab externo, unde non tantum exteriora sed etiam interiora ut sanguis & humores aduruntur. 2. quod rarius affligantur morbis putrefactivis quam septentrionales, quia minus comedunt & quidem cibos melioris substantiæ, unde nec ita excrementis abundant. Quod si itaque in morbos calidos præcipitentur, id iis ex errore circà res non naturales, in quibus fortè magis excedunt quam septentrionales, accidit.

DICO 3. magis fiunt crises in Juvenibus & viris, minus in pueris & senibus; hæc conclusio in sequentibus patebit, & ratio est quia magis affliguntur morbis calidis & putrefactivis; Unde etiam sequitur

DIFFICULTAS V.

An in omni sexu & ætate fiant crises.

QUæritur, an homo, sive sit mas vel fæmina, sive constitutus in infantia puerilitate, adolescentia, sive in Juventute., virilitate & senectute, crisin experiatur, si forte in morbum acutum incidat.

DICO primo, in utroque sexu fiunt crises. Ratio est, quia utrobique fiunt morbi acuti qui crisi terminantur. Deinde febris v. g. Ungarica sive petechialis est ejusdem omninò speciei infimæ in fæmina & viro, decoquitur ab eâdem causâ, calore scilicet & virtute corporis, infert utrimque eadem symptomata, tandemque aut vincit aut vincitur, ergo in utroque sexu fiunt crises, per quas ægri à statu morboso ad salutem vel interitum deflectunt. neque impedit hoc varia corporum dispositio, quia etiam in pluribus maribus diversæ sunt corporum & humorum dispositiones, in quibus tamen eodem modo fiunt crises; Adhæc humores in utroque sexu incenduntur, putrescunt, habitoque tandem conflictu inter naturam & morbum evacuantur, ergo æquè in fæminis ac maribus accidunt crises.

DICO 2. fiunt etiam crises in omni ætate, communiter quidem apud Juvenes & viros, rarius autem apud senes, rarissimè apud pueros & infantes. prob. primum, in omni ætate accidunt morbi acuti, ergo etiam crises quibus terminantur. prob. secundum, quod videlicet accidant communiter in juventute & virilitate, quia hae utraque ætate corpora maximè sunt disposita ad febres & morbos acutos, ergo etiam ad crises. prob. antec. In ætate juvenili & virili maximè viget calor naturalis, abundant humores acres calidi & biliosi, fiunt obstructiones & putredines multique committuntur errores circà cibum & potum, motum & quietem, passiones animi &c. ergo maximè in hac ætate fiunt morbi acuti & crises. Confirmat hoc experientia, qua videmus potissimum in morbos acutos incidere, qui viribus & ætate constantes sunt, & quorum calor naturalis jam maximè viget; Et accedit authoritas Hipp. & Gal. apud quos videre est, eos omnes fuisse Juvenes ætatisque constantis quos morbis acutis oppressos & crisi judicatos fuisse commemorant. prob. tertium de senibus, quia hi non committunt multos errores circà cibum & potum, ideòque corpora habent puriora, vel quia calor eorum hebetior est & debilior, ideòque morbis frigidioribus affliguntur, vel quia si contingat eos morbis acutis corripi, sine vehementi corporis perturbatione ob virium debilitatem perire. prob. denique de pueris & infanti-

infantibus, quia primo calor eorum non est acris aut mordax sed blandus multoque humido benigno junctus. 2. quia plurimum crescunt & nutriuntur, unde magis humores consumuntur. 3. quia corpora habeut tota perspirabilia, tenera & mobilia, unde facilè vel materia èvaporat vel in abscessus degenerat. 4. quia materiā non habent ita calidam aut tenuem, quæ tam facilè sicut in juvenibus putrescat. 5. quia ob teneritudinem non sustinent morbos acutos & putrefactivos, sed ante crisin vel convulsionibus vel viribus exhausti pereunt, ergo rarissimè pueri & infantes ferunt crises.

DICES, pueri & infantes frequentissimè patiuntur morbillos & variolas, ergo & crises. Resp., neg. conseq. quia protrusio morbillorum & variolarum non est motus verè criticus, quia non est ex concoctione materiæ nec ex febre acuta & putrida essentiali, sed potius est symptomaticus ex abundantia humorum, quos natura extrà venas & massam sanguineam positos corrumpit & per cæcos corporis meatus undique ad exteriora protrudit.

DIFFICVLTAS VI.

Quotuplices sint crises.

Divisio crisium pendet ex cujusque captu & ingenio, unde etiam quilibet eas in hunc vel illum modum multiplicat locatque eo ordine, quo melius à se intelligi & explicari putat: Id fusè inter alios facit Merc. l. 3. p. 2. de sign. criticis, class. 4. q. 195. ubi postquam ex Hipp. 1. popul. 3. 16. crisin in 4. classes differuissent, in crisin scilicet ad mortem, ad salutem, ad melius, ad deterius; Ex Gal. autem 3. cris. & 7. & l. 2. de humor. comment. 5. species 6. annumerasset, videlicet subitò ad salutem, subitò ad melius, paulatim ad melius, & subitò ad mortem, subitò ad peius, paulatim ad peius, & hoc ex modo motus, qui fit vel subitò vel lentè, ipse ex modo motus naturæ & morbi quatuor adhuc addit species: Nam inquit, morbus paulatim mutatur ad salutem sine mutatione aliqua subita ad melius, vel subitò mutatur ad melius, paulatim verò ad salutem; similiter crisis mala, quæ non subitò mutat hominem ad mortem, duplex quoque erit, quia vel fit paulatina mutatio ad mortem, vel subita mutatio ad peius, paulatina verò ad mortem; Et ex his evidenter constat, decem differentias crisium posse assignari, nimirum subita mutatione ad salutem, subitò ad melius, paulatim ad melius, paulatim ad salutem, sine subita mutatione ad melius, vel subitò ad melius, paulatim verò ad salutem: Et ex opposito subita mutatione ad mortem, aut subitò ad peius, vel paulatim ad mortem, aut subitò ad peius, & paulatina mutatione ad mortem. Hæc Mercatus.

Adverte primo, omnes crisium differentias oriri à morbi specie, ejus natura & essentia, dispositione corporis interna, motu materiæ sive humorum qui crisin faciunt, & à cæteris quibusdam concomitantibus, ut sexu, ætate, tempore &c. hinc alia crisis est perfecta, alia imperfecta, alia mortalis, alia salutifera, alia cita, tarda, vehemens, mitis, fida, infida &c. 2. aliam crisin esse indicem, aliam indicatam; prior est illa quæ veram præcedit & quæ signa futuræ crisis tantum exhibet, sic prima septimana habet indicem diem quartum, 2. undecimum, 3. decimum septimum, quibus diebus comparent quædam, quæ futuram crisin indicant vel demonstrant ut sunt notæ & signa coctionis: Quod si tamen his ipsis diebus nihil inditii ad futuram crisin appareat, v. g. nullum signum alicujus concoctionis, vocatur dies aut crisis non judicata. 3. crisin spectari posse vel absolutè secundum se & in ratione propriæ entitatis, vel secundum terminationem quæ est vel salus vel mors; vel denique secundum modum motus, qui variè tendit ad salutem vel mortem: Et hinc.

DICO primo, una est crisis quæ secundum se spectata vicem generis obtinet, & ad quam omnes aliæ referuntur. Hujus definitio patet ex dictis & comprehendit ingentem perturbationem, materiæ morbosæ totalem vel copiosam evacuationem & mutationem subitam, si bona, ad salutem, si mala, ad interitum. De hujus efficientia & causis vide infrà diffic. 12. Nam tria sunt quæ in genere causæ effic. & materialis concurrunt, quorum primū est morbi natura; secundū status facultatis sive conditio virium corporis, & tertium materiæ dispositio, & in his omnibus si quidquam deficiat, crisis mala & imperfecta gignitur. Quod si quæras, an sub hac crisi etiam comprehendatur illa quæ ad mortem terminatur; ratio dubitandi est, quia convenit illi etiam definitio crisis, quæ dicitur terminari ad salutem vel ad mortem. sed respondetur, in rigore solam illam crisin mereri vicem generis, quæ subitò terminatur ad salutem: Nam in hac concurrunt omnia quæ veram legitimam & perfectam crisin constituunt, ut magna corporis commotio, concoctio materiæ & evacuatio, tum terminatio ad salutem, idque ob peculiarem morbi materiæque morbosæ benignitatem & statum viresque corporis; In ea vero crisi quæ tendit ad mortem, quamvis reperiatur maxima perturbatio & subita mutatio, deficit tamen bona materiæ concoctio & integra evacuatio ob vehementiam & malignitatem morbi viresque prostratas.

In genere una est crisis.

Ad crisin efficiendam quæ concurrant.

DICO 2. si crisis secundum terminationem spectetur, duplex est, una videlicet perfecta, quæ ad salutem terminatur, & altera quæ ad mortem imperfecta. prob. quia crisis tendit ad unum horum terminorum, ergo si terminatio spectetur, benè dividitur in mortalem & salutarem. Neque dicas, non omnem crisin quæ non tendit ad salutem, esse mortalem.

lem, quia tendunt multæ ad peius; quia respondetur, etiam eam crisin quæ tendit ad pejus comprehendi sub imperfecta & mortali. Ad veram itaque, perfectam & legitimam crisin pertinet ut morbus sit salubris, virtus robusta & materia benigna facileque mobilis; Nam morbus salubris cum materiâ benignâ concoctionem admittit, vires autem robustæ separant utile ab inutili, factâque irritatione evacuant trahuntque corpus subitâ perturbatione in statum salubrem, cujus contrarium fit in morbo lethali, in quo viribus exhaustis & inferioribus videmus subitam fieri mutationem ad interitum, præsertim si pertinacia & malignitas materiæ accedat. Et hæ sunt duæ crisis veræ propriæque species, quæ ideò hoc nomen merentur, quia in iis adsunt omnia quæ ad veram crisin requiruntur; reliquæ omnes sunt defectuosæ, quia semper aliqua prædictarum causarum deest; sic in quibusdam deficit morbi natura, in aliis robur separandi humores corruptos ab integris, aliis denique aptitudo materiæ, adeòque vel terminantur solutione, vel nulla præcedit turbatio, vel sæpè desinunt in abscessum membrique alicujus corruptionem.

Ad perfectam crisin quæ spectant.

DICO 3. crisis secundum modum motus sive terminationis spectata est multiplex. Ratio est, quia variè terminatur crisis ad salutem vel ad mortem, ergo si modum terminationis spectemus, multiplex est; Antec. constat experientia, quia non tantum terminatur ad salutem sed etiam ad melius vel citò vel paulatim, quod idem de interitu intellige: Et confirmatur hoc imprimis autboritate Hipp. qui l. 1. popul. 3. 16. quatuor judiciorum differentias esse docet, videlicet ad salutem vel ad mortem, aut ad melius vel deterius, adeòque ægros sanari vel perire subitò, vel moveri ad melius vel deterius; Deinde Gal. 3. cris. cap. 1. & 7. & lib. 2. de humor. com. 5. ubi propter modos quosdam quibus morbi terminantur, duas adhuc addit differentias, quia mutatio inquit ad melius vel fit subitò vel paulatim, & similiter mutatio ad peius; Nam mutatio vel est subita ad salutem, vel subita ad melius vel successiva ad melius; contrarium de mutatione ad interitum & pejus intellige, quia motus 4. ex totidem terminis, & 2. ex duobus modis cernere licet; Qua ratione autem Gal. duas crisis differentias ad eas quas Hipp. recensuit, addit, eâdem prorsus ex modo motus naturæ & morbi 4. alias addit Mercatus quem loco citato quisque videat. Hæc autem ut melius intelligantur,

fit

DIFFICULTAS VII.

Quot modis fiant crises.

ADverte, modum quo crises fiunt, dividi posse in primarium sive genericum, & in secundarium seu specificum; primarius dicitur quia est primus & immediatus, genericus verò, quia dividitur in alios inferiores.

DICO primo, si de primo modo seu generico sermo sit, tales duo habentur apud medicos; videlicet excretio & abscessus sive translatio materiæ. probatur, quia natura exonerat se vel per excretionem vel per abscessum, quando crisin facit, nec alius superest modus, ergo duo sunt modi generales quibus fiunt crises. Causam hujus si quæras, respondetur eam desumi à morbi natura, viribus ægri, dispositione materiæ & internorum viscerum: Nam ideò faciunt morbi magni & acuti rarò abscessum, quia ob validissimum conflictum fiunt confertim, chronici verò nunquam faciunt excretiones, quia lentè, paulatim nulloque impetu procedunt, licet in iis materia morbosa aliquando per calorem internum sensim dissipetur & evaporet.

DICO 2. si de secundo modo sive specifico loquamur, varii sunt, quibus fiant crises. Est experientiæ, quæ docet, omnes morbos in quibus fiunt crises per excretiones, solvi septem his modis, hæmorrhagiâ nimirum seu fluxu narium, profluvio alui, vomitu, sudore, urina, fluxu mensium & hæmorrhoidum, hujus varietatis causæ sunt ætas, natura ægrotantis, vis & idæa morbi, sexus, tempus anni, peculiaris interni corporis dispositio &c. Nam senes ex febre ardente vexantur facilè profluvio alvi, juvenes autem hæmorrhagia, quia in his est sanguis calidior & copiosior, meatus ampliores, molliores, quæ omnia in senibus deficiunt modoque contrario se habent: sic in æstate faciliores fiunt vomitus quam in hyeme, quia humores sunt magis assati, calidi, biliosi &c. sic febres putridæ propter humores crassiores frequentius per alvum quam per sudorem aut vomitum solvuntur; sic fæminis crises accidunt per uterum, viris per venas hæmorrhoidales, quia convenit hæc excretio viris, illa fæminis, sic denique humorum corruptorum conditio & interni corporis dispositio sæpè facit, ut non fiant excretiones, sed solum translationes materiæ de loco in locum, ut patet in febribus, in quibus bilis ad superficiem solum & habitum corporis diffunditur, vel etiam quod peius, ad partes nobiles & internas; Nam translatio quæ ad partes externas fit, secura est, quæ verò ad internas, semper mala & periculosa, proindeque crisis quæ fit per abscessum vel translationem, bona

est,

eſt, ſi præſertim fiat opportuno tempore, juſta quantitate, locoque ignobili & remoto à corde, mala verò quæ contrariis fit modis, ut patet ex Hipp. 7. aphor. 11. ubi air, à pleuritide peripneumoniam malum eſſe, materiâ ſcilicet à parte externa ad interiores pulmones conversâ.

DIFFICULTAS VIII.

Ad abſceſſus ſit criſis.

VT conſtat, una criſis eſt optima & perfectiſſima, quæ videlicet evacuatâ materiâ debitâ, juſto tempore & modo convenienti terminatur ad ſalutem; Et huic opponitur alia peſſima, quæ ob morbi malitiam, materiæ pertinaciam, & vires ſuppreſſas mortem invehit; ſunt prætetea tertiæ velut intermediæ, quæ ideo non ſunt peſſimæ, quia non tendunt ſubito ad interitum, nec optimæ, quia non ſunt perfectæ. Jam quæritur, qualis criſis ſit abſceſſus; Nam multi affectus calidi & acuti ſolent per abſceſſum, id eſt, per translationem materiæ ab una parte in aliam & non per evacuationem quocunque modo factam terminari.

Abſceſſus. Adverte, abſceſſum, quem Græci apoſtema vocant, eſſe juxtà Fernel. l. 7. de ext. corp. affect. c. 7. collectam alicubi in corpore materiam, eamque in pus aut in alienam ſubſtantiam converſam. Non ſemper fit abſceſſus ex prægreſſo morbo, ſed aliquando oritur ex ſucceſſiva collectione alicujus materiæ frigidioris & viſcidioris, aliquando ex ſanguine puro & calido, qui in corpore ſano è vaſis propriis in muſculum aliumve locum incumbit, aliquando ex tranſlatione materiæ morboſæ & concoctæ. Et de hac translatione quæ fit, quando materia morboſa criticè ab illo loco in quo morbum facit, in alium à natura pellitur, hic ſermo eſt.

Abſceſſus non eſt perfecta criſis. DICO primo, abſceſſus non eſt criſis optima & perfectiſſima. Ratio eſt, quia abſceſſus non eſt ſubita mutatio ad ſalutem, quod tamen ad perfectiſſimam criſin requiritur, ergo non eſt abſolutè bona. Antec. patet, quia eſt ſubita mutatio ex eadem materia in alium morbum, ergo non eſt mutatio ad ſalutem. Neque dicas, ſaltem convenire criſi & judicio, quia habet rationem laudabilis evacuationis ejus materiæ quæ morbum fecit & ex ea parte in qua peccavit: Quia reſpondetur, non eſſe ſimpliciter evacuationem ſed tantum ſecundum eam partem quam prius obſedit; ſed nec babet reſpectum ad hominem ejuſque ſanitatem ſimpliciter.

DICO 2. abſceſſus poteſt inter criſes laudabiles numerari. Ratio eſt, quia per abſceſſum tollitur morbus ex integro, ponitùrque homo per ſubitam mutationem in alium ſtatum, ergo. Et hoc eſt quod Gal. aliique paſſim medici docent, cum ajunt criſin per abſceſſum eſſe quoque inter optimas numerandam; Nam ad criſis integritatem ſat eſt quod morbus integrè ſolvatur, licet æger non omninò liberetur quia in alienum tranſit; Erit itaque criſis bona quia morbum ſolvit, non erit, quia hominem non omninò malo liberat. Et hinc nonnulli ſentiunt, ejuſdem utilitatis & præſtantiæ eſſe criſin quæ fit per abſceſſum & quæ per evacuationem, quod non minus hominem abſceſſus à morbo præſente liberet quam humorum profuſio ad extrà, & quod per abſceſſum corpus fiat immune & liberum ab omni morbo præcedente. Hinc ſi *Quomodo abſceſſus ſit criſis bona.*

DICAS primo, Eam eſſe criſin optimam in qua morbus omninò ſolvitur, materiâque univerſim evacuatâ homo ſanitati reſtituitur; ſed hoc non fit per abſceſſum, ergo. Reſp. in abſceſſu morbum priorem integrè ſolvi, ejuſque reſpectu hominem reſtitui ſanitati, licet non in ordine ad ipſum abſceſſum qui accidentarius eſt, itaque ad integritatem criſis ſufficit, quod morbus integrè ſolvatur, quamvis in alium tranſeat. *Etiam in abſceſſu morbus prior ſolvitur.*

DICES 2. in criſi optima ſemper natura corporis eſt ſuperior, materiaque victa & concocta extrà corpus propellitur; ſed hoc non fit in abſceſſu, ergo. Reſp. etiam in abſceſſu naturam corporis vincere & materiam coqui; quod autem extrà corpus non propellatur, id eſt per accidens, ob materiæ & partis recipientis diſpoſitionem; Et hinc criſis laudabilis dicitur quamvis non optima, quia integrè liberat hominem à morbo, cujus vigore criſis accidit.

DIFFICVLTAS IX.

An omnes evacuationes in principio morbi malæ ſint.

ADverte, aliam evacuationem eſſe criticam aliam ſympromaticam; Illa eſt, quæ fit à natura, hæc quæ vi morbi, ita tamen ut hujus violentiam adjuvet materia, quæ ante morbum & materiam concoctam impellitur ad evacuationem. Itaque inter utramque differentia eſt, quod prima fiat poſt concoctionem vel perfectam vel ſaltem nonnulla ejus ſigna, ſecunda autem quovis tempore per materiæ malignitatem & pertinaciam abſque ullis ſignis concoctionis. Jam

DICO primo, ſæpè in principio fiunt evacuationes, quas imperfectas ſive ſymptomaticas propter materiæ cruditatem morbique violentiam appellare ſolent medici. Deſumitur ab experientia, qua conſtat, ſæpè in principio & augmento fieri copioſas evacuationes, non quidem ab ipſa natura, quæ tempore cruditatis nihil movet, nec ab aliqua medicina, quæ abeſſe ſupponitur ſed à ſoliùs

Solvuntur sæpè morbi acuti absq; crisin principio.

solius morbi malignitate, quæ ad huuc motum impellit. Et accedit authoritas Hipp. qui 1. Epid. multos sine signis concoctionis primis diebus jam hæmorrhagia, jam sudore, jam alvi fluxu aliâque evacuatione judicatos fuisse scribit. Denique confirmatur ratione, quia facultas expulsiva uon determinatur à sola materia concocta ad evacuationem, sed etiam à quibuscunque humoribus salsis, acribus, biliosis, ut frequenter in hominibus sanis accidit. sed an semper hæ evacuationes malæ? Respoudeo &

Evacuatio in principio morbi aliquando bona est, aliquando mala.

DICO 2. Evacuatio iu principio morbi aliquando bona est, aliquando mala. quod aliquando mala sit, prob. quia fit vehementia morbi, ejusque materiâ adhuc existente cruda: Quod etiam non rarò ad salutem conducat, prob. primum ratione, quia natura se plurimum per banc sublevat, dum excernit quod grave est & molestum, & reliquum facilius digerit; solemus enim in principio morbi materiam ante signa concoctionis expurgare & minorare; si itaque arti concessum est, etiam naturæ id subinde concedi poterit; Au verò & quomodo licitum sit in principio non expectatis signis concoctionis ægrum purgare contrà edictum Hipp. 1. aphor. 22. dum ait materiam coctam uon crudam esse purgandam, medicos interpretes cousule; respondebunt enim materiam in primis viis levioribus medicinis expurgari posse, non iis quæ validiora sunt iu locis remotioribus. prob. 2. experientia, quæ docet sæpè cum magna utilitate fieri in principio evacuatioues, v. g. hæmorrhagias, alui profluvium, vomitum, sudores &c. ut constat ex Hipp. citato.

Colligitur; etiam iu priucipio humores expurgari posse; sed qui in primis viis hærent, qui turgent & fluctuant, non autem qui intrà viscera firmius impacti sunt & non citra grave, corporis damuum moveri possunt, sicut illi qui naturam aggravant & ultrò ad excretionem lacessuut, & de quibus est aphor. si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert &c.

DIFFICVLTAS X.

Quæ sint signa crisis.

NOta, alia signa esse quæ crisin præsentem demoustrant, alia quæ futuram, alia quæ præteritam; Deinde signa in crisi bona vel demonstrare tempus & diem crisis, vel viam & modum ipsius, an nimirum futura sit per sudores, urinas, alui profluvium &c. Adhæc excretiones particulares in crisi 7. omninò modis, nec pluribus nec paucioribus fieri, videlicet per hæmorrhagiam, meuses, venas, hæmorrhoidales, urinam, alui profluvium, sudorem & vomitum. Jam

DICO primo, signa quæ crisin præcedunt, vel demonstrant quando futura sit, vel quomodo & qua via. si primum, ea desumuutur à coctione & cruditate, à natura morbi & quibusdam aliis accidentibus, v.g. ab anni tempore, cæli statu, natura ægri, sexu, ætate rebusque tam naturalibus quam non naturalibus; Accedunt quædam perturbationes in corpore, quæ ante crisin oriri solent ideòque criticæ appellantur, de quibus Gal. 3. cris. c. 2. ait, quod hujusmodi evacuationes & abscessus uon exigua perturbatio in ægrotantium corporibus præcedat; Nam oriuntur vigiliæ, deliria, gravis sonitus, difficilis respiratio, vertigo tenebricosa, dolores capitis aliorumque membrorum, varii splendores ante oculos, aurium tinnitus &c. & hæc omuia ob humorum agitationem, qua natura totius corporis ad futuram salutis sive mortis decertatiouem erigitur. Si secundum, modus est excretio vel abscessus, viæ autem nares, pori cutis, vesica, intestina &c. per quam tamen viam excretio futura sit, hoc indicat natura morbi & motus, anni tempus, ætas, sexus, natura, temperamentum, pars affecta &c. Et ut singula hæc manifestiora sint, docet semper humoris inclinatio, quibus in locis seu partibus expelleudus sit humor, quia in his semper aliqua animadvertitur mutatio, Nam imprimis hæmorrhagiæ signa breviter quidem sed pulchrè explicat Hipp. 1. Epid. com. 2. l. 55. in ardentibus inquit cæterisque febribus, quas colli dolor, temporum gravitas, caligo oculorum &c. corripit, hic è naribus sanguis profluit; Et hæc aliaque similia habet in conc. prædict. l. 166. & sequent. 1. prorrhetic. com. 3. l. 50. & seq. 3. ejusdem l. t. 44. 45. &c. Secundò, præsagiunt crisin per sudorem subita urinæ suppressio & rigor subsequens ob translationem materiæ serosæ ad habitum corporis, vide Hipp. 6. Epid. com. 1, t. 10. Tertiò, vomitum futurum demonstant morsus veutriculi cum dolore capitis, vertigo, tenebræ oculis objectæ, agitatio labii inferioris, sputum ex ore profluens, nausea & fastidium, de quibus Hipp. 3. progn. t. 30. & Gal. 3. de cris. c. 10. Quartò, excretioues per alvum fieri indicant ructus, flatus, tormina, lumborum dolor, inflatio veutris & similia quæ videre est in coac. apud Hipp. & 4. aphor. 83. Quintò, per urinam expectatur crisis; si absint signa aliarum excretionum, adsint verò Hypochondriorum gravitas, circa vesicam sensus inflationis, ardor urinæ &c. Sextò de mensibus idem iutelligendum est, si præsertim concurrat lumborum æstus & gravitas, tum Hypogastrii teusio & dolor, qui fieri solet ob copiam sanguinis illuc fluentis & distendentis venam cavam, quæ ad lumborum vertebras descendit. Septimò denique expectantur hæmorrhoides apud eos quibus assuetæ sunt, si reliquarum insuper excretionum signa uon adsint, inest verò crisis & æger æstum aliquem circà spinam dorsi aut dolorem aut teusionem lumborum

rum vel dolorem in abdomine sentiat. Cæterùm quæ pars corporis abscessum & materiam ejus sit exceptura, patet primo ex specie humoris, qui si tenuis ad superiora, si crassus ad inferiora fertur. 2. ex statu naturæ, quæ si robusta & firma, procul deorsum in parte aliqua ignobili facit abscessum, contrà verò si viribus destituta. 3. ex conditione aut dispositione partis; si enim hæc iam prius morbosa sit, relabi solet illuc materia ob debilitatem jam contractam. 4. ex situ meatuum, quia peculiariter in partibus observanda est rectitudo, cum illuc prolapsus humorum communius & facilior esse soleat; Et de bis omnibus vide Hipp. 2. progn. t. 66. & 4. aph. 31. & 33. Galen. verò 3. de cris. c. 11. scribit enim primo Hipp. abscessus fieri in locis inferioribus si calor ilia fatiget, & in superioribus si ilia sine dolore & tumore persistant, 2. qui per febres lassitudines sentiunt, iis ad articulos & juxtà mammillas potissimum abscessus fieri. 3. si quæ pars ante morbum laboraverit, ibi sedem morbi fore. 4. demum docet Gal. si morbus non fuerit valdè diuturnus, si subitò difficilis respiratio vel anhelitus ægro superveniat, mox quiescat, eamque gravitas capitis & dolor subsequatur, tum gravis somnus ac surditas, huic in glandulosis carnibus post aures abscessum fieri necessum est.

DICO 2. signa quæ crisin comitantur & ostendunt an ea bona sit vel mala, perfecta an imperfecta, consistunt in excretione vel abscessu: Illa erit bona si excernitur id quod excerni debet, si totum, citò & non per vices, si tempore debito vel die critico, si denique per loca consentientia; bona etiam erit, si pars recipiens materiam sit capax & ignobilis; si pars mandans sit ejusdem rectitudinis cum recipiente; si denique materia non sit cruda sed cocta & satis præparata; Quæ contrà se habent signa, crisin contrariam indicant, id est, malam & imperfectam.

DICO 3. signa quæ crisin consequuntur, ea dependent ab actionibus læsis, excretis & qualitatibus corporis, & ostendunt an sit bona, perfecta, fida, tuta &c. si enim actiones corporis proportionaliter benè se habeant, si excreta & qualitates corporis correspondeant, omnia bona sunt, & mala si contrario modo. Accidunt hæc omnia in declinatione, ut quæ crisin tanquam terminum status immediatè consequuntur: hæc tamen vide prolixè & fusè apud Mercat. Capivacc. Mercurial. & alios. Corollarii autem loco adverte, coctionem & cruditatem apparere in expectoratis, urina & dejectionibus. Deinde qui ex præcedente coctione judicatur, in crisi mori non posse. Adhæc expulsa indirectè sumi signum coctionis, quia scilicet notat statum caloris nativi seu vitalis, qui coctionis primarium instrumentum est. Adde, febres acutas aliquando abscessibus, chronicos autem morbos excretione solvi ut appaeret in hectica quæ sæpè urinis & sudoribus solvitur. Denique tum nullam recidivam esse timendam, si post crisin omnia symptomata in totum remittant, omnesque potentiæ benè & laudabiliter operentur, quia manifestant omnem materiam morbosam esse integrè & perfectè evacuatam.

DIFFICULTAS XI.

An omnibus ægris eodem tempore crisis accidat, & an semper opus habeat auxilio.

MOtus in morbis acutis est triplex, criticus, symptomaticus & inter hos medius; criticus est qui fit naturâ morborum oppugnante, & si perfecta sit, expurgante; symptomaticus, qui quidem fit etiam beneficio naturæ, sed vehementiâ morbi dum crudus adhuc existit, eam agitantis: Medius qui fit materia morbi jam ex parte concoctâ. Non est autem quæstio hic de principio, augmento vel statu, sed de tempore magis speciali, videl. an omnibus qui morbos acutos patiuntur, æquè citò vel eodem die, sive hic sit quartus, sive septimus, 14. &c. accidat crisis.

DICO primo, nec motus symptomaticus nec medius inter hunc & criticum certo tempore apud ægros accidit. Ratio est, quia morbi vehementia non apud omnes eadem est, nec eâdem efficaciâ vim infert naturæ, nec patem semper & ubique in omnibus ægris reperit resistentiam aut dispositionem v.g. movendi alvum, provocandi sudorem, propellendi sanguinem & urinam; Et idem intellige de motu medio, quia apud quosdam citius, apud alios tardius concoquitur morbus propter ejus naturam, materiæ peculiarem dispositionem & vires ægri; Et confirmant hæc quotidianæ experientiæ quæ docent apud omnes ægros observari diversos & naturæ & morbi motus.

DICO 2. nec in omnibus morbis acutis eodem tempore accidit motus criticus. Ratio est, quia non est eadem species & natura eorum, ergo non potest in omnibus eodem tempore crisis accidere; hæc consequentia desumitur ex ipsa morborum natura, quam crisis quoad modum & tempus sequitur, prob. antec. ex communi medicorum consensu, qui dividunt morbos acutos in exquisitè peracutos, in peracutos non exquisitè, in acutos exquisitè & in acutos non exquisitè; primi terminantur primo quaternario ex 3. progn. 8. secundi primo septenario. Tertii die 24. ultimi autem 21. De cæteris quia longiores sunt & frigidiores, non est eadem ratio; Nã judicãtur per septenarios, vicenarios, menses & annos; Tãto itaq; celerius movẽtur quantò sũt acu-

acutiora habentque breviora tempora juxtà illud Hippocratis, quod si statim sputum appareat, morbum abbreviat, si verò postea apparuit, producit, hoc est ut interpretatur Merc. cit. quæst. 200. si tempus principii scil. cruditatis adeò brevè fuerit, quod primis diebus coctionis rudimenta appareant, morbus celeriter terminabitur, etiamsi status aliquantò longius sese extendat, &c. & paulò post, quò fit ut eò brevior sit morbus, quò tenuior fuerit materia & calidior, quia celeriores fiunt in hac materia naturæ motiones, quibus circumscribuntur morborum tempora, & judicium non solum futurum, sed citò futurum erit sperandum &c.

DICO 3. Si crisis fiat primo vel secundo modo, id est, si moveatur motu critico vel eo in quo ostenditur concoctio, non opus est auxilio, contrà verò si tertio, id est symptomaticè. Ratio prioris est, quia qui motus perfectè fiunt, juvandi non sunt, sed totum naturæ relinquendum est. De motu tertio lis est & controversia: Nam aliqui sunt, qui motum hunc intermittendum esse statuunt, alii verò juvandum; Ajunt illi, impossibile esse ut existente humorum cruditate aliquid boni evacuetur ex Gal. 4. aphor. 22. idcòque omnes excretiones tempore cruditatis factas esse malas; Hi verò sequentibus rationibus innituntur; primò, quia excretâ aliquâ humorum portione reliqui faciliùs digeruntur, si modo non fiat idem magna virium dejectione. 2. Quia tales excretiones juvandæ sunt quæ conferunt. 3. Quia educitur id quod noxium erat. Et hæc opinio quia probabiliori apparet, ideò ad primam respondetur, Galenum non esse intelligendum de morbis qui dependeant à malignis humorum qualitatibus aut à maxima eorum copia, sed de iis, qui concoqui & sine ægrotantis interitu concoctionem expectare possunt. Quamvis enim in principio horum morborum nihil evacuetur quod absolutè bonum sit, confert tamen quia per imminutam materiam malignitas imminuitur, si præsertim materia solùm in primis viis per lenientia evacuetur, ut cæterum quod relinquitur, tantò facilius à calore & virtute digestiva evincatur: Quot modis autem crisis imperfectè fiat, & quomodo aut quando sit juvanda, videantur passim Medici practici; à quibus hæc multâ longâque voluminum serie pertractantur.

An crisis juvanda.

DIFFICULTAS XII.

Quæ sit causa efficiens crisis.

HAnc quæstionem obscuram & difficilem esse plerique Medicorum fatentur dum Galenum secuti Astrologorum opinioni, quæ causam omnem ad lunam ejusque varios aspectus & influentias refert, adstipulantur.

Crisis accepti.

NOTA 1. Crisin vel sumi pro pugna & certamine quod fit inter morbum & naturam ægri, vel pro tota prævia actione qua humores proximè ad excretionem disponuntur, vel denique pro sola excretione. 2. Ad perfectam crisin requiri primo morbum ejusque naturam concoctam, secundò, vim quandam hujus morbi vel materiæ, quâ corpus stimulatur & ad excretionem impellitur. 3. Vires corporis quæ morbo sese opponunt. 4. Potentiam corporis expellentem, qua morbus cum sua causa proximâ corrumpitur & expellitur. Jam quæritur, an præter vim coquentem, stimulantem & expellentem requiratur aliuid aliqud quod morbum solvat, an verò hæ ipsæ sufficiant.

DICO breviter, causa efficiens principalis in crisi est anima cum potentia expellente, minus principalis sive instrumentalis calor seu virtus digestiva corporis, impellens verò seu stimulans vis & materia morbi. Prob. 1. nihil præter hæc tria confingi potest, quod ad efficiendam crisin concurrat, ergo. Prob. antec. quia si aliquid esset, maximè foret Luna & astra; sed hoc falsum est, ut infrà dicetur, ergo. Prob. 2. quæ causæ sunt naturalium & symptomaticarum excretionum, eædem sunt præternaturalium & in crisi; sed in iis sufficiunt 3. illæ virtutes, ergo & hic. Major certa est, quia utrobiq; eadem est ratio, prob. minor. quia ad omnes excretiones, qualescunque eæ sint, nihil aliud requiritur nisi imprimis decoctio materiæ, qualis est in sputo, in urina, in fecibus intestinorum, in humoribus putridis; Deinde impulsus & stimulus quo partes ad dejectionem etiam sæpè ante concoctionem incitantur; Denique vis corporis expulsiva, quæ cum anima locum principem in hac actione obtinet. Prob 3. quando causam efficientem habemus proximam cui effectum asscribere possimus, non recurrendum est ad remotam, cœlos nimirùm; sed causam efficientem crisis in corpore habemus, ergo non opus est eam in cœlis requirere; Nam crisis qualiscunque ea sit, non superat vim & efficaciam interni corporis. 4. Crisis est actio, quæ principaliter fit ab agente vitali, à quo fiunt omnes concoctiones, separationes, expulsionesque humorum & excrementorum, ergo à natura interna corporis. Quod si dicas corpus determinari à Luna & astris ad crisin; Respondetur, id simpliciter falsum esse, quia determinatur à concoctione, morbo cæterisque ad crisin requisitis, ad quæ cœli non aliter concurrunt quam ad reliquas sublunarium actiones cocurrere solent; Cæterùm varia & multiplicia in crisibus accidentia quæ Gal. 3. cris. c. 2. refert, & sunt difficiles tolerantiæ, vigiliæ, deliria, graves somni, difficiles anhelitus, vertigines tenebricosæ, dolores capitis, colli, stomachi, aliorumque corporis membrorum, aurium tinnitus, vanæ ante oculos imagines & splendores, lacrymæ involuntariæ, urinæ incontinentia, &c. dependent partim à conditione humoris, partim à malignitate morbi, partim à peculiari corporis ejusque partium dispositione.

Causa princip. effic. crisis.

DIFFICULTAS XIII.

Quid de diebus criticis tam in genere quam in specie dicendum est.

HIC tantum quæritur, quinam sint dies in quibus fiant crises: Est autem vel dies naturalis vel artificialis; Ille absolvitur horis 24. hic eo spatio quo Sol hæmisphęrium nostrum lustrat; Ille est Medicus & incipit eo quasi momento, quo manifestè morbus sentitur, & dividitur vel in spatium diei & noctis, vel in tempus matutinum quo movetur sanguis, meridianum quo bilis, vespertinum quo pituita & nocturnum quo melancholia: Ita autem accipitur dies criticus, ut ejus unaquâque horâ fieri possit crisis, & vocatur decretorius vel judicatorius, quia vel ipso fit judicium circà morbi finem & exitum, vel ipse est quasi judex & arbiter pugnæ inter morbum & corpus ægrum; Et hunc duplicem esse jam omnis obtinuit opinio & experientia, perfectum, scil. quo solùm fit crisis bona, & imperfectum quo bona & mala; hæc in diem quemlibet incidere potest, illa simpliciter in diem decretorium.

Divisio dierum criticorum. DICO 1. Dies critici dividuntur ex communi Medicorum doctrina & praxi primò in perfectè & propriè criticos, qui benè & perfectè judicant, & sunt 7.14.20.27.34.40. Secundò, in contemplabiles, indicantes, sive indices & internuncios qui crisim futuram prænunciant vel indicant, & sunt medii seu quaternarii cujusque septimanæ ut 4.11.17. qui contingunt morbis simpliciter acutis; In cæteris enim qui sunt acuti ex decidentia, sunt septenarii sine indicibus, ut 27.34.40. Tertiò, in provocatorios, intercidentes sive intercalares, in quibus ex accidente, videl. ob differentiam paroxysmi, causam externam, errorem, debilitatem virium, &c. crisis maturatur, vel in diem unum alterumve differtur, & tales sunt 3.5.9.13.15.19. Quartò demum in vacuos & non criticos, quia talibus aut nulla fit crisis, aut mala propter morbi malignitatem, quod tamen rarò evenit, & hi sunt 6.8.10. 12 16. ex quibus juxtà Medicos prior frequentius, rarius duo subsequentes, & rarissimè duo ultimi judicant; vocantur autem ideò hi dies etiam medicinales, quia securius his ipsis solent Medicinæ propinari.

Dies verè critici. DICO 2. Inter dies verè criticos primum locum occupat septimus; Ratio est, quia hunc primatum ordine, vi ac dignitate obtinet, ut ex dicendis magis patebit: Deinde quia plurimum judicat, plerunque fideliter, tutò, manifestè & cum bonis signis, ut habet Galenus 1. de diebus criticis cap. 2. 4. & 5. Quod autem nihilominus ægri aliquando hoc die moriantur, id non dignitati hujus diei quidquam derogat. Post septimum sequitur dies 14. qui finis est septimanæ secundæ & initium tertiæ; In hoc etiam bonæ & perfectæ crises accidunt, quæ scilicet die septimo non fiunt perfectè; moriuntur autem utroque non pauci ob vehementiam morbi & defectum virium. De tertio septenario dubium est, an in diem 20. vel 21. finis ejus referendus sit, quia Hipp. numerat 20. in historiis morborum, & 21.4.aphor.36. quod & alii plures faciunt Medici. Cæterùm completur primus circuitus his tribus septenariis, qui morbis simpliciter acutis proprii sunt, illi autem qui post diem 20. ad 40. usque ascendunt, paulatim de vehementia remittunt, & perturbationem suam quæ in prioribus brevis erat, ad 2. & 3. etiam dies extendunt; hi sunt 27.34.& 40. ubi notandum est, sicut dies 14. in quo circuitu terminus est & finis secundæ septimanæ, initium verò tertiæ; Ita etiam hic 34. claudit septimanam quintam & incipit sextam; Dehinc incipiunt languere morbi & lenta potius coctione sive abscessibus fieri quam crisibus; horum recordatur Hippocrates, quando eos per vicenarios numerat, & prioribus 9. septimanis sive diebus 40. adhuc 60. 70. & 100. addit: qui reliqui sunt, per menses ex 3. aphor. 28. & annos judicant.

Dies indices sive judicatorii. DICO 3. Secundo loco numerantur dies indices vel judicatorii qui dicuntur 4.11. 17. judicare quid futurum sit 7.14.& 20. De his longo usu & experientia certum est, quod morbi qui per certa signa vel die septimo, vel intrà septem judicandi sunt, aliquod prius signum manifestare, & hoc vel coctionis vel cruditatis vel ex utroque mixtum: Quare autem indicium fiat die quarto, & non secundo aut tertio; & rursum quare crisis intra diem septimum sequatur, id totum debetur causæ morbosæ quæ intrà certum terminum à calore nativo concoquitur, factoque in corpore irritamento excernitur, vel contrà vires vitales supprimit & extinguit. Sunt autem 3. tantum dies contemplabiles sive indices, quia reliquorum vis post 20. evanescit crisesque fiunt obscuriores: sicut autem inter dies criticos sive decretorios nobilior est 7. tum 14. & tandem 20. Ita etiam inter indices primum locum habet 4. tum 11. & & ultimo 17. quia paulatim & criticorum & indicantium vis imminuitur & obscuratur.

Provocatorii. DICO 4. Dies intercidentes sive intercalares & provocatorii sic dicuntur, quod in his crisis ob aliquem errorem aut motum symptomaticum contrà ordinem & naturam dierum criticorum accidat; sunt hujusmodi crises ideò imperfectiores, quia natura operatur coactè & non ex lege sua, & quia tam cruda quam cocta, tam bona quam mala expellit: Tales sunt 3.5.9.13.&c. si quæras an ex his unus altero sit nobilior & magis observandus. Resp. nonum ex mente Medicorum esse

esse potentissimum, qui sæpius in hunc crisis incidere solet; si enim coctio fit die septimo perfecta, natura verò imbecillior, tunc nonus crisin excipit; post nonum sequitur quintus reliquis adhuc potentior, quia si fortè natura sit quarto debilior, judicium in hunc differri solet, quamvis etiam aliquando crisis, quæ septimo futura erat, ob materiam nimis irritatam in hunc diem incidat, quemadmodum in diem nonum illa, quæ 11. futura erat, idq; propter eandem causam. Sequitur 3. quo die natura irritata expellit molesta, & facit quod die quarto faciendum erat. 13. Est inter decretorios imbecillior omnibus, sed fortissimus inter eos qui non decernunt, proinde quasi medius inter criticos & non criticos.

Vacui. DICO 5. Ultimò sunt dies vacui, qui nec indicant, nec judicant, nec provocant: Dicuntur à Medicis ideò medicinales, quia licitum est tum medicinas propinare. Si quispiam hos dies cupiat aut velit criticos appellare, necessum habet ut malos, infidos & periculosos intelligat, quia imperfectè & cum ægri damno judicant, quia non robore naturæ sed copia & malignitate materiæ afferunt crises: apparet hoc in sexto, in quo omnes qui judicantur vel moriuntur, vel in summum periculum conjiciuntur: Vide Galenum de diebus decretoris cap 4 & 5. quam aliqui solum de morbis biliosis, qui diebus imparibus, & aliàs die septimo judicari solent, intelligi volunt, in sanguineis autem qui diebus paribus moventur, magis volunt esse criticum quam septimum. Huic sexto similis est octavus, non tamen adeò periculosus; solvuntur autem in eo rarius morbi & ii qui moveri solent diebus paribus: De decimo nihil dicendum nisi quod ferè prioribus sit similis, nec de duodecimo, quia Galenus ait, se nunquam hoc aliquem vidisse judicatum. Plura vide apud Medicos.

DIFFICULTAS XIV.

A quo die numerandus sit morbus.

IDeò dies & principium in morbis acutis quærendum est, ut ratio habeatur dierum criticorum, & constet quando expectanda sit crisis; Est autem hac in re non tam difficultas quam ratio dubitandi, quia imprimis jubet Hipp. 3. prognost. c. 10. in puerpera febricitante numerandos esse dies à partu, à qua etiam fieri oporteat indicationem, licet morbus aliquot diebus post superveniat; Deinde observamus multos in morbis acutis post primam invasionem munia sua bene adhuc & laudabiliter peragere, & alios contra nequicquam ad consuetas actiones habiles esse, & hoc non tantum propter morborum, sed etiam propter complexionem & dispositionem internarum varietatem.

DICO 1. In morbis acutis numerandum est ab illo die quo rigor invadit aut actiones manifestè læduntur, sive æger mox decumbat sive non. Ratio est, quia verum in morbis acutis initium est aut rigor aut manifesta operationem læsio, ergo ad cognoscendam aut expectandam crisin ab uno horum numerandum est; Neque tamen semper rigor aut horror ad initium advertitur, quia ut videre est ex Dilp. de febribus; sæpè putrilaginosus vapor in venis & vasis cordi proximis existit, indeque in vitalia absque partium nervosarum perculsione penetrat, sæpè etiam calor cordis absque halitu putrescente sensim è locis remotioribus irrepit. Dixi tamen sive æger decumbat sive non, quia diversæ sunt individuorum naturæ & complexiones, quæ vel plus vel minus causis morbosis resistunt.

DICO 2. In puerperis febrientibus numerandum est à die partus si febris paulò post sequatur; Contra verò à rigore, si post 6. 7. 8. aut plures etiam dies. Ita communiter docent Medici. Ratio prioris est, quia quæ febris paulò post partum sequitur, evenit ex nimia humorum commotione quæ fit in partu, quo fit ut morbus qui proximè sequitur, illi annectendus sit; posterioris verò, quia quæ febris aliquot diebus post partum accidit, ea novam jam causam habet, estque remotior à tempore partus, à quo etiam independens est. Et hoc idem de capitis vulneribus intelligendum esse docet Sennert. l. 3. de diebus criticis, si præsertim paulò post superveniat febris, id quod etiam in recidivis attendendum est, an videl. novus morbus ex reliquiis prioris morbi, an verò ex nova causa generetur: si enim primum, numeratio fieri potest à fine prioris morbi; si secundum, à puncto novæ invasionis.

Si QUÆRAS, cui diei asscribenda sit crisis, si v. g. fluxus aut sudor, aut alia quævis evacuatio critica in diem sextum incidat & duret usque in diem octavum. Ad hanc quæstionem respondet Sennertus citatus, qui monet, prius ad ipsam accessionem sive paroxysmi rationem, ad evacuationem criticam sive naturam diei critici, & ad tempus quo febris cessaverit, sive ad numerum temporis critici attendendum esse; si enim inquit æger magis laboret die impari, dici quoque impari crisis attribuenda est, cum crisis plerunque fiat in paroxysmis; si fiat die 7. & 8. modus crisis monstrabit, cui diei asscribenda sit, quia die septimo fit crisis facilis, octavo autem laboriosa & imperfecta: Quantum ad tempus criticum, in quo fiat initium decretorii paroxysmi, principium decretoriæ motionis & finis criticus seu perturbatio, evacuatio & solutio morbi, illud in diem referendum est, in quo fit evacuatio. Hæc Sennertus.

DIFFICVLTAS XV.

Quæ sint causæ dierum criticorum juxtà Fracastorium.

Duæ sunt circà hanc quæstionem celebres opiniones, una videl. Astrologorũ, quam etiam sequitur Galenus & cum eo plurima pars Medicorum; altera Fracastorii & quorundam cùm Philosophorum tum Medicorum qui minus cœlis tribuunt; Illi ab astris & præsertim à Luna, hi à corporibus ægrotantium omnem causam tam crisis quam dierum derivant: De hujus enim quæstionis difficultate

Opinio Fracastorii l. de diebus criticis est, causam dierum criticorum in solo corpore ejusque humoribus, tum verò maximè in substantia melancholica quærendam esse; & ad explicandam roborandamque suam hanc conclusionem inter cætera plura

Supponit 1. Ad crisin vel perturbationem criticam requiri irritationem in parte sensibili à materia morbosa, & demum excretionem post factam digestionem. 2. Raro fieri, ut unus humorum corrumpatur vel putrescat, sed plerunque ad corruptionem unius humoris, v. g. pituitæ & melancholiam & bilem vitiari. 3. Corruptas has particulas bilis, pituitæ & melancholiæ secerni ab integris, quibus antea permixtæ & perfusæ fuerant, & demum concoctas evacuari per vim naturæ. 4. Hos separatos & putrefactos humores vel sub una massa unam simplicem habere motum vel compositum: si primum, produci quoque morbum simplicem, qui sequatur motum prædominantis elementi, & in quo nulla exspectetur c. .. is sed solum paroxysmus, qui naturam humoris simuletur & morbum solvat. Si secundum, produci motum & morbum compositum, ubi cum humores solùm confusi sint & non ad unam formam redacti, crisis potissimum fiat. 5. Accidere ut quando plures humores non sub unam formam redacti peccant, unus tum eorum manifestè moveatur, cæteri verò obscurè lateant, quod quidem primis diebus vix cognoscatur, sed posterioribus demum innotescat; sic phlegma plerunque aliorum motum sequi cum paucum sit quantitate, constituere etiam utplurimum unam cum aliis humoribus formam; eos autem dies esse quietos, in quibus nullus humor moveatur, & exacerbari plus minus, quando unus duo aut tres agitentur; Eos enim motus esse vehementissimos, ubi omnes humores concocti excernantur, quod fieri non posse docet, nisi omnium humorum densissimus & concoctu difficillimus, qui crisin cum reliquis absolveret, concurrat. 6. Tandem, alios morbos esse acutos, alios mediocres, alios chronicos, &c. primos vocat in quibus prima die melancholia cum bile moveatur, & qui die 13. finiantur, Secundos, quando secunda die melancholia incipit putrescere, & qui finiantur 20. ultimos demum, in quibus die tertia melancholia moveatur, & hos extendi ad diem 40. & ultrà. His omnibus addit exemplum hoc, sit inquit, humor principaliter peccans bilis, perfectè tamen pituitæ mixtus & cum melancholia solùm confusus, quæ non multa sit nec crassa, sed citò facilèque attenuanda; jam putrescente bile simul putrescet etiam nonnihil melancholiæ cum pituita & causabit primo die paroxysmum satis acutum: Secunda dies quieta erit, quia tantum movetur pituita latens, vel etiam nullo modo movebitur, cum ex suppositione pituita sub unam formam cum bile sit redacta. Tertia die bilis movetur non autem melancholia quæ needum est concocta. Quarta movetur melancholia sola, vel cum pituita latente, tantòque obscurius, quantò hæc copia minor & debilior. Quinta rursum bilis movebitur. Sexta omnia silent. Septima tandem propter omniũ humorum concurrentem motum & concoctionem perfectam crisis & paroxysmus acerbissimus incidit: Et hoc eodem modo dies reliqui ut 10. 13. 16. 19. 22 25. qui omnes sunt critici, movebuntur. Quod si quæras quomodo secundum Fracastorium diebus 11. 14. 17. 20. & 21. sint critici. Resp. ipse, varios esse modos & conditiones melancholiæ quæ aliquando sit pauca, aliquando multa, tenuis, &c. Idem de bile intellige; Et hinc fieri ut putrescente bile eodem die putrescat melanch. jam in principio paroxysmi, jam in medio, jam in fine, prout vel pauca, subtilis, calida, &c. bili admisceatur: aliquando non simul & eodem die moveri melancholiam sed 2. primùm vel tertio & fortassis etiam quarto. In acutis enim febribus ubi materia calidior, tenuior & pauca moveri humores utcunque primo die, in tardis à materia crassa melancholiam 3. primùm vel etiam 4. in mediocribus 2. Si igitur melancholia putrescat primo die, quod fit in morbis acutis, de 4. in 4. fore periodos, ut 4. 7. 10 13. &c. si secundo quod fiat in mediocriter acutis, tunc quaternarios fore dies 2. 5. 8. 11. 14. 17. 20. criticos autem 11. 14. 17. 20. si enim materia non multa sit & morbus acuto proximior, 11. fore crises: si verò materia sit crassa, & morbus chronico propinquior, fore 20. At si 3. die demum putrescere & moveri incipiat, quod fieri solet in morbis chronicis, ubi materia crassior & multa, circuitus fore die 3. 6 9. 12. 15 18. 21. criticosq; 21. 27. 35. si enim materia crassa sit & tenax, pauca tamen, 15. fore crisin; si verò crassa & multa, 27. si mediocris, 21. Et hæc inter multa alia Fracastorius, ex quibus omnibus *Colligitur*, ab ipso poni certam & constantem dierum criticorum periodum & ordinem in materia ejusque motu, varietatem verò in paucitate, multitudine, crassitie, tenuitate, calore, frigore, &c.

DIF-

DIFFICULTAS XVI.

Quæ sint causæ dierum criticorum juxta Astrologos, Galenum & Medicos.

ASTROLOGI cum Galeno & potioribus Medicis referunt mutationes criticas in astra & præcipuè in Lunam: Lippis enim ajunt & tonsoribus esse notum, quantas sæpè tempestates per quadraturas, conjunctiones, oppositiones,&c. Luna causet, quam feliciter crescant etiam plantata, quantumque experiantur quotidiè nautæ, hortulani, agricolæ, quique morbis chronicis infestentur; primò igitur Lunam dierum criticorum causam ponunt, tum humores peccantes tandemque potentiam expellentem, quæ ab influentiis Lunæ & humoribus stimulata crisio immediatè efficiat: Docent enim ordinem dierum crit. neque à facultate corporis, neque à materia peccante solùm posse provenire, sed statuendum esse simul causam aliquam superiorem, non quidem Solem, qui ob motum suum tardum & annuum in morbis potius diuturnis sit efficax, sed Lunam, quæ in singulis quaternariis, & septenariis insignes faciat mutationes. Nam cum Luna & stellæ non solum lumine sed etiam occultis influentiis in hæc inferiora agant, neminem esse, qui nesciat id secundum diversos aspectus ad alias atque alias stellas, signa & facies nobis obversas fieri, proindeque tam mirabiles alterationes & mutationes in corporibus ægris factis esse adscribendas motibus & progressibus Lunæ ad signa quadrata, opposita, conjuncta, &c. Et hinc Merc. cit. class. 5. q. 205 inter cætera fundamenta statuit, omnia quæ fiunt in crisi, succrescere ex congressu & discessu Solis aut Lunæ cum cæteris planetis & Zodiaci signis; Item hæc omnia ad nos pervenire calore, lumine, motu & influentiis ex aspectu, reflexione, lumine, quadratura vel oppositione, adeòque meritò Galenum 3. de cris. cit. dixisse quod Luna magnas in hæc inferiora habeat mutationes, variosque affectus, qui tamen Solis affectibus sint minores, &c. Ad id quod dicitur, si scilicet Luna dierum criticorum causa statuatur, sequi hoc, quod ob variam à Sole illustrationem acceptam, varium item in Zodiaco positum & aspectus varios, tales morbi solum in septimo & decimo quarto possint judicari, qui tempore novilunii & plenilunii incipiunt; alioquin enim nec diem septimum Lunæ dimidiæ, nec 14 plenæ vel novæ responsurum, cum tamen fieri possit, ut hodie Socrates, cras Anaxagoras incipiat ægrotare, & quorum quilibet die septimo judicandus: Ad hoc inquam respondent, quocunque tandem die quis in morbum incidat, 7. die ad quadraturam & 14. ad oppositionem ejus loci, ubi in principio morbi fuerat, Lunam deventuram; sic non solum à die conjunctionis ad quadraturam & hioc ad oppositiooem faciei Lunæ notabilem mutationem adverti, sed quocunque etiam die mensis incipiat morbus, Lunam 14. insignem luminis & faciei mutationem habituram respondentem ei quæ à novilunio æstimatur, & vel tantam partem, oppositam scil. habituram illuminatam, quantam à principio habuerat opacam, & contrà tantam opacam, quantam in principio vel ante dies 14. in opposito illuminatam; Atque eodem modo aspectus & facies mutari in septimo quoque die, v. g. in primo morbi insultu fieri quasi morbi & Lunæ conjunctionem, circà quartum fieri sextilem, circà septimum quadraturam, circà undecimum trigonum, oppositionem in 14. trigonum in 17. quadraturam 20. 24. sextilem, inter 20. & 27. alteram conjunctionem. Sed hæc fusè apud diversos habentur Medicos, quorum opinio & doctrina quantum ex dictis constat, est quod proprietas diei, in quo potius fiat crisis quam in alio, proveniat ex motu Lunæ ad signa quadrata & opposita ejusque aspectus variatione.

DIFFICULTAS XVII.

Quæ sint causæ dierum criticorum secundum veriorem doctrinam.

SUPPONO, cœlum & astra maximèque inter hæc Solem & Lunam velut sensibilia magis luminaria efficacissimè in his sublunaribus operari, ut ex alibi dictis habetur. Hic quæritur, an & quomodo ad crisin efficiendam, non quidem simpliciter sed certis & determinatis diebus concurrant, tum quæ sit verior circà causas sive magis sive minus principales hujusmodi dierum sententia; Non esse autem dies decretorios vel criticos ex numero communis obtinuit opinio, quam etiam nec Astrologi nec Medici docent, &c.

DICO I. Nec Luna nec astra sunt causa dierum criticorum: Per causam non intelligitur quicquid ad efficiendos hos dies concurrit, quomodo astra ad quamplurimas actiones corporum inferiorum concurrunt, sed intelligitur id quod eos in genere causæ proximæ & efficientis principalis determinat. Et hinc probatur conclusio primò, Luna non est causa efficiens crisis, ergo nec dierum criticorum; Antec. patet ex dictis, prob. conseq. quicquid determinat naturam ad efficiendam crisin simpliciter, determinat etiam eam ad diem & tempus; sed prius non facit Luna, ergo nec hoc posterius. Secundò, si Luna est causa quod crisis hoc & non alio die contingat, etiam erit causa eorum quæ ad crisin efficiendam requiritur, v. g. concoctionis materiæ morbosæ, perturbationis, stimuli, excretionis; sed hoc falsum est, ergo & illud: Nam Luna non coquit, non

 digerit,

digerit, non segregat, &c. ergo nec faciat quod humores certo tempore cum digesti sunt, commoveantur & evacuentur. Tertiò, nunquam accidit motus criticus, nisi cum vel materia morbosa concocta est, vel morbi malignitas naturam urget, & impellit; sed ad hoc non concurrit proximè & efficienter Luna, ergo nec ad illud. Quartò, Luna est tantum causa universalis & æquivoca motuum & dierum criticorum, ad quos non aliter concurrit quam ad rerum plurium alterationes & corruptiones concurrere solet, ergo causa proximior quæ in genere causæ manifestè operantis naturam ad motum & tempus determinet, quærenda est: Neque enim ita infœcunda & misera est in rebus his inferioribus natura, ut quamvis corporum superiorum in producendis suis effectibus semper aliquo egeat concursu & influxu, ipsa non possit tales in genere principaliter efficientis elicere, ut patet de parturitione, de fluxu mensium, de humorum inutilium excretione aliisque corporum motionibus. Itaque

Causa effic. dierum criticorum. DICO 2. Causa vera dierum criticorum eadem est cum illa quæ crisin facit, ita tamen ut etiam corpora superiora tanquam agentia universalia & æquivoca influant. Ratio prioris est, quia ut habetur in conclusione prima eadem causa quæ materiam morbosam sufficienter alterat, & ad motum criticum disponit, facit etiam ut hoc & non alio tempore aut die crisis accidat; atqui hoc non facit Luna sed vis expulsiva corporis morbique motiva, ergo & illud. Quando enim morbus concoctus est & vim corporis expulsivam vellicat, accidit perturbatio critica, quocunque cœli loco & sive pleno sive nullo compareat lumine Luna. Ratio posterioris est, quia etiam Sol, Luna cæteraque sydera suis influentiis agunt in humores & corpora viventium, ita tamen ut eorum actiones ab agentibus inferioribus modificentur: Namideò creavit Deus cœlos eosque variis luminaribus & astris adornavit, varios item motus & virtutes impressit, ut eorum beneficio & ministerio hæc inferiora gubernarentur & per omnium generationum & corruptionum vicissitudines conservarentur; Nisi enim cœli moverentur & in hunc mundum influerent, plurima vegetari desisterent, sed & corrumperentur, quod idem patet experientia, qua videmus ex Solis accessu & recessu Lunæq; vel majori vel minori lumine quædã generari, quædam corrumpi, multa humectari, multa siccari, omnia denique ita generationibus & corruptionibus subjecta esse, ut non nisi cœlorum influentiis asscribi possint, id quod authoritas magnorum virorum à plurimis jam seculis confirmat; Ut enim nihil de Astrologis, qui nimium suis astris attribuunt, adeòque omnia in temerariam quandam superstitionem vertunt, Aristoteles ipse, qui in omnibus exactè effectus ex ratione consideravit, multa iis l. metaph gener. cœl. & alibi attribuit; Nec aliud Gal. 3. de cri. & dieb. crit. c. 2. voluit, ubi omnium Astrorum potentiâ nos frui asseruit; Ex his autem omnibus nihil aliud colligi potest, quam concurrentibus astris veluti agentibus æquivocis & universalibus crisin fieri & ad certos dies proximè principaliter & efficienter ab intrinsecis corporum dispositionibus determinari. Si

QUÆRAS, quid de sententia Fracastorii dicendum sit. Resp. Fracastorium multa partim ingeniosa statuere, partim dubia supponere, ut patet ex modo quo humores alimentales de quorum putrefactione hic sermo est, intrà venas existunt & de quibus vide l. 1. disp. 16. Nam quia verum est, humores alimentales postquam ab epate in venas distributi, unam massam sanguineam sive mistum imperfectum & confusum multisque impuritatibus refertum, quod tamen paulatim concoctione in verum purumque sanguinem & mistum perfectum transit, constituere, falsum est hoc ita corrumpi, ut ad putrefactionem unius etiam reliqui putrescant, quia non est eadem omnium dispositio & facilitas ad subeundam corruptionem, neque etiam id naturæ convenit, quæ in sanguine potissimùm se conatur conservare, ne quod experientiæ repugnat, totus hic simul à statu suo naturali tam violenter deflectat & in interitum hominem præcipitet: Deinde falsum est quod melancholia aliquando primo, aliquando 2. vel 3. die putrescat, vel etiam aliquando in statu, aliquando in augmento & declinatione moveatur. Adhæc negant Medici quod non possit fieri crisis ante concoctionem humoris melancholici ex Hipp. 3. progn. t. 2. ubi docet, etiam fieri crisin die tertio & ante quartum. Denique falsum est, in solis morbis acutis qui pendent ab humoribus intrà venas putrefactis, fieri crises, cum etiam tales observentur in tumoribus calidis, ut docent Medici, quibus reliquæ Fracastorii doctrinæ judicandæ maneant.

DIFFICULTAS XVIII.

Quid respondendum sit ad argumenta contraria.

DICES 1. Experientia multorum seculorum pugnat pro Luna, ergo est causa principalis dierum criticorum. Resp. neg. antec. quia experientia illa quam observamus in diebus criticis, non est à Luna sed ab intrinseco corporis; Deinde experientia quam Astrologi ab astris eorumque efficacia desumunt, semper suspecta est, præsertim quando effectum ad causas proximiores & evidentiores reducere possumus, quemadmodum in diebus criticis fieri potest. Et hanc eandem experientiam prætexunt Astrologi judiciarii & Genethliaci, qui cum in probandis & confirmandis prædictionibus rationum robore deficiunt, vel ab iisdem vincuntur, tandem ad solam experientiam tanquam unicum eorum refugium deflectunt,

flectunt, quam fortè semel atque iterum somniarunt vel ex alieno principio observarunt, quasi verò conjunctio Saturni & Jovis, quæ olim Alexandro Magno fatalis fuit, vel Græcos in excidium Trojæ animavit eundem jam effectum sit habitura, si tamen verum est, quod fingitur & pueriliter afferitur, conjunctionem cum Saturno & Jove, quæ entia rationis sunt, & neque ut signa neque ut agentia quicquam potestatis aut virium in hominem ejusque sanitatem & voluntatem habent, id effecisse.

DICES 2. Immutabiles sunt dies critici semperque constantissimi, ergo referri debent in causam aliquam superiorem. Resp. 1. neg. antec. quia dies critici multis aliquando horis vel etiam die integro variant, proindeque à contrario argumentum hoc in adversarios ita retorqueri potest; dies critici sunt inconstantes & sæpè variabiles, ergo non pendent ab astris quæ sunt immutabilia. 2. neg. conseq. quia etiam ignis applicatus stipulæ semper producit ignem, & tamē hic effectus non refertur in causam aliquam superiorem sed in agens sublunare, quod ex se semper sufficiens est producere talem effectum, adeòque non omnes effectus constantes & immutabiles referendi sunt in causam aliquam superiorem; Nam immutabilitas & constantia dierum criticorum, quantacunque sit, est à constantissima & specialissima natura eum corporis tum materiæ morbosæ, quæ ex intrinseco principio intra certum & determinatum tempus decoquitur & movetur, ut experientia in quibusvis febribus putridis docet, in quibus materia morbosa non à Luna sed à natura intrinseca movetur & regitur.

DICES 3. Calor nativus non potest semper æqualiter disponere materiam morbosam ad crisin cum varius sit, & aliquando debilis aliquando fortis, ergo necessariò requirenda est causa superior. Resp. neg. conseq. quia etiam crisis non observat eandem horam, neque eandem habet perfectionem aut eundem terminum, quod totum dependet à dispositione materiæ, morbi & corporis ægri; premit autem hoc argumentum magis & fortius adversarios, qui cum materiæ morbosæ decoctionem non possint in Lunam referre, causam aliquam magis proximam, quæque sit notior nobis & efficacior, admittere coguntur. Et eadem res est cum annis climactericis, si tamen hi concedendi sunt ut infrà videbitur, quia per annos citius, tardius, plus minusque mutatur homo juxtà internam organorum & caloris nativi dispositionem.

DICES 4. Luna habet maximas vires efficitque mirabiles mutationes in conjunctionibus, oppositionibus, quadraturis, &c. quod idem de reliquis astris intellige. Resp. Astra habere magnam vim in hæc inferiora, aliquando ut causam proximam & principalem licet æquivocam, ut Sol dum producit calorem, Luna dum humorem, frigus efficit; aliquando ut remotam universalem, ut cum in sationes, plantationes, generationes, corruptiones omnesque viventium actiones concurrit; sunt enim astrorum vires vel occultæ vel manifestæ; si de occultis sermo sit, falsum est ab iis produci dies criticos, quia est opinio quæ nullis rationibus, solis autem principiis innititur, quibus astrologia judiciaria; si de manifestis, verum est, Lunam & Solem in hoc mundo sublunari producere lumine & motu calorem, frigus, siccitates, humores, ventos, pluvias, imbres, tempestates, mineralia in visceribus terræ, &c. non autem eas alterationes sive motus qui dependent à principio vitali, cujusmodi sunt digestiones & evacuationes eorum quæ præternaturaliter in corpore detinentur. Quamvis itaque Luna & astra concurrant ad actiones corporis nostri & operationes vitales, quia fovent calorem & spiritus, conservantque elementa & mixta; nihil tamen præjudicant principio effectivo crisis ejusque dierum: quod est anima cum sua potentia & calore vitali, dum in materiam morbi tum coquendam tum è corpore eliminandam operantur.

DICES 5. In conjunctionibus, oppositionibus, &c. oriuntur venti & tempestates; sata & plantata felicius vel infelicius crescunt; cancri, conchylia, aliaque vel crescunt vel deficiunt; ligna Lunâ ad plenitudinem vergente minus durant, quia facilius putrescunt & corrumpuntur, ad quod maximè attendunt agricolæ, hortulani, piscatores, nautæ, &c. Et has easdem mutationes non tantum observant qui chronicis morbis conflictantur, sed etiam qui alicubi in corpore plagam, rupturam, contusionem vel quamvis aliam continui solutionem olim passi fuerunt; Et accedit demum authoritas Hippocr. qui l. de aere nos temporū anni mutationes, imprimis verò solstitia & æquinoctia syderumque ortus & occasus observare jubet: si itaque omnes hi effectus, sicut & alii plures à Luna & astris producuntur, etiam producentur crises diesque critici. Resp. neg. conseq. & paritatem, quia possunt illa omnia fieri ab astris proximè & immediatè, non autem crisis; Nam habet hæc causam aliam & proximiorem & manifestiorem à qua fiat, non autem illa, nisi tamen etiam ex iis multa sint quæ potius à forma intrinseca & qualitatibus connaturalibus reguntur.

DICES 6. Solent Medici maximè observare conjunctiones, oppositiones, & quadraturas Lunæ in porrigendis medicinis, in sectione venarum aliisque violentioribus corporis mutationibus, quia experiuntur tum Lunam validius operantem, ergo eadem quoq; ratio erit in promovendis dieb' criticis. R. 1. neg. conseq. quia non est par ratio in efficacia conjunctionum, oppositionum & quadraturarum Lunæ, & rursum in causa principaliter effectrice dierum criticorum. 2. Resp. incertum esse

esse, an benè vel malè faciant Medici, qui hujusmodi aspectus vel positiones Lunæ tanti faciant, ut etiam iis diebus medicinas aliàs maximè necessarias negligant: Certum enim est, hujusmodi punctis quæ in quadraturis, conjunctionibus & oppositionibus assignantur, nullam penitus vim inesse, & quicquid Luna agit, id tum agere per lumen, motum & influentias sive qualitates occultas, quibus æquè vel ante vel post agere solet: si ad experientias Medicus appellet, cum fundamentum aliud nullum habeat, decipitur, quia contrarium experimur millies iterumque millies, idemque operatur Medicina tam intra quam extra quadraturam, conjunctiones, oppositiones, nisi tamen secus quippiam per accidens causisque fortuitis accidat, quod nemo nisi imprudens & indoctus dici vel temporis infelicitati transcribet. Adde, si Medicus in quadra Lunæ nolit medicinam porrigere ubi nulla est necessitas, cur porrigit eam, cum urgeret æger, si hoc tempore nocivus sit effectus? si dicas plus commodi ex Medicina in corpore ægro, quam incommodi ex Lunæ quadra temporisque inopportunitate sequi; dico id rursum valdè incertum esse an non major sit efficacia Lunæ hoc tempore malignantis in corpus ægrum, quam medicinæ etiam laudatissimæ præsertim apud eos qui Lunæ & astris tantum tribuunt.

DICES 7. Quod dies impares sint critici, hoc habent à Luna, ergo ab hac ratio eorum desumenda est. Resp. neg. antec. Nam quocunque die vel diei hora crisis accidit, hoc aliunde non habet nisi à natura corporis & morbi.

DICES 8. Nemo non admittit influentias Lunæ in hæc inferiora, ut patet de motibus & Euripis certorum marium, de quibus alibi, ergo nec deneganda sunt in producendis diebus criticis. Resp. neg. conseq. quia nullam aliam causam invenimus ad explicandos illos admirabiles in æquore motus præter Lunam, ad quam autem in crisi confugiendum non est.

DIFFICULTAS XIX.

An quolibet die fieri possit crisis.

AD firmandam & roborandam sententiam quæ docet in corpore quærendam esse causam dierum criticorum, multum quoque faciunt ea quæ hac difficultate sequuntur; Cum enim crisis tam incerta & instabilis sit, ut in quamvis facilè diem incidere possit, non ab aliquo Astrorum sed à principio magis intrinseco causa principaliter efficiens requirenda est. Ut itaque ex primis artis medicæ Doctoribus constet, quo die specialiter fieri possint crises,

DICO breviter, quovis ferè die potest fieri crisis. Patet hæc conclusio ratione, experientia & authoritate; Ratione primò, quia non implicat nec ex parte naturæ concoquentis & expellentis nec ex parte materiæ morbosæ; Hujus quidem, quia semper vel plus vel minus aggravat naturam, illius verò, quia ex se nunquam non intendit coctionem & excretionem materiæ gravantis. Nunquam enim natura egerit nisi cum humores aut nimium graves sunt, aut sufficienter decocti & ad excretionem habilitati. 2. Experientia & authoritate: Nam imprimis dies 3. 4. & 5. critici sunt ut testantur Medici; Deinde sextum esse decretorium docet Hipp. l. 3. Epidem. s. 3. ægrot. 12. ubi ait virginem in Larissa die sexta feliciter & fideliter judicatam fuisse contra Gal. l. 1. de dieb. criticis c. 4. Neque dices hoc rarum esse, quia sufficit id semel tantùm verum esse; Nam si semel id fiat, jam tollitur universalis propositionis veritas, & si semel fieri possit, poterit etiam fieri sæpius, cum nulla sit implicantia; Quod autem apud eundem Hipp. plura reperiantur exempla, patet ex 1. Epid. s. 3. 3. Epid. s. 2. ægrot. 6. 4. Epid. t. 11. &c. Similiter 7. est criticus, & quidem omnium criticorum optimus, sed & princeps ut consentiunt Medici. Octavum adfert Hipp. l. 4. Epid. t. 11. & 1. Epid. s. 3. contrà Galenum, qui l. 1. de diebus criticis c. 5. ait, hunc non esse bonum decretorium; De nono nemo dubitat. Decimus recensetur 1. Epid. s. 3. & 3. Epid. s. 1. inter decretorios, quia hoc die Pythio sudore & sputo judicatus fuit; Undecimum omnes fatentur esse criticum. Duodecimum rejicit Gal. 1. de diebus criticis c. 5. Nec Hipp. ullum adfert exemplum; Vide quæ Plempius l. 5. c. 11. de fund. medic. referat. Quod 13. sæpius bonæ fiant crises, probat idem Plempius loco citato contrà Gal. 2. dier. critic. c. 8. hoc argumento, quod 7. paroxysmus tertianæ exquisitæ frequenter cum salute & feliciter judicet, hic autem incidat in diem 13. Et si dicas, quod hic paroxysmus incipiat quidem in 13. finiatur autem in 14. Respondetur id falsum esse, quia duret sæpè hic paroxysmus brevissimo tempore, finitusque ante initium 14. Deinde esto extendatur crisis usque ad 14. quia etiam crisis quæ fit die septimo, extendit se usque ad octavum, qui dies tamen non dicitur criticus ut Galenus ipse 1. dier. crit. c. 8. affirmat. Nec verum est, quod quidam docent, dum ajunt in febribus intermittentibus diem continere tandem illud spatium quo paroxysmus absolvitur, quia semper per diem intelligitur illud spatium quod continet horas 24. vel diem & noctem, ut patet ex Galeno lib. 1. de cris. cap. 16. & lib. 2. c. 2. Decimus quartus omninò criticus est, ut omnes concedunt. Decimus quintus aliquando crisin habuit ex 4. Ep. s. 2. in Gierone. Decimus sextus nunquam animadversus est criticus ideoque de hoc idem quod die 12. intellige. Decimus septimus apud omnes est decretorius. 18. narrat Hipp. 1. Epid.

Epid.f.3. Hyeme sub solstitium multos morbos fuisse judicatos: De die 19.judicat Plembius citatus, quid Galenus de nono, quem ideò dicit esse criticum quod medius sit inter septimum & undecimum, & quod ideò eorum crisis sibi subinde usurpet, proindeque non implicare, quin aliquando quasi medius inter 17.& 20. vel 21. esse possit decretorius. Vigesimus admittitur ex Galeno & aliis Medicis. 21 Habetur etiam pro decretorio apud Hipp.aphor.36.l.4.& 1.Epid.f.3. Et hôc idem refert 7.Epid.f.2.de 22. quo die febris apud Polycratem cessaverit. Dies ulteriores non æstimandi sunt ideò, quod vis morborum paulatim infringatur, vehementes conflictus inter morbum & naturam corporis remittant, adeòque sese viribus suis restituant ægri. Et hæc breviter in compendium de crisi diebusque criticis compacta sufficiant, plura apud Authores videri possunt, quorum intentum fuit hæc ex professo pluribus pertractare.

DIFFICULTAS XX.

Quid parturitio, fluxus mensium, aliaque humorum sive substantiarum inutilium excretiones ad motus criticos spectent.

RAtio dubitandi est, quia habent hi motus omnes causas & circumstantias sive conditiones quas habet vera propriéque dicta crisis, videlicet materiæ digestionem & separationem, ut patet in urina, in fecibus intestinorum, in fœtu maturo &c. irritamentum in partibus sensibilibus, factum, ut manifestum est in iisdem excrementis & substantiis, quæ vesicam, intestina, venas, uterum aliasque cavitates & meatus implent & distendunt, & vim denique corporis impulsivam quæ in omnibus membris & visceribus aggravatis existit.

DICO 1. Parturitio nec est motus verè propriéque criticus, nec dependet ab astris. Probatur primum, motus verè criticus præsupponit corpus ægrum, quod in statum sanum deducendum sit; sed parturitio nec supponit nec afficit tale corpus, ergo non est criticus. Minor probatur, quia parturientes uterumq; ferentes sana sunt corporis constitutione, nisi tamen affectu aliquo accidentario affligantur, vel hâc ipsâ uteri distensione, quæ ad morbos magnitudinis spectat, estque extrà latitudinem motus critici, qui morbos calidos & acutos cum humorum putrefactione præexistentes requirit. Probatur secundum, parturitio est actus animæ sensitivæ sive rationalis ejusque potentiæ motivæ, vel etiam vegetativæ, quæ noxia repellit & amica attrahit, ergo ad Lunam & astra referri non potest. Antec. patet, quia partus vel consideratur ut perfectio & maturitio fœtus, vel ut ejusdem exclusio; si ut primum, spectat ad vim concoctricem, quia est opus caloris vitalis; si ut secundum, perficitur ope & ministerio facultatis expellentis & moventis.

DICO 2. Nec fluxus mensium est crisis, nec ad cœlos efficienter spectat. Probatur iisdem argumentis, & confirmatur primò, quia menses non observant tempus stabile nec fiunt confertim, sed extendunt se in multos etiam dies & accidunt aliquando intrà septimanas 3.4.5.6.& plures, aliquando in novilunio, aliquando in plenilunio, vel etiam in tempore inter hæc medio. Secundò, quia menses non terminantur ad salutem vel mortem ex se nisi in quantum sunt impedimentum ad perfectam sanitatem. Tertiò, quia non sunt semper necessarii in fœminis, sed tantum ex abundantia, ob quam digeri & in substantiam corporis converti non possunt. Quartò, quia ad excretionem non indigent alia concoctione, quam quæ fit in epate & venis & quæ ad nutritionem requitur, &c.

DICO 3. Etiam excrementorum evacuatio non habet rationem crisis. Sub hac humorum excretione non tantum intellige, cum post trinam alimenti concoctionem per alvum, vesicam & spiracula cutis excrementa propelluntur, sed etiam cum in certis inflammationibus, tumoribus, abscessibus, vulneribus, ulceribus aliisque affectibus humores concocti, lapides, spicula, ligna, &c. è corpore foras protruduntur. Ratio conclusionis prima est, quia tales excretiones vel non fiunt vi morbi, ut cum urina excernitur aut alvus solvitur, vel si fiant vi morbi, non sunt excretiones morborum acutorum, quibus crises debentur. Secunda, quia excretiones humorum qui alimenti ultimi sunt recrementa, non fiunt in statu præternaturali vel morboso, nec accidunt ex pugna morbi & naturæ viventis, nec denique cum corpus turbatur omnesque humores commoventur. Tertia, quia excretiones alimenti decocti sunt purè naturales, fiuntque potentiâ corporis expulsivâ & excrementis in corpore sano naturaliter se habentibus, ergo naturalium excrementorum evacuationes non habent rationem crisis. Jam quod colligitur

Ad rationem dubitandi respondetur, ad constituendam crisin non sufficere materiam concoctam, irritamentum, & vim corporis expulsivam, sed requiri præterea, ut sint in corpore morboso, non quidem simpliciter sed morbo acuto & putrefactivo laborante, de quo vide antecedentia: Nam hæc tria dum sunt in corpore sano, non fiunt cum subita & repentina mutatione à statu præternaturali ad naturalem, &c.

DIF-

DIFFICULTAS XXI.

Quid de annis climactericis sentiendum sit.

VOcantur anni climacterici ab Authoribus critici & decretorii ideò, quod in iis vel semper vel uplurimum notabilis aliqua mutatio sive alteratio physica circà constitutionem corporis humani observetur, ex quo hujus quæsiti difficultas oritur, an hi anni certi & determinati sint, habeantq; in se vim aliquam peculiarem, quâ homo vel ægritudini, vel morti, vel etiam alicui infortunio magis quam reliquis subjectus sit; Nam ingens est eorum numerus, qui etiam docti & prudentes hos tanquam malorum indices & comites tam voce quam scripto proclamant; major autem, qui eos tanquam non dubios aut morbi aut mortis socios imprudenter extimescunt, adeòque dum in reliquo benè & salubriter vivunt, per hoc sæpius in pernitiem sanitatis & discrimen proprium sese præcipitant.

SUPPONO 1. Hominem toto vitæ suæ tempore, adeòque singulis non tantum annis & mensibus, sed etiam diebus & horis esse alterabilem & corruptibilem, quia semper invicem agunt qualitates contrariæ quibus homo constat, aliquando quidem minus propter bonam corporis habitudinem, aliquando autem magis propter majorem causarum corrumpentium incursum. Jam

SUPPONO 2. Annos vel sumi pro ipso numero septenario aut novenario, vel pro spatio temporis indeterminati vel determinati, in quo fit magna & notabilis mutatio corporis.

SUPPONO 3. Ægritudinem & mortem esse accidentia corporis, eique accidere non nisi casu & fortuitò, quia utraque non habet causam determinatam nisi dum accidit.

DICO 1. Numerus annorum nullam habet vim agendi in corpus humanum. Probatur, numerus ut sic nihil est reale nec quicquam rebus numeratis superadditum, ergo. Deinde est quantitas, quæ nullius est effectus productiva nisi fortè motus localis, de quo hic non agitur. Quod si etiam anni pro tempore sumantur, eadem est ratio, quia sive tempus sumatur pro ipsa reali duratione motus & definitur duratio successiva & continua motus, sive pro artificiali illa duratione quæ per intellectum certis quibusdam terminis clauditur ad dimetiendas explicandasque motuum durationes, certum est non habere vim & potestatem ullam agendi in corpus humanum, ut in eo producant alterationes & mutationes. *Tempus quid.*

DICO 2. Si anni climacterici sumantur pro aliquo tempore vel spatio temporis indeterminati, in quo fiat notabilis mutatio & alteratio corporis humani, certum est quod possint dari; Ratio, quia ab extrinseco subjectus est homo alterationibus morbosis, quæ quidem causam determinatam non habent, nisi errores in rebus non naturalibus committantur, aut casu aliquod infortunium accidat, v.g. tegula ex alto caput feriens, equus sessorem præcipitans, incendium subitaneum dormienti terrorem incutiens, &c. quæ causam determinatam non habent, nisi dum actu fiunt; Et hinc dixi quod possint dari, quia omnia quæ hominis sanitatem infringunt, extrinseca sunt adeòque non necessaria, præsertim si violenter accidant; Nam quod homo statum sui temperament sive faciem externam & delineamenta corporis non tantum per ætates, sed etiam per annos & menses variet, tandemque consumpto per calorem humido nativo mortem oppetat, hæc naturalia sunt & non ad certos annos, sed ad totum vitæ decursum alligata. Unde *Colligitur*, aliam esse mutationem corporis naturalem in qua naturale temperamentum habitusque corporis quotidiè qualitatibus in se mutuò agentibus patitur, aliam autem violentam, in qua causæ extrinsecæ vel manifestam sanitatis eversionem, vel etiam vitæ interitum accelerant; Et de hoc posteriori non priori sunt anni climacterici instituti; Et ex his quod sequitur, *Anni climact. quomodo admittendi.* *Mutatio corporis naturalis vel violenta.*

DICO 3. Si anni climacterici sumantur pro annis determinatis v.g. 7. aut 9. quibus homo peculiariter & potius quam aliis subjectus sit ægritudini aliisque humanis casibus, qui sanitatem corporis ostendant, non sine nota vanæ observantiæ admittendi sunt. Ratio, quia hæc omnia eventualia sunt, poterant non esse antequam fiunt, ergo non magis unum quam alterum respiciunt annum, & ipsi anni, qui ex se neque tunc habent ullam efficaciam agendi in corpus, vanissimam important observantiam; Deinde, quia sicut quælibet causæ determinantes ad morbum & interitum casuales & incertæ sunt, ita & ipse morbus & interitus tanquam effectus earum, quæ proinde ad hunc vel illum annum sese non astringunt; sed nec natura plus operatur his annis intrinsecè & per se, quam vel prioribus, ergo quicquid uno vel altero annorum accidit, est per accidens, fitque extrinsecè à rebus quæ evitari poterant, adeòque superstitiosi vanæque observantiæ sunt anni climacterici. *Anni climact. sunt superstitiosi.*

DICO 4. Mutationes quæ in hominibus fiunt per decursus annorum, ut sunt dentitiones, pubertas, accretio, canities, capillorum defluvium, morbi, obitus, &c. fiunt ab internis corporum dispositionibus, à causis morbosis, casibusq; fortuitis, atq; adeò incerto tempore

tempore incertisque annis. Ratio tota habetur ex dictis; si enim mutationes connaturaliter accidant subjecto, habent causam internam, quæ ex se facit subjectum alterabile, idque continuatis motibus; si autem violenter, habent agentia extrinseca, quæ ad ægritudinem & interitum corpus inflectunt, vel ad quævis alia infortunia casusque fortuitos determinant, idque incertis annis, mensibus & diebus; Prioris generis est dentitio, quæ variis temporibus & non anno septimo aut nono ab internis maxillarum & gingivarum dispositionibus contingit; tum pubertas cuæ fit calore paulatim vincente & subigente humidum partesque & viscera firmante; Denique acretio in longum & latum, canities, calvities, cunctæque mutationes, quæ à calore interno tanquam præcipuò animæ in omnibus actionibus instrumento per ætates & non per annos certos fiunt. Posterioris verò temperamenti & complexionis violenta attractio, sanitatis eversio vitæque interitus, ad quæ omnia eandem quovis tempore dicit potentiam corpus per se, certo autem & determinato per accidens; Ut autem omnia clariora fiant ex dictis

DICES 1. Septimus dies habet magnam efficaciam in morbis, ergo etiam septimus annus in corporibus mutandis. Resp. neg. consequentiam & paritatem; Nam quod dies septimus in morbis sit utplurimum valdè efficax, hoc non habet ex se, sed oritur id ab humorum ac materiæ morbosæ dispositione, quæ intrà hos dies concocta excretionem maturat; Quod autem anno septimo homo plus quam sexto aut octavo subjectus sit ægritudini, faciunt id causæ omnes morborum effectrices, de quibus fusè agunt Medici, tum mille casus alii & accidentia fortuita, quæ non ab annis & rarò à cœlis pendent; Deinde nulla est habitudo aut relatio septimi ad septimum, nisi qui stultè & imprudenter argumentari velit, septem sunt Sacramenta, ergo etiam septem peccata mortalia, aut septem dies in septimana, &c.

DICES 2. Cum Bapt. Codroncho 1. part. suorum annorum climact. c. 1. sicut dies septenarii ægritudines acutas judicare solēt, ita anni climacterici vitam nostram judicandi facultatem habent, & ideò critici ac decretorii vocantur; præterea, quemadmodum dies decretorii naturam hominis insitumque calorem pro agente causa interna habent, pro materiali humores qui morbos progignunt, pro externa agente ambientis temperiem ac mutationem ad principium morbi relatam, ac demum Lunam illius mutationis causam; Ita anni climacterici & mutationes quæ in illis fiunt, easdem penè causas habent: Præterea sicut dies septenarii maximè potentes sunt in morbis judicandis, ita & septimi quique anni in judicanda hominis vita uti sempiterna passione maximam vim habent: Et rursum cap. 7. ex Marf. Ficino l. 2. de vita producenda cap. 20. horum dierum & annorum causam septem planetas statuit; Nam statim hujus capitis initio, cur inquit, Astrologi septem planetis singulas diei horas ordine distribuant, & similiter septem hebdomadæ dies, atque in ipso fœtu per menses digesserunt officia Planetarum; cur non etiam per annos eadem disponamus; ut sicut infantem in alvo lateotem rexit primo mense Saturnus, ultimo Luna; sic statim natum ordine jam converso, primo ipsius anno ducat Luna, 2. Mercurius, 3. Venus, 4. Sol, 5. Mars, 6. Jupiter, 7. Saturnus, atque deinceps ordo per vitam similis repetatur? Itaque in septimo quolibet vitæ anno fit in tempore mutatiò maxima, ideòque periculosissima, quandoquidem & Saturnus communiter est nobis peregrinus, &c. hæc Codronchus. Resp. hæc omnià velut antiquorum fabulas potius risu explodenda, quam verbis & rationibus refutanda esse; Nam omnes illæ similitudines claudicant, quia connexionem nullam inter se habent, & imprudenter dies critici sive decretorii in morbis, ubi humores putrescentes actu sunt præsentes motumque necessariò faciunt, cum annis climactericis, ubi singulis diebus & septimanis novi sunt humores, fortuitòque & casu, vel ex erroribus causisque apud Medicos cognitis morbum producunt, transfumantur, quia quod septimus dies in morbis febribusque acutis sit criticus, id necessarium est ex causa determinata, dum humores actu putrescunt, ideòque certò & determinato die terminum suæ corruptionis assecuti per naturam aggravatam excernuntur; Anni verò climacterici nec actualem habent causam alicujus infortunii, nec aliquam determinatam sed vel casualem & fortuitam, quæ antequam sit, extrà cœlos existat, vel quæ agentibus sublunaribus & non astris debeatur; sed nec Planetæ ad morbos aliosque casus infelices bis annis determinant, quia quicquid Astrologi de horum ordine, regimine & dominio, de fœtu & prole tam intrà quam extrà matrem scribunt, commenta sunt, ut fusè ex Disp. 13. hujus libri in fine est videre. Concludo itaque cum Pico Mirand. l. 6. contra Astrol. c. ultimo, hos annos climactericos esse molestam superstitionem, id quod plerique viri doctrina ingenioque excellentes ore scriptoque contrà vanissimarum nullâque omninò ratione fundatarum artium Defensores attestantur. *Anni clim. mact. quid.*

DICES 3. Anni hi probantur infinitis penè observationibus & authoritatibus, ergo. Resp. 1. Contrarium probari longè pluribus experientiis scriptisq; magnorum virorum. 2. Observationes nihil probare, quia sicut morbi horumque causæ, ita & illæ sunt casuales; Authoritates parum roboris habent, quia sunt vel populorum & nationum, quæ superstitionibus olim artibusque magicis addictissimæ fuerunt, vel hominum quorum vix ulla est ratio habenda, ex quorum censu sunt tam

veteres

veteres quam moderni Astrologi judiciarii, quiq; vitam otiosam agentes nullis rebus seriis & honestis, sed hujusmodi nugatoriis vanitatibus & superstitiosis artibus ingenium suum, si quod habent, applicant; Et hinc quantum Astrologis in omnibus suis ex astrorum concursu desumptis judiciis, tantum etiam hisce Authoribus eorumque observationibus de annis climactericis credendum est. Quod si urgeas &

DICAS 4. Singulo septennio & novennio animadverti peculiares corporum mutationes, ergo admittendi sunt sine ulla superstitionis aut vanæ observantiæ nota anni climacterici. Antec. patet in dentitione, quæ fit anno 7. in pubertate, quæ accidit anno 14. in expleta magnitudine quæ finem habet anno 21. vel. 28. in morbis quæ plerunque vel septenniis vel novenniis affligunt, & denique in morte, quæ sicut aliis annis climactericis, ita potissimum anno 63. ubi numerus septenarius & novenarius combinatur, vitam claudit. Resp. antecedens & ejus probationem simpliciter esse falsam, quia contrarium videmus non tantum in dentitione & pubertate, quæ variis annis & temporibus contingunt, sed etiam in hoc, quod annus secundus aut tertius magis faciat discrepare hominem à seipso qualis fuerat primis septimanis aut mensibus à nativitate, quam dum fit respectus anni septimi ad sextum vel quintum, vel noni ad octavum; Deinde mutationes quæ annis climactericis adscribere solemus, sunt vel maximè variabiles, ita ut aliquando teste experientia in annis à se distantissimis eas, videamus, & quo modo dentescant aliqui mense 6. vel 5. aliqui vix 10. vel 12. aliqui maturè sapiant fiantque puberes, aliqui tardissimi. Quod ad annos & maximè ad annum 63. quem senes tantoperè metuunt, metuerent autem potius 99. verum est hunc aliquando observari, sed incertum, an non plures pereant anno 61. 62. 64. 65. &c. quia ad illum omnes attendunt, ad hos nemo; Quod si vivis exemplis vim & energiam horum annorum probare cuperem, à me fortè non malè initium facerem, quia quos unquam morbos & affectus corporis babui, eos semper anno climacterico expertus sum, ut anno ætatis meæ 14. febrem tertianam, 21. pleuritidem veram, 28. febrem quartanam & 37. dysenteriam contagiosam: Quod si autem errores commissos causasq; omnes & circumstantias enarrarem, eur in hujusmodi affectus inciderim, quisque meritò me rideret aut stultum diceret, si iis relictis tanquam immediatis agentibus ad superstitiosas & longè petitas annorum energias descenderem, quia casuale & fortuitum erat, me gravius his annis quam aliis in 6. rebus non naturalibus peccasse, ideòq; morbos tanquam delictorum pœnas incurrisse. Exempla alia nihil probant, sed magis confirmant conclusionem, quia vix centum inter Monarchas, Reges aut Magnates, taceo minores terræ incolas, unus aut alter die aliquo critico vel climacterico ægritudinem sensit & mortem, idque semper casu & fortuitò, quia ex se non erant hoc tempore determinati ad hoc malū. Quod si peculiares cœlorum impressiones in tui favorem adducas. Resp. hanc esse antiquam lyram, quæ sæpius delirare solet, quasi verò cœli his & non aliis quoque annis in hominum corporibus ad vitæ dispendium tumultuari possint, quod idem de aliis causis, si quas habes, intellige.

Colligitur, quam periculosum sit, hujusmodi annorum Assertores audire, vel iis nimiam fidem habere; Cum enim nihil nisi infelices vitæ nostræ decursus, id est, vel vitæ vel sanitatis jacturam dicant, quid mirum si ex continua instantis infortunii apprehensione anxiâque nimium sollicitudine, dum etiam nequicquam aliud corpori ejusque sanitati contrarium subest, ob commotos interius humores & turbatos intrà viscera spiritus & morbum & mortem immaturè sibi quispiam adsciscat, cujus ubique & quotidiè luculentissimi testes habentur, ut proinde consultius esset, hanc vesanam & superstitiosam de infelici annorum climactericorum partu opinionem ex omnium mentibus eliminare, ejusque Professores publicos tanquam multorum malorum Inventores & privatarum calamitatum Authores aqua & igne interdicere, eoque ostendere id quod olim sub Claudio Cæsare anno post Christum natum 56. Ecclesia fecit, quando Aquilam Ponticum eruditione interpretandi celeberrimum, eò quod teste Epiphanio l. de ponderibus genitu-rarum inspectionibus & nativitatum horoscopis vacaret & correctionem non admitteret, è suo gremio rejecit: *Aquila Ponticus cur à sinu Ecclesiæ ejectus.* Nam ex eodem fonte & principio emanant turpiter oriunturque anni climacterici, & quicquid ab impudentissimis Astrologiæ judiciariæ cultoribus ex inspecto horoscopo homini circà totius vitæ fortunam sive infœlicitatem prædici solet, videl. ex 7. Planetarum cæterorumque Astrorum vario situ & positione, quâ in diem vel etiam in punctum aut minutum nativitatis inciderunt, quasi verò eodem temporis momento nova qualitas novus character, aut novum signum cœlitus homini imprimatur, unde subsequentibus annis tot corporis & animi immutationes, totque fortunæ aut infelicitatis casus prodeant, & ab ullo mortalium præsciri possint.

DI-

DISPUTATIO VIGESIMA SECUNDA ET ULTIMA.

De corruptione hominis.

DEventum est ad interitum & ad finem qui rebus sublunaribus & imprimis homini est ultimus; Tristis hic est & luctuosus, quia cooaturalis non est; hoc ipso enim dissolvitur quod æternitatem gestiebat, & condidit quod ad pulchritudinem universi ejusque perfectionem spectabat; Id faciunt oimirùm principia nostra quibus constamus, & quibus ossa nostra cum singulis membris ficta compacta & formata sunt, in quibus etiam non differtimus à reliquis mixtis, quæ sub cælo post ptimum sui esse corruptioni sunt subjecta: Er hinc luctu fletuque plenum est hoc ultimum postremum vale, io quod ex inevitabili divinæ majestatis decreto consentire coguntur principia homiois constitutiva; lamenrabilis ille discessus, dissolutio & renunciatio inter corpus & amicissimam animulam, quia nunquam abesse invicem cupiebant; Terribilium omnium terribilissimus est raptus ille, quem homo in se sustiner, dum videt animam in incertum ut gentilium ille clamabat Cæsar, avolare, corpusque proptium in escam parari vermium, adeoque in se fatalem & funeralem experitur catastrophen. Neque tamen dolendum ita, ut ex mundanis infelicissimi opinantur, hanc mortalitatem in hominem cadere, quia maximum Dei beoificium est eum, qui hic in terris tot tantisque calamitatibus semper defatigatur, ad æternitatem vocari, beatissimam quidem, si inter cælites esse meruerit, tristissimam verò & infelicissimam, si Creatorem dum viverer, damnatis spiritibus posthabuerit ideòque cum his ad æternas pœnas descenderit. Ut itaque breviter constat, quid de hominis retumque sublunarium interitu à Philosophis & Medicis dici & doceri soleat, sit

DIFFICULTAS I.

Quid sit corruptio hominis rerumque naturalium substantialium.

Corruptionis sumptio. ADvette, corruptionem aliquando sumi pto abjectione formæ substantialis, aliquando pro ipsâ dispositione, qua subjectum paulatim præparatur ad ejusmodi formæ abjectionem, quo modo corruptio est successiva & numeratur inter terminos positivos, quia videlicet progreditur instar intensioois & remissionis, v.g. à minus tale ad magis tale & contra. Jam

DICO primo, corruptio tam hominis quam cæterarum rerum natoralium formaliter non est actio positiva. Ratio est, quia deberet inesse suo termino quod tamen falsum est: Nam qood non existit, huic etiam non potest aliquid inesse; sed terminus corruptionis cujuscunque etiam entis physici non existit, ergo illi noo potest aliquid inesse, videlicet generatio: Et hinc patet generationem & corruptionem distingui ex natura rei tanquam ens à non ente, quia potest esse una sine altera, & terminatur semper corruptio ex parte formæ ad negativum, id est, ad non esse formæ in materia: Vide Conn. 1. gen. c. 4. q. 16. a. 1. & 2. Hurtad. disp. 1. de gen. §. 45. & alios. *Discrimen inter gen. & corrupt.*

DICO 2. hæc corruptio non est etiam annihilatio. Ratio est, quia quod corrumpitur, desinit ordinatiè ex vi novæ actionis, per quam nova forma in subjectum introducitur; Quod autem annihilatur, oon desinit per novam actionem, sed simpliciter per subtractionem concursus divini. Deinde si Deos formam hominis destrueret, nullamque aliam supetinduceret, esset vera corruptio, non autem annihilatio, qoæ est desitio entis in nihilum, cum in priori casu remaneret adhuc materia. *Corruptio non est annihilatio.*

DICO 3. Corruptio hominis rerumque sublunatium substantialium est mutatio totius sub eâdem communi materia. hanc definitiooem sumunt Philosophi ex cap. 4. & 5. l. 1. de gen. apud Aristotelem. Dicitur autem primo mutatio, per quam particulam reiiciontur annihilatio, creatio, quæ non sunr mutationes, quia in his non manet commune subjectom semper sicur in motatione propriè dicta, quæ semper dicit respectum ad ipsam materiam; Nam quæ corrumpuntur & generantur, non dicuntur propriè mutari, quia quod propriè motatur, existir prius sub termino à quo, deinde sub termino ad quem; Quod autem corrumpitur, jam sub nollo termino existir, quia desiit esse, & quod generatur, non fuit prius sub termino à quo, quia nondum erat, ergo mutatio propriè dicta habet respectum ad materiam quæ sub utroque termioo manet. Dicitur a. mutatio totius, ut excludantur generationes tam accideotales quam substantiales; licet enim utraqoe sit mutatio, nulla tamen est rotius vel ex roto, quia imprimis generatio accidentalis non est mutatio ex toto ut constat; Deinde substantialis etiam noo est motatio ex rota substantia, videlicet in non substantiam, quia quaodo generatur homo vel equus, non fit mutatio *Corruptio quid.*

ex equo vel homine in non equum vel hominem, sed contra in hominem, equum ex non homine vel equo. Dicitur 3. sub eadem communi materia, quia hæc est subjectum quod sub utroque perseverat. Quod cæterum hæc corruptio comprehendatur sub definitione generationis, patet ex disp. 8. lib. 1. diffic. 4.

DIFFICULTAS II.

An corruptio sit homini aliisque sublunaribus naturalis vel violenta.

Naturale quot modis sumatur. Naturale aliquando sumitur prout opponitur supernaturali, aliquando pro eo ad quod res tanquam ad suam perfectionem inclinat, & demum aliquando pro eo quod sequitur naturam rei.

Adverte, corruptionem vel respicere materiam vel formam vel compositum. Hinc

DICO primo, si naturale primo modo sumatur, corruptio hominis est naturalis respectu materiæ & compositi, aliorum verò corporum naturalium tam respectu materiæ & compositi quam formæ. Ratio est, quia omnibus tribus competit corruptio secundum naturam, materiæ quidem tanquam subjecto quod recipit corruptionem, formæ autem exceptâ animâ rationali, quia corruptibilis est, & composito ob eandem rationem.

DICO 2. si naturale 2. modo accipiatur, tam corruptio hominis quam cæterarum rerum naturalis est respectu materiæ, quæ indifferens est ad quamcunque formam tanquam ad suam perfectionem, sed non respectu formæ aut compositi, quia habent ex se quandam propensionem, ut se conservent & perpetuent, estque illis interitus omninò contrarius, ut quem toto conatu refugiunt: Et hoc sensu etiam senectus aliæque affectiones corpori perniciosæ præternaturales sunt.

Corruptio quomodo naturalis. DICO 3. respectu naturæ universæ potest dici omnis corruptio 2. modo sumpta naturalis; Ratio est, quia natura per se intendit varias generationes rerum, proinde etiam corruptiones, si non primario saltem secundariò, quia sine rerum corruptione non potest esse nova generatio.

DICO 4. si naturale 3. modo sumatur, corruptio hominis respectu materiæ & compositi, rerumque cæterarum omnium erit naturalis: Ratio est, quia omnes res naturales mortales potentiam habent & aptitudinem intrinsecam ad corruptionem, & hoc modo mors erit homini naturalis. Est autem corruptibilitas omnibus rebus mixtis ingenita, quia habent materiam contrariorum susceptivam, & quæ alias atque alias subinde formas appetit & desiderio novæ priorem dimittit, tum quia constant ex contrariis ab intrinseco quæ interitum pariunt; formæ materiales ideò sunt corruptibiles, quia ad materiam informandam requirunt certas dispositiones, quibus corruptis ipsæ non possunt amplius subsistere, sed evanescunt ut quæ extra materiam nullibi cohærere possunt. Materia etiam sequitur corruptionem naturaliter, quia est commune subjectum ortus & interitus.

DICES primo, corruptio non habet principia & causas, quia est negativum quid, ergo non potest esse naturalis. Resp. formaliter sumptam & prout est negativum quid, non habere principia & causas, habere tamen causaliter acceptam.

DICES 2. datur etiam mors violenta, quæ non erit naturalis, ergo datur corruptio quæ erit violenta. Resp. violentum vel sumi pro motu qui fit per vim externam & non secundum cursum naturalem agentis interni, vel pro motu & actione quæ naturam rei & agentis sequitur; primo modo est violenta, 2. naturalis.

DIFFICULTAS III.

Quomodo corruptio intendatur ab Agente, an per se, an verò per accidens.

Dupliciter aliquid per se intendi. Duobus modis intenditur aliquid per se à natura, semel quia non intenditur propter aliud consequendum, quo modo dicitur sanitas propter intrinsecam bonitatem per se ab ægroto intendi, non tamen medicina vel ambulatio, quæ non propter se sed propter sanitatem expetuntur; Alio modo dicitur aliquid per se intendi, quia terminat actum intentionis vel appetitionis, sive ille ad aliquid ulterius referatur sive non, v.g. medicina dicitur per se intendi, quia terminat actum intentionis in ægroto, licet hic medicinam propter sanitatem obtinendam appetat. Jam

DICO primo, Corruptio sive hominis sive aliarum rerum naturalium nec priori nec posteriori modo spectata intenditur per se ab Agente. prob. primo, finis cujusque actionis semper est aliquod esse, quod per eam actionem acquiritur & conservatur; sed corruptio hominis aliarumque rerum non habet aliquod ejusmodi esse, ergo nec intenditur per se ab Agente: Nam cum per corruptionem homo, equus, lignum &c. priventur suo esse, impossibile est, ut in se spectata corruptio horum sit finis intentus ab Agente. Confirm. ab Arist. qui 2. phys. cap. 2. dicit non quodvis ultimum esse finem, sed id quod optimum, ex quo colligis, nec mortem, nec ægritudinem posse dici finê eò quod intendant corruptionem. prob. posterius, nullum malum potest esse objectum alicujus intentionis *Nec aptitudo nec mors est finis Agentis.* aut

aut appetitionis; sed corruptio hominis, equi &c. est malum, sicut eorum oppositum generatio bonum, ergo. Major patet apud Ethicos, qui docent omnem actum ut intentionem ferri in bonum, intellige id de appetitu naturali animali, & rationali.

Corruptio intenditur per accidens.

DICO 2. corruptio intenditur ab Agente per accidens; Ita docet Hurt. cit. §. 48. rationem dat, quia quando inquit ignis v. g. producit ignem in ligno, ideò corrumpit formam ligni, ut eam removeat velut impedimentum quod obstat productioni ignis, quia aliter natura non potest assequi quod intendit. Et sic gladius intendit per se solvere continuum, calor solaris calefacere, febrilis depascere humidum &c. tum verò per accidens invehere ægritudinem & interitum &c.

DICES primo, ergo mors per se intenditur. Resp. neg. hoc assumptum, quia ideò mors per accidens accidit, quia per se introducuntur dispositiones ad eam, & ut fiant novæ generationes quæ per se ab Agentibus intenduntur.

DICES 2. id quod per se intendit finem, etiam per se intendit media ad finem; sed Agens naturale per se intendit productionem compositi, ad quam corruptio est via sive medium, ergo Agens naturale intendit per se corruptionem. Resp. neg. majorem, quia non omne quod medium finis dicitur, intenditur per se ab Agente quod finem intendit, sed oportet ut tale medium sit bonum, quale non est corruptio, quæ sicut est non ens, ita etiam nullam bonitatem participat. Et hinc colligitur, eos qui docent corruptionem per se intendi, non dicere intendi ut finem, sed ut medium latè sumptum pro quacunque re necessaria ad generationem.

Non omne medium ad finem intenditur per se ab Agente, sed quod bonum.

DIFFICVLTAS IV.

Qualis sit actio corruptio, & unde fiat.

DICO primo, corruptio est actio, quâ forma substantialis materialis destruitur distincta à generatione; dico materialis quia in corruptione hominis non destruitur anima sed tantum cessat informare. Quod sit actio prob. ex Arist. qui eam multis in locis vocat motum ut 3. phys. cap. 1. l. 5. ejusdem operis cap. 5. & 1. de generibus, ubi semper de corruptione tanquam de actione loquitur. 2. prob. ratione primò productio formæ substantialis est actio distincta à productione accidentium, ergo & corruptio distincta à generatione; Conseq. prob. quia si corruptis dispositionibus desineret forma substantialis absque ulla actione eam corrumpente, non posset reddi ratio, quare productis dispositionibus non resultaret forma substantialis absque alia actione eam producente; sed omnes fatentur post productionem dispositionum dandam esse aliam actionem, quæ sit productio ipsius formæ substantialis, ergo etiam præter corruptionem dispositionum danda est corruptio ipsius formæ. 2. formæ substantiales non possunt se expellere formaliter, ergo effectivè; sed quod expellitur effectivè, expellitur per actionem, ergo forma substantialis expellitur per actionem; Ad prob. majoris observa, formas accid. cum suscipiant magis & minus, non repugnare quo minus expellantur formaliter ex eodem subjecto; calor enim v. g. & frigus cum sint qualitates contrariæ; non possunt quidem esse simul in gradu summo; possunt tamen esse in remisso, sed hæ qualitates expellunt se successivè & non in instanti, quo posito prob. major, quia si formæ subst. expellerent se formaliter, essent simul in eodem subjecto in instanti, quia quando una forma expellit alteram formaliter, debent esse simul in eodem subjecto, ea quæ expellit & quæ expellitur, forma autem substantiæ in instanti producitur, ergo si expelleretur ab altera formaliter, essent simul duæ formæ subst. in eodem subjecto.

Formæ subst. quo modo expellantur.

Quare formæ subst. non possint se formaliter expelli, sicut accidentales.

DICO 2. Corruptio formæ subst. effectivè fit à dispositionibus contrariis, & sic v. g. forma ligni corrumpitur actione caloris & siccitatis quæ sunt dispositiones ignis, id quod alibi de productione formarum actum fuit. prob. si illa actio non esset disposit. contrariarum, vel esset formæ subst. contrariæ, vel disposit. propriarum; sed neutrum verum est, ergo. non primum, quia in instanti quo fit generatio, non est amplius forma rei corruptæ; forma etiam genita non potest esse causa corruptionis, quia aliàs corrumperet antequam esset quod absurdum est dicere. non secundum, quia si lignum v. g. corrumpitur à suis dispositionibus, vel corrumpitur ab iis quando sunt vel quando non sunt; quando sunt non corrumpunt sed conservant, quando autem non sunt, nihil agunt. Restat ergo ut dicamus easdem disp. formæ contrariæ habere duplicem actionem, v. g. dispositiones ignis habent actionem qua destruant formam ligni & aliam quâ corruptâ jam formâ ligni producant formam ignis, imò hæ dispositiones

Unde corrumpantur formæ subst.

simul expellunt frigus & alias qualitates contrarias & corrumpunt formam ligni, sicut idem ignis simul producit aliud lumen & calorem, & sicut idem calor alium calorem & raritatem.

DIFFICULTAS V.

An omnes res sublunares sint corruptibiles.

DICO breviter, omnes res sublunares quæ constant materia & forma, sunt corruptibiles, adeóque tandem naturæ suæ conditione dissolvuntur. prob. primo ex locis plurimis Sacræ Scripturæ, qua mors universis Creaturis injungitur, ergo nec reliqua inanimata erunt libera & secura. 2. authoritate omnium Doctorum qui unquam extiterunt & imprimis Aristotelis, qui velut unus omnium hanc corruptibilitatem ejúsque causas variis in locis pertractat, ut l. 1. gen. c. 10. 4. de gen. animal. c. ult. &c. 3. experientia, quæ docet, nihil hactenus unquam inter res subl. extitisse, quod ab interitu & novissima extinctione remanserit immune. Denique ratione, quia non tantum homini, sed etiam cæteris rebus mixtis & sublunaribus ingenita est corruptibilitas, tum quod componatur ex materia contrariorum susceptiva quæque alias & alias subinde formas prioribus dimissis appetit & suscipit, tum quod saltem viventia constent ab intrinseco ex contrariis quæ interitum pariant; formæ verò materiales ideò corruptibiles sunt, quia ut materiam informent, requirunt certas dispositiones quibus amissis non possunt amplius in ea conservari, & quia extrà hanc cohærere non possunt, ideò etiam evanescunt, præsertim cum aliunde quoad esse non nisi ab hac dependeant.

DICES primo, omnibus rebus à natura datum est desiderium se perpetuandi, ut docet Arist. 2. de gener. cap. 10. ubi ait, melius esse rem esse quam non esse, ergo res naturales sunt immortales; Natura enim nihil frustra intendit ex 1. polit. c. 2. Resp. neg. conseq. conantur autem singula viventia se conservare, si non in numero saltem in specie, cum propter corruptibilitatis naturam id aliter fieri non possit; Adhæc esto, quodvis etiam vivens suum horreat interitum, & se idem tam in specie quam in numero conservare conetur, quid tum? hoc totum quod appetitus sensitivus ut bonum apprehendit, ipsa natura quæ subest corruptibilitati, prohibet.

DICES 2. Constat ex Gen. 2. quod mors homini in pœnam data sit, ergo hic natura sua est incorruptibilis. Resp. hominem etiam ante lapsum ab intrinseco fuisse corruptibilem, quia videlicet constabat contrariis, ideóque non in ordine ad hanc caducam naturam mors ei data est in pœnam, sed in ordine ad donum supernaturale, quod concesserat Deus Adamo & posteris in statu innocentiæ: Ita docet concilium Milevitanum Can. 1. & Trident. sess. 5. tum S. Patres & Doctores scholastici. *Quomodo homo extra statũ corruptibilis.*

DICES 3. si viventia naturaliter deficerent, sequitur, id fieri absque aliquo extrinseco & doloroso; sed hoc falsum est, ergo. prob. min. ex illo Ethic. axiomate l. 3. cap. 6. mortem esse horribilissimam. Resp. neg. min. quia licet id falsum sit in iis quæ violenter pereunt, verum tamen est in iis quibus interitus est naturalis. Ad axioma illud Resp. ideò mortem esse horribilem, quia est finis humanæ vitæ & terminus omnium actionum, solvit etiam unionem illam gratissimam, & affert luctuosissimum interitum.

DICES 4. In rebus inanimatis nulla advertitur unquam fragilitas v. g. in auro, lapidibus pretiosis &c. ergo saltem res inanimatæ sunt incorruptibiles. Resp. neg. conseq. quia licet nos nullam in iis advertamus notam alicujus fragilitatis, sunt tamen nihilominus corruptibilia, præsertim ab injuriis extrinsecis, esto conservent se ab internis qualitatibus, quibus perfectissimè commixtæ sunt, in tempus longissimum.

DIFFICULTAS VI.

An cæli sint incorruptibiles.

ID docet Arist. primo de cælo cap. 3. fuitque jam multis seculis non modo ab ipsius sectatoribus, sed etiam ab Astronomis propè extrà controversiam positum; hoc tamen seculo complures sunt, qui gravibus argumentis cæli corruptibilitatem asseruerunt & confirmatunt, quorum opinio etiamsi rationes magni momenti habeat, non statim tamen à recepta Aristotelis sententia discedendum videtur, sed prius argumenta contraria quantum licet refellenda, & authoritati totque ætatum sententiæ tantisper adhærendum, quousque evidentius elucescat, quid hac de re statuendum sit: principio ergò, cum corruptibile potentiam quandam dicat.

Adverte, duplicem esse potentiam, unam activam & alteram passivam; hic quæritur, an cælum habeat potentiam activam an passivam ad corruptibilitatem, an verò utraque careat: Deinde utraque potentia rursum est duplex, una dicitur non repugnantia, & est eorum quæ nimirum non habent positivam inclinationem ad corruptionem, neque principium internum, etiamsi non repugnet illam admittere; Et talia dicuntur tantum habere potentiam extrinsecam ad corruptionem, quia à solo extrinseco possunt corrumpi; *Potentia duplex.*

alia

alia est potentia positiva, quæ rei ex interno principio positivè inclinatur ad corruptionem, qualem potentiam habent omnia sublunaria, & hoc dicitur potentia intrinseca; Est autem principium extrinsecum à quo res corrumpi possit, duplex, aliud naturale, aliud supernaturale; Non est dubium hoc loco, quin cælum habeat potentiam extrinsecam sive non repugnantiam ad corruptionem respectu agentis supernaturalis; sicut enim à Deo ex nihilo creatum est, ita potest ab eodem in nihilum redigi, sed controversia tota est de Agente naturali, an cælum ab eo possit corrumpi.

DICO, cælum est incorruptibile à causis naturalibus. prob. primo ex Arist. cit. ejusque argumentis, quorum primum est, quod omnis mutatio fit ratione formæ, quæ in cælo fit incorruptibilis. 2. quod cælum nec augeatur nec crescat sicut reliqua corruptibilia. 3. quod cælum ex consensu omnium gentium sit sedes Dei proindeque incorruptibilis. 4. quod nunquam Astronomi deprehenderint aliquam in cælo mutationem. prob. 2. nullum datur Agens naturale, quod cælo possit inducere aliam formam, quod constat discurrendo per omnia agentia tam inferiora quam superiora, ergo. 3. In cælo nulla est alteratio corruptiva, nec unquam deprehensa fuit, nisi fortè mutatio alicujus lucis, illuminatio autem non est alteratio corruptiva; Et certè nunquam hactenus fuit in cælo sive quoad partem sive quoad totum deprehensa aliqua corruptio notabilis, cum tamen ibi sit frequentissima reflexio luminis & vehementissimus motus quibus qualitates corruptivæ maximè produci solent: Et hoc non solum Aristoteli visum est, sed etiam antiquissimo & eruditissimo Theologo S. Dionisio Areopagitæ, qui c. 4. l. de divinis nominibus ait cælum nec crescere nec minui, nec ullam aliam mutationem pati.

DICES, In cælo jam sæpius deprehensæ fuerunt mutationes notabiles. ergo corruptibile est. Antec. prob. primo ex Plinio, qui l. 2. c. 26. refert ab Hipparcho excellenti Astronomo observatam esse suo tempore in cælo novam stellam. 2. narrat Cyprianus Leovitius ex manuscriptis, anno 1264. novam stellam in cælo visam esse. 3. nostro sæculo tres omninò nunquam antea visæ stellæ in cælo fulserunt; prima 1572. in Cassiopœia, quæ duravit duobus annis habuitque varios in Europa scriptores. 2. cæpit apparere circà annum 1600. & apparuit multis annis sequentibus in collo cygni. 3. videri cæpit 1604. in Octobri, & disparuit post annum integrum. Et quid de Cometis dicendum, quorum aliqui non in regione elementorum, sed supra hæc & in ipsis cælis interque planetas effulserunt, nominatim verò terribilis ille & tot in Germania calamitatum prodromus, quem plerique nostrum anno 1618. in Novembri spectavimus. Certè ex his omnibus videtur colligi, in cælo sæpius mutationem esse factam quandoquidem tanta corpora multis partibus, ut demonstrant Astrologi, terrâ majora non possunt sine mutatione existere. Resp. neg. antec. ad probationem dico primo, Tychonem negare experientiam Cypriani; sed nec Plinius, qui aliàs non tantò in loquendo excedit, satis explicat, qualis Hipparchi stella fuerit, quia multis de causis fieri potest, ut aliqua stella antea minus visa appareat, ut propter sereniorem noctem, interpositos vapores aut alias causas; unde nihil est quod cogat dicere eam fuisse novam stellam; Et simile quid videtur dicendum de ea stella quæ apparuit in collo cygni; Nam Keppletus & alii celebriores Mathematici dubitarunt, sitne vetus an nova stella, huc constat non reperiri in antiquis globis, unde etiam nihil certi de ea judicari potest; Tota controversia est de sydere anni 1572. & 1604. de quibus imprimis constat; eas fuisse suprà lunam, quia à Mathematicis diversarum Regionum in eodem loco & situ deprehensæ sunt quod non contingeret, si fuissent inferiores lunâ. 2. non fuerunt ex iis quæ propter exiguitatem rarò videntur, quia utraque fuit admodum illustris, & diu constanter visæ sunt. 3. fuit utraque in firmamento cujus motu movebantur. 4. non erant stellæ quæ moverentur in epicyclo, à quo recedente abscondere entur, ac subinde iterum apparerent, quia quando stella aliqua devehitur per epicyclum quanto tempore latuit vel recessit à nobis, tanto postea appropinquat & apparet nobis, atqui neutra nec ante nec post unquam visa est, ergo. 5. non fuerunt productæ ab exhalationibus, quia fuerunt suprà lunam, quò exhalationes pertingere non possunt. Deinde quia utraque minimùm æquavit stellam magnitudinis tertiæ, qualibet autem ejusmodi stella, ut ostendunt Astronomi, continet magnitudinem totius terræ bis & septuagies, ergo etiamsi tota terra fuisset in exhalationes resoluta, non suffecisset ad tantum corpus generandum & tanto tempore alendum. Dicendum ergo est, materiam illam Astrorum fuisse omninò cælestem; Nam cum cælum alicubi tantum sit & alicubi densum, ad novam stellam generandam nulla nova materia opus est, sed tantum necesse, partes rariores condensari, quò facit plurimum observatio Tychonis, qui animadvertit plerasque ejusmodi stellas oriri in via lactea de novo; via autem hæc ut notunt Meteorologici, est pars cæli rarior quam stellæ, sed densior reliquis partibus; quare facilius condensari post quam reliquæ partes: Neque verò hinc sequitur, cælum esse corruptibile, quod condensari aut rarefieri possit; sicut enim nec raritas nec densitas pugnant cum incorruptibilitate cæli, ita neque rarefactio nec condensatio.

Nostro sæculo 3. novæ stellæ in cælo.

Cæli possibilis rarefieri & condensari absq; corruptione.

Causa novarum stellarum in cælo.

Quod ad causam efficientem, dicendum est, nullam aliam posse assignari præter Deum vel intelligentiam si cælis sit præposita, quod ita probatur, si posset aliqua alia causa adferri, quæ condensaret cælum, ea esset vel lumen, vel influentia, vel ut Kepplerus vult, virtus aliqua spatsa per cælum, qualis dicitur virtus metallica in visceribus terræ; sed nihil horum dici potest, ergo, probatur primum de lumine & influentiis, quia hæc duo conveniunt omnibus stellis & semper; Atqui in cælo semper habent materiam paratam in quam agant, ergo semper deberent producere ejusmodi stellas contrà experientiam: Deinde vel fiunt ex lumine & influentiis quorumvis Astrorum, quod etiam est contrà experientiam vel requiritur certa quædam conjunctio planetarum, quæ quidem ratio videtur nonnihil habere probabilitatis in stella 1604. quæ apparuit quando 3. superiores Planetæ Mars Jupiter & Saturnus admodum essent conjuncti; sed tamen & Astronomi contrarium ostendunt, & deficit hæc ratio in reliquis stellis, quia stella, quæ apparuit in cygno, procul abfuit à planetis, & rursum quæ fulsit in Cassiopœia, prob. etiam de tertio, imprimis quod ait Kepplerus per terram esse virtutem diffusam generandi metalla; Nam si per virtutem intelligat aliquid distinctum à frigore & calore, falsum est; Deinde etiamsi concederetur esse ejusmodi virtutem peculiarem in terra, adhuc tamen posset assignari ratio, cur non ubique gignantur metalla, quia videlicet non fiunt ex pura materia terræ; sed requirunt etiam concursum aliorum elementorum, ac proinde cum non ubique inveniatur materia apta ad generanda metalla, non est mirum quod certis tantum locis fiant; At verò cælum est corpus simplex, quod non patitur admixtionem ullius alterius materiæ, & materia quam habet, semper est idonea quoad se ad re rarefactionem & condensationem, ergo si datur ejusmodi virtus diffusa per cælum, quæ possit stellas novas producere, necessariò vel semper vel frequentissimè ejusmodi stellæ producerentur: Præterea non assignant à quonam extinguantur, quia non possunt extingui nisi per rarefactionem; si autem eadem virtus quæ condensavit, etiam rarefacit cælum, deberent etiam aliquando nonnullæ ex antiquis stellis, quæ semper in cælis fuerunt, evanescere, quod tamen à nemine hactenus concessum est. Restat igitur, ut cum præcipuis Mathematicis dicamus, à Deo cum vult ejusmodi portenta in cælis fieri: Cur autem id Deus faciat, docet S. Aug. l. 22. de Civ. Dei c. 8. nimirum ut ostendat se rerum omnium esse Deum, omniumque conditionem cum vult immutare, quod nulla alia in re melius ostendere potest, quam si aliquid in iis corporibus mutat, quæ alioqnin maximè immutabilia videntur. Et huc spectant etiam alia prodigia, quæ singulis ferè seculis aut semel aut sæpius accidisse historicorum annales commemorant; Quod enim hactenus de stellarum nova apparitione & dissipatione dictum est, id similiter de cometis, quæ subinde supra lunam comparent, intellige, quia sunt ex eâdem cæli materia, ab eodem agente Deo, & fiunt in certum finem ex condensatione partium cæli, per quas lumen solis trajectum hanc vel illam caudæ formam efficiat;

Solus Deus producit aliquando varia phænomena.

Cometa unde.

DICES 2. Sæpius affirmare sacras litteras, cælos esse corruptibiles, esse factos ex aqua, igne arsuros &c. ergo reverà sunt corruptibiles. Respondent hic varii varia; Aliqui dicunt non fore illud incendium quo cæli conflagrabunt, naturale, sed tanquam instrumentum omnipotentiæ Dei acturum in corpora, in quæ aliàs vim naturalem non habeat, idque patet ex eo, quia ignis nunc undique proximè applicatus est cælo, ergo si vim naturalem haberet comburendi cælos, jam pridem in illos egisset. Quod ad cælum novum & terram novam, sentiunt aliqui, Deum hæc inferiora consumpturum incendio, superiores autem cælos sua omnipotentia destructurum, ac deinde planè novum orbem conditurum; Ita sentit Vales. ph. cap. 89. Alii putant mutationem tantum futuram in melius, ita ut sol cæteraque astra majori quadam luce illustrentur, inferiora autem omni corruptione & vicissitudine liberentur, cujus sententiæ Authores recensent Conn. l. 1. cæl. c. 3. q. 1. a. 2.

Colligitur, cælum vel ideò esse incorruptibile, quia constat ex materia qualitatum corrumpentium incapaci, vel si ponamus materiam cælestem & sublun. esse ejusdem speciei, adeoque cælestem in se præcisè sumptam non esse incapacem qualitatum corrumpentium, ex forma inseparabiliter informante & ex tali modo actuandi materiam, quæ ipsam reddat inidoneam ad recipienda accidentia quæ interitum moliantur.

DIFFICULTAS VII.

An pereunte homine pereant omnia ejus accidentia corporea.

QUæstio est, an quando moritur homo, & succedit cadaver, in hoc cadavere sint omnia nova accidentia, nulla verò eorum remaneant, quæ prius fuerant in homine, v. g. frigus, calor, raritas, densitas, cicatrix &c.

Illi qui negant ulla accidentia esse in materia prima, consequenter fateri coguntur intereunte composito substantiali perire omnia accidentia nihilque remanere præter materiam primam. Est autem quæstio, an in ipso actu generationis detur talis resolutio, quia satis constat, materiam denudari paulatim nunc hoc nunc illo accidente, ita ut fieri possit, ut post aliquod intervallum

vallum nullum amplius habeat eorum accidentium quæ antea habebat sed omnia nova; solum ergo controversia est, an illo instanti, quo aliqua forma subst. corrumpitur, omnia nova accidentia quæ cum illa erant in materia, intereant, & cum altera, quæ de novo generatur, omnia nova fiant.

Non pereunt omnia accidentia in morte hominis.

DICO, quando moritur homo, non pereunt omnia eius accidentia; hanc sententiam tuērur plurimi ex modernis scholasticis contra Thomistas & alios, ut appareat utramque opinionem non carére suis rationibus. Probatur autem primo ex Arist. 1. de gen. c. 4. ubi ait, quando aliquod accidens est commune genito & corrupto, ut quando ex aëre generatur aqua, quibus communis est humor & pelluciditas, non est necesse ut hoc accidens corrumpatur quod commune est, ergo in tali generatione manet commune accidens, quod idem de homine & cadavere intellige, in quo utroque eadem est frigiditas, humiditas, figura, cicatrix & similia quæ ipsa sensus judicat esse eadem: Ad hoc argumentum respondent adversarii non pertinere ad sensum judicare sitne aliquod numero vel non, sed esse hoc solius rationis. Verum hanc responsionem refutabunt canes, qui cum careant ratione, ex ejusmodi accidentibus agnoscunt cadavera suorum Dominorum iisque adhærent, ergo hoc judicium etiam ad sensum pertinet. Quod autem dentur qualitates genito & corrupto communes, confirmatur in elementis symbolicis, quæ ideò tam facilè in se transmutantur, ut habet idem Arist. 2. de gen. c. 5. quia nimirum una tantum qualitas expellitur & una inducitur, v. g. quando ex aqua gignitur aër, humor utrique communis remanet, tantumque expellitur frigus & inducitur calor. prob. 2. nulla est causa quæ in cadavere novam producat v. g. cicatricem, ergo; Nam si aliqua esset, erit ut ipsi ajunt, forma cadaveris; sed si hæc producat cicatricem, producet hanc in quovis alio, quia accidentia quæ naturaliter consequuntur aliam formam, semper eam consequuntur; sic quia calor est accidens formam ignis consequens, ubicunque est forma ignis, ibi etiam est calor; Atqui cicatrix non est accidens conjunctum cum forma cadaveris, ergo non potest ab ea produci: Deinde forma substantialis debet produci à dispositionibus, quia agens quod producit formam, producit eam mediis accidentibus, quæ propterea dicuntur dispositiones; aut igitur producitur forma cadaveris ab accidentibus, quæ fuerunt in vivente aut ab iis quæ producuntur productâ jam forma cadaveris; non potest produci ab his posterioribus, quia illa producuntur ab ipsa; non potest autem sine contradictione esse ab iisdem, quia esset in eod. genere causæ iisdem accidentibus & prior & posterior, quia & illa produceret & ab illis produceretur; sequeretur etiam quod forma cadaveris produceret seipsam, quia produceret dispositiones à quibus ipsamet produceretur; Neque verò potest alterum dici, videl. formam produci à prioribus accidentibus; Nam in instanti generationis, ut dicunt adversarii, illa accidentia non amplius sunt, quod autem non est, non potest agere, ergo illa accidentia non possunt producere formam, imò cum in illo instanti materia relinquatur nuda ab omnibus accidentibus, non erit ratio cur in ea potius hæc forma producatur quam illa, cum materia ex se planè sit indifferens. Respondebunt, determinati ex eo, quod immediatè ante fuerint hæ dispositiones & non aliæ; Verum hoc nihil ad rem facit, quia debet id quod producit tunc esse cum producit, & non immediatè ante fuisse, siquidem verum est illud, quod causa in actu & effectus in actu debeant esse simul; sicut ergo, si in eo instanti quo aspicio parietem, paries non esset albus, etiamsi immediatè antea fuisset albus, non viderem albedinē; sic etiam calor non potest producere formam ignis in ligno, nisi sit cum producitur forma ignis, etiamsi antea fuerit. prob. 3. Non potest assignari idonea causa, quæ producat similia accidentia in corruptis, ergo verisimilius est eadem manere & non corrumpi; Videmus enim omnia cadavera inter se esse dissimilia, quod non provenit ex materia, quæ in omnibus eadem est, neque ex forma quæ in omnibus item est ejusdem speciei, si loquamur de hominibus; At adversarii nihil aliud relinquunt præter materiam quæ manet, & formam quæ fit de novo, quia dicunt cætera interire, ergo nihil est unde oriatur illa dissimilitudo.

DIFFICVLTAS VIII.

Respondetur argumentis in contrarium.

DICES primo, forma substantialis magis est unita materiæ quam quantitas, quia sunt ejusdem ordinis seu prædicamenti; sed forma substant. in mutatione substantiali separatur à materia, ergo & quantitas. Resp. 1. neg. ma. ut patet in intellectu, qui realiter inhæret animæ, & tamen in separatione animæ à corpore non separatur ab ipsa anima: Deinde forma subst. est magis unita materiæ in ratione actus conceditur, dispositionis negatur.

DICES 2. accidentia pendent à materia ideò, quia informatur à forma quoad suam conservationem, ergo pereunte illa peribunt omnia etiam accidentia. Resp. imprimis ad antec. cum hac distinctione, accidentia pendent à materia & forma tanquam à conditione, conceditur; tanquam à causa dante illis esse effectivè, negatur. 2. Respond. ad conseq. accidentia formæ propria & genuina pereunt pereunte forma conceditur; pluribus formis communia, ut est potissimum

quantitas, negatur. Instabis, si quantitas pendet à materia & forma tanquam à conditione, ergo erit posterior formâ substantiali. Resp. erit posterior ordine intentionis non executionis.

DICES 3. sicut materia respicit formam subst. ita etiam recipit; sed prius respicit formam subst. quam accidentalem, ergo etiam prius recipit. Resp. distingu. minorem, prius respicit formam subst. ordine intentionis conceditur, executionis negatur.

DICES 4. prius est esse rem simpliciter quã secundum quid; sed in contraria opinione non est prius forma substantialis, sed accidens, v.g. calor in materia quanta quam sit ignis, ergo. Resp. distingu. majorem, prius est res secundum quid seu ignis calidus in materia quam sit res simpliciter seu forma ignis, negatur, prius est calor in materia tanquam dispositio, quam sit ignis conceditur, consequentia autem negatur.

DICES 5. nullum accidens producitur in materia denudata omni forma substantiali, ergo signum est prius esse debere compositum substantiale constitutum, quam recipiat accidens, ergo etiam eodem destructo composito substantiali peribit accidens. Resp. formam subst. habere se dupliciter respectu accidentium; quædam enim sunt accidentia quæ in genere causæ effic. vel conservantis pendent à forma, idque iterum dupliciter; primo à certa aliqua forma, cui non potest succedere alia quæ habeat eandem vim conservandi illa accidentia; sic vita ita dependet ab anima ut mortuo animali nõ possit remanere ullà operatio vitalis, & quia immediatè ex uno animali non generatur aliud nisi fortè in nonnullis imperfectis, sublatâ formâ animalis perit etiã vita & alia accidentia, quę cum vita necessariò sunt coniuncta. 2. ita, ut ead. accidentia à diversis formis conservari possint, ut est calor, frigus &c. Quædam autem accidentia dependent à forma subst. tanquam à conditione sine qua non possent naturaliter recipi in materia; Cum enim natura nunquam permittat materiam absque omni forma substantiali, nunquã etiam patitur recipi accidentia de novo in materia, nisi informata aliqua forma substantiali. Resp. igitur ad argumentum, accidentia primi generis quæ nimirum à certis formis pendent, unà etiam cum illis perire, neq; manere post generationem; alia quæ à pluribus formis conservari possunt, manere post generationem, si præsertim priori formæ succedat alia quæ idem accidens conservare possit: Denique etiam illa accidentia quæ non necessariò conservantur à forma, manere, modo non repugnent illi formæ quæ succedit, ut cum ex homine fit cadaver, manet figura, quia cadaver est corpus inanimatum; corpora autem inanimata non requirunt certam figuram, ac proinde nulla figura iis repugnat; Imò etiamsi aliquod accidens repugnet formæ quæ est in materia, potest tamen aliquamdiu esse cum ea, ut calor repugnat formæ cadaveris; & tamen post mortem aliquamdiu remanet cũ ea.

DICES 6. materia non habet propriam existentiam, sed eam mutuatur à forma, ergo neque vim sustentandi accidentia nisi à forma, ergo quoties mutatur, mutatur etiam ejus existentia, & consequenter accidentia quæ in ea sunt. Resp. neg. major: materia enim habet propriam existentiam, etiamsi nunquam eam habeat absque forma; ad hoc autem sufficit quod dicamus formam substantialem esse conditionem requisitam, ut materia recipiat de novo aliquod accidens. Dixi de novo, quia certum est in principio quando creata erat illa materia, in illo priori naturæ antequam reciperet formam substantialem, fuisse præditam quantitate, quia nulla forma substantialis potest recipi nisi in materia quanta.

Materia habet propriam existentiam.

DIFFICULTAS IX.

An & quomodo accidens possit migrare de subjecto in subjectum.

PEr subjectum intellige inhæsionis non autem denominationis, quia absque omni controversia idem accidens in sententia eorum qui negant resolutionem usque ad materiam primam, potest esse in diverso subjecto denominationis, v.g. eadem quantitas in sanguine quæ prius erat in carne vel pane, eadem cicatrix in cadavere quæ fuerat in homine.

Adverte, dupliciter potest migratio accidentis de subjecto in subjectum fieri; primò si incipiat esse in novo subjecto adæquato seu denominationis & simul in antiquo. 2. si subjectum antiquum omninò deserat, & incipiat tantum esse in novo.

DICO primo, non potest fieri migratio accidentis, ut sit in subjecto antiquo & incipiat simul esse in novo, intellige in subjecto adæquato sive denominationis. Ratio est, quia implicat hoc posse fieri, ergo naturaliter est impossibile; Nam hoc accidens deberet replicari, quod naturæ viribus fieri non potest.

DICO 2. nec potest fieri migratio accidentis, ut subjectum antiquum omninò deserat, & incipiat esse tantùm in novo. prob. 1. nam vel migrabit per medium motu locali, vel sine medio deseret suum subjectum & incipiet esse in alio sine motu locali: non primum, quia hoc ipso quod non inhærebit subjecto, naturaliter corrumpetur: Neque dicas medio inhærere, quia sic non amplius movebitur, & unde est accidenti vis locomotiva; Non etiã secundum, quia vel agens in subiecto ex quo migrat accidens, ipsius loco producit novum accidens, vel non. si novum, ergò prius accidens non migrat sed corrumpitur eò quod à priori subjecto non conservetur, & duo accidentia non distincta non possunt simul esse in eodem

Accidens non migrat de subiecto &c.

eodem subiecto: si non, tunc agens contrà suam naturam non operabitur, quia illius natura est effectum producere non destruere; quod autem novâ formâ adveniente non corrumpatur, est illi per accidens, quia duæ formæ distinctæ non possunt esse in eodem subjecto. prob. 2. si accidentia migrarent de subjecto in subjectum, essent incorruptibilia, proinde licet totum corrumperetur secundum omnes partes compositum, adhuc accidens esset incorruptibile, quia semper posset in aliud & aliud subiectum migrare. 3. sequeretur, ad migrationem unius accidentis omnia sublunaria physicè mutari, quod probatur, quia si migraret v. g. calor ex homine in lapidem, frigus semper calori contrarium deberet migrare in aliud vicinum subiectum, & sic consequenter in infinitum, aut si corrumperetur frigus extrà lapidem, tunc idem de calore hominis dicendum esset.

DIFFICVLTAS X.

Quomodo & quot modis calor nativus in homine & animantibus corrumpatur.

NOta, calorem vitalem in animantibus corrumpi vel naturaliter vel violenter: si primo modo, idem est quod mors naturalis, & dicitur in animalibus senectus, in plantis ariditas: si secundo, corrumpitur vel ab alio vel à seipso. Iam

Corruptio caloris naturalis unde. DICO primo, corruptio caloris naturalis in homine, idem intellige in animantibus, fit ex defectu humidi tanquam pabuli sui proximè & immediatè, remotè verò alimenti non susceptibilis. primum desumitur à communi corruptione rerum quæ calore conservantur ejusque corruptione pereunt; Nam in his omnibus interitus naturalis est, quando calor vitalis humido pingui & aëreo, quod proximum ejus pabulum est sicut ignis res quævis combustibilis, destituitur & marcescit. Quod autem remotè fiat ex defectu alimenti non susceptibilis, ratio est, quia ex alimento substernitur humidum viventi, & quia corruptio caloris naturalis fit tantum in corporibus solidis & naturaliter arescentibus, qualia sunt extremæ senectutis; Nam in his alimentum nõ est susceptibile, nec humidum, quod partes & viscera sufficienter irroraret, convertibile; Et hinc intellige defectum humidi qui fiat à causis naturalibus, videl. ab exiccatione & ariditate corporum semper se naturaliter habentium: Nam defectus humidi à causis violentis, v.g. in morbis præternaturalis est ut mox dicetur.

DICO 2 calor naturalis & vitalis corrumpitur violenter ex defectu humidi, à frigore ab humido aqueo, à calore intenso & præternaturali, tum à quibusvis causis & injuriis externis; Explicantur singula. Nam imprimis sicut ignis ex seipso extinguitur, dum ei materia combustibilis quæ est unicum ejus in hac mundi inferioris sphæra pabulum, subtrahitur; Ita similiter calor vitalis & naturalis in homine perit, cum deficit præternaturaliter materia ex qua gignitur & pabulum quo pascitur, quemadmodum id fieri solet in atrophia, in omni genere febrium &c. Deinde frigus, quod unicum caloris contrarium est, eum formaliter & effectivè extinguit, ut patet ex antecedentibus disput. 2. & 11, huius libri. huius a. existentiam intrà corpus collige ex temperatura & harmonia 4. primarum qualitatum, tum ex ipsa humani corporis constitutione sive naturali sive p.n. Adhæc calor vitalis & naturalis sive à peregrino augmentetur, ut contingit in febribus, sive seipsum intendat ut fit in prohibita transpiratione & intercepta respiratione, corrumpitur & evanescit, partim ut est calor simpliciter, partim ut est vitalis; illud quidem, quia pereunte animali ipse totus in auras avolat, hoc verò, quia qui vitalis erat & innatus quo anima commodissimè suas omnes eliciebat actiones, jam transit in extraneum & peregrinum, qui viventi eiusque functionibus administrandis præternaturalis est. Accedit nimia materię copia, & plurium alimentorum ingestio, quæ dum à calore digeri nõ potest, eundem quandoque subitò extinguit, ut fit in iis qui subinde ex nimia vini ingurgitatione repentè extinguuntur; frequenter tamen sensim imminuit & progressu temporis supprimit ut intemperanter viventibus evenit; in his enim quod calor alimentum sufficienter non digerat, cruditates ex alimento gignuntur, corpus succis frigidis repletur, viscera vitiosè nutriuntur, & humidum in quo calor conservatur, seipso fit deterius & aquosius &c. sequitur humidum & siccum abundans, quod utrumque ad functiones animalis in idoneum est. Nam siccitas, quæ aliàs moderata & humido convenienti permixta robur est animalis, calori negat alimentum & pabulum; humidum verò aqueum quia frigidum est & sicco imperfectè mixtum, suffocat & extinguit calorem, facitque inhabilem ad exercendas actiones vitales. Quæ cæterùm sint causæ & injuriæ externæ, à quibus calor vitalis detrimentum accipiat, vitæque luctuosis terminus imponatur, patet ex iis quæ de morbis tam in genere quam in specie dicta fuerunt; Nam hi effectus sunt causarum & principiorum prçeternaturalium, à quibus tandem corruptio omnis & interitus. Si

Quæras, unde unum animal facilius & citius altero tam in una quàm in diversa specie extinguatur. Nam constat quædam animalia habere vitam durissimam, & quædam facilè dissolvi. Resp. hoc totum consistere in bona constitutione corporis, maximè autem in firmo vitalium spiritu qui non facilè diffluat aut dissipetur per quemcunque etiam motum & calores, quomodo videmus fieri in valdè timidis,

midis,

midis, quique cordis affectibos sunt dediti, aut in caloribus æstivis statim debilitantur, aut alienum victum & solum difficulter ferunt, cum contrarium observetur, quibus firma sunt latera cum optima complexione, humido radicali & spiritu fervido igneoque per omnia viscera benè distributo, eiusmodi sunt omnes cattorum species & animalia quæcunque ferocia.

Colligitur autem, omne vivens tandem necessitate quadam absolutâ coosenescere, & dissipato per calorem humido sensim occidere.

DIFFICVLTAS XI.

Quomodo humidum radicale corrumpatur & consumatur.

DE homido & calido innato sufficienter actum est l.1. disp.17. hic tantum quæritur, qnomodo utrumque corrumpatur & coosumatur, quod ideò in hunc locum est rejectom, quia consumpto humido & calido nativo perit homo, ut cuius vita in utroque consistit. Cæterùm de humidi radicalis consumptione sive corruptione (nam pro eodem accipi possunt) variæ suor Authorum doctrinæ & opiniones, quas, quia ferè omnes sunt probabiles, ordine recensebo: Itaque

Dandinus l.1. de animatione corporis c.14. dicit, humidum radicale & calorem nativum corrùmpi à frigore per se quod inest humori aqueo & frigido, ab hoc autem per accidens, tum à siccitate caloris elementaris, quæ absumit humorem radicalem cui inest calor nativus; Et hoc modo ait intelligendum esse Aristotelem, quando l. de longit. & brevit. vitæ dicit, quod vivens seipsum consumat & corrumpat: Nam extincto & dissipato humido radicali à calore elementari & à frigore sequitur mors.

Connimbr. primo de gen. c.5 q.9. a.2. docent, partes quæ similares vocantur sunt calidiores ut spiritus, agere in partes vicinas situ distantes & minus calidas, easque resolvere in halitus & vapores qui evanescunt, proinde exiccati sicut polmones in senibus: unde oegaur, idem destruere seipsum per se, sed tantum per accidens, quatenus consumitur pabulum, cum non agat una pars in seipsam, sed in aliam, & potissimum inanimatæ in animatas.

Alii, qui concedunt elementa manere actu in mixto, dicunt à partibus igneis absumi terreas & aquas.

Alii docent animal ab intrinseco corrumpi, quia inquiunt si animal tantum ab extrinseco corrumperetur, jam natora sua esset incorruptibile; sed hæc ratio nō est valida, quia etiam inanimata & homogenea tantum corrumpuntur ab extrinseco, & tamen non dicuntur natura sunt incorruptibilia. Vnde

Alii respondent humidum radicale absuoni ab extrinseco, v. g. ab aëre, cibo potuque nimio & frigido.

Deniq; sunt, qui tametsi doceant, elementa manere tantum virtualiter in mixto, duplicem tamen ponunt calorem, videl. elementarem siccum & humidum radicalem sive innatum, proinde dicnot huuc absumi ab intrinseco v.g. à calore elementari vel potius ab ipsius siccitate in partibus carneis: substantia enim calore mutatur, rarefit, attenuatur & in spiritus evaporat, & nisi alius humor ex alimento, in quod nativus calor agit, in substantiam viventis substituatur, animal deficeret; in partibus verò siccis, quæ extrinsecus irrorantur, solus ille extrinsecus humor exiccatur, etiamsi humidum radicale quandoque à calore extrinseco immodico vel frigore vel aliis causis extrinsecis absuoni possit.

DIFFICVLTAS XII.

Quid sit mors.

MVltæ sunt definitiones mortis sicut & vitæ cuius illa est privatio, habetq; causas contrarias juxta illud Arist. 5. polit. cap. 8. quod contrariorom cootrariæ sint causæ. Nā imprimis vocatur mors privatio vitæ, quia cognoscitur per absentiam vitæ tanquam per alienam speciem: Deinde vocatur etiam cessatio omnium animæ functioonum, ut differat à statu hominis dormientis, in quo aliquæ tantum functiones cessant: Adhæc dicitur à nonnullis corruptio corporis animati & non mixti, quia in illo solvitur unio materiæ & formæ. Tandem dicitur extinctio vel refrigeratio calidi innati, consumptio vel resiccatio humidi, corruptio caloris vitalis, dissolutio corporis & animæ, discessus animæ à corpore &c. Ex his omoibus quod colligitur

DICO, mors est absentia vel discessus ani- *Mors quid*
mæ à corpore ob defectum calidi ionati. Dicitur primo separatio animæ à corpore, sive anima jam separata adhuc existat, ut rationalis, sive in auras evanescat ut anima bovis; Vnde per separationem illam intelligitur, quod anima desinat informare corpus. Dicitur 2. ob defectum calidi innati, ut designetur causa qua te fiat dissolutio a corpore: Cum verò contrariorum contrariæ sint causæ, sicut vitæ causa est calor cum humido, quo pascitur & conservatur, ita mortis causa est frigus, seu quod idem est, defectus innati caloris; unde etiam à Gal. l.2. de temper. c.2. definitur mors extinctio caloris ionati; Itaque mortis causa primo est frigus excedens ut patet in hydrope aliisque morbis frigidis, in quibus ob defectū caloris nativi functiones omnes supprimuntur. 2. siccitas ut patet in atrophia, tabe & extrema senectute, ubi calor seipso ob defectum humidi velut pabuli marcescit & consumptus perit.

perit. 3. humor ſuperabundans, ut manifeſtum eſt in morbis frigidis & humidis; humor enim frigori vinctus citò calorem ſuffocat. 4. denique calor extraneus & adſcititius, ut fit in febribus, ubi huiusmodi calor non tantum conſumit humidum, ſed & caloris innati ſubſtantiam reſolvit & diſſipat.

DICES primo, ſæpè accidit mors homini non ob defectum caloris innati, ut dum furca, ſubmerſione, catarrho, gladio, igne perit, ergo mors non benè definitur ob defectum calidi innati. Reſp. definiri tantùm mortem quæ fit vel naturaliter vel certè non à cauſis extremè violentis; Deinde reverâ diſſolvitur peritque calor innatus, à quacunque etiam cauſa mors accidat, quia in inſtanti quo animal fit cadaver, evaneſcit omnis calor vitalis, & quo perit calor, perit etiam anima.

DICES 2. plantæ non extinguuntur ob defectum calidi ſed humidi, ergo nec his convenit definitio mortis. Reſp. definitionem mortis propriè convenire animalibus quorum calor vitalis eſt manifeſtus & ſenſualis; Deinde arbores & plantæ non tantum conſervantur humore, ſed etiam calore licet non ita manifeſto, quia ad actiones ſuas ſolùm vegetabiles eo non indigent; quod autem calore opus habeant, probatur experientia, quia in vere & æſtate florent, hyeme verò velaparent mortuæ, vel ſi frigore nimis intenſo algeant, extinguuntur.

DIFFICVLTAS XIII.

Quotuplex ſit mors.

MOrtis genera, ſi eventus fortuiti ſpectentur, innumerabilia ſunt: ſi autem cauſæ per ſe expendantur, definito non continentur, unde

DICO primo, mors dividitur in naturalem & violentam; Ita communis eſt doctrina ex Ariſtot. l. de reſpir. circà finem, ubi ait, quod aliquando mors extrinſecus, aliquando intrinſecus infertatur: Et deſumitur hæc diviſio ex ipſo modo, quem natura in communi omnium viventium interitu obſervare ſolet, & quem à quotidiana experientia edocemur; Nam vel animal perit marceſcente paulatim calore & evaneſcente humido à cauſis intrinſecis, vel certè infertur per vim externam, ut cum quis ferro perimitur, vel aliqua peregrina qualitas extrinſecus advenit, quæ viventi præternaturalis ſit, & fatales inſidias principio vitæ ſtruat. *Mors vel naturalis eſt vel violenta.*

DICO 2. mors naturalis eſt, cuius principium eſt in ipſo vivente, violenta autem cujus principium foris eſt. Colligitur hæc concluſio ex dictis; Nam inſitum corruptionis naturalis principium dicitur, quod in prima animantis conſtitutione cum ipſo ſimul oritur, illudque ad mortem uſque comitatur: Hoc principium eſt ex elementis conflatum agitque in humidum & partes viventes, exiccando eas, indurando, diſſipando &c. principium autem corruptionis externum eſt affectio quædam adventitia & poſtea acquiſita, intellige omne genus morborum, ſive in utero contractum ſive extra hunc ſuperveniens. Omnis enim mors violenta & præter naturâ eſt, quæ non fit ratione caloris nativi humidum radicale ſenſim depaſcendo, undecunque tandem contrahatur.

DICES primo, mors eſt ſeparatio animæ à corpore; ſed hæc naturalis eſt, ut conſtat ex diffic. 2. ergo & illa. Reſp. ſi ſeparatio animæ à corpore in ſe præciſè & formaliter ſpectetur, naturalis eſt. Si verò cauſaliter, aliquando naturalis eſt aliquando violenta. *Separatio animæ à corpore aliquando eſt naturalis, aliquando violenta.*

DICES 2. etiam mors eſt à princ. intrinſeco, ergo malè dicitur, quod extrinſecus accedat: Anteced. conſtat ex omnibus affectibus morboſis, in quibus temperamentum, quod eſt intrinſecum, offenditur, ideoque ſe habet per modum cauſæ effic. & humidum radicale corrumpentis. Reſp. inſitum vel intrinſecum dupliciter ſumi; ſemel quatenus non tantum p. n. agit, ſed quatenus etiam ab extrinſeco fomentatur, & viventi citrà exigentiam accidit; Et hoc modo calor febrilis licet ſit intrinſecus, ab extrinſeco tamen, videl. à cauſis morboſis ad corrumpendum determinatur, & conficit animal præter exigentiam, quia poterat adhuc longius à calore naturali durare: ſemel verò dicitur intrinſecum quod naturaliter ſe habet, & non tantum juxta ordinem naturæ operatur, ſed etiam citrà præſentiam ullius cauſæ morboſæ animal corrumpit, quomodo calor nativus ſuum depaſcit humidum, quia pabulum ejus eſt naturale, quo deficiente & ſe & vivens naturaliter corrumpit.

DIFFICVLTAS XIV.

Quomodo pereant animalia exanguia.

HAbent hæc animam ſenſitivam quia verè ſentiunt; habent principium caloris cordi analogum, cuius beneficio vivant, vegetentur, omnesque operationes ſuis organis competentes eliciant; De his quæritur an eodem modo pereant & corrumpantur quemadmodum animalia ſanguinea & perfecta.

Suppono, hæc animalcula habere exiguum calorem, ideòque facilè frigore rigere, calore autem extrinſeco plurimum foveri.

DICO primo, exanguia pereunt & corrumpuntur morte naturali. Adverte, nullam haberi certam regulam, quænam animalia ſanguine careant, quia non omnia quæ naſcuntur ex putri, ut patet de muſcis, pulicibus &c. neque omnia inſecta aut imperfecta ut patet in iis quæ aculeis exugunt ab homine & brutis animantibus ſanguinem; neq; omnia parva,

parva, pedes multos aut nullos habentia, mollia aut crustata, neque in aquis degentia ut pisces, qui omnes sanguinem habent ut ait Arist. l. 2. hist. animal. c. 13. Quod autem exanguia naturali morte pereant, ex eadem ratione quæ communis est homini & brutis, petendum est, quia tunc pereunt, quando eorum humidum à calore interno consumptum est; sed consumitur naturaliter, ergo.

DICO 2. pereunt etiam exanguia morte violenta. prob. primo, mors violenta communis est omnibus viventibus, ergo etiam iis quæ sanguine carent. 2. prob. ab experientia, quia videmus insecta necari fumo, calore nimio & frigore, ergo violenter, & quidem facilius quam ullum ex animalibus perfectis; Nam imprimis exiguum est insectorum humidum & calidum innatum; Deinde rara sunt & pusilla eorum corpora, quare nullius injuriæ externæ aut qualitatis excessum facilè ferunt. Quod si muscas in aqua suffocatas aut frigore enectas videas in calidis cineribus aut suprà fornacem aut etiam ad solis fervorem revivifcere, aut tempore brumali inter conclavium tabulatorū rimas velut emortuas so le verno & æstivo ad vitam redire, credendum est, nunquam verè extinctas fuisse, sed semper aliquam insiti caloris & humoris scintillam remansisse, atque ita accedente calore extrinseco facilè in vitam rediisse, quo modo etiam videbimus multa animalia perfecta multis septimanis & mensibus in latibulis suis velut emortua sine omni cibo & potu manere, & ad calores denuò quasi revivilcentia prodire.

DIFFICULTAS XV.

Quomodo pereant plantæ.

DICO primo, arbores & plantæ pereunt partim naturaliter partim violenter; Nā ad eund. modum & ab iisd. causis conservantur & vegetantur quemadmodum animalia, videl. à calido & humido, & pereunt etiam ad eundem modum, ergo tam naturaliter quam violenter: Fit autem interitus naturalis ratione leni, quia plantarum & animalium corpora ab ortu usque ad interitum paulatim ficciora evadunt partim ratione caloris interni, partim ratione aëris ambientis; Interitus violentus fit vel nimio frigore vel æstu immodico vel aliis causis & injuriis.

DICO 2. plantæ pereunt frigore. Est experientiæ in intensis frigoribus hyemalibus; Nam hæc tepidum vaporem qui per radices influit, arcent & reprimunt, tum humidum aëreum, quod à calore coqui, attenuati & fundi debet, densant, atque ita meatus cogunt, ut nec succus nec calor è terra influat, proindeque omni nutrimento destituatur: plerunq; tamen partes radici proximæ minus afficiuntur à frigore, quia calor per arborem diffusus refugit partim ad radices, seque in easabdit & in partes imas radici proximas, ubi coactus sese ipsum tuetur & radices, quæ ideò minus à frigore læduntur, quia terrâ jacent opertæ, nisi tamen frigus extremè sit intensum.

DICO 3. etiam ab æstu necantur plantæ, & probat. eodem modo ab experientia, qua constat multas arbores & plantas æstivissimis temporibus contabescere. Et ratio est, quia nimius calor plantas velut torret, & humidum quod caloris pabulum est exhaurit, attenuat, resolvit, plantas rarefacit & meatus laxat, proindeque calor vitalis cum humido expirat & ab æstu evocatur; unde rigari in hortis solent ut utrumque temperetur; Minus tamen ab æstu pereunt plantæ vetustiores quæque profundas habent radices, quia suppetit iis adhuc ex profundo alimentum, quod radices minimum restaurat & truncum, nec calor solis tan intensè illuc penetrat. Cæterùm magis offenduntur plantæ à frigore quam ab æstu, quia illud per se est inimicum omnibus viventibus, esto per accidens prosit, adigendo scil. calorem ad interiora, contemperando eundem cogendo humidum &c. Calor autem ex se non est contrarius plantis, quia sicut cæterorum viventium, ita & plantarum vita consistit in calido & humido moderatis.

DICO 4. sunt adhuc aliæ complures causæ à quibus intereunt plantæ; probantur ordine: Nam imprimis pereunt plantæ, quia aliæ juxtà feruntur vel plantantur, vel sponte etiā nascuntur, quæ proinde alimentū subtrahunt. 2. Nimia fœtura omne quoq; alimentū absumit. 3. sunt nonnullæ aquæ quæ radices putrefaciunt. 4. quædam humidū nativum exiccant, ut fimus vel acrior vel nimia quantitate aggestus, à quo etiam putrefiunt radices. 5. quædam injuriis aëris frigori & calori obnoxias reddunt plantas, ut vulnus, decorticatio, medullæ exemptio, decacuminatio, & mutilatio. 6. denique accedunt excisio, eradicatio, fossio & putatio, quæ si intempestivè adhibeantur, enecant & corrumpunt.

DIFFICVLTAS XVI.

Quomodo corrumpantur res inanimatæ.

SVb his intellige tam elementa quam mixta, de quibus dum quæritur, an naturaliter etiam sicut viventia corrumpantur, quia de corruptione violenta non est dubium, cum variis externorum agentium injuriis exponantur. Resp. &

DICO primo, quamvis elementa & res inanimatæ potissimùm violenter pereant, nihilominus tamē subjecta sunt etiam corruptioni ab intrinseco. De primo nulla est controversia, quia videmus aërem, aquam & terram quotidiè transmutari per agentia extrinseca & per alienas sive qualitatum sive substantiarum immixtiones corrumpi, id quod de lapidibus, metallis aliisq; rebus inanimatis etiam verum est, de corruptione naturali probatur, quia

quia etiam res omnes inanimatæ habent materiam quæ est subjectum corruptionis, habent qualitates invicem pugnantes, non habent omnes certum terminum suæ perfectionis in qua perpetuò durabiles sint, imò de facto in se mutuò transmutantur nullo impellente violenter extrinseco. Dixi tamen, corrumpi potissimum violenter, quia quotquot videmus in rebus inanimatis corruptiones, eas plerunque ab extrinseco fieri experiemur; sic enim aqua & aër putrescunt & corrumpuntur ab alienis agentibus; sic lapides & metalla injuriis ab extrà illatis senescunt, rubiginem contrahunt & in cineres dissolvuntur; sic res quævis aliæ successu temporis & errorum obsolescunt ab ambiente aëre ejusque variantibus incursibus. Et ratio hujus totius est, quia ita res inanimatæ suas obtinuerunt qualitates, ut neutra in alteram corruptivè agat, cum in eo statu quem ab Authore naturæ obtinuerunt, absque operationibus vitalibus, absque restauratione ob deperditionem, absq; pabulo & fomite se conservent; eamque temperationem & qualitatum commixtionem in tali mensura & perfectione retineant, quam in prima mixti generatione acceperunt; Et hinc quod colligitur

DICO 2. corpora mixta inanimata non tantum sunt durabiliora rebus viventibus, sed ipsa quoq; jam magis jam minus corruptioni subjecta sunt. prob. primum, illa corpora difficilius corrumpuntur, quæ perfectissimè inter se mixta sunt, nec habent mutuam illam contrariorum actionem & passionem inter se; sed de corporibus inanimatis hoc verum est, ergo. Hæc minor constat ex dictis; major hinc manifesta est, quia per continuam caloris actionem in humidum semper opus est novâ & novâ restauratione, donec per tot actionum & passionum vicissitudines humidum nec in ea bonitate nec quantitate ad sufferendam vitam & calorem gigni amplius possit. prob. secundum, quia constat aurum durabilius esse ferro aut silice, lapides terrâ adamantem auro & argento, non propter densitatem aut soliditatem, quia constat etiam terrã esse densissimam, stannum plumbumque solidissimum, sed propter perfectam humidi cum sicco permixtionem, de quo vide generationem lapidum & metallorum.

DIFFICULTAS XVII.

Quomodo desinat vita in hominibus, an semper eodem modo.

STatus quæstionis hic est, an cum varia sint morborum genera variæq; mortis causæ in homine, nihilominus hunc anima & vita eod. modo semper deserat informare; Nam quis credat mortem accidere in morbis calidis sicut in frigidis, in vulneribus sicut in obstructionibus, hydrope sicut in tabe & marasmo, in febribus malignis sicut in abscessibus, suffocatione, inflammationibus &c.

Adverte 1. mortem considerari posse vel secundum se & prout est extinctio caloris vitalis, aut vitæ privatio, vel juxtà causas tam remotas & antecedentes, quam proximas & immediatas quæq; cum vita simul pereunt. 2. mortem aliquando accidere naturaliter, aliquando violenter. 3. animam cessare vitaliter operari, quando pereunt omnes dispositiones, quæ ad vitam ejusq; conservationem pertinent. Iam

DICO 1. mors secundum se considerata semper eodem modo accidit homini. prob. mors est abscessus sive separatio animæ à suo corpore; sed hæc separatio est apud omnes eadem & fit eodem modo, si in se absolutè spectetur, ergo & mors.

DICO 2. mors secundum causas suas antecedentes & disponentes spectata variè accidit homini. Patet ex varietate morborum & causarum, quia aliter offendunt sanitatem febres calidæ, aliter obstructiones, aliter vulnera, aliter venena, aliter calida, aliter frigida, sicca, humida, occulta &c. quæ omnia paulatim ad interitum disponunt.

DIDO 3. mors ad causam immediatam scil. caloris vitalis extinctionem quam sequitur, spectata semper eodem modo accidit homini. Ratio est, quia semper perit homo ex defectu calidi sive spirituum vitalium; sed hic semper eodem modo accidit, ergo & mors eodem modo homini; Tamdin enim operatur anima vitaliter in homine, & non cessat informare, quamdiu adest aliqua dispositio vitalis, quæ in calido & humido consistit.

DICES 1. calor vitalis aliter extinguitur in morbo frigido, & aliter in calido, ut patet in hydrope & febre, ergo & vita. Resp. in re semper eodem modo perire calorem vitalem, quamvis à diversis causis id accidat, adeoque negatur consequentia.

DICES 2. in suffocatione, apoplexia, gladio, igne, convulsione, deliquio &c. non perit calor vitalis, perit tamen vita, ergo nõ semper ad caloris vitalis absumptionem sequitur mors hominis; Antecedens patet, quia interitus prævertit caloris extinctionem in hujusmodi casibus. Resp. neg. conseq. absolutè, quia in omnibus his affectibus cessat influxus spirituum vitalium, quo præsente impossibilis esset interitus: De solo gladio est difficultas, ad quam tamen respondetur, etiã iis mortẽ accidere ob negatum influxum spirituum vitaliũ, quibus cor v.g. vulneratur, aut alia quævis gravissima solutio continui contingit, à qua etiã corporis iminutio nõ excipitur, quia nec hæc interitum adferret, si non tolleret influxum naturâ priorem, licet hoc naturaliter impossibile esse ex terminis pateat, ex quo etiam videas dignitatem cordis ejusq; inter omnia viscera prærogativam, dum ex hujus solius læsione vel solutione subitò concidit peritque homo, non autem ubi cerebrum aut epar aut quodvis aliud membrum transverberatur, quia videl. ex solo hoc fit influxus vitalis.

Collig. ex solo influxu caloris vitalis cessante, undecunq; hoc fiat, sequi hominis interitum, quia ad ejus defectum perit sensus omnis & motus, perit simul omnis vegetatio cessatque anima operari & informare.

DIFFICVLTAS *ultima.*

An homo semel corruptus reproduci possit.

HÆc difficultas non tam de homine quam de quovis effectu semel corrupto intelligenda est, non tamen de eod. effectu specie, quia constat hunc posse naturaliter de facto reproduci, v. g. calotem, ignem, hominem specie cum illo qui nuper exutit, sed de eodem numeto, de quo

DICO 1. idem numero homo & idem numero calor semel corruptus non potest naturaliter reproduci: Itaq; plerique Philosophi contrà Platonicos, qui post conectum magni anni, (hic secundum Alphonsum spatio 49000. annorum absolvitur) omnia eadem specie & numeto reditura putabant. prob. 1. authoritate Arist. ex 2. de gener. in fine cap. ult. & ratio est, quia Deus nnu decrevit concurri cum causis secundis lege extraordinaria ad eundem effectum bis producendum (si tamen hominem excipias qui idem numero redititus est per resurrectionem & non per generationem,) ideò ut plura entia producantur & in pluribus Deus suam potentiam & bonitatem creaturis ostendat sesq; illis communicet; aliàs nulla esset ratio, cur idem numero effectus bis producatur, non verò centies.

Idem numero effectus non potest reproduci naturaliter.

prob. 2. quilibet effectus singularis pendet ab eodem numero agente unà cum materia, tempore ac reliquis circumstantiis quæ ad ejus productioné necessariò concurrunt; sicut enim quælibet res per actionem qua producitur, ultimò ac completè à suo efficiente accipit esse & singularitatem; Ita ab eadem sic pendet, ut ab alia idem esse accipere non possit, proinde non potest idem singulare restitui nisi per eand. singularem actionem, cum per aliam restitui non possit. Quis autem determinet causam secundam ad singularitatem effectus, non apud omnes eadem est opinio. Quidam ajunt agens determinari à sua natura ad hunc potius quam ad illum effectum producendum; Alii à tempore & loco in quo fit effectus; Alii à causa prima, ut Hurt. 2. phys. d. 10. §. 34. Conn. 2. phys. c. 7. q. 15. a. 2. Tolet. Rubius, Fons. Soarius & alii. Probant hoc modo, cum enim inquiunt, ignis ex se sit indifferens ad producendum plures numero calores distinctos, collectivè a. omnes simul producere non possit, sed divisivè, & non habeat unde se determinet ad hunc potius quam ad illum effectum producendum, necessariò debet determinari à Deo, aliàs aut omnes simul, quod propter incapacitatem subjecti naturaliter repugnat, aut nullum produceret, quod est absurdum. prob. 3. materia est indifferens ut actuetur ab hac vel illa forma; similiter forma hominis est indifferens, ut sit in hoc vel in illo corpore, ergo sicut determinatur à Deo, ut potius sit in hoc quàm in illo corpore, ita etiam determinatur causa secunda, ut hoc potius quam illud agat: similiter voluntas cognito obiecto potest multos actus amoris cognita directâ bonitate obiecti vel actus odii cognitâ malitiâ elicere; quod autem potius hunc quam illum actum amoris eligat, à sola Dei voluntate determinatur, ita tamen ut sit in potestate hominis posse hunc actum amoris elicere vel non; non autem est in potestate hominis præferre hunc actum alteri, vel potius hunc eligere quam illum; Vnde nemo præmiabitur vel punietur ideò, quod hũc potius quam illum actum elegerit, sed quia exercuit actum quem potuit & debuit exercere vel non exercere. Hinc colligitur primò causa, cur idem effectus numero non possit reparari, quia scil. causam ad hunc singularem effectum producendum Deus præfiniit, ut in hoc subiecto hoc tempore ac sub his circumstantiis hanc potius quam illam actionem eliceret, adeoque hunc & non illum effectum promeret. 2. quare, postquam idem effectus semel evanuit, variatis iis circumstantiis reproduci non possit, quia scilicet non potest redire eadem actio, per quam fuit productus.

Unde determinatur causa secunda ad hunc numero effectum.

DICO 2. divina virtute potest reproduci homo & res omnis permanens semel producta. Ita communis est Phil. & Theolog. opinio, quia nullibi est contradictio: Deinde prob. homo post corruptionem non habet se aliter quam ante productionem; sed quando ante productionem non habuit suum esse, seu quando erat nihil, potuit produci; ergo etiam post corruptionem dum nihil est, poterit divinitus reproduci. An tamen id de rebus successivis quoque dici possit, lis est & controversia inter Philosophos, ut patet apud Conn. 2. de gen. cap. 9. q. 2. a. 3. qui contrà D. Thomã eiusq; sectatores nonnullos affirmativam tuentur; Nam inquiunt ens successivum non est nisi motus localis & tempus, & quæ cum his acquirunt suum esse successivè, sed nulla potest dari contradictio, quia si idem numero mobile à Deo reproducatur, cur non etiam reproducatur idem numero motus, cum tantum modaliter inter se distinguantur: Idem intellige de tempore, quod ex motu primi mobilis sumitur, si cæli à Deo reproducantur, ergo. Vide Conn. citat. & plerosq; alios.

Quare idem numero homo possit divinitus reproduci semel corruptus.

Res successivae quae.

APPEN-

APPENDIX

De anima separata ejusque statu ex lumine naturali.

TAmetsi Medicorum non sit de hoc animæ statu, ut qui planè est extrà objectum ipsorum, quicquam agere, sed totum ad Philosophos & & Theologos propriè pertineat, quorum interest, animam à vinculis corporeis jam separatam considerare; Nihilominus tamen, quia omne id quod præsens appendix breviter dabit, non tam lectu quam auditu jucundum est, nemo etiam facilè existit, qui non libenter animæ suæ ut gratissimæ & amicissimæ informatricis statum & conditionem post luctuosam è domicilio suo migrationem intelligat; nemo vitio dabit Medico, si postquam hominem viventem satis tractavit, ejus etiam demortui ex aliorum judicio rationem habeat; Et hinc non inconsultum duxi, si ad finem totius operis & post corruptionem hominis velut actum tragicum paucis ex orthodoxa fide simulque ex omnium sive Christianorum sive Gentilium opinione, quam partim ex sacris litteris partim ex ipso lumine naturali hauserunt adnecterem, quid felicitatis ipsa aut miseriæ post talem, quam horret omnis animus, abscessum & emigrationem exspectandum & sperandum habeat, præsertim cum nihil minus deceat hominem virumque, quam nescire ea quæ ad animum post hanc vitam non intermoriturum spectant. De hoc nihil constat ex Aristotele, ut qui non progressus est ultrà beatitudinem naturalem animæ conjunctæ, de cuius immortalitate etiam quid senserit, patet ex alibi dictis; An verò sensibus, sub quos hominis ultima non cadunt, nimium addictus fuerit, sive ut aliqui putant, an fortè veritus, ne turbare politias sui temporis; quarum omnium leges tum non nisi præsentis vitæ felicitatem spectabant socordes futurorum, an demum propterea, ne animas actu infinitas ab æterno æternitatis mundi ipse assertor convenisse ostenderet, nusquam aperuit Verum quia tota antiquitas ex ipso lumine naturæ vult manifestari & Deum esse & eundem remuneratorem, elysiosque campos & Tantali sitim non figmentis Poëtarum sed narrationibus historicis adnumerat; Hinc placuit breviter & veterum & modernorum Philosophorum & Theologorum sententias, & quia, quid ductu luminis naturalis de re præsenti judicaverint & disputaverint, producere, ut pateat, quam fides supernaturalis rationi naturali nihil adversum contineat.

DIFFICULTAS I.

An anima separata naturaliter existat, an verò violenter.

DE animæ rationalis immortalitate ejusq; essentia & natura satis superq; libro primo actum est; supersunt hic quædam, quæ de statu eius, cognitione, motu, loco cæterisque actionibus, postquã à corpore separata existit, à Philosophis & Theologis disputari solent. Dum itaq; hic quæritur, an status separationis sit animæ planè violentus & contrarius, an naturalis, vel deniq; medius.

Adverte, naturaliter vel sumi prout opponitur supernaturali, vel pro eo quod non est contrà inclinationem naturæ, vel ut opponitur violento, ut ex antecedentibus constat.

Suppono, statum animæ extrà corpus, si formaliter spectetur, esse privationem actus secundi ipsius animæ, id est, informationis sive unionis cum corpore, & omnium quæ hanc sequuntur, ut sunt relatio, præsentia, concursus, operationes. His positis

Separatio animæ est privatio actus secundi.

DICO 1. status separationis animæ non est violentus. Est communis hæc doctrina, & prob. quia si esset violentus, anima reuniretur naturaliter corpori, sicut lapis violenter in altum projectus descendit naturaliter; sed nõ potest naturaliter reuniri, ut infrà patebit, ergo. Confirmatur, hic status non est contrà inclinationem, quia tunc naturaliter intelligit & operatur, & habet modum existendi, cui debetur perfectissima operatio, ergo cum habeat naturalem inclinationem ad illam cognitionem, habebit etiam ad statum, proinde sine violentia.

Separatio animæ in facto esse non est violenta.

DICES 1. separatio animæ in fieri à corpore est violenta, ergo etiam in facto esse, Resp. neg. conseq. quia nulla resistentia reperitur in anima separata per qualitates, quibus in corpore resistebat: Conceditur autem ideò antecedens, quia mors fit tantum ab extrinseco per causas violentas passo nullam vim conferente, sed reluctante & per dispositiones vitales resistente, quarum principium non est materia sed anima,

DICES 2. violentum est privari perfectione quæ naturaliter debetur; sed per separationem privatur anima iis complementis, quæ sibi naturaliter debentur, videl. materiã, unione, qualitatibus &c. quia non informat, non sentit, ergo. Resp. ad hoc argumentum Rubius de separ. animæ q.6. negando minorem, quia postquam anima amisit corpus & unionem, non debetur illi, informatio, sensatio & alia plura quæ debentur illi præsupposità dispositione materiali;

sed nec habet appetitum ad informationem nisi cum ordine ad dispositiones quæ ad introductionem & conservationem requiruntur. Et hinc est quod negetur animam posse naturaliter reuniri corpori, quia non datur agens naturale quod possit inducere dispositiones. Alii commodissimè etiam respondent, violentum esse privari perfectione debita, si non substituatur alia & quidem perfectior, ideoque concedunt majorem, negant autem minorem.

Cur anima non possit naturaliter reuniri corpori.

DICO 2. separatio animæ à corpore non est præternaturalis. Ita Rubius cit. contrà Conn. tr. de anima separata disp. 2. a. 2 & alios, sed prob. quia præternaturale est, quod nec obest nec prodest subiecto, quo modo motus cælo nec prodest nec obest; sed status animæ separatæ nihil quidem obest, imò prodest, quia perfectius intelligit & operatur. Itaq;

Præternaturale quid.

DICO 3. separatio animæ à corpore in facto esse est naturalis. Ita Authores præfati contrà Conn. prob. primo, ille status non est violentus nec præternaturalis, ut patet, ergo naturalis, quia aliud non datur. 2. anima non potest semper manere cum corpore suo corruptibili, ergo unitur illi unione naturaliter dissolubili. Si dicas non intendi à natura corruptionem: Respondetur, intendi secundariò non primariò, quia naturale est illi ut liberetur ab unione. 3. anima est naturâ suâ immortalis & è corpore non educitur, ergo debetur illi connaturaliter perpetua conservatio; sed non potest perpetuò in corpore modo naturali conservari, ergo naturaliter conservabitur extrà corpus: Et hinc verum est, quod status hic non sit naturalis primariò seu in ordine ad informandum, sed naturalis secundariò & consecutivè, quia informatio est solubilis naturaliter, unde etiam dicitur cupere statum extrà corpus seu absque informatione naturaliter, siquidem conservatio illius includit statum utrumque tam in corpore quam extrà illud, utpote formæ naturâ suâ immortalis. Si

Separatio animæ est naturalis.

Separatio animæ à corpore non est naturalis primariò sed secundariò

DICAS, animam non appetere separationem, quia esse separatum est malum ejus & compositi, quod per separationem destruitur. Resp. eodem modo, non appetit per se primò destructionem compositi, transeat; non appetit secundariò, quatenus sequitur ex nova generatione connaturaliter per se primò intenta, negatur Huc etiam spectat distinctio ultima obiecti secundi, quam non pauci cum Hurtado contrà violentam separationem reddunt.

Colligitur, separationem animæ à corpore non esse naturalem ex inclinatione ad informationem, esse tamen, quia etiam existit naturaliter extrà corpus, & quia hæc separatio sequitur ex vi novæ generationis naturalis.

DIFFICULTAS II.

An anima separata cupiat rursum esse cum corpore.

Duo hic quæri solent; primo, an anima dum est à corpore suo separata, habeat naturalem inclinationem sive appetitum ad corpus, ut denuò illi uniatur. 2. an hic appetitus sit proprius, innatus & elicitus.

DICO primò, anima cupit naturaliter reuniri suo corpori. Est sententia D. Thomæ & omnium ferè Doctorum contrà Scotum ut videre est apud Conn. cit. a. 3. prob. primo, entitas animæ est respectiva, id est, habet ordinem ad corpus ob peculiarem perfectionem, quam hinc assequitur, ergo naturale est propendere in hoc, ut corpori suo reuniatur. 2. ille appetitus nihil aliud est nisi capacitas informandi; sed anima separata æquè est capax & apta informare atque fuit ante in primo instanti creationis, ergo. Si de perfectione quæ animæ accedat ex unione cum corpore, quæras, Respondendum est, huiusmodi perfectionem esse actualem totius compositi constitutionem, cum sit propter hanc tanquam propter finem.

Anima vult naturaliter reuniri.

DICO 2. appetitus hic est animæ proprius innatus adeoq; actus elicitus. Ratio est, quia anima separata habet innatam propensionem ad suum corpus, ergo appetitu proprio actuq; elicito desiderat naturaliter resurrectionem. Deinde anima habet proprium suum appetitum, id est, voluntatem, ergo etiam ea quibus perficitur & in qua habet inclinationem naturalem, actu elicito desiderat: Nam voluntas est eiusmodi appetitus circa omnia objecta, ut etiam anima possit desiderare, quicquid illi jure naturæ deberur, ut est potissimùm societas corporis. Adhæc anima, quatenus est rationalis & volitiva, est forma corporis, ergo potest per voluntatem appetere, quicquid ei naturaliter competit, præsertim cum hæc appetitio proveniat ab anima prout est natura.

DICES, melius est animæ esse separatam quam unitam, quia perfectius operatur vivitque beatius, ergo non cupit actu elicito & deliberato reuniri cum corpore. Resp. neg. conseq. quia ideò cupit reunitionem cũ corpore, quia est magis naturalis quam alter separationis. Quod autem illa cognitio, quam habet cum corpore, sit imperfecta, id conditioni humanæ adscribendum est, sicut etiam quod cum labore obtineatur; Nam extrinsecum hoc est impedimentum, videl. alligatio vinculis & organis corporeis.

DIFFICULTAS III.

An anima separata possit reuniri corpori.

RAtio affirmandi est, quia anima extrà corpus posita naturaliter cupit eidem reuniri, ergo videtur naturaliter hanc reunitionem fieri posse: Nam omnis res solet ad statum suum ita promoveri, quemadmodum ad eum habet inclinationem sive naturalem sive supernaturalem.

Nota verò, resurrectionem vel considerari quoad entitatem suam vel quoad modum, Iam

Resurrectio quid. DICO primo, reanimatio sive resurrectio nihil est aliud, quam mutatio substantialis, quâ idem numero homo, qui fuerat corrupt⁹, reproducitur. Dicitur primo, mutatio, quia si Deus annihilaret angelum eumque reproduceret, diceretur reproduci & recreari, non autem resurgere, quia non esset mutatio quæ supponit subjectum, si non prius tempore, saltem natura, sed esset simplex rei effectio sive productio ex nihilo. Dicitur 2. substantialis, quia accidens à Deo reproductum non diceretur resurgere. Dicitur 3. idem numero homo, quia si non esset idem numero, non esset resurrectio, sed multiplicatio & nova generatio. Dicitur 4. homo, quia aliarum rerum præsertim inanimatarum reproductio non haberet rationem resurrectionis, sed tantum ratione mutationis. Nam vox illa, resurrectio, à SS. Patribus & Theologis ei tantum attribuitur, cujus post separationem non tantum pars materialis sed etiam formalis in rerum natura perseverat.

Non potest fieri in causa naturali. DICO 2. anima à corpore semel separata non potest à causa naturali secunda eidem reuniri. Patet hæc conclusio ex priori disput. quà constat, nullum effectum posse naturaliter semel corruptum reproduci: sive enim causa hæc secunda principaliter sive instrumentaliter operetur, tantam potestatem non habet, ut corpus semel mortuum redanimet, nisi tamen tanquam instrumentum Dei elevetur supernaturaliter, quia nemo dubitat, tum posse id fieri à causa secunda tanquam instrumento à Deo elevato: Et ratio est, quia non potest fieri, ut idem numero corpus ita formetur & disponatur à causa secunda, sicut fuit formatum in prima productione, siquidem plurimæ partes decesserunt, ut virtute naturali recolligi non possint; insuper idem numero agens non est eodem modo dispositum ad producendum secundò effectum, sicut fuit dispositum in prima productione, ergo.

DICES, primo, anima separata habet inclinationem ad corpus informandum, sicut materia respectum habet ad formam, proinde postulant connaturaliter uniri, aliàs status separationis esset illis violentus, & nullum violentum perpetuum. Resp. animam separatam habere inclinationem ad unionem naturaliter, sicut & materia, conceditur; dum autem infertur, ergo naturaliter cupit uniri corpori; si est sensus, quod habeat capacitatem proximam connaturalem ad unionem, negatur consequentia; si est sensus, quod sit forma naturalis corporis apta denuò uniri eidem corpori, conceditur: sed hoc pacto non exigit unionē nisi suppositâ capacitate proximâ & disposito connaturaliter subiecto à causa secunda, quia capacitas naturalis animæ ad materiam ut sic, vel materiæ ad omnes formas quas potest accipere, solum est per actionem agentis naturalis.

DICES 2. idem est terminus reunitionis, qui fuit generationis; sed hic producitur naturaliter à causa secunda, ergo & ille. Resp. 1. per retorsionem hanc, idem est terminus reunitionis qui generationis; sed hic est infans, ergo & ille. 2. si est sensus maioris, quod qualis est prima hominis productio, etiam talis sit ejus reanimatio, negatur maior & consequentia; si autem, quod in utrâque sit identitas termini, tum minor malè subsumitur & in alia suppositione, quæ est huiusmodi; sed terminus generationis est naturalis, ut proinde 4. termini in hoc syllogismo includantur, dum minor & consequentia non identitatem termini sed modum productionis arguunt. Homo enim est ens naturale, quatenus ab agente naturali producitur; quatenus autem ab agente præter legem naturæ, non dicitur simpliciter terminus naturalis, sed tantum secundum quid, videl. quoad substantiam vel essentiam, non quoad modum; benè autem subsumeretur, sed terminus generationis est homo secundum primum sensum, ergo & resurrectionis.

DICO 3. resurrectio hominis est naturalis quoad entitatem, non quoad modum. prob. primum, naturale est animæ, ut unita sit cum corpore; sed hoc est hominem sibi per resurrectionem restitui, ergo, Deinde unio in resurrectione est ejusdem speciei cum unione primæ generationis ut patet ex dictis, ergo sicut hæc naturalis est ita & illa, intellige quoad entitatem, quæ consistit in unione materiæ cum anima: Et hinc resurrectio distinguitur solum accidentaliter à prima generatione, videl. quoad modum organisandi & disponendi corpus qui est supernaturalis, convenit autem quoad substantiam. Nam ut magni docent Theologi probabile est unionem in resurrectione produci à solo Deo, sicut producta fuit in formatione Evæ & Adami, proinde ut probetur secundum, videl. resurrectionem non esse naturalem quoad modum, Advertendum est, solum Deum per Sanct. Angelos collecturum cineres mortalium, rum materiam rarefacturum, condensaturum, adeoque formaturum organa & dispositurum singula membra, ut ea in instanti, quod opus est proprium divinæ & infinitæ *Resurrectio est naturalis quoad entitatem non quoad modum.*

 poten-

potentiæ, formæ accommodat, à qua non aliter informentur, quam olim post primam naturalem generationem informabantur. Quod si

Circumstantia resurrectionis & ultimi judicii. Quæras, quæ circa reanimationem ex doctrina orthodoxorum futura sint. Quamvis hæc quæstio sit extra scopum materiæ, & neque ad Medicos neque ad Philosophos, sed ad solos Theologos spectet, ut quorum interest, futuram animæ felicitatem aut miseriam ex sacris litteris commendare; quia tamen animæ separatæ necessariò annexa est, nos etiam hunc diem ejusq; actum sive consolatorium sive tragicum & horrore plenissimum exspectandum habemus, & denique ipsa rei cognitio, si quæ alia, curiosissima videtur, mireque hominem ad tempus hoc aliquando præstolandum excitat; Idcircò ex mente Divi Thomæ ejusq; interpretum Respond. resurrectio carnis humanæ aliquando est futura, incerta tamen quoad tempus omni creaturæ, & sicut ipse cælorum motus usque ad finem mundi differenda; Et probabile est futuram in instanti, quia respectu divinæ potentiæ nulla est implicantia, quò minus toti corporum humanorum cineres hinc inde dispersi & ab angelis collecti in hominis formam cum omnibus organis & accidentiis coagmententur, licet hę actiones videantur connaturaliter exigere successionem. Quamvis autem tempus resurrectionis occultum sit etiam Angelis & Apostolis, probabile tamen est, fore quasi in crepusculo sicut fuit resurrectio Christi quæ est verum hujus naturæ exemplar; Nam hic ut Deus prima est causa, proxima autem & univoca, ut homo resurgens, mediante tamen voluntate Dei, ad quam nostra resurrectio sequetur; Et quamvis hic seipso immediatè animam corpori reuniat & glorificet, ipsi tamen angeli etiam cooperabuntur, & præter signum tubę quod ad resurrectionem dabunt, ipsos etiam cineres colligent & præparabunt; unde collige, mortem necessariò præcedere, cum aliàs non fieret resurrectio, omnemque hominem mutandum esse in cineres, nisi aliter alicui ex privilegio concedatur, ut de Beatissima Virgine tenent Catholici; sed nec immunes erunt qui immediatè ante judicium vivent, quia ab igne totum universum purgante resolventur in cineres, qui quamvis præcisè non appetant eandem animam, cum sint ad omnem formam indifferentes, ex statuto tamen divinæ majestatis & providentiæ potius suæ quà alienæ conjungentur animæ, ac proinde hæc idem numero corpus quod prius informandum habuit, resumet; An tamen cineres redeant ad eandem partem corporis, quam prius constituerant, incertum est, quia sunt qui doceant id opus non esse, sed sufficere, si eadem species observetur; alii autem putant congruentius esse si servetur situs partium principalium & non earum quæ viliores sunt, ut ungues, capilli &c. Resurget autem homo quoad omnes partes perfectas & integrantes, quæque sunt ad ornamentum ejus, atque ita etiam resurgent humores, sanguis, capilli &c. non autem superfluitates sive excrementa, sed nec semen quo homo renatus opus nō habebit, cū nō ad perfectionē individui sed tantùm speciei requiratur; Non resurgent etiam partes ut patet ex l. 1. disp. 25. quoad totalitatem materiæ à tota infantia, quia sic foret monstrositas, sed speciei, justæ quantitatis, figuræ, situs &c. Omnes resurgent in ætate juvenili sine ullo defectu ad mensuram ætatis Christi circà annum 30. Non est tamen probabile, omnes homines fore ejusd. staturæ sed ejus quam adulti in terris habuerunt, nisi tamen tunc natura aberraverit, quia sic ademetur superfluū & supplebitur necessarium à Deo; Et quia utetque sexus ad perfectionem speciei requiritur, non omnes resurgent in sexu virili, sed in utroque; Cessabunt omnes actus vegetativi, ut nutritio, accretio &c. quia cessabunt actiones mutuæ qualitatum primarum, quæ tamen dabunt effectum formalem, manentibus interim salvis organis & potentiis, quorum aliquæ operabuntur, ut visiva, auditiva &c. Post resurrectionem cognoscet unusquisque ex virtute divina perfectè sua peccata propter quæ judicabitur, quia erunt in conscientia ut in libro scripta, & beatis erit memoria peccatorum causa cur de divina misericordia gaudeant, & quisque sciet quid alios fecerit, ut cognoscat sententiam latam esse justam. Post resurrectionem fiet judicium generale, quo primum manifestabit se justitia divina, & quo Christus corporaliter comparebit ut judex, quamvis incertum sit an judicium futurum sit per orationem vocalem, an quod probabilius, per mentalem; Quis hujus judicii locus sit, solus quidem Deus novit, verisimile tamen est fore circà montem oliveti qui præeminet valli Iosaphat & unde Christus ascendit, quia ut ajunt Theologi, ostendetur eundem ascendere qui descendit. Sententiam feret solus Deus, & latam pronunciabunt viri perfecti, quorum est ducere alios in cognitionem divinæ justitiæ; Angeli non judicabunt, quia deest iis humana natura, sed erunt ministri judicis; judicabuntur omnes tam boni quam mali, quia discutientur omnia opera tam bona quam mala; ut omnes cognoscant divinam justitiam; non tamen condemnabuntur angeli mali, quia jam judicati sunt, & angeli boni gaudebunt de suis quos ad meritum induxerunt, mali autem torquebuntur ob ruinam eorum, quos ad damnationem præcipitarunt; Comparebunt omnes in judicio, & Christum judicem videbit omnis oculus, quia cum mortuus sit pro omnibus, convenit etiam ut agnoscant omnes ejus judiciariam potestatem, qui est judex vivorum & mortuorum; Ipsi autem Dæmones exequentur sententiam in damnatos, quia justum est, ut qui Diabolo subjecerunt se peccando,

cando, eidem etiam in pœnis subjiciantur: Et judicabit Christus in forma humanitatis, quia filius hominis est, cujus beneficio salvamur; In hac forma prædicavit & judicatus fuit, & in hac forma veniet gloriosus, sicut venit primo in infirmitate, beatis quidem in præmium, damnatis verò in pœnam; Divinitatem ejus, quæ sine gaudio videri non potest ideòque apprehensâ necessariò delectat, damnati videre non possunt, quia non haberent tristitiam & certò cognoscerent Christum esse Deum. Cæterùm mundus ionovabitur, licet homo non indigeat hac novitatis dispositione, quæ etiam non erit naturalis nec præternaturalis, sed suprà naturam addens certam ejusdem gloriæ perfectionem; cessabit etiam motus corporum cælestium ex virtute divina, quia homo non amplius indigebit: In hac autem ionovatione augebitur claritas corporibus cælestibus, quia totus mundus immutabitur, ergo & cælum, quod est pars mundi; sic etiam elementa accipient aliquam claritatem secundum naturæ suæ exigentiam, ut ita homo manifestè videat judicium divinum; Non tamen manebunt plantæ, animalia, cæteraque omnia totius mundi ornamenta quæ fuerunt in usum hominis, quia facta sunt tantum & à natura & ab arte in usum humanum, quo cessante cessabunt & ipsa, quia habet jam homo incorruptionem. Hæc ex Theologis & mente D. Thomæ; plura qui volet, eosdem legat & videat; Ita autem vivat unusquisque, ut postquam annos suos in hac vita complevit, moriatur in gratia & resurgat in gloria.

DIFFICULTAS IV.

Quæ facultates maneant cum anima separata.

Constat varias esse facultates animæ corpori adhuc conjunctæ, quarum aliæ organicæ, aliæ inorganicæ, vel distinctius vegetativæ, sensitivæ, cognoscentes, appetentes, moventes &c. Jam quæritur, quænam ex his comitentur animam à corpore abeuntem, an omnes, an saltem aliquæ.

Fac. veget. non manent cum anima separata. DICO primo, potentiæ vegetativæ non manent cum anima separata. Ratio est; quia hujusmodi potentiæ sunt organicæ, quibus anima separata non indiget, ergo tales potentiæ non manent cum ipsa: Deinde anima nò vegetatur, imò est ab omni côcretione materiali abstracta, ergo: Et idem intellige de facultatibus vitalibus, quia in anima non fiunt hujusmodi alterationes & mutationes, ut sunt decoctio sanguinis, generatio spirituum &c.

DICO 2. facultates sive potentiæ sensitivæ pereunt in separatione animæ non solum quoad actum, sed etiam quoad entitatem ipsarum. prob. primo, potentiæ sunt corporeæ, ergo non manent in anima separata. prob. ant. quia sive subjectum sive objectum sive operationes earum spectes, manifestum est ipsas esse corporeas? Nam subjectum ipsarum est vel materia vel compositum totum, ut patet alibi; Objectum autem res singularis & materialis; operatio denique nulla est ab his facultatibus procedens, quæ superet virtutem materialem & corpoream. prob. 2. potentiæ sensitivæ in brutis sunt corporeæ, ergo tales quoque erunt in homine. 3. operatio sensitiva non est animæ propria, sed toti composito, ergo ipsa facultas, quæ elicit talem operationem, non residet in anima sed in composito, vel in materia formæ conjuncta. *Sic [illegible]*

Sed intellectus & voluntas. DICO 3. Animam semper & ubique sequitur intellectus & voluntas. prob. primo, intellectus & voluntas sunt potentiæ inorganicæ ideò, quod anima etiam absque organis per eas operetur, ergo comitantur etiam animam separatam. 2. anima separata vult & intelligit, ergo per voluntatem & intellectum. 3. anima debet habere aliquam potentiam extrà corpus, ergo intellectivam, quia nulla ei magis convenit.

DICES primo, in illo subjecto existunt facultates, à quo fluunt per emanationem; sed fluunt ab anima & non à materia, ergo. Resp. neg. majorem, quia fluunt quidem ab anima, sed non recipiuntur in ea tanquam in subjecto partiali vel ut quo, sed in composito, seu subjecto ut Quod.

DICES 2. potentia locomotiva manet in anima, ut infrà dicetur, ergo etiam cognoscitivæ manebunt. Resp. in anima separata non manet illa potentia, quæ fuit prius in corpore, quando anima illud informabat, sed alia quædam animæ propria & inorganica, & quâ jam in statu separationis utitur.

DIFFICULTAS V.

An anima separata retineat vim movendi se localiter.

Nulla est difficultas de vi motiva Angelorum, quia constat ex sacris litteris, tum experientia & ipsa hujusmodi spirituum essentia, quod & se & alia corpora possint localiter movere: An autem hoc idem præstare valeant animæ separatæ, controversum est apud Doctores quod videre est apud Conn, cit. disp. 6. a. 1. & patebit ex argumentis proximis.

Anima separata movet se. DICO primo, anima potest se extrà corpus localiter movere: Est contrà quosdam, qui putant animam esse planè immobilem, nec posse nisi operâ Angelorum ab uno loco in alium transferri. prob. primo,

 animæ

animæ separatæ habent esse & modum cognoscendi substantiarum separatarum, ergo habebunt etiam modum eundem movendi se localiter; sed substantiæ separatæ movent seipsas, ergo. 2. omnis substantia vivens, quæque est finitæ & determinatæ naturæ, ad omnia loca indifferens potest se movere localiter; sed anima est ejusmodi, ergo. Et confirm. quia si esset aliqua ratio, ob quam anima per se moveri non posset, esset quia est spiritualis & immaterialis; sed hæc ratio nulla est, quia etiam Angeli sunt tales, & tamen moventur localiter, ergo.

Et corpora etiam aliena.

DICO 2. anima potest etiam res alias movere loco. prob. primo, anima in corpore existens movet corpus proprium, ergo etiam potest movere alia, quid enim obstat? 2. animæ aliquando redeunt ad nos & assumunt corpora in quibus apparent, ergo movent illa. Antec. est multorum ex S. Patribus, quos citat Bellarm. l. 2. de purg. c. 8. t. 1. magnorum item Theologorum, & quod maximum est, Galeni aliàs de natura animæ valdè incerti & ignari, qui lib. de tremore & rigore fatetur, minimè deceptum iri, qui dixerit animam esse substantiam, quæ per se moveri possit. probabile est autem, animam corporibus quæ movet, imprimere impulsum quendam seu qualitatem motivam, quia alias explicari non potest, quo pacto continuetur ille motus cessante motore, nisi dicamus animam quod idem de spiritibus intellige, per suam præsentiam continuò movere, quemadmodum homo qui manu quippiam gestat, illud absque impulsu impresso movet. qua de re vide magnos hujus seculi Theologos Soarium & Vasquium, quorum hic 1. p. d. 182. & d. 218. putat omninò opus esse impulsu tam in projectis quàm in aliis corporibus quæ à spiritibus moventur, ille autem tomo de Angel. l. 4. c. 31. disp. 35. s. 6. n. 25. hunc motum absque impulsu per solam applicationem suæ potentiæ motivæ ad rem mobilem à spiritu fieri posse ait.

Impulsus corpori mobili impressus.

DICES primo cum D. Thoma 1. p. q. 110. a. 3. ad 3. & q. 117. a. 4. anima non potest movere ullum corpus nisi quod informat; sed post separationem à corpore nullum informat corpus, ergo etiam nullum potest movere. Major patet in membro mortuo. Resp. neg. majorem; ad prob. dico, animam non movere quidem membrum mortuum aut putridum, eò quod non informat illud, movere tamen quia movet totum vel partes vicinas, quibus adhærescit: non potest autem movere aliquam partem mortuam, quia alligata est adhuc suo corpori, proinde nulli alteri discontinuo dare motum.

DICES 2. si anima haberet ex natura sua vim & potentiam se movendi, posset etiam se, dum adhuc unita est corpori, transferre à capite ad solos pedes, relinquere totum corpus, tum pro libitu redire ad illud, sed hoc est falsum, ergo & illud. Resp. neg. seq. ma. quia non potest anima propter unionem quam habet cum materia, pro libitu relinquere caput, pedem, brachium, & desinere illud informare, nisi sublatis & corruptis dispositionibus, à quibus indissolubili velut nexu & vinculo conservatur unio. Deinde anima ita corpus suum semper habere appetit, ut ab eo non nisi violenter abstrahi possit.

Anima non potest sponte relinquere suum corpus.

DICES 3. Ideò possunt se Angeli localiter movere, quia sunt substantiæ completæ; sed animæ sunt incompletæ, ergo non possunt se movere. Resp. non esse hanc rationem in Angelis adæquatam, quia etiam anima habet extrà corpus entitatem completam & per se subsistentem naturaliter; dicitur autem incompleta, quia habet essentialem respectum ad corpus, ad quod informandum esse suum accipit à Deo.

Quomodo anima dicatur incompleta.

DICES 4. Apparitiones sunt illusiones Dæmonum, qui variè mortalibus imponunt; Ita enim habet D. Thomas loco cit. q. 117. a. 4. ad 2. Resp. verum quidem esse, quod non rarò hujusmodi animarum apparitiones somniantium sint deliramenta, ut docet D. Aug. l. de cura pro mortuis, vel quod etiam sæpè Angeli pro animabus præsto sint hominibus: Nihilominus tamen ipsas quoque animas ad nos venire, sententia communis est in Ecclesia Catholica, quæ cum conformis sit sacris litteris, etiam confirmatur à SS. Patribus & gravissimis orthodoxæ fidei Theologis, & corroboratur quotidianis experimentis, quorum nonnulla licet fabulæ sint & somnia, multa tamen verissima esse, & non Dæmonum sed animarum operâ fieri evidentissimos & luculentissimos habemus testes; vide Bellarm. citatum.

Non semper apparitiones narratæ sunt falsæ.

Adverte tamen hic, de virtute motiva animarum separatarum non immeritò dubitari, an videlicet januas aperiant, strepitum excitent, corpora assumant &c. Nam si dicas cum D. Thoma, animas non habere potentiam extrà corpus localiter se movere, adeòque eam potentiam quam habuerunt in corpore motivam, cum aliis sensitivis & corporeis evanuisse, redduntur suspectæ omnes apparitiones & terrores, qui putantur ab animabus proficisci. Si dicas in animabus separatis remanere potentiam se movendi, jam argumentum ruit totum, quo plerique putant se efficaciter probare, dari Angelos in rerum natura. Est autem argumentum ejusmodi, dantur homines arreptitij & energumeni, qui variis linguis quas antea non noverant, loquuntur, blasphemant, futura prædicunt, mentiuntur &c. qui effectus non possunt à Deo provenire, neque ab arreptitiis ipsis, ergo ab Angelis vel Dæmonibus, ergo tales dari certum est & evidens: Hoc inquam argumentum ruit, si semel admittatur, animam à corpore separatam posse aliquid localiter movere, quia omnes illi effectus possunt reperiri in anima separata, quia aliquæ habent notitiam variarum linguarum,

An dentur Angeli in rerum natura.

rum, aliquæ habent voluntatem maledicendi, blasphemandi, tum etiam virtutem movendi corpora &c. ergo evidenter convinci non posset ex ejusmodi effectibus, in rerum natura Dæmones vel etiam Angelos bonos existere, nisi argumenta alia essent quæ moverent & probarent, quæ autem adducere non sunt hujus loci.

DIFFICULTAS VI.

Quomodo anima separata possit movere aliena corpora.

Circà actum, quo anima movet corpora, solent hæc quæri, primo, an quando anima movet aliquod corpus, id solo motu præstet, ut multi cum Soario docent, an qualitate impulsiva. 2. An in anima separata admittendæ sint species physicæ motionis localis, ut vectio, tractio, pulsio, voluntatio, oppositio, detentio. Nam constat partim ex sacra Scriptura, partim ex Sanctorum annalibus, animas vehi, rapi, alligari, detineri, repelli &c. 3. An animæ habeant definitam potentiam in movendo, ita ut non quavis celeritate possint moveri vel movere corpora.

DICO, Anima separata movet rem corpoream probabiliter per qualitatem impulsivam productam prius in re mobili tanquam per verum instrumentum, id quod etiam fit in projectis corporibus à quovis alio projeciente, in ferro à magnete, in pilis ab electro & similibus, ubi res movens semper prius exerit qualitatem impulsivam, quam rem loco moveat, aliquando majorem quam corporis movendi sit resistentia, aliquando æqualem aut etiam minorem, quo casu nullus fiet motus. Dixi tamen probabiliter, quia opinio Soarii & aliorum non ita contemnenda est, quasi non & ipsa quoque sit probabilis, quia reverà omnis motus, quem spiritus & anima in aliena corpora exercent, sufficienter salvari potest per approximationem propriæ substantiæ & virtutes motivæ ad corpus mobile absque omni impresso, adeòque dum Angelus aut anima assistit corpori, potest in illo producere motum sicut produxit Angelus in Habacuc, quando eum in Babylonem portavit, & sicut Diabolus Christum Dominum ex deserto duxit in Civitatem sanctam statuitque super pinnaculum templi &c.

Spiritus potest movere corpus absque impulsu.

DICO 2. omnes species motionis localis admitti possunt in anima separata, & hæ sub motu naturali vel violento vel præternaturali comprehenduntur, Nam præterquam quod anima seipsam localiter & naturaliter moveat, dum loco pellitur fit hoc violenter per formalem fortioris potentiæ contactum vel per virtualem, ad quem modum & non solum dissensione voluntatum putant olim fuisse transactam pugnam inter Angelos apocal. 12. similiter fit in vectione, tractione aut quovis alio modo, sive id voluntatè aut contrà accidat. Quid autem de ejus detentione passiva dicendum sit, magna est dubitatio, cum præsertim non possit affligi ad corpus aut quasi comprimi: Opinio tamen est, impetum potentioris animæ hebetare conatum contrarium minus potentis, atque ita illam detinere eo ferè modo quo virtus remoræ dicitur impetum navis hebetare eamque sistere: Est & alius apud Theologos detinendi modus soli Deo competens, subductio scilicet generalis concursus ad motum, quo modo sentit Valesf. s. phil. cap. 41. fuisse factum Tobiæ, ejus lib. 8. & Apocal. 20.

Qui sint motus locales animæ.

DICO 3. potentia motiva animæ definita est suis terminis tum quoad motum animæ, tum quoad motum corporum, ita ut non possit quavis celeritate quodlibet corpus movere. Ratio, quia essentiæ animarum sunt limitatæ & finitæ, ergo & potentiæ. Sed an anima animam movere possit ita, ut motrix non simul moveatur, dubium est; negabunt illi qui omnes animas natura individuali pares esse docent; affirmabunt autem illi qui contrarium asserunt, non secus ac in Angelis potentioribus ac inferioribus fieri certum est. Quod si tamen dignitas gratiæ attendatur, nulla certa regula præscribi potest, sed generatim illud dicendum, quod qualibet substantia separata obediat alteri juxtà decretum & voluntatem divinæ majestatis, quo modo etiam verisimile est religari vel detineri Dæmones vel animas damnatas ab aliis in gratia & gloria constitutis. Quanta corpora possint animæ movere, similiter incertum est, hoc certum, quod vis Angelorum longè sit fortior, objectum autem animarum limitatius, imò ita limitatum, ut aliqui putent, animam multò minora pondera in statu separationis quam informationis movere posse, quam tamen doctrinam falsam ajunt alii, quod potentiæ separatæ applicatio sine spirituum dispendio peragatur.

Adverte tamen, potentiam animæ separatæ ita constitutam esse, ut aliquid aut omninò possit movere aut non possit, adeòque non dicendum, quod movere quidem possit sed ægrè aut difficulter.

DIFFICULTAS VII.

Quas species ad cognitionem requirat anima separata.

Etiam anima in statu separationis indiget speciebus ad cognitionem, de quibus dum quæritur, quænam illæ sint & unde eas habeat,

Adverte, species animæ separatæ esse tales, quales sunt per se infusæ, & non per se acqui-

quisitæ, cum quibus etiam nullam habent affinitatem, sed per seipsas sunt species propriæ & quidditativæ rerum easque repræsentant sicuti sunt; Nam tales ipsam rei quidditatem sicut in se est, distinctè cum omnibus proprietatibus & effectis uno ac simplici conceptu, aut certè pluribus, quorum tamen unus non sit causa alterius, sed ita ut ex æquo omnia per se nota sint, cognoscibilem reddant, unde etiam per tales anima operans non utitur discursu, cum desit radix & fundamentum discursus, id est, non evidentia objectorum, sive debilitas luminis intellectualis sive specierum intelligibilium, quæ non omnia cum subjecto conjuncta aut divisa æquali claritate repræsentant. Jam

DICO primo, anima separata retinet aliquos habitus & species. Dico aliquos non omnes, quia certum est aliquos habitus posse tolli, v. g. si quis in hoc errore vixisset, animam rationalem non esse immortalem, is sine dubio hunc habitum erroneum post mortem deponeret: Deinde quia etiam aliquæ species, ut patet, in hac vita pereunt. prob. ergò conclusio primo, quia ut omnes consentiunt, anima appetit corpus, ergo minimùm recordatur ejus; sed non est ratio, cur non etiam aliarum rerum possit recordari, quas novit in hac vita, ergo remanent in anima separata species, sine quibus non potest dari recordatio. 2. species intelligibiles non dependent in sui conservatione à phantasmatis, ergo remanent in anima separata. Hæc conclusio est communis apud Phil. & Theologos.

Species intell. in fieri tantum dependent à phantas. DICES primo, species intelligibiles & in fieri & in conservari dependent à phantasmatis, ergo non possunt remanere in anima separata, quia phantasmata jam perierunt. Resp. neg. antec. quoad conservationem, quia species non sunt tam debiles, ut statim unà cum phantasmatis evanescant, proinde remanent in intellectu tam ad solatium in beatis, quam ad pœnam in damnatis.

DICES 2. Intellectus in hac vita nihil operatur, nisi per potentiam sensitivam, ergo hac in altera vita pereunte, peribit etiam operatio vel intellectus. Resp. neg. Conseq. quia remanebunt species in potentia intellectiva. Quod autem intellectus in hac vita nihil operetur nisi beneficio potentiæ sensitivæ, ratio est, quia haurit omnes suas species à phantasmatis, & intelligit per eas semper nova & nova. Deinde anima etiam in hac vita intelligit multa per species in intellectu reservatas, ut patet in multarum rerum recordatione, esto lateant hæ species in certis organis capitis, quia habebunt etiam in intellectu post separationem suum locum ubi reserventur. *Intellectus nihil in hac vita operatur nisi per fac. sensit.*

DICO 2. probabile est, animæ separatæ infundi aliquas species ad Authore naturæ, prob. quia cum anima sit immortalis, tota æternitate duratura est, ergo etiam tota æternitate operabitur aliquid; Ut autem hoc faciat, non sufficient illi species ex hac vita delatæ ad tantum temporis spatium; Nam aliqui nullas species secum deferunt, ut qui statim à partu vel in infantia moriuntur; alii admodum paucas & rerum tantum singularium, & hæ ipsæ quæ deferuntur, fortassis perire possunt, sicut fieri solet in hac vita, ergo ad Authorem naturæ ejusque providentiam pertinet, ut suppeditet animæ novas species, ut sicut talis secundum multorum probabilem sententiam propter hujusmodi mundi inferioris utilitatem intelligentias motrices dedit, cum ipsi se movere non possint, ita etiam cum anima in altera vita possit, sed & debeat intelligere, hic defectus specierum necessariò ab Authore naturæ suppleatur. *Animæ separatæ infunduntur novæ species.*

DIFFICULTAS VIII.

Quæ sit cognitio animæ separatæ.

QUæstio est primò, an anima post mortem aliquid cognoscat. 2. quomodo cognoscat. 3. denique quid cognoscat. Hæc omnia constant lumine naturali.

DICO primò, lumine naturali cognosci potest, animam separatam intelligere. prob. lumine naturali cognoscitur, animam superesse post hanc vitam, ergo etiam cognoscitur, eam operari, quia ex Arist. 2. cæl. c. 3. ad initium, quodlibet est propter suam operationem; non potest autem tunc habere operationes veget. aut sensit. ergo restat ut habeat operationes voluntatis & intellectus. *Anima separata intelligit.*

DICES, læso cerebro anima omninò nihil intelligit, ut docet experientia; At si posset habere ullam operationem sine corpore, posset etiam habere aliquam læso corpore. Resp. læso cerebro aut simili incommodo sæpius lædi phantasiam, cujus operatio in hoc statu requiritur ad operationem intellectus; post hanc vitam autem, quando alius fuerit status, erit etiam alius modus operandi vel intelligendi non dependens ab operatione phantasiæ.

DICO 2. Anima separata seipsam intelligit absque specie, mediante suâ ipsius substantiâ. prob. quia remoto impedimento corporis quod afferebatur ob connexionem cum phantasia, anima cum sit sibi intimè præsens & immaterialis, erit maximè proportionatum objectum intellectus, ergo non indigebit ullâ specie qua sibi conjungatur aut proportionem acquirat; potentias verò suas cognoscet per eandem suam substantiam, quæ est earum causa necessaria, tum habitus, species & actiones, quia inhærebunt eidem substantiæ. *Anima separata intelligit seipsam.*

DICO 3. Anima separata cognoscet naturas omnium rerum sensibilium per species à Deo inditas, prob. ipsa anima præstantior est omnibus rebus sensibilibus; sed seipsam accuratissimè cognoscet, ergo etiam erit apta ut *Anima cognoscit naturas singulares.*

ut cognoscat omnia sensibilia, ergo docebit Authorem naturæ suppeditare species huic ejus capacitati respondentes, prob, 2. decet cognitionem, in qua anima tota æternitate duratur, maximè esse circa Deum, cum hæc sit ejus præstantissima operatio; Cum autem in statu naturali non possit Deum, uti in se est, cognoscere, debet, illum contemplari in suis effectis, ergo debet naturas effectorum Dei cognoscere.

DICO 4. Anima separata cognoscet Angelos per eorum species a Deo inditas, prob. quia cum sit substantia immaterialis sicut & Angeli, habebit etiam consuetudinem & communionem cum Angelis, quod non potest esse absque notitia. Sed hoc spectat ad Theologos.

DICO 5. Verisimilius est, naturali cognitione animas non scire singularia, quæ in hoc mundo eveniunt. prob. quia non hauriunt species ab objectis; Neque etiam probabile est infundi à Deo talium rerum species, quia parum conducunt ad earum statum & beatitudinem naturalem, prout docent Sancti Patres, ergo quando cognoscunt aliquid, cognoscunt illud extraordinaria Dei revelatione.

DICO 6. non implicat animam beatam cognoscere resurrectionem & conjecturare eandem futuram, non quidem viribus naturæ, sed ex quadam æquitate provideutiæ divinæ: Nam cum anima separata futuram restaurationem meditetur, videtur actu elicito petere ut reddatur corpori non tam propter perfectionem totius coorientis ex partibus, quam in gloriam & remunerationem ipsius corporis. De modo quo animæ separatæ cognoscant, an per discursum, an verò sine illo, an cognitio sit de iisdem rebus ac per easdem species in statu utroque &c, vide Theologos & Conn. cit. disp. 4. a. 2.

DIFFICULTAS IX.

Cujus magnitudinis sint animæ.

DICO primo, non constat, quanta sit sphæra ac latitudo spirituum: Ita communis est doctrina, quæ finitam habet & majorem vel minorem in suo genere & ordine, prout ipsa essentia magis vel minus immaterialis est. Rectè autem dicitur, in suo genere, quia anima Elephantis vastior est quam anima hominis, licet non immaterialior, cum moles illius sit alterius ordinis, consistatque in mera partium aggestione ac coagmentatione; animæ autem humanæ magnitudo posita est in diffusione quadam simplici unius ejusdemque entitatis.

DICO 2. habet anima humana terminum suæ magnitudinis intrinsecum fortassis non majorem, quam sit terminus humanæ speciei, & quidem figuræ sphæricæ. Ita communiter docent Philosophi & Theologi, & ratio est, quia hæc figura decet perfectionem & pulchritudinem, quæ tantum habet longitudinis quantum latitudinis. Cum ergo anima beata si se quantum potest in specie humana sibi connaturali quoquoversum expandat, sit circularis, illiusque diameter maximam hominis longitudinem comprehendat, spiritualem sphæram illius sphæram tantum in circumferentia sua habere necesse est, quantus est circulus hominis longissimi quia & figura corporis humani circulo continetur, quod inde patet, quia ab umbilico tanquam centro si homo diductis pedibus & manibus supinus jaceat, & ad summos pedum manuumque digitos perfectissimus circulus circumagatur, ita hanc formam invenies ut in ea nihil desiderare possis: Nimirùm & in hac forma nostram mentem decebat esse imaginem Dei, qui & ipse est intelligibilis sphæra, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam; nec sanè Creatura ad Creatorem ejusque immensitatem per aliam figuram propius accedere potuit quā per circularem, quia finita est substantia quæ concluditur, infinita quæ non terminatur. Confirmatur conclusio à S. August. l. 22. de Civ. Dei c. 15. & 26. ubi ait, unumquemque beatum habiturum eam corporis mensuram & quantitatem, quam vel in Juventute habuit, si vixit, vel habiturus fuisset, si vixisset; Et patet hoc exemplo Christi, qui in ea proportione à mortuis resurrexit. Si *Magnitudo animæ.*

DICAS, hinc sequi, post resurrectionem non omnia Beatorum Corpora fore æqualia, sed alia aliis majora, sicut in hac vita fuerunt, aut per vires naturales esse potuerunt, & consequenter, qui in hac vita fuerunt Gigantes, & qui habuerunt corpora aut partes monstrosas, etiam in cælo futuros tales. Resp. de Gigantibus concedō posse, quia sunt homines sine imperfectione, non item de aliis in quibus sunt vitia aut defectus naturæ, qui tolli aut emendari debent; Unde si quis hic gibbum habuit, in cælo non habebit, quia ea pars carnis redigetur in perfectam formam & compositionem cum reliqnis partibus absque ulla indecentia; Unde ait S. Aug. cit. cap. 19. non esse macris & pinguibus timendum, ne etiam in cælo futuri sint macri aut pingues, quia omnis ille excessus aut defectus, qui deformitatem adfert, penitus tolletur, & omnia ad perfectam proportionem redigentur.

DIFFICULTAS X.

Ubi recipiantur animæ innocentes post separationem.

MIrum non est, hac de re Christianos benè sentire, ut qui ex fide & sacris literis loquuntur; Mirum autem est veteres Ethnicos

nicos, qui solo lumine naturæ usi sunt, tam prudenter scripsisse; Neque enim longè disparia & docuerunt & crediderunt ab iis quæ tota Ecclesia constanter affirmat, ne parem malis & bonis in futuro sortem (positâ tamen animæ immortalitate.) viderentur concedere. Inter cæteros verò Xenocr. l. de mort. ego inquit ratione coactus hoc solum planè firmiterque cognosco, animam rationalem immortalem existere, & eam quæ purè ex his locis exierit, sine tristitia vivere; quamobrem sive sursum sive deorsum tendas, beatum fore te oportet, si piè sanctèque vixeris. Eodem modo convenienter rationi docet Arellius Fuscus apud Senec. suas. 6. quod animus divina origine haustus, postquam ab onerosi corporis vinculis exolutus est, ad sedes suas & cognata sibi sydera recurrat; quo coincidit illud Platonis apud Clem. Alex. 4. strom. animam scilicet ad divinum quoddam sibi simile proficisci, quò cum venerit, felicem omninò evadere &c. Ex quibus patet quid sentiendum sit de stulto Atheorum judicio; tantò enim periculosius cum iis agitur, quantò longius à veterum traditionibus & doctrinis de futuro animarum statu aberrant, quantòque minus cum impiis ex propriis virtutibus æternitatem metiuntur. His positis

Animæ separata quo deveniant.

DICO primo, animæ Beatæ non ascendunt in æthera ut putat Tertul. de anima c. 54. nec feruntur in aërem ut docet Arius; nec sub lunam, ut Stoici crediderunt; nec terras inter cælique meatus, ut canit Claud. 9. pbatsal. Nec denique morantur in abjectissimo quodam loco. Sed rapiuntur ad supremum cælum, quod Seneca Epist. 102. ad Polybium sibi olim promittebat, & de quo cum D. Thoma consentiunt omnes Orthodoxi Doctores, Christum scilicet in summam cæli absidem ascendisse, & inde à Beatis undique consistentibus spectari.

Datur cælum Empyreum.

DICO 2. hoc summum cælum, quod immobile est, ea antiquis nemo agnovit, imò nec ipse Aristoteles ut quidam falso putant. Cum enim ille omnem materiam etiam possibilem in universo hoc sensibili à Deo fuisse consumptam absurdè doceat, corpus extrà primum mobile admittere non potuit. Dari tamen hoc cælum extrà & suprà omnes reliquos cælos immobile, affirmant omnes sancti Patres & Doctores Ecclesiæ, ut videre est apud Conn. 2. cæl. c. 5. q. 1. a. 2. Molinam, Salianum, & alios de opere 6. dierum, esto non cadat sub ullum sensum aut rationem aliquam physicam demonstrabilem. Hoc cælum creditur quadratum esse, non globosum, utpote quod sit curia & quasi theatrum beatorum, & destinatum ad recipienda corpora gloriosa post resurrectionem; Et hoc eliciunt nonnulli ex illo Apoc. c. 21. ubi Evangelista ait, civitatem in quadro positam esse. De dignitate, splendore seu luciditate aliisque qualitatibus hujus cæli vide Conn. cit. & alios. Cæterùm licet animis beatis secundum suam essentiam locus non debeatur, ut docent Theologi, sed solum quoad operationem, quæ in loco congruente, cælo nimirum recipitur; semper tamen sunt alicubi, quia sicut implicat quicquam existere, cujus essentia ab omnipotentia, & duratio ab æternitate Dei non mensuretur; ita etiam implicat quicquam extrà divinæ immensitatis complexum existere.

DIFFICULTAS XI.

Quomodo animæ beatæ perveniant ad cælum.

DOcet Trismegistus cap. 10. Asclepii, animam à corpore solutam suum jam novisse locum, & in eum unamquamque descendere perinde, ac si ex communi cavea dimittantur columbæ, parices, boves, hirundines &c. Xenocr. de mor. ait, eos qui sceleribus vitam inquinarunt, à furiis raptari in Erebum, sive ut Plato sensit, à viris ignitis ad supplicia deturbari, qui autem boni, à bonis geniis subuehi in cælum. Hic idem Plato in phædro docet animas post hanc vitam judicium subire, judicatos verò partim sub terris emeritas pœnas pendere, partim ad quendam cæli locum à justitia elevatos degere vitam optimam. Ita & Euripides apud Clem. Alex. 4. Strom. in meo inquit tergo sunt pennæ aureæ, & aptantur grata Syrenum talaria, iboque in immensum sublatus æthera Deum conventurus &c. Hæc Ethnici; cum Christianis

Animæ deportantur à spiritibus.

DICO primo, animæ bonæ à bonis, malæ à malis geniis ad suum quæque à judice Deo designatum locum deportantur. Ita docet Ecclesia Catholica: sed quo modo potuerunt animæ à spiritibus moveri? Resp. spiritum à spiritu moveri vel detineri vel per impetum sive impulsum ut volunt cum aliis Conn. d. 6. de anima separ. a. 4. sive per solam vim & potentiam motivam ut vult Soarius citatus, sive per vim utramque ut docent alii, eoque ferè modo, quo gravitas lapidi innata non solum eundem immediatè impellit deorsum, sed etiam mediatè per gravitatem secundariam ex ipsa resultantem, unde etiam gravia in fine velocius moventur. probabile itaque est, animas infelices trahi à malis geniis, innocentes autem à bonis sive binis sive ternis triumphaliter cælo invehi. Sed quanta est animæ beatæ agilitas?

DICO 2. animæ beatæ agilitas tanta est, ut non repugnet eam naturaliter à terra ad summa cæli illæso medio transire. prob. anima ad quamcunque distantiam in instanti moveri potest, ergo etiam ad eundem terminum in minori semper & minori tempore per medium venire potest: Et confirmatur ex illo, animas nimirum in puncto de-

scen-

[illegible] ad [illegible] [illegible]ta, [illegible] un[illegible] [illegible] ad extremum ab [illegible] ſib [illegible] nes [illegible] qu[illegible] C[illegible] ſtum abſque [illegible] creatione [illegible] [illegible]s è cælo ad- [illegible]

[illegible] [illegible]git[illegible] ag[illegible]tatem inanimi[illegible] be[illegible] eſſe [illegible] ſeu qualitatem motivam ad [illegible] [illegible]m expeditè exercendum, quâ ſpi[illegible] beati [illegible]ve c[illegible]leti [illegible] ſive incompl[illegible] & [illegible] [illegible]e etiam perfectione d[illegible] [illegible], [illegible] & [illegible] [illegible] inſtan[illegible]. De v[illegible] [illegible]s motus vide Soar. 4. An[illegible]. 24.

DIFFICULTAS XII.

Quid agant in cælis animæ beatæ.

NOn de[illegible] qui etiamnum h[illegible]ie ve[illegible] ut videre eſt apud C[illegible]rſetum l. de cæl[illegible] [illegible] animas [illegible]arata[illegible] o[illegible]nes [illegible] & [illegible] ad [illegible] [illegible]eſt, [illegible] K[illegible] ſe[illegible] ſep[illegible]l- c[illegible]ro [illegible] S[illegible] va[illegible] E[illegible]nes, qui animas etiam in[illegible]oce[illegible]tes ad [illegible] damnant, & de quibus optimè [illegible] cont[illegible] tale, dormitan[illegible]. Status itaque quæſtionis eſt, [illegible] beatæ agant in cælis, an [illegible] [illegible]er t[illegible] [illegible]erant, [illegible] [illegible]enpl[illegible].

DICO [illegible], non implicat ſpi[illegible] be[illegible] [illegible] en corpo[illegible] [illegible]cato, & [illegible] [illegible]cum ſuum illuminare. Ita D. Thom. [illegible] q. [illegible] a. 1. [illegible] ſubſtantia ait [illegible] alicui c[illegible] non qui[illegible] [illegible]d ad [illegible] ſup[illegible]additum, id [illegible] [illegible] op- [illegible] vel [illegible]lum vel [illegible] vel [illegible] hæc [illegible] 22. [illegible], 92. ubi [illegible], lo- [illegible] in eſſentiis ſui, [illegible] ex vicinitate [illegible] pe[illegible] reluceat; [illegible] inferioribus corpori[illegible] c[illegible]rceres, templa a- [illegible] Sa[illegible] [illegible]entiur [illegible] C[illegible] cælu[illegible] ſſi- [illegible] & B[illegible]

[illegible] [illegible] remo[illegible] [illegible] ſunt c[illegible] [illegible] Paul. c. 87. [illegible] [illegible] perip[illegible] [illegible]m [illegible] va[illegible] [illegible] Jupi[illegible] co[illegible]r [illegible] nihil eſt [illegible]d, [illegible] p[illegible] [illegible] d[illegible] [illegible] aut p[illegible] [illegible] d[illegible]r præ- ſent[illegible] ſupra [illegible] per [illegible]ng[illegible] lineas [illegible]. Le ex hoc [illegible] [illegible]nte cæruleus appa- r[illegible] [illegible] non [illegible]t p[illegible]fundi- [illegible] [illegible]um remo[illegible] r[illegible] & p[illegible]ofu[illegible] [illegible] v[illegible], [illegible] p[illegible]s [illegible] p[illegible] [illegible] etiam [illegible] & po[illegible] [illegible] [illegible] in ſe conver- tu[illegible].

DICO 2. Animæ beatæ, [illegible] primum à corpore ſeparan[illegible], ſtatim [illegible]ius naturæ notitiam [illegible] poteſtate habere incipiun[illegible]. Ra[illegible] eſt, qui[illegible] hæc [illegible] co[illegible] [illegible] habent ſpe[illegible] [illegible] [illegible]s in- v[illegible], quæ a[illegible] [illegible] ex inte[illegible] [illegible] ſpe[illegible] intelli[illegible]ibi- le, qu[illegible] ſunt iis [illegible]ævæ [illegible] proprietates natu- r[illegible]les, In [illegible] [illegible]em animâ producit [illegible] Agens eas, ad qu[illegible] à phantaſma- tis determinantur: quando autem ad alterum ſepa[illegible] ſtatum tranſit, tum primum c[illegible] ſa[illegible] a[illegible] concu[illegible], quale n[illegible], & [illegible] ta[illegible] ad [illegible] [illegible]ſprin- cipi[illegible] [illegible] fit; [illegible] c[illegible]inet eminen[illegible] [illegible] immateri[illegible] omnia ob[illegible] naturalia in e[illegible] intelligi[illegible] & non [illegible] genere enti[illegible] naturalis, de quo pul- cherrimè [illegible] uil. paril. [illegible], de retributi[illegible] ſanct ſub initium, ubi vis intellectiva [illegible] animæ [illegible] dicitur eſſe ſpeculum intel- ligibi[illegible], ſpeculum evid[illegible] expreſſionis & cla[illegible] app[illegible]nis, in qu[illegible] expreſſ[illegible] omnia in- telli[illegible], &c.

DICO 3. Animæ beatæ poſſunt inter ſe per certa ſigna l[illegible]qui & qu[illegible] ad [illegible] cunque diſtantiam. Cum eu[illegible] a[illegible] [illegible] extenſionis [illegible] [illegible] [illegible]tæ [illegible] [illegible]s, poſſitque [illegible] & [illegible] va[illegible] [illegible] odum [illegible] [illegible]lis, & per [illegible] ſ[illegible]ſtan[illegible] exh[illegible] fig[illegible]- ras [illegible], p[illegible] [illegible] [illegible]ritus co[illegible] figuras [illegible] hæc ant[illegible] ſi[illegible], [illegible] mo[illegible] per ce[illegible] t[illegible]m digi[illegible] [illegible] omnem numerum [illegible]ſſibi[illegible] [illegible] præ[illegible] [illegible] per [illegible] [illegible] pe[illegible] & [illegible] [illegible] [illegible]oment, [illegible] & n[illegible] p[illegible] [illegible] vo[illegible]

Anima beata omnia intelli- gunt.

Etiam lo- quuntur invicem quomo- do.

R co[illegible]

concipimus quam pronunciamus : Quod autem animæ diſtantes inter ſe colloqui poſſint, ex earum natura & dictis facilè patet, quia craſſa eſſet imaginatio credere quod tales ſpiritus in actionibus ſuis ſpiritualibus ſtatum ſuum concernentibus loco egeant, cum hæ undique ita ſint diffuſæ, ut locus aut ſpatium potius ipſis egeat quam contra, de quo tamen conſulendi ſunt Theologi. Quid cæterùm agant in cælis animæ beatæ, id ex earum gloria, beatitudine, fuſiſque in Deum amore, veneratione & laudibus in omnem æternitatem duraturis ſatis ſuperque manifeſtari poteſt.

DIFFICVLTAS XIII.

Quæ ſint reliquæ actiones naturales in beatis poſt reſurrectionem.

In corpore glorioſo nō erit actio primarum qualit. corruptiva.

DICO primo, In corpore glorioſo non erit actio caloris naturalis in humidum radicale, neque pugna primarum qualitatum inter ſe. Ratio, quia corpus glorioſum erit impaſſibile, ergo non poterit alterari à prædictis qualitatibus. Neque Dicas, illas tunc fore otioſas, quia tametſi nihil ſint acturæ in genere cauſæ efficiētis, non tamen carebunt ſuis effectibus formalibus, & ſic calor faciet ſubjectum calidum.

Nec vegetativa.

DICO 2. In corpore glorioſo non erunt actiones vegetativæ. Ratio, quia ejuſmodi actiones ſupponunt corpus poſſe pati, alterari & alimentis egere; ſed corpus glorioſum erit impaſſibile, nec egebit cibo & potu juxta illud Apoc. 7. 16. non eſurient neque ſitient amplius. Si Dicas Chriſtum glorioſum comediſſe. Reſp. Comeſtionem non eſſe actionem animæ vegetantis, ſed potius ſentientis & loco moventis, quia non de ratione comeſtionis, ut cibus digeratur & in ſubſtantiam convertatur, quod utrumque in Chriſto factum non fuit, ſed ſolum ut per actionem vitalem mediis organis trajiciatur in ſtomachum.

DICO 3. In corpore glorioſo poterunt eſſe actiones ſenſuum interiorum, ut appetitus ſenſitivi. Ratio eſt, qui cum ejuſmodi actiones ſint immanentes, nec alicunde requirant aliquam alterationem, non videntur repugnare ſtatui beneſico. Si dicas hoc eſſe verum de actionibus ſenſitivis, non de appetitiis quia iſtæ requirunt alterationem corporis, ut patet in ira, gaudio &c. Reſp. actiones appet. diſtinguendas eſſe, quia quædam [illegible] ium aliquod, vel carentiam [illegible] nientis ut triſtitia, dolor, [illegible] luptas &c. & hæ penitus exclu[illegible] à ſtatu beatorum; aliæ ſunt decentes & [illegible]ctæ rationi conſentaneæ, ut amor & delectatio circa res honeſtas, & hæ locum in [illegible] ſtatu habere poſſunt, neque per ſe [illegible] quirunt alterationem naturalem, ſed ſummum localem aliquam ſanguinis aut ſpirituum vitalium motionem.

Beati [illegible] exerc[illegible] ext.

DICO 4. Beati exercere poterunt actus omnium exteriorum ſenſuum, quantum in ipſis eſt, modo non ſit aliunde defectus. Ratio eſt, quia habituri ſunt omnes ſenſus externos optimè diſpoſitos, & poterunt accipere omnes ſpecies ſenſiles abſque alteratione materiali, ergo nihil videtur defuturum ex parte ipſorum, quo minus ſentire poſſint; Aliunde tamen poterit eſſe defectus; primo ſi deſint objecta ſenſuum. Secundo ſi deſit medium, per quod ſpecies ſenſiles deferan[illegible] Hinc

Colligitur primo, unum Angelum non poſſe videre alterum à ſe diſtantem, ſi uterque ſit ſuprà cælum Empyreum. Ratio, quia ibi non eſt medium, per quod ſpecies viſiles deferantur. Si Dicas primo, ſpecies poſſe multiplicari per vacuum. Reſp. hoc quidem verum eſſe ſecundum abſolutam Dei potentiam, ſed non ſecundum ſtatum naturalem Beatorum. 2. Corpus glorioſum poſſe imprimere ſpeciem viſilem in oculo alterius diſtantis, etiam dato vacuo. Reſp. utrumque negandum eſſe, quia generatim loquendo nullum Agens [illegible] reſt immediatè agere in diſtans, ut a[illegible]bi patet.

Colligitur 2. Beatos poſſe exercere actum odorandi, guſtandi & tangendi in cælo Empyreo, quia non defutura erunt objecta, primo, quia corpora glorioſa erunt plena odoriferis qualitatibus. 2. in ipſis erit humor ſapidus intrà organum guſtus, qui ſenſum illum intentionaliter poſſit afficere 3. qualitates tangibiles manebunt in corporibus Beatorum.

DIFFICULTAS XIV.

Quales perfectiones corpora glorioſa poſt reſurrectionem ſint habitura.

DICO primo, Corpora Beatorum conſtabunt carne, ſanguine & oſſibus, [illegible]

nostra jam constant. Est contrà nonnullos, qui volunt hæc corpora planè fore cælestia & spiritualia sine carne sine sanguine & ossibus, prob. conclusio ex S. Scriptura, Job. 19. 25. in carne mea videbo Deum meum. Et ratio est, quia corpora Sanctorum erunt talia post communem resurrectionem, quale fuit corpus Christi post suam resurrectionem; sed hoc constabat carne & ossibus ex Luc. 24. 39. palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere, ergo idem de corporibus Sanctorum post resurrectionem dicendum est. Vide S. August. in Enchiridio c. 88. & 89.

DICO 2. Corpora Sanctorum præter carnem, sanguinem & alias perfectiones naturales erunt etiam ornata 4. dotibus supernaturalibus, nimirùm claritate, impassibilitate, agilitate & subtilitate. Ita omnes Doctores Orthodoxi, & colligitur ex illo Corinth. 15. 44. seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur corpus animale, surget spirituale: Ubi per incorruptionem significatur impassibilitas, per virtutem agilitas, per gloriam claritas, per spirituale subtilitas. De claritate habetur rursum illud Matth. 13. 43. tunc justi fulgebunt sicut sol. De impassibilitate Cor. 15. 53. oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem. De agilitate sap. 3. 7. fulgebunt justi & tanquam scintillæ in arundineto discurrent &c. Et accedit hæc ratio, Corpus Christi est exemplar aliorum corporum ut patuit; sed Corpus Christi post resurrectionem habebit illas 4. dotes, ergo aliorum Beatorum corpora easdem habebunt; minor patet, quia subtilitatem ostendit, cum cælos penetraret; claritatem cum transfiguraretur in monte; agilitatem cum incederet super mare; impassibilitatem denique cum manducaretur in cæna. Si dicas hæc facta fuisse ante resurrectionem, Resp. ergo multò magis fieri potuisse post resurrectionem, quia easdem dotes, quas ante mortem per intervalla assumpsit, post resurrectionem constanter continuit. Est autem claritas vera lux distincta à luce Solis & ignis. Impassibilitas est qualitas inhærens, quæ reddit corpus incapax alterationis corruptivæ. Agilitas est facultas seu qualitas motiva ad motum localem expeditè exercendum. Subtilitas est aptitudo penetrandi alia corpora, quæ in eo consistit, quod auferatur repugnantia existendi in eodem loco cum alio corpore. Plura vide apud D. Thomam & Theologos.

Etiam dotibus 4. supernaturalibus.

Quid sint 4. illæ dotes supernaturales.

DIFFICULTAS XV.

An in cælo Beati verè cantent.

CAntus est duplex, Corporalis seu Vocalis unus, spiritualis seu intelligibilis alter: De utroque est quæstio, an animis beatis conveniant tam in statu separationis quam reunitionis.

DICO primo, cantus vocalis seu corporalis non convenit beatis mentibus in statu separationis. Ratio est, quia ad huc cantum requiruntur organa corporalia, quæ non sunt in anima.

Animæ separatæ non canunt.

DICO 2. Non tantum in spiritibus Angelicis, sed etiam in animabus separatis reperiri potest cantus intelligibilis. prob. primum, possunt Angeli concentum edere per certam vel alterius corporis liquidi fractionem, ergo. prob. antec. quia cum certa vocum proportio non petatur ex institutione arbitraria, sed ex certâ vocum mensurâ fundatâ in ipsa sensuum & intellectus natura, facilè noverunt Angeli, quâ symmetria elidendus sit aër, ut resultet sonus, qui propter aptam convenientiam cum auditu sit gratus. prob. secundum, quia eadem ratio valet pro animabus separatis, quæ valet pro spiritibus Angelicis; Ipsæ enim cum totius universi harmoniam quoque penetrent & videant quomodo ad sciendam musicam vocalē sese habent, optimè servatâ proportione sonos consonos evibrare norunt. Ercõfirmatur hæc doctrina non tam à Doctoribus Christianis quam ab ipsis quoque Gentilibus, quia Epichermus apud Clem. Alex. 4. Strom. piorum inquit animæ in cælis habitant, & cantibus Beatorum Principem celebrant; Et hujus concentus suavis meminit etiam Xenocr. l. de mor. dum ait, Beatos in cælis eo mirè recreari.

Habens tamen cantum intelligibilem.

DICO 3. Animæ beatæ, dum corporibus suis reunitæ fuerint, formaliter cantabunt. Est aliquorum doctrina probabilis, quia potest formari vox per contractionem cæli Empyrei cui tamen propterea non erit hoc ignobilitas aut corruptio, quia imprimis cælum erit instrumentum & materia quæ à lingua glorificata in laudem Dei moveatur; Deinde quia potest esse ratitas abique ulla corruptione, ut etiam de cometarum in ipsis cælis existentium descriptione patet; Adhæc divisio non arguit corruptibilitatem ejus in quo est, sed addit facilitatem, quia corruptibile divisum in partes facilius corrumpitur quam si esset integrum. Tametsi ergò per locutionem aut cantum corpus cæleste rarefiat,

Animæ beatæ corporibus reunitæ cantabunt.

 partes-

parieſque cæli extrà ſphæram impellantur, ſtatim tamen relabuntur, reparantque figuram debitam, ut proinde defendi poſſit, cælum in voces articulari poſſe, hoc interim tenendo, cælos eſſe quidem ceſſiles, ſed incorruptibiles eâque ratione ſolidos (dicuntur enim ſecundum multos ſolidi propter incorruptibilitatẽ) vel certè formaliter & ſubſtantialiter ſolidos, & ſolum Empyrium liquidum, ideòque cum ſit ſimul ſpirabile optimèque diſpoſitum, ſicut & in Beatis ipſa vocis organa, erit os cujuſque glorificati ut ait Guil. Parif. cit. ſect. 14. ſicut cythara chordarum innumerabilium & innumerabilium fiſtularum, audieturque ex ore uniuſcujuſque concentus vocum mirâ & incognitâ nobis ſuavitate conſonantium.

DIFFICVLTAS XVI.

Quis ſit locus animarum damnatarum.

QUoniam multa item pulchra & digna Chriſtiano homine ſcripſerunt & crediderunt olim Ethnici de loco qui debeatur animis nocentibus; Idcircò ne nos Chriſtiani deterioris tam fidei quam conditionis eſſe videamur,

Locus nocentium eſt Infernus. DICO, locus animarum nocentium & damnatarum eſt Infernus, qui idem eſt malignorum ſpirituum. Hæc eſt doctrina ex ſacris literis deſumpta, quam qui negat, nomine Chriſtiani indignus meritò cenſeri poteſt: Eſſe autem Inferos docet inter Gentiles Zeno Stoicus apud Lactant. 7. inſtit. cap. 7. ubi ait, quod ſedes piorum ab impiis ſint diſcretæ, & quod illi quidem delectabiles & quietas incolant regiones, hi verò luant pœnas in tenebricoſis locis; Et hunc locum velut gremium terræ deſcribit Plato in Phædone, dum inquit, omnes labes mundanarum ſordium illuc confluendo & ibidem deſidendo exhalare &c. Nec malè Anaxagoras apud Cicer. 1. Tuſcul. quæſt. moriturus reſpondit, omnes ſcilicet Regiones ſupremæ terræ æquali ab Inferis intervallo diſtare, quia credebat, orcum in centro terræ exiſtere. Si

QVÆRAS, an montes Ætna, Veſuvius & alii ſint portæ inferni. Reſp. negativè, contrà antiquos Hiſtoricos & quoſdam Theologos non vulgares. Eſt autem Toſtati parad. 5. c. 102. ubi ait montium hiatus ideò non pertinere neque ad orci focum, quod alioquin flammarum eructatio eſſet perpetua, nec pro copia aut inopia alimenti creſceret aut remitteret. Eſt etiam eorum, qui, *Ætna, Veſuvius &c. non ſunt portæ inferni.* dum Theodorici Regis Gothorum meminerunt, cumque teſte S. Gregorio dial. 4. c. 30. per ignitum terræ hiatum ollâ demiſſum ajunt, hunc inferni oſtium negant, licet non deſint, qui id aſſerant. Eſt denique Baronii Cardinalis, qui primò ad annum Chriſti 81. n. 5. ſcribit, terræ fauces, ex quibus ignis continuò exhalare ſolet, eſſe veluti quaſdam inferni portas: 2. ad annum 1038. ubi eandem ſententiam repetiit, nimirum Ætnam & Veſuvium inferorum portas dici magis Poëticè quam Theologicè, licet ita ſenſerint nonnulli viri magni, ut Petrus Damianus, qui in vita Odilonis incendia Montium Siciliæ Inferorum indicia eſſe conjectat; Tum Surius comment. anni 1537. ubi ait Veriſimile eſſe in montibus Ætna, Veſuvio & aliis eſſe tartari oſtia; Et Franc. Mayro qui apud Toſtat. parad. 5. cap. 182. ſcribit, Deum poſt ultimum judicii diem clauſurum montem Ætnam & alia ora inferni; Nam hæc moraliter potius quam phyſicè vera ſunt propterea, quod per hujuſmodi flammarum terribiles fragores ignem infernalem hominibus objiciamus, indeque metum & terrorem incutiamus. Sufficiat itaque dicere & credere, regionem inferorum eſſe foſſam interioris terræ cum abſtruſa profunditate, quo damnatæ animæ, dum à corporis harmonia ſolvuntur, eodem temporis puncto deſcendunt.

DIFFICULTAS XVII.

Quantus ſit Infernus.

DICO, Infernus eſt locus maximæ vaſtitatis: Ita ſentiunt non tantum Chriſtiani, ſed ſenſerunt hoc etiam olim Gentiles. Nam Plato in Phæd. Voluit barathrum eſſe ingentis magnitudinis locum, cum in illud omnia flumina decurrant & defluant; Et idem ſenſerunt Pythagoræi, qui iiſdem inferis non exiguum locum attribuerunt, cùm totum ignis Elementum, quod cæteri Philoſophi ſub lunæ concavo ponunt, in ipſo terræ medio conſtituerint, ut patet ex Ariſt. 2. cæl. c. 13. illumque locum Jovis carcerem vocaverint. Cur autem Platonici tantam inferno vaſtitatem attribuerent, erat, quod ficut 9. in cælis beatarum mentium ordines diſtinxerunt, ita & in 9. ordines malos diſtribuerent Dæmones, quibus voluerunt reſpondere 9. gradus pœnarum, ut etiam cecinit Virgilius, Et novies miſeros ſtyx intercluſa coërcet. Nec immeritò ita ſenſerunt Veteres Ethnici, quia videtur ipſa varietas ſuppliciorum tantam loci vaſtitatem depoſcere. Nam ut ait Salaſſ. 1. 2. tr. 2. diſp. 14. ſ. 14. numero 113. ſpiritus carnifices aſſument corpora, quæ referant homines, Dracones &c. quorum aſpectus quaſi fulgura diſcurrentia

cum

cum furore miseros torquebunt, imò illi ipsi, ut habet Corn. à lapid. in prophetam Isa. c. 34. instar hircorum pilosi inter se colludent & saltabunt, quorum omnium petulantia cum exigat laxitatem, non in miserorum solatium sed potius supplicium, meritò videtur iis magna pars terræ concedenda esse & specus vastissimus admittendus, tum juxtà & circà terræ centrum plures cavitates, ut pro varietate delictorum discrepent quoque loca suppliciorum; Et quamvis juxta multorum opinionem probabile sit, corpora infelicia in orco stipari inter se sicut fasciculi loliorum & tribulorum, sunt tamen alia atque alia quæ in damnatorum pœnam laxitatem requirant, ut horribilissima meteora & phænomena, quæ miseros affligent, pluviæ v. g. ignis, sulphur, spiritus procellarum, fulgura, fulmina, tonitrua, stagna sulphurea horrendo cum fremitu æstuque perpetuo, personæ tristes, aspectus terribiles, facies cum pavore monstrosissimæ &c, de quibus omnibus est scriptura plenissima. Cæterùm si de certo spatio vel magnitudine inferni quæras. Resp. hanc omninò incertam esse; Nam licet cavea vel specus circularis, cuius diameter sit v. g. unius miliaris germanici, videatur sufficere ad omnia damnatorum corpora comprehendenda, dum videl. adhuc ferè minoris spatii circumferentia cubicè multiplicata ex multorum sententia capere possit plus quam nongenta millia millionum corporum, quamvis singulis dentur sex pedes quadrati, judicio autem Lessij 13. perfect. divin. c. 24. non futuros ultrà centies mille milliones; Nihilominus tamen longè majorem esse probant hactenus dicta & rationes verissimæ; sed & ipse Lessius ibidem ex Isai. c. 30. foveam inferorum profundam & dilatatam adeoque speluncam notabilis magnitudinis & vastitatis esse docet, ut proinde potius probatur opinio Francisci Riberæ qui apocal. 14. numer. 20. (fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum) cum Henr. Henriquez. l. ult. Theol. moral. c. 25, num. 3. lit. T. diametrum ultrà 50. Leucas hispanicas sive milliaria germanica extendi sentiat; potissimum verò omnium eorum, qui indefinitè orcum vocarunt provinciam impiorum, ut Xenocr. l. de morte; vel concavitatem magnam, ut Tostatus parad. 5. c. 189. in qua recipi queant corpora omnium damnandorum distinctè & diversimodè juxtà exigentiam meritorum crucianda; vel infernum latum sine mensura, profundum sine fundo, plenamque ardore incomparabili, ut Hug. Victorin. l. 4. de anima, c. 13. vel latissima spacia igne exardescentia veluti clibanum multarum millium Leucarum, ut Sebast. Barradius tom. 3. l. 10. c. 4. vel locum spatiosum, in quo sufficiens aër ad loquelam ministrat, ut Salass. 1. 2. tract. 2. dict. 14. sect. 14. num. 107. ubi ait, damnatos vel semper loqui idiomate duro, aspero & insuavi, quod habeant à Dæmone; vel denique tartarum latè se extendentem, ut habet Virgil. 6. Ænead. Tartarus ipse bis patet in præceps tantum tenditque sub umbras, quantus ad Ætherium cæli suspectus Olympum &c.

Superest denique modus, quo in loco hoc terribilissimo anima damnata possit ab igne torqueri, cum id non tantum sit de fide, sed etiam certum apud antiquos Philosophos, qui ex solo lumine naturæ hoc cognoverunt, dum inter supplicia damnatorum incendium illud quo ex[illegible]ucientur, non minimum esse v[illegible]luerunt, quamvis modum, quo ab igne animus sive separatus & conjunctus sive spiritus affligi possit, haud intellexerint. Verum quia circà hunc luctuosissimum dolorem æternamque ignis actionem diversissimæ sunt Authorum sententiæ, ut patet apud huius & priorum seculorum illustres tam Philosophos quam Theologos; Idcircò lectorem eorum judicio se sistere cupio, ut & ipse videat & perpendat, an uno eorum modorum, quos illi ingeniosissimè declarant, animam suam olim cruciari velit, vel cum ea adhuc conjunctus ita vivere malit, ut, quem post hanc vitam judicem sustinebit, eundem non tam misericordem quam justum experiatur, neq; æternis illis inferorum flammis quocunque tandem modo in corpus & animam sævientibus torqueatur.

Epilogus totius operis.

POst operosum hominis Orientis & Morientis, velut dispensatis cum sole laboribus decursum, te studiose lector, ad calcem operis mei placuit convenire, ut qui hæc legendo theoriæ meę pluseulum indulsisti, monitis quoque probè munitum dimitterem. Placuit Hominē in hoc vitæ Theatro Orientem ac Morientem appellare, velut geminum vitæ cardinem, qui intranti simul atque exeunti pateret, ut meritò rem suis momentis æstimanti vitæ ac mortis imperium ratum debeat videri, quæ alternis solent imperare. Multis vitæ huius exordium ita in amoribus est; ut persuadeant sibi nescio quibus argumentorum umbris adducti, nunquam sibi post illud tam luculentum perorandum esse, dum mors denique dicendi simul ac vivendi finem fecerit, statutâ ob oculos vitæ humanæ clepsydrâ, quæ citissimè & ut aquæ dilabi solet. Sunt qui attestante sacra pagina, hominem velut prærogativâ aliquâ flori conferri meminerunt; sed illi ipsi videntur ignorare, vel hinc longiorem vitæ spem jugulari, ut quæ in florum veniat censum, quibus ipsa anni indulgentia brevem periodum circumscripsit. Videas post exactos hyemis rigores blandum veris assurgere theatrum, ibi serpere violas, narcissum in orbem circumferre caput, rosamque comas simul

 & odo-

& odotem dispensate; Et lilium magistratus flotidissimi candidatum ambite clavum, pro miraculo est spectatoti! Sed hæc ridentis natutæ voluptas quam subitò expirat, cui vel unus sæpè meridies ferventiotibus radiis exusto solo pto sepulcbro esse solet, ot homines non certiora imminentis hotæ documenta habete posint, quam cum flotes se meminetunt, artificis Numinis manu ad miraculum quidem depictos, sed qui vel nnguem, qualis floribos insidiari nonnunquam solet, tectissimè metuant. Quod si hæc severius colquam dicta videbuntut, meminetit otaculi philosophiæ, nemioi hanc vitæ usuram rectè concedi, qui non cogitet simul ptopediem se moritutum; quæ causa fnit, quod ille nonciatâ filii motte id unum subjicetet, sciebam me genuisse mortalem. Nam ut Alethes clamat, miset homo! pellis est, ventus est, pila totus est; pila qua mundi quatuot pattes ludunt & eundem in 4. angulos trudunt. Jam fulget & ludit Otiens; jam squalet & ludit Occidens; jam æstuat & urit Meridies; jam friget & furit Septentrio. Mittitur, rapiiut, plauditut, plangitur, scenamque totam claudit bombus inanis. Ego itaque quod de fotma Vates cecinit, in autes tuas, quin & animum depono, ut pto monumento sit,

Vita bonum fragile est, quantumq; accedit ad anoos,
Fit minor, & spatiis carpitur ipsa suis,

FINIS.

INDEX

INDEX LIBRI SECUNDI De Homine Occidente.

 26. Quid

DISPUTATIO IV.

De qualitatibus in genere.

DIFFICVLTAS.

DISPUTATIO V.

De qualitatibus primis.

DIFFICVLTAS.

DISPVTATIO VI.

De qualitatibus secundis

DIFFICVLTAS.

DISPVTATIO VII

De morbo in genere.

DIFFICVLTAS.

12. Nam-

DISPVTATIO VIII.

De caus[is] tam rerum naturalium quam morborum in communi,

DIFFICVLTAS.

DISPVTATIO IX.

De morbis intemperiei,

DIFFICVLTAS.

DISPVTATIO X.

De alteratione corporis humani

DIFFICVLTAS

DISPUTATIO XI.

De putrefactione.

DIFFICVLTAS.

DISPUTATIO XII.

De morbis malignis sive totius substantiæ.

DIFFICVLTAS

DISPVTATIO XIII.

De qualitatibus occultis & imprimis de influentiis cælorum.

DIFFICVLTAS.

DISPVTATIO XIV.

[illegible]

DIFFICVLTAS.

DISPVTATIO XV.

De morbis [illegible]

DIFFICVLTAS.

DISPVTATIO XVI.

De [illegible]

DIFFICVLTAS.

DISPVTATIO XVII.

De symptomatis.

DIFFICVLTAS.

DISPVTATIO XVIII.

De officio Medici ergà aegrum.

DIFFICVLTAS.

DISPVTATIO XIX.

De virtualibus mixtorum qualitatibus.

DIFFICVLTAS.

8. Quae-

DISPVTATIO XX.

De vi purgante & roborante.

DIFFICVLTAS.

DISPVTATIO XXI.

De [illegible]

DIFFICVLTAS.

DISPVTATIO XXII

De corruptione hominis

DIFFICVLTAS

COROLLARIUM.

De anima separata ejusq; felicitate ac miseria ex lumine naturali.

DIFFICVLTAS.

INDEX RE-

INDEX
RERUM ET VERBORUM
LIBRI SECUNDI,

Prima littera D. disputationem, altera d. difficultatem, & p. paginam significat.

Rr 4

And

causa

Ss differ

H.Ha

H.

Habitus.

Hernia.

Hirundo.

Homo.

Honor.

Horror.

Hydrops.

Humor, humidum.

I.

Ignis.

Illuminatio.

Imaginatio.

Immortale.

Impenetrabilitas.

Impotentia.

Impulsus.

Influentiæ cœlestes.

Incantatio.

Incoctio, immaturitas.

Insensile.

Intemperies.

Intensio & remissio.

Instinctus naturæ.

Ira.

Iris.

Invulnerabile.

L.

Lepra.

Leve, levitas.

Lux, lumen.

Lues venerea.

Luxatio.

M.

Magi & magia naturalis.

non

je-

V.

FINIS.